adams 261.17


Digitized by the Internet Archive
in 2011

http://www.archive.org/details/commentariisucci00cart

COMMENTARII
Succincti & Dilucidi
IN
PROVERBIA SALOMONIS.

AUTHORE
THOMA CARTWRIGHTO
SS. Theologiæ in Academia CANTABRIGIENSI
quondam Profeſſore.

Quibus adbibita eſt Præfatio Clariſſimi viri,
JOHANNIS POLYANDRI,
S. Theologiæ Profeſſoris LEIDENSIS.



AMSTELRODAMI,
Sumptibus HENRICI LAURENTII Bibliopolæ.
Anno M. DC. XXXII.

xx
ADAMS
261.17

IOHANN. POLYANDER AD S. THEOLOGIÆ CANDIDATOS.

VNiverſa doctrina, Iuvenes doctiſſimi, à populo Dei recepta qua Eccleſiæ corpus regitur atque in officio ſuo retinetur, aut credenda complectitur, aut agenda. In illis fidei dogmata, in his vitæ præcepta continentur. Vtraque vel publicè ad Dei cultum pertinent, vel privatim ad morum inſtitutionem referuntur, eaque omnia aut à Prophetis & Apoſtolis ſunt prodita, quæ vel oracula, vel mandata divina vocantur, aut ab Eccleſiæ Doctoribus ac Paſtoribus ſunt genuinis interpretationibus doctisque annotationibus illuſtrata, quæ Commentaria Eccleſiaſtica appellantur; quorum illa ſunt θεόπνευστα, *ſeu divinitus inſpirata, ac proinde ab omnibus ſine ulla exceptione approbanda: hæc virorum pereruditorum induſtria congeſta, ideoque tum ſuorum auctorum correctioni, tum aliorum cenſuræ obnoxia, nec recipienda, niſi ad faciliorem præceptionum divinarum intelligentiam ac commodiorem earum obſervationem ſint inſtituta, nec rejicienda, niſi huic uſui officiant. Quemadmodum illis nihil humano generi magis eſt ſalutare, ſic nihil his utilius. Quamvis enim ſacri Codicis lectio ſit omnibus in promptu, præſertim in noſtris Eccleſiis reformatis, non tamen illius ſenſus eſt omnibus ubique manifeſtus. Arcano ſiquidem ac venerando Dei conſilio magna eſt locorum varietas quæ in ſacris literis occurrunt. Quædam adeo ſunt aperta, ut à nemine ſanâ mente prædito in dubium vocari poſ-*

ſint, ut narrationes quædam hiſtoricæ: quædam tectiora & obſcuriora in quorundam præſertim myſteriorum tractatione, quorum cognitio non eſt ad ſalutem perinde neceſſaria. In alijs enim quorum notitia eſt ad ſalutem prorſus neceſſaria, nil tam arcanum & retruſum eſt, quod non claris ſacræ paginæ teſtimonijs comprobetur. Ad horum approbationem rectè ſacras literas tractandi peritia opus eſt, ut phraſis ſermonis ex lingua qua tradita eſt, rectè obſervetur, & loci ad eandem rem pertinentes diligenter conferantur. Vix enim ullus ſacræ Scripturæ locus tam perſpicuus eſt, qui ab hæreticis & perverſis hominibus in alienam ſententiam non trahatur. Quid enim evidentius dici poſſit quàm Immanuelem Ieſum Chriſtum natū eſſe ex Virgine Maria? ex quibus verbis quis aliud concipiat, quàm Salvatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, ex ſemine ac ſubſtantia Virginis Mariæ humanam naturam aſſumpſiſſe? Nihilominus tamen multi his ultimis temporibus inveniuntur, qui id pernegent & novum quoddam naſcendi genus comminiſcantur quo Chriſtum nihil è Virgine ſumpſiſſe confirment. Sunt interim in omni Scriptura loci quidam inſignes quibus præcipua & neceſſaria veræ fidei dogmata ſtabiliuntur ac hæreſes eâ labefactantes refelluntur: in quorum intellectu licet aliqua ambiguitas & dubitatio in rerum ſacrarum cognitione minùs exercitatis oboriri atq; ipſorū animis à ſacrarū literarum depravatoribus ingenerari queat, tamen divinitus factum eſt ut vera & conſtans illorum ſententia fidiſſimis pereruditorum Interpretū expoſitionibus in Eccleſia Chriſti ſit perpetuò conſervata. Quod ut uno atq; altero exemplo declaremus, ſcriptores Eccleſiaſtici adverſus
Joh. 1. 1. *hæreticos olim in interpretatione vocis τοῦ λόγου vel ſermonis hallucinantes, quo Euangeliſta Iohannes utitur, cū λόγον in principio fuiſſe aſſeverat, ſummo conſenſu docuerunt, voce τοῦ λόγου, non Dei propoſitum, nec virtutem divinā, nec aliquam in Deo affectionem denotari, ſed naturā rationis participem ac proprijs characteribus inſignitam, quàm Græci ὑπόστασιν, Latini perſonā vocant, nimirū, Filium Dei unigenitum Ieſum Chriſtū, qui ab omni æternitate apud Patrem fuit*

ipſe

ipſe verus & æternus Deus. Iidem adverſus alios hæreticos qui in eo quod Verbum caro factum dicitur, *turpiter impingentes divinã Chriſti naturam in humanam tranſiiſſe exiſtimabant, nullam aliam iſtius enunciati explanationem admitti poſſe varijs rationibus oſtenderunt, quã quòd Chriſtus Dei Filius naturã humanam, divina incõmutabili atq; inconfuſa permanente, ſuſceperit. Effatũ quoq; Apoſt. Pauli quo aſſerit per unũ hominem peccatũ ad omnes homines perveniſſe nõ de exemplo imitationis, ut volebant* Pelagiani, *ſed de contagio propagationis intelligi debere evidẽtiſſimis argumentis demõſtrarunt. Et quamvis ſanas ipſorũ interpretationes non pauci impugnarent, ab ijs tamẽ propterea recedere noluerunt quod eas cũ fidei analogia atque univerſa Scriptura congruere perſuaſiſſimum haberent. Horum veſtigijs nonnulli eximij noſtræ ætatis Theologi, ut ſummo cum labore ſtudioque indefeſſo, ſic uberrimo cum fructu magnaque laude inſtiterunt. In quorum cenſu ſi quis poſt* Calvinum, Bezam, Mercerum & Iunium *recentiorum interpretum principes eſt collocandus, is eſt* Thomas Cartwrightus *Anglus Warwicenſis, S. Theologiæ quondam Profeſſor in Academia Cantabrigienſi, qui ſingulari ſacras literas interpretandi dono à Deo exornatus, Anglis ſuis præclara illius monumenta præbuit, partim Anglico, partim Latino ſermone conſcripta. Horum partem inſignem vobis,* Ornatiſſimi Iuvenes, *in teſtimonium meæ erga vos benevolentiæ nunc offero, eruditos, nimirum, ipſius Commentarios in Proverbia Salomonis, in quibus admirabili artificio veram methodũ exhibet verbũ Dei rectè ſecandi atq; ad uſum omnis generis hominũ aptè applicandi, qua docendi methodo optandum eſſet ut omnes Eccleſiaſtæ* τῦ τρόπου παιδείας *arte inſtructi in ſuis ad populũ concionibus uterentur. Primo ſiquidẽ loco una cum capitũ & verſuũ analyſi verba & formam loquendi Spiritui Sancto familiarem, ubi aliqua latet obſcuritas aut ambiguitas, accuratè exponit. 2. ſacri textus ſummã & ſcopum auctoris Lectori ſingulis in locis ob oculos ponit. 3 dubia quæ rerũ propoſitarum reſpectu in nonnullis locis occurrunt, oblata occaſione diligenter expendit.*

Joh. 1. 14.
Rom. 5. 12.

4. *poriſmata dogmatica, hortativa & conſolatoria, quæ ex contextu ritè colligi poßunt, optimo ordine recenſet. Hic* Cartwrightus, *ut à doctis quibuſdam Anglis fide dignis intellexi, tranſlationem Anglicam novi Teſtamenti ex decreto Sereniſſimæ Reginæ* Eliſabethæ *ac Procerum Angliæ ab Anglo-Remenſium corruptelis vindicavit, ſcriptaque alia tam Polemica, quam dogmatica compoſuit, quorum nonnulla ſunt evulgata, nonnulla, ut ab iiſdem Anglis accepi, brevi evulgabuntur. Ab Anglis mercatoribus tum Antwerpiæ, tum Middelburgi negotiantibus ad munus Paſtoris ex patria ſua evocatus, utrisque in ſua functione abunde ſatisfecit. In hac noſtra quoque Academia aliquamdiu cum Theologis noſtris agendi cauſa ſubſiſtens, Clariſſ. V. Iunio & Trelcatio patre familiariter uſus eſt. Poſtea Angliam repetens, apud Gargeſenienſes graviſſimi ac vigilantiſſimi Eccleſiaſtæ officio defunctus eſt. Tandem ſenio & lucubrationibus confectus, venia prius à Gargeſenienſibus impetrata Warwicum reverſus eſt, ut reliquam vitæ ſuæ particulam fideli popularium ſuorum inſtitutioni conſecraret, ubi, poſtquam omnes boni paſtoris labores exantlaßet, placida morte obdormiens, ſperatam quietem porrectiſſima in Chriſtum mente invenit. Hujus dilucidos & ſuccinctos Commentarios in Salomonis Proverbia ideo vobis,* Iuvenes præſtantiſſimi, *inſcribere volui, quòd ejuſdem ſtudij Theologici* κοινωνία, *veſtraque ætas non minus meæ, quàm Symmyſtarum meorum curæ ac fidei commiſſa me quotidie moneat, ut vos ad hujus & ſimilium voluminum lectionem revocem, quâ non tantum doctiores, ſed etiam meliores evadere poſſitis. Non enim me latet magnam ordinis veſtri partem in ſtolidis potius Sophiſtarum argutijs, quàm in ſolidis Theologorum Orthodoxorum ſcriptis evolvendis meliores ſuas horas collocare, neglectisque piorum ac prudentum Interpretum Commentariis Theologiam* θεωρητικὴν *ad* πρακτικὴν*, ſacrasque meditationes ad pias actiones reducendi rationem oſtendentibus, ad ſolas penè controverſias de quinque articulis intelligendas animum ſuum adjungere, quas à paucis primùm apud nos motas, nunc à pluribus*

ribus

ribus acerrima contentione foveri videmus, non ſine magno hominum pacificorum mœrore, nec ſine miſerandi ſciſmatis periculo, gravique exterarum Eccleſiarum reformatarum offenſione, quæ ſuam doctrinam noſtræ conſentaneam ſcriptis quorundam mordacibus per aliquot Theologorum latus convelli animadvertunt, ac communes nobis inimicos vires ſuas quas priſtina noſtra concordia amiſerant, nova hac diſcordia facile recuperaturos prævident, niſi Deus Opt. Max. noſtri tandem miſereſcens aptum aliquod tanto vulneri remedium adhibeat. Sed ut eo redeam, unde Eccleſiarum noſtrarum miſerias apud Deum deplorans aliquantulum ſum egreſſus, etſi non inconſultum arbitrer, ut ij præſertim quos Chriſtus ἀρχιποίμην *gregi ſuo paſcendo deſtinavit, utriusque partis de iſtis quinque articulis præcipuè diſputantis ſcripta adverſaria perlegant, ne in hac regione pro nuperis & peregrinis Doctoribus habeantur, illorum tamen conſilium atque inſtitutum non poſſum approbare, qui in iſtorum quinque articolorum diſquiſitionem ſic incumbunt, ut reliquorum fidei dogmatum indagationi, quæ in ſacra Scriptura paſſim traduntur, vix aliquid ſubſecivi temporis impartiantur, ideoque in eorum ignoratione, tanquam in craſſa quadam caligine verſentur. Huic morbo ingraveſcenti ut pro mea facultate mature occurram, vos per unicum noſtrum Dominum ac Doctorem Ieſum Chriſtum obteſtor, ut ab irrequietis quorundam diſputatorum contentionibus paululum recedentes, veſtram ætatem, quæ hactenus in iſto potiſſimum diſſertantium curriculo verſata eſt, tranquillioribus lucubrationibus in poſterum impendatis, veſtrique ingenij ſementem atque induſtriam in hoc fertili Proverbiorum campo gnaviter exerceatis, ac normam reverentiæ Deo gratæ, viamque juſtitiæ vobis ſalutaris, quam poſt* Salomonem *unicuique veſtrum* Cartwrightus *intuendam proponit, aſſiduè conſectantes,* πρᾶξιν *cœleſtis ſapientiæ cum ipſius* θεωρίᾳ, *Dei timorem cum proximi amore, rectamque conſcientiam cum vera ſcientia feliciter conjungere ab utroque monitore addiſcatis. Qua mente ſi vos affectos eſſe percepero, præterquàm quod ad*

ſimile

ſimile ſcriptionis genus meum quoque calamum excitabitis, votum ſanctæ obedientiæ quod ſacris literis initiati Deo voviſtis, fideliter perſolvetis, Chriſtique Paſtorum principis Eccleſia, cui voſtram operam dicaſtis, ex hoc veſtro ſtudio pioque conatu quàm ampliſſimos aliquando fructus percipiet & poſteritati relinquet. Lugduni Batavorum, 10. Ianuarij 1617.

Veſter in Immanuele,

JOHANNES POLYANDER.

COMMENTARII
Succincti & Dilucidi
IN
PROVERBIA SOLOMONIS.

CAPUT PRIMUM.

Verſ. 1. Proverbia Schelomonis, filij Davidis, Regis Iiſraelitarum.

SOlomon libro Proverbiorum, tanquam pater familiari ratione inſtituit pios tanquam filios in lege Dei, ejus tùm promiſſiones, tùm minas ad ſingulos accommodans, ut eos ſapientes & conſultos reddat in omnibus hujus vitæ negotiis, & univerſæ vitæ ſuæ ſtadio.

Liber hic duo continet
- *Præfationem ad cap 10.*
- *Reliquum libri tanquam corpus ad finem uſque.*

In præfatione conſiderantur
- *Titulus ſeu ſumma præfationis, 6. primis verſibus.*
- *Amplior eiuſdem tractatio ad cap. 10.*

In titulo commendatur huius libri doctrina ex
- *Subiecta materia, hoc eſt γνώμαις, ſive dictis gravitate plenis,*
- *cauſis*
  - *Efficiente authore in*
    - *Adiuncto nomine, Salomone.*
    - *relatione, filio Davidis, rege Iiſraelis*
  - *fine*
    - *Scientiæ*
      - *Sapientiæ,*
      - *Eruditionis.*
    - *intelligentiæ verborum prudentum verſ. 6.*

Subjecta materia commendatur, quod totus liber, quantus quantus eſt, nihil, niſi graves, & illuſtres ſententiæ ſunt: ut cum aliorum hominum ἐξωτικῶν libri hinc inde magnas ſententias complectantur, quę notulis ad oram libri appoſitis pro inſignioribus Lectori commendantur, hic liber nihil non illuſtre contineat. Imo vero cum alij Scripturæ libri gravibus ſententiis referti ſint, tamen hic liber ſingu-

lari quadam ratione, & veluti pleniore & conferta menſurâ ſuo merito glorioſum hunc titulum reportavit. Alij enim libri, tametſi à SpirituSancto dictati perfectiſſimam ſapientiam contineant, & ſcientiam earum rerum, quas ſibi proponunt, tamen ſapientia & ſcientia, quæ in illis traditur, raro admodum decerpi, & percipi poteſt, niſi ex multorum verſuum contextu, & continuata ſerie, ita ut, ſi in ſecundo, aut tertio, aut etiam quarto verſu ſæpè ſubſtiteris, fructum exilem & perexiguum percepturus es: in hoc autem libro (maximè cum ad cap. 10. perventum fuerit, ex quo, & ſequentibus capp. hoc nomen Proverbiorum hic liber ſortitus eſt) ſingulis penè verſibus, vel verſiculis potiùs abſoluta & perfecta doctrina traditur. Deinde hoc nomine commendatur, quod in tam ſuccincta brevitate ea dexteritas adhibeatur, ut ſingulæ doctrinæ proverbiis comprehenſę aliqua comparatione, majoris, minoris, paris, ſimilis, aut diſſimilis illuſtrentur, atque ita ex veteri proverbio, bis dicantur ſingulæ hæ ſententiæ, quòd, adjecta ſimilitudine, aut alia comparatione, dicantur. Huc accedit, quod ipſo præterea nomine ἀξιώματα, ſive dignitates eſſe declarentur hę doctrinæ, utpote quæ ſuo merito vitæ noſtræ veluti dominæ & moderatrices eſſe debent: ut, cum reliqua ſcriptura nomine κανόνος non immeritò vocetur, hic tamen liber pręcipua quadam ratione hoc titulo & inſigni ſit notandus.

Author, ſeu ſcriptor deſcribitur 1. ab adjuncto nomine *Salomonis*; qua una voce Lectori in memoriam reducitur incomparabilis illa ſapientia, qua ille omnes, qui unquam aut fuerunt, aut futuri ſunt, mortales multis paraſangis ſuperavit: cujus ſapientię hoc opus (ut palatij ædificationem & Reipubl. procurationem mittam) operæ pretium fuit, & teſtimonium longe luculentiſſimum. Hîc commemoranda Dei liberalitas, & munificentia nobis conſideranda venit, qui ad omnem poſteritatem hoc monumentum ſapientiæ ſuæ in *Salomone* tranſmiſit, nec paſſus eſt magnum hoc luminare occidere, ſed ad hoc uſq; ævi, ceu ſolem in Gibeone ſubſiſtere fecit, ut ſpirituales inimicos probè ulciſceremur. Quam tremendum igitur futurum eſt judicium noſtrum, ſi *Salomonem* in portis noſtris principem, & lectiſſimam ejus ſapientiam non audiemus, cum regina Sabæ tantis ſumptibus, tanto apparatu tam longum iter emenſa eſt, idque ut ſapientiam audiret cum hac minimè conferendam, imò quæ hujus reſpectu vix ramentum ſapientiæ dicenda eſt! Huc igitur afferantur, quę dicta ſunt Pſal. 120. Notetur etiam, quanta ſit eorum cęcitas, qui, relicto *Salomone*, ad Machiavellum transfugiunt, ut ſapientiam, & politeiam diſcant.

Author porrò deſcribitur à relatione, quod ſit filius *Davidis*, regis potentiſſimi & invictiſſimi, Prophetæ nobiliſſimi & nominatiſſimi, viri ſanctiſſimi & ſapientiſſimi, à quo Salomon cultiſſimè, liberaliſſimè, & religioſiſſimè educatus eſt. Si fuiſſet bubulci filius, ſi idiotæ, ſi perfidi, tamen pro cæleſti ea, qua præditus erat, ſapientia ab omnibus audiendus eſſet: jam verò, quandoquidem illis etiam ornamentis inſtructus prodit, quæ ab hominibus plurimi fiunt, quam illi excuſationem afferent, qui vel eum non audiunt, vel in ejus verbis non acquieſcunt!

Sequitur alterum relatum, quòd rex fuerit, idque populi Dei, neque adhuc diviſi, ut poſtea; ſed una & republicâ & Eccleſiâ conjuncti. Sicut igitur Propheta fuit, & filius Prophetæ; ita rex, & filius regis: Scimus autem regum dicta avidè captari, utcunque mediocria; nec defuiſſe, qui regum, cum adhuc pueri eſſent, ludicram & ludibundam in dictis & factis converſationem literis mandarunt. Quantum

tum igitur beneficium eſt poſſe quotidiè ſermones cum ampliſſimo rege ſerere! Quod etiam mundi inſaniam coarguit, relicto ampliſſimo rege *Salomone*, ad Machiavellum ignobilem civitatulæ ſcribam ſe recipientis; perinde ac ſi procaturus aliquis, deſerta lectiſſima dominâ, ad turpiculas deſcenderet pediſſequas. Cum enim præter genus ſapientiæ longè præſtantius, calamus hic nobilitate aureus exiſtat, qui illic prę ignobilitate plumbeus eſt, quæ, malum, inſania hominum animos occupat, quod Salomone ſpreto, Machiavellum depereant: niſi quod hujus ſapientia divina ſit, iſtius diabolica: hujus cælitùs demiſſa, iſtius ab inferis excitata!

Verſ. 2. Ad ſciendum ſapientiam & eruditionem, ad intelligendum dicta prudentiæ.

Sequitur deſcriptio ex fine, qui duplex in hoc verſu breviter proponitur

חכמה }
מוסר } לדעת
להבין אמרי בינה

Voce חכמה intelligit accuratam rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, quoad hominis Chriſtiani officium complectuntur, & videtur λόγον γνώσεως indicare, de quo Apoſtolus. 1. Cor. 12. voce autem מוסר λόγον σοφίας, ſeu accommodationē illius notitiæ ad deformitatis, quæ in nobis eſt, reformationem: ut hic videatur illud huic libro attribui, quod 2. Tim. 3. toti ſcripturæ attribuitur.

Ex quibus diſcimus. 1. homines naturâ ſua ſtultos & inſanos eſſe, nec quidquam illorum intelligere, per quæ ad vitam æternam itur; deinde etiam ita refractarios & contumaces eſſe, ut recta ſcientes ſe ad rectam normam revocari non patiantur; unde apud *Iobum* pullo indomito, & apud *Ieremiam* indomito juvenco comparanrur.

Deinde in priori horum finium illud percipitur, nullam doctrinam vel ex philoſophorum libris, vel ex politicorum præceptis, vel ſapientum dictis exiſtere, quæ nos inſtituat. Verum quidem eſt, inter educationem liberorum hominū nobiliorum & ignobilium magnum diſcrimen intercedere: ſed interim utroſque perinde ad regnum cœlorum ineptos atque indoctos eſſe; imo verò ſæpe evenire, ut quò magis civili diſciplina excolantur, eò ſint à regno Dei remotiores, non minùs verum eſt. Non multi nobiles, &c. 1. Cor. 1.

Ex poſteriori fine diſcimus, ſcripturam non tantùm ſana docere, & recta, ſed homines porrò inſtituere, quomodo illa ſuo uſui accommodent, ſine quo cognitio non modò non juvaret, ſed divinam acceleraret ultionem. Itaque non arma ſolùm adminiſtrat, ſed & quomodò induantur & aptentur, & quomodò in illis incedendum ſit, docet. Cæteroquin homines in ea verſati illis aſſimilarentur, qui ignem in ſilice gerunt neſcientes quomodo eliciendus ſit. Hinc elucet, quanta ſit virtus paſtoris & diſciplinæ eccleſiaſticę, quorum adminiculo hæc aptantur.

Verſ. 3. Ad percipiendum eruditionem intelligentiæ, juſtitiæ, jurisque, & omnis recti.

Poſteriorem partem prioris membri more Hebręorum exſequitur de accommodatione; cujus duas partes conſtituit; unam intellectus, alteram morum, aut voluntatis. Hîc primùm diſcimus, ſingula, quæ docentur, nobis applicanda eſſe Job. 5. v ultimo; deinde primùm intelligentiam eſſe reformandam, ut quod bonum agimus, intelligenter, & non puerili quadam imitatione faciamus, quod plerique faciunt. Tametſi enim, quod juſtum eſt, faciamus, tamen, niſi ex intelligentia proficiſ-

ficiſcatur, nullius pretij eſt. Porrò hæc reformatio ad vitam traducenda eſt: ubi 3. ponuntur; 1. ut unaquæque actio juſta ſit; deinde ut modus & ratio illius obſervetur, quæ dicitur משפט; denique ut æquitas adhibeatur ad moderandum ſummi juris ἀκριβοδολογεῖν

Verſ. 4. Ad dandum fatuis aſtutiam, puero ſcientiam, & ſolertiam.

v. 5. Quibus auditis, ſapiens adjiciat diſciplinam, & intelligens induſtria conſilia comparet.

v. 6. Ad docendum proverbium, & interpretationem, verba ſapientum, & ænigmata eorum.

Redit ad priorem partem prioris mẽbri; ubi eſt prolepſis, cujus occupatio tacetur, ſed ad hunc modũ ſuppleri poteſt; *atqui cum hæc & Salomonis ſint reconditiſſima ſapientia imbuti, & quidem obſcurius: quia brevius, tradita, nos, qui rudes ſumus ab eorum ſtudio excludimur*: ſubjectio adjungitur; *imo ſtolidus, cui facile, quod omnia credit, imponitur, ex his verſutus & ſolers; qui ſenſu judicioque inſtar pueri ſunt, hinc conſulti evadent.*

Hîc diſcrimen inter ſcientiam ex ſcripturis depromptam percipi poteſt, & illam, quæ ex mundi machina petitur. Portis ſcholæ Platonis inſcribebatur, μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω; ſed longe ſecus hiſce *Salomonis* valvis; hîc enim ſcriptum, intrent rudes, ſimplices, idiotæ, ſtulti, ſicut poſthac clarius videbimus: infantibus proponitur hæc ſcientia. 2. Tim. 3. David etiam affirmat Pſal. 119. 98. ſcientiâ ſcripturæ ſe doctoribus, ſenibus, inimicis ſapientiorem fuiſſe factum. Quãto autem magis reliqua ſcriptura omnibus obvia eſt, ſi hæc reconditior ejus pars nemini non innoteſcat!

A ſeptimo verſu ad vigeſimum.

Verſ. 7. Reverentia Iehovæ eſt caput ſcientiæ: ſapientiam, ac eruditionem ſtulti ſpernunt.

v. 8. Audi, fili mi, eruditionem patris tui; neque deſeras doctrinam matris tuæ.

Propoſito ſapientiæ genere, quod *Salomon* in hoc libro proſequetur, verſu ſeptimo, ad eam amplectendam & contrariam ſtultitiam fugiendam adhortatur.

Partes ſunt {
deſignatio illius generis ſapientiæ, quæ in hoc libro traditur
ad illam amplexandam, cum contrarij fuga & declinatione, adhortatio.
}

Priore docetur non omne genus ſapientiæ hic informari: ſed illam tantùm, cujus cùm ſumma & caput, tùm baſis & fundamentum eſt timor Dei. Quicquid enim hoc in libro pręcipitur, vel eſt verus Dei cultus, vel ex vero Dei cultu, tanquam fonte, & parente proficiſcitur.

Dei timorem, qui filialis eſt, pro vero ejus cultu ſynecdochicè ponit, quia non tantùm præcipua ejus pars eſt, ſed reliquas omnes animi affectiones veluti in officio continet: quæcunque enim vel cogitationes, vel dicta, vel facta ex coruptela mentis, & voluntatis noſtræ dimanant, quaſi collo prehendit, & ad examen ducit, ut ſi minus conſentanea ſint, cohibeat, ne ulteriùs procedant. Sic Paulus omnium malorum fontem eſſe judicat abſentiam timoris Dei, Roman. 3. Sic Abrahamus ſibi cùm ab uxoris violatione, tum à ſui interfectione ideò timuit Gerari hoſpitans, quòd arbitratus fuerit, ibi eſſe vacuitatem timoris Dei, Gen. 0.

Verum

Verum Dei timorem probat ſapientiam eſſe, quod ſtulti ſeu impij eum contemptui habeant. Quod enim priore hemiſtichio יראת generaliter dixerat poſteriore חכמה ומוסר explicat: ubi tacitæ objectioni occurrit, ſcil. quod plerique hanc ſapientiam contemnant: cui reſpondet ſtultos eſſe, ſeu inſanos: ideoque judicium eorum non eſſe magni faciendum. Quis enim unionem, aut gemmam contemnat, quia ſtultus illi ſuum flabellum preponat? Atqui impij tam ſunt ad res cęleſtes judicandum inepti, quàm ſunt moriones ad res hujus vitæ diſcernendas.

De priore hactenus: ſequitur pars altera in adhortatione ad { *hanc ſapientiam amplexandam.* / *contrarium fugiendum.* }

Commendat hanc ſapientiam ab efficiente inſtrumento: nempe parentibus, ut ex cap. 4. v. . conſtat. Doctrina enim vera à parentibus profecta minùs ſuſpecta eſt, quàm quæ ab heris proficiſcitur: illi enim exiſtimabuntur ſuo commodo recta præcipere, ut, *non furandum*, *non multum edendum*, aut *bibendum*. Quo accedit, quòd tenella ætas his rebus diſcendis aptiſſima eſt. Deinde apparet, hanc doctrinam ſapientiæ in parentum ædibus informandam eſſe; eoque parentes ad illam inſtituendum idoneos eſſe oportere, antequam parentes fiant, aut matrimonium contrahant. Unde illud 1. Corint. 14. *uxor, ſiquid dubitet, à viro percontetur*: Omninoq; indicio eſt, eum in reprobum ſenſum conjectum eſſe, qui in parentum ædibus non proficit. Deinde ne matris quidem opera in hoc negotio contemnenda eſt, cùm illa plurimum poſſit ad pietatem, aut impietatem liberorum. 2. Tim. 3. Hinc in libris Reg. & Chron. matrum nomina apponuntur tam in regib. pijs, quàm impijs, ut quæ laudis in virtute, aut vituperij, in vitijs ſunt participes. Hæc etiam clauſula idcirco additur, quia multi inveniuntur, qui patrum monitis ſe auſcultare præ ſe ferunt, qui tamen matrum monita rejiciunt: qui certè, ſi patrem ſtudio obſequendi Deo audirent, proculdubio matrem eadem opera directricem admitterent, quandoquidem Deus eſt, qui cùm hoc, tùm illud mandat. Nec tamen propterea parentibus obtemperandum eſt, niſi quoad pia & juſta præcipiant. 1. Samuel. 22. 17. Johan. 2. quod porrò liquet ex cap. 6. v. 23. ubi quod v. 20. vocatur patris, & matris præceptum & doctrina, vocatur lucerna, & lux.

Verſ. 9. Nam adjectio gratioſa erunt capiti tuo, & torques faucibus tuis.

Confirmatio ſuperioris adhortationis ab adjunct. decore & dignitate, quę Deus veræ ſapientiæ ſtudioſis adjunget. Sic alibi in Proverb. dicitur ſapientia vultum hominis ornare, & ut reſplendeat, efficere. Vide exemplum Chriſti Luc. 2. 52. Quid, quòd *Ioſepho*, & *Moſi* hoc uſu-venit etiam inter profanos *Ægyptios*, ut plus gratiâ valerent, quàm ulli alij ex *Pharaonis* aulicis? Cujus ratio eſt, non tantùm quod hæc ſapientia in vitę communis ratione, & mutuis hominum erga ſe officijs amabilis eſt, ſed quòd Deus, qui hominũ animos pro arbitratu flectit, & reflectit, eam ſua virtute & ἐνεργείᾳ provehit & proſequitur.

Hanc doctrinam illuſtrat argumento ſimil. quia inſtar torquis eſt collo circumpoſiti, & coronæ, qua caput redimitur. Quemadmodùm enim torques, & diademata homini illa geſtanti gratiam conciliant in oculis vulgi: ita hæc doctrina ejuſdem compoti in animis ſapientum. Nã efficit ut & conſilia, quæ ex cerebro in

capite ſedem habent, acutiora & magis conſulta ſint; & ut ſermo, qui è gutture fluit, ſuavior ſit, & jucundior. Sic videmus, vera ſapientiâ præditos ex ſummâ eſſe nobilitate, ut qui è cælis, & cæleſti patre oriundi ſint, Pſal. 16.

Verſ. 10. *Fili mi, ſi pellicere te volent peccatores, ne acquieſcito.*

v. 11. *Si dixerint: Veni nobiſcum: inſidiemur ſanguini, abſcondamus nos contra innocentem impunè.*

Sequitur dehortatio, quæ γενικῶς verſ. 10. comprehenſa reliquis verſ. ſpecialiùs explicatur.

Primò hîc notandum, non defuturos peccatores, qui timore Dei inſtitutos ab eodem depellere, & deturbare ſtudebũt. Tametſi enim ὑποθετικῶς proponitur, tamen hujuſmodi eſt, quod omnibus pijs obvenit, & quo nemo timens Dei eximitur. Nam cùm in Eccleſia miſceantur hypocritę fidelibus, non dubium eſt, quin, quam intus incluſam gerunt improbitatem, pro virili proferent, quandoquidem in privatis etiam ædibus vix cuiquam ab hac tentatione libero eſſe licet: tam efficax eſt diligentia adverſarij noſtri diaboli, qui, tanquam leo rugiens, circumit, & terram perambulat quærens, quem devoret.

Deinde notandum eſt, quinam à Salomone peccatores appellentur. Dixerit enim quiſpiam; an eſt quiſquam, qui non ſit peccator? Utique eſt. Non eſt quidem, qui non peccet; ſed multi, qui peccatores non ſunt. Deus enim peccatores non exaudit, Pſal. 9. qui tamen exaudit peccantes. Sic beatus dicitur, Pſal. 1. qui in via peccatorum non ſtetit; quæ beatitudo nulla foret, ſi omnes, qui peccant ab illa excluderentur. Quinam igitur peccatores ſint, ex hoc loco conſtat; hi nimirùm, qui & ſe improbitati dedunt, & alijs, ut idem faciant, ſuaſores exiſtunt; & Satanæ operam ſuam libenter navant; cum pij, tametſi à Satana aliquandò impelluntur, & imprudentes antevertuntur, ne tamen alij iiſdem retibus peccati teneantur ſolicitè cavent.

Primum remedium adverſus iſtas Satanæ impijs hominibus fraudes eſt penitùs cum animo noſtro conſtituere nolle hujuſmodi incantationibus, & delinitionibus auſcultare. Hinc illud, *dixi me obſervaturum*, &c. item, *Iuravi*, &c. Pſal. 119. & Iob. 31. 1. fœdus pepigeram cum oculis meis.

Deinceps ſequitur peccatorum illecebroſa oratio ſpecialiùs explicata. Ubi primùm conſideretur eorum adhortatio, deinde rationes, quibus nititur. Adhortatio eſt. *veni nobiſcum*, *inſidiemur*, &c. Quo quid dictu turpius, aut indignius? Hic autem videtur *Salomon* non ipſa peccatorum hujuſmodi verba imitari (illi enim plerunque, ut alios ad perticipationem ſceleris pelliciant, obtendere ſolent eorum, quos ſpoliaturi ſunt, nimiam ad rem attentionem: aut quòd malè parta merito illis eripiantur,) ſed ut eorum oratio, qualis reipſa ſit, vivis colorib. repræſentetur, his verbis uti; ac ſi diceret; ſit, cui inſidiaturi ſunt, avarus, ſit expilator, ſit graſſator; tamen ratione tui innocens eſt. Hinc illud diſcamus; quoties improbi mollioribus verbis ſceleris atrocitatem mitigare conantur, toties odioſis pro merito eam nobis proponere; ut cùm illi dicunt, *veni nobiſcum, ut noſmetipſos reficiamus, & exhilaremus*, meminerimus eorum ſenſum eſſe, ut ad ebrietatem bibant, & blaſphemijs Deum petant: ſic enim omninò loquuntur. Vide exemplũ *Ioabi*, qui, cum adoleſcentes inter ſe committere voluit, verbo ludendi uſus eſt.

Sic

Sic cum te invitaverint ad erigendas Florales ſtatuas, puta perinde dictum eſſe, ac ſi dicerent, veni nobiſcum furatum, ſcortatum, ſabbatum profanatum.

Verſ. 12. Abſorbebimus eos, velut ſepulchrum, vivos; & integros, ut deſcendentes in foſſam.

Sequuntur rationes adhortationis: quarum prima eſt ab adjuncta immanitate, & quòd impunè facient abſq; periculo. Objicienti verò; quomodo illud fiat, quãdoquidem ſanguis effuſus, & cadavera projecta magiſtratum, & indagatores ad homicidas exquirendos incitabunt? reſpondent, ſe curaturos, ut nullum veſtigium effuſi ſanguinis magis appareat, quàm ſi homines penitus abſorpſiſſent: nec magis obnoxios fore, quàm ſi aut terra dehiſcens vivos devoraret, aut mortui à veſpillionibus, & libitinarijs ſepelirentur. Atqui miſeri non intelligunt, ſanguinem clamaturum ad Deum, & terram occiſorum ſanguinem (ut eſt apud *Iobum*) retecturam, ac ſi, quem imbiberat ſanguinem, vomitione regurgitaret.

Verſ. 13. Omnem ſubſtantiam pretioſam conſequemur; implebimus domos noſtras ſpolijs.

Secundum argumentum eſt ab adj. mercede, ſpolijs ſc. quibus ſibi, & familijs ſuis proſpiciant. Novit enim Satan, mentes hominũ avaritiæ contagione valdè infici, ideoque irritamentum illis accommodum aptat. Neque enim ulla illecebra tam generalis, & quam maxima pars hominum citius arrodet, vel etiam devorabit, inveniri poteſt, quàm lucri bolus. Unde Salomon ejus hîc delectum facit.

Verſ. 14. Sortem tuam conjicies inter nos: marſupium idem eſto nobis omnibus.

In hoc verſu prolepſis eſt; cujus occupatio ex oppoſita ſubjectione colligitur: at vos plures eſtis, & veteri ſocietatis fœdere inter vos conſociati; & proinde me aut excludetis penitus, aut ſaltem ad æqualem ſpoliorum partitionem non admittetis; imo (inquiunt) partitio æqualis erit, & quo major æqualitas ſervetur, ſorte judicabitur, quis primus deliget, quis ſecundus. Huic ſubjungitur altera prolepſis: cujus objectio ſic inſtitui poteſt: Atqui, antequam ad ſpolia ventum erit, ſumptus faciendi ſunt: ego autem pecuniâ ſum deſtitutus. Reſpond. Nec illud obſtabit, quo minus te nobis adjunges: una enim erit nobis omnibus crumena: noſtro ſumptu vives, donec pecuniam comparaveris: ſicut & nos tuo, cum pecunia ſuppetierit. Qua oratione, utut avari & injuſti, juſtitiæ tamen, & liberalitatis ſpeciem præ ſe ferunt, ut incautum juvenem facilius illaqueare poterint, & ſcelera ſua ſpecie aliqua virtutis fucare.

Verſ. 15. Fili mi, ne ambulato via communi cum illis: cohibe pedem tuum à ſemita illorum;

Veneno, quod diſtillant improbi nebulones, antidotum jam parat *Salomon*. Ubi primo notandum eſt, *Salomonem* Dei authoritatem, ad juvenem à malo arcendum, improbis eorum conſiliis opponere. Itaque vox hæc ſemper aures noſtras circumſonet cujus authoritas, niſi errorum ſuggeſtioni ſapientiſſimum *Salomonis*, aut Dei potius conſilium poſtponere velimus, facilè nos retinebit in officio. Nam ſi Chriſti authoritas multis paraſangis,

gis præponenda ſit antiquiſſimis, graviſſ. & doctiſſ. hominum placitis (Math. 5.) nedum ſceleratis leviculorum homuncionum verbulis præponi debet. Secundò cum moneat, pedem eſſe inhibendum, indicare videtur, etiam in pijs eſſe propenſionem quandam ad vias hujuſmodi pernicioſas ineundum. Tertio docemur hinc, non ſufficere, ſiquis apud ſe penitus conſtituat à peccato abſtinere, niſi etiam adverſus diaboli inſidias arma paret, ut gladium gladio, rationi in ſpeciem bonæ ſolidam & firmam opponat: alioquin affectus ille nullis ſuffultus argumentis facilè evaneſcet.

Verſ. 16. Quia pedibus ſuis ad malum concurrunt, & feſtinant ad effundendum ſanguinem.

Prima ratio, qua dehortatur, eſt ab effectu, quod malum perpetrent, qui amplificatur ab adjunctis cùm feſtinatione, tum impetu, quo feruntur ad malum. Nam quod utroque pede properant, notatur impetus & violentia in malo. Deinde concurſum iſtum ad malum ſpecialius explicat, cum dicit illos properare ad effundendum ſanguinem, quaſi dicat, illi ſe putant ad divitias comparandas, ſed verius dici poteſt ad ſanguinis effuſionē properare. H. proponunt ſibi ſanguinem effundere, ut ſpolia acquirant: ſed reverà (quæ eſt eorum perverſitas) ſpolia acquirunt, ut ſanguinem effundant. Hic igitur Pauli locus Rom. 3. 15. cum hoc *Salomonis* conferatur.

Verſ. 17. Fruſtrà enim panditur rete & ante oculos omnis alitis.

v. 18. Præterea ipſi in ſanguinem ſuum inſidiantur: quòd abſcondunt ſe, in animas ipſorum eſt.

Alterum argumentum eſt ab effect. propriæ cædis. Nam cum putant, ſe aliorum ſanguini inſidiari, proprio laqueos tendunt. Quod etiam argumento à pari probat. Nam ut caſſis explicatus avibus illas cautiores non facit, quo minus ad eſcam accurrant; eoque avium reſpectu fruſtra collocari verè dic poteſt: ſic iſti cupiditate prædæ capti non animadvertunt laqueum, quem vel Deus ipſe, vel magiſtratus illis tendit. Si igitur Apoſtolus hac ratione à peccatis dehortatur, quod ſe ipſi decipiunt peccatores, tum hoc argumento multo magis commoveri debent, quod ſint veluti αὐτοφόνοι.

Verſ. 19. Ita ſe habent cœtus omnium deditorum quæſtui; quæſtus animam eorum, qui dediti ſunt ipſi, intercipit.

Hic verſus epiphonema eſt, quo certitudinem declarat exitij, quam attrahit avaritia.

Verſ. 20. Summa ſapientia foris recantat, in plateis edit vocem ſuam:

v. 21. In ſumma turbarum proclamat, ad fores portarum, in civitate quaque ſermones ſuos eloquitur dicens,

v. 22. Quouſque, ò fatui, amabitis fatuitatem: & deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi, & ſtolidi odio habebunt ſcientiam?

v. 23. Revertimini ad correctionem meam, ecce, eructabo vobis ſpiritum meum, nota faciam verba mea vobis.

In

In his verſibus ad reſipiſcentiam ducere ſatagens, doctrinam ſuperiorem repudiantes, doctrinæ ſimul, & reprehenſionis contemptoribus certiſſimum exitium denunciat.

Partes ſunt
- *Conatus ad reſipiſcentiam ducendi, priorem doctrinā aſpernantes:*
- *utriuſque cùm adhortationis, tùm caſtigationis contemptorum extremum exitium.*

Conatus ad reſipiſcentiam ducendi duo habet
- *Vnum fiduciæ & παῤῥησίας:*
- *Alterum acerbitatis.*

Hæc oratio, quo majorem authoritatem habeat, ſapientiæ ſapientiſſimæ, id eſt Chriſto attribuitur. Tametſi enim omnis ſermo ſcripturis comprehēſus Chriſti, filij Dei, & ſapientiæ patris ſit, quo tamē quædam ſententiæ majorem, quàm aliæ vim obtineant (prout ſunt ad ſalutem eorum, quibus proponuntur, accommodatæ,) illis prophetæ ſub nomine habitis, hæ Dei ipſius, & Chriſti verbis enunciantur. Vide Proverb. 9. Hinc illud liquet, nomina & appellationes in Scriptura Deo attributa peti ex ratione rerum, & perſonarum, de quibus & apud quas ſermo habetur: ſic Deus conſolationis & miſerationum dicitur, cum ad afflictos ſermo habetur; & Deus juſtus, cum ultionem ſumat; ob eamque cauſam hoc loco ſapientiam ſummam loquentem introducit *Salomon*, quod cum his res ſit, qui ſuperiorem doctrinam, veluti parum ſapientem rejiciunt. Hoc miniſtris imitandum.

Deinde notandum, ſapientiam, quæ in Scripturis habetur, utut ſtultitiæ damnetur ab hominibus, eſſe tamen ſapientiam accuratiſſimam & omnis alius ſapientiæ facilè principem.

In reprehenſione hęc duo conſiderantur, 1. quod aperta & clara ſine omni circuitione proponitur, 2. quod acerba ſit. Prius à ſubjecto loco, ubi maxima hominū celebritas exiſtit, illuſtratur. Sic Chriſtus; *quod in aurem audiſtis, id in tectis ædium evulgate.* Huc ſpectat illud Eſaiæ; *clama gutture, extolle vocem tuam ſicut tubam.* Hujuſmodi enim peccatores ex peccati ſomno non expergiſcentur, niſi ſonora voce miniſter intonuerit. Sic *Elias Achabo*, *Iohannes Baptiſta Herodi*, & alij aliis. Hinc coarguuntur & miniſtri, qui tectè, lentè, & dubiè peccatores coarguunt, & ipſi etiam peccatores, qui iniquè omnem in vitijs ſuis coarguendis παῤῥησίαν ferunt. Hinc porro obſervetur, dandam eſſe operam, ut verbi prædicatio, quàm maximè fieri poteſt, publica ſit.

Acerbitas reprehenſionis primum apparet in appellationum, quas illis attribuit, turpitudine (eos enim ſimplices, deriſores & ſtultos appellat: & tales eſſe probat ab effectis, partim amore & deſiderio mali, partim odio boni;) ſecundo in adjuncto temporis, quod diu iſta fecerint, nec ullum ſibi in peccando modum ſtatuant.

Primo obſerva, impios & doctrinam Dei aſpernantes ſtultos & ſimplices appellari : qua conſultâ loquendi ratione ſtultitiæ convitium in pios ab impiis ſæpiſſimè congeſtum in ipſos regerit. Deinde notetur, eoſdem ſtultos & ſimplices appellari, qui & irriſores dicuntur; ſicut & irriſio, & ſtultitia in eundem cadere dicuntur. Quod docet, non eſſe hos moriones, qui ratione communi privantur; ſed qui ſuo ingenio & ſapientię fidentes, Dei ſapientiam, tanquam ſtultitiam, irriſioni & ludibrio habent. Ergo etiam irriſorum numero hîc habentur, non lepidi ſanniones, & faceti ſcurræ, qui omnia ad aliorum libitum dicunt; ſed qui ſalubres admonitiones ludibrio habent. Deinceps

ab effectis, qui tandem hi ſint, declarat; hi ſcilicet qui ſtultitiam, inſcitiam, & irriſionem amant; & contrariam illis ſapientiam odio proſequuntur: cum pii mala, quamvis illorum expertes non ſint, odio habeant, & ament bona, Rom. 7.

Sed excipiet aliquis, iniquè à ſtultis exigi, ut ſapientiam diſcant: & vitio verti, quod ſtultitiam ament. Quid enim aliud ab illis exſpectetur? Reſpondeo, jure optimo ab illis hoc requiri, quod ſuâ ſibi culpâ iſtam ſtultitiam accerſiverint. Unde patet error Pontificiorum, qui ex hujuſmodi adhortationibus liberum arbitrium ſolent concludere.

Adjuncto temporis עַד־מָתַי indicatur, nō illico ad acres reprehenſiones eſſe deſcendendum: ſed cum homines aliquandiu oblatam à Deo gratiam reſpuerint. Vide. 1. Pet. 4. 2. 3.

Sequitur adhortatio ad reſipiſcentiam v. 23. in caſtigationis præcedentis ſubſidium: quaſi dicat: tametſi doctrinâ ſalubri, & ſuavibus admonitionibus nihil profeceritis, nunc tamē reſipiſcentiam in vobis operetur hęc caſtigatio. Videmus hic, quàm benignus ſit Deus in eos, quos caſtigat, cum eo faciat animo, ut eos emendet. Docemur etiam, quo animo eſſe debemus erga caſtigationes, ſive verbis fiant, ſive factis.

Hanc adhortationem confirmat in eodem verſu ab adjunct. promiſſione ſpiritus copioſiſſimè conferendi, ac ſi nunquam deliquiſſent. Vide Ioh. . .Rō. . .

A verſu. 24. ad finem capitis. Hic [illegible]rioris tum adhortationis, tum correctionis contemptoribus horribile exitium, inevitabile, & juſtiſſimum denunciat, & quod hoc judicium prępedire poſſet, pręvertit.

Partes ſunt { *denunciatio formidabil. iudicij divini, inevitabilis, & iuſtiſſimi adverſus impios.* / *anticipatio eius, quod veritati hujus denunciationis obſtare poſſet.* }

Verſ. 24. Quandoquidem invito, & renuitis, extendo manum meam, & nemo advertit,

v. 25. Sed abſtrahitis vos ab omni conſilio meo, & correctioni meæ non acquieſcitis.

Hîc notetur ordo, quem Deus obſervat in judicijs exſequendis, & quibus veluti dicis, quas peccatoribus ſcribit, tandē ad ſententiam ferendum accedit. Primo enim docet, tum hortatur leniſſimè, dein acrem tum verbis tum factis correptionem adhibet: tandem vero adverſus peccatores iſta omnia reſpuentes, & veluti irrita facientes ſententiam ſeveriſſimam promulgat. Terra enim, quæ ſæpius pluviam combibit, nec fructum agricolæ, qui ſumptum & laborem impendit, dignum profert, proxima eſt incendio atque exitio Heb. 6. Idcirco autem diligentius notandus eſt hic ordo, quia cum expetibile ſit fori civilis rationem, & progreſſum noſcere, tum multo conducibilius conſuetudinem & ritum fori divini probè notum & compertum habere.

Verſ. 26. Ego quoque in calamitate veſtra ridebo; ſubſannabo, cùm advenerit id, quod expaveſcitis.

v. 27. Cum advenerit tanquam [illegible]emebunda vaſtatio id, quod expaveſcitis & calamitas veſtra tanquam turbo adventaverit; cùm irruerit in vos oppreſſio & anguſtia.

Dei iudicium in impios contemptores deſcribitur ab adiunctis { *terrore* / *iuſtitia* }

Adjunctum terroris, quod præcedit, eſt

eſt pavor impiorum, quo ſtimulis peccatorum ſuorum compuncti coguntur ſæpius extrema quæque, atque adeo infernum extimeſcere. unde illud, impiis non eſt pax. Ut enim teſtẽ habent conſcientiam, & accuſatorem ſic eandem habent judicẽ, niſi accuſationi pareant. Vide Iob. 15.21.22. Quibus igitur Deus pavor non eſt (Gen. 31.53.) hi, velint, nolint, coguntur diabolum, & id genus alia timere.

In ipſo tempore judicij adjuncta conſiderentur; 1. Dei gaudium inferentis, riſus nimirum, & ſubſannatio: quo declarat, ſe non magis illorum miſerturũ, quàm homines illorum ſolent, ad quorum mortem rident & jocantur; idque ſe eorum exemplo doctrinam & admonitionem ejus irriſioni habentium provocatum facturum dicit. Præterea ridere, & ſubſannare eos dicitur, quod alijs deridendos propinet. Huic loco ſimilis eſt ille Iobi, ubi dicitur Deus comploſione manuum improbum perſequi.

Sequitur deſcriptio divini adverſus impios judicij, ab adjunctis, & effectis, v. 27. Et primo dicitur illos adoriri formidabili ſtrepitu, qualis aquarum eſſe ſolet ex edito loco delabentiũ, ſeu ἀπὸ δ... Sic rugire dicitur in judicijs exercendis, tam formidabilem hominibus ſe præbẽs, quam eſt leo rugiens beſtiolis, quæ metu inde conſternatæ dicuntur fugam non poſſe arripere. Poſtquàm enim Deus ſenſim, velut tinea, conſumendo non profecit, tum irrumpit in eos irruptione una poſt aliam, incurrit in eos ut robuſtus, Job. 16.14. Qui igitur Dei correctionem averſatur, qua paulo acerbior eſt, in illud incidet, quod eſt omnium, quæ dici, aut cogitari poſſunt, acerbiſſimum.

Aliud adjunct. quod judicium formidabile eſſe declarat, hoc eſt, quod ſit repentinum. Hoc autem illuſtratur ſimili turbinis, doloris, partus, & furis nocturni. Siquidem in tenebris verſantur impij, ubi malum adventurum prævidere nequeunt, imo ita peccatis indormiunt, ut de illo vix unquam cogitent.

Hujus judicij effectus eſt oppreſſio & anguſtia ejuſmodi, ut, quo ſe vertant, neſciant. Hæc enim ea ſunt, quæ *Paulus* notat improbos manere. Rom. 9.2. Pij vero ſuis omnibus anguſtijs expediuntur, quia Chriſtum habent, ad quem in omnibus moleſtijs & difficultatibus ſe recipiant.

Verſ. 28. Tunc invocabunt me, ſed non exaudiam, manè quærent me; ſed non invenient me.

Anguſtiam & oppreſſionem exaggerat alio effecto, nempe invocandi Deum: quod tamen non infructuoſum illis modo; ſed noxium, atque etiam fatale ad interitum fore docet. Hîc ergo refelluntur; qui peccatorum veniam ſe conſequuturos non dubitãt, modo unius horæ quadrantem, quo Deum invocent, nacti fuerint; cum hoc in loco Deus ſe non exauditurum dicat, ſi à mane ad veſperam eũ inclamitent. Hos etiam toto cœlo errare conſtat, qui putant omnes eos ſervatos eſſe, qui moribundi Deum invocant. Ex hoc enim loco ſatis liquet, multos, quibus in ore eſt, *domine, miſerere noſtri*, ad inferos deſcendere.

Ergo (dicet aliquis) quomodo conſtat promiſſionis illius veritas, ſalvum fore, qui Dei nomen invocaverit? Ioel. 2. Reſp. illud de iis intelligitur, qui Deum verè, & ſincerè invocant, 1. primo fide; quod iſti nequeunt, qui fidem non habent, & ſæpiuſculè, quid ſit, neſciunt: 2. cum affectu Deum glorificandi; iſti vero in clamoribus ſuis propriam ſolummodo reſpiciunt ſalutem: 3. diſcedendo ab iniquitate. 2. Tim. 2. 19. quod iſti non faciunt.

Verſ. 29. Propterea quòd oderunt

ſcientiam, & reverentiam Iehovæ non elegerunt:

v. 30. Non acquieverunt conſilio meo, ſed contempſerunt omnem correctionem meam.

Hìc (ut fit in ſententijs dicundis) cauſæ lati judicij repetuntur ob eam præcipuè cauſam, ut inſequentem ſententiam de juſtiſſ. ſuo judicio ſubinferat. Ubi notandum, tam damnari eos, qui non eligunt, i.e. non cupidè expetunt Dei timorem, quàm qui illum odio habent; tam illos, qui non acquieverunt Dei conſilio, quàm qui ejus correctionem faſtuosè repudiârunt.

Verſ. 31. Sic comedent de fructu viæ ſuæ, & ex conſilijs ſuis pravis ſaturabuntur.

Juſtitiam ſuam confirmat Deus à teſtimonio Proverbij multum inter homines jactati. Sicut enim juſtum eſt, ut homo cibum, quem ipſe paravit, comedat; metat, quod ſeminavit: ſic ut corruptionem metat is, qui carni ſeminavit; & afflictionis panem deguſtet, qui manibus iniquitatis præparavit. Hoc docet, neminem præter ſeipſos, de interitu deriſorum eſſe accuſandum. Perditio tua ex te, Iſrael. Hoſ. 13.9. Notetur porro, ſatiandos eſſe ſuis ipſorum improbis ſtudijs, quæ olim tam avide inſectabantur, nec ſatiari poterant.

Verſ. 32. Nam quies fatuorum interficiet eos, & tranquillitas ſtolidorum perdet eos.

v. 33. Qui verò auſcultabit mihi, habitabit ſecurè, ut tranquillus à pavore mali.

Hactenus fuit denunciatio formidabilis judicij divini, inevitabilis, & juſtiſſimi adverſus impios: ſequitur prolepſis, ſive anticipatio ejus, quod veritati denunciationis obſtare poſſet. Objectio tacita ex ſubjectione colligitur. Mentes & piorum, & impiorum ſubire poterat, Deum judicia, quę improbis minatur, neutiquàm exſequi, cum tranquilli & quieti in ſuis fæcibus deſideant: at (inquit) iſta quies & proſperitas illos interficit, judicia Dei & accelerans magis, & reddens atrociora. Quod ex contraria piorum conditione illuſtratur; quibus ſiquid mali accidit, ad bonum tamen illorum cooperatur; adeo ut nullum reverâ malum, nec mali quidem pavor illos invadat.

CAPUT. II.

A Verſu. 1. ad 10. veræ ſapientiæ ſtudioſis cum Dei cognitionem, tum juſtam cum hominibus converſandi ſcientiam promittit.

Partes ſunt
- *adhortatio ad ſtudium ſapientiæ,*
- *promiſſiones ejuſdem ſtudioſis de largitione bonorum.*

In priore duo ſunt
- *quid faciendum ſapientiæ ſtudioſis;*
- *quomodò illud, quod faciendum præcipitur, aſſequamur.*

In his, quæ præcipiuntur, duo ſunt,
- *prius, ut ſapientiam accipiamus, & amplexemur:*
- *alterum, ut eam acceptam aſſervemus & reponamus.*

Poſtquam *Salomon* projectæ audaciæ & profligatæ ſpei adoleſcentem, Dei compendioſâ ſed formidabili ſententiâ, extremæ internecioni adjudicavit, redit ad piorum inſtitutionem, in qua reliquum librum (quantum memini) totum conſumit. Itaq; duo iſta, quæ ſuprà poſui, ab

ab omnibus, qui in pietate progreſſus facient, requirit. Primùm enim, niſi verbum admittat quis, non poteſt renaſci; nec eſt ex γεωργίοις Dei, niſi coli ſe patiatur, ut ſementem accipiat. Deinde qui audit & non intelligit, nihilo eſt melior. Pij enim ii demum ſunt, qui verba Dei abdunt, Pſal. 119. ſ. 2. & Luc. 2. 19. 51. Ubi elegãs eſt ſimilitudo à gemmis in ima parte arcæ depoſitis, vel ſemine in interiores porcæ, aut liræ partes admiſſo.

Sequitur pars altera, quomodò hoc aſſequamur; ubi gradatione quadam media deſignantur, quibus eo pervenitur. Primum eſt ut verbo ſtudioſè animum adhibeamus: hinc jubemur concuſpiſcere lac ſermonis 1. Pet. 2. defectionis cauſa notatur 2, Theſ. 2. quod veritatis ſtudio & delectione apoſtatæ affectio non eſſent. Hîc notetur inſita animi averſio à veritate. Nec vero impedit, quod quis ſuam aurem inclinare dicatur, cum de regenito loquatur, non autem de homine in naturæ ſuæ corruptela hærente. Animus igitur iis ſceleribus purgandus eſt, quorum amor cum amore verbi conſiſtere nequit. Hinc illud; *Inclina cor meum ad ſtatuta tua, non ad avaritiam* Pſal. 119. ſ. 5. & illud: *nemo poteſt ſervire duobus dominis*, Matt. 6. 24. quod de uno vitio dictum ad alia transferri poteſt. Secundo in loco, diligentem auris attentionem flagitat, quam facilè ingenerabit cordis & animi affectus. Unde liquet cordis inflexionem ordine orationis ſubſequentem, naturâ priorem eſſe: nec aliunde tarditas illa & ſurditas auris (Eſai. 6.) orta videtur, quàm ex cordis craſſitie & ἀναισθησίᾳ. Hic igitur obſervetur diſcrimen inter auditionem, & attentionem. Vid. Act. 2. 14. Alia via perquirendæ ſapientiæ eſt precibus eam à Deo efflagitare, idq; ea aſſiduitate, ut quodammodo videaris vocem ei rei perficiendæ locâſſe, aut conſecrâſſe: *petite, & accipietis*, Mat. 6, Specialius etiam hoc docetur Iac. 1. & Reg. 1. 3. *Salomonis exemplo* illuſtratur. Hîc taxantur, qui non tantùm precibus ſe ad verbi auditionem non præparant, ſed etiam ſe à precibus ecleſiæ ſubducunt ilico atque concio abſoluta eſt, non exſpectata, tanquam cõcionis coronide, precatione. Quàm enim abſonum eſt, cum dignetur ſapientia hęc ſumma nos inclamare, &, ut ad ipſam veniamus, provocare; nos invocatione, maximè cum nos invitet prius, illi non reſpondere! Poſtrema, ratio illam inveſtigandi v. 4. continetur: nempe ſi nos quæramus illam, ut avari pecuniam; quinetiam perſcrutemur, ut ſolent hi facere, qui venam auri, aut argenti quærunt, Math. 13. Quemadmodum igitur videmus illos nulli vel labori, vel ſumptui parcere, ut inveniant aurifodinam: ita nos pari ſtudio contendamus, ut miniſterium legitimum comparetur, ut eo nos recipiamus, ubi verbum Dei proponitur & explicatur, ſcripturas legamus (Act. 8. 30.) & cum lectione meditationem conjungamus, Pſ. 1 mutuis colloquijs noſmet ædificemus: imo portis ſcripturas, & privatis ædibus inſcribamus, ut ſermo Dei abunde in nobis habitet. Videmus hinc, preces aſſiduas ob ſapientiam fundendas noſtram induſtriam non excludere: cujus hac in parte defectus tanto magis damnandus eſt, quia cum aurifodinæ perſcrutatio difficilis admodum & incerta ſit, ſapientiæ in ſcripturis inveſtigatio ſerio quærenti facilis eſt, & indubitati ſucceſſus.

Verſ. 5. Tunc intelliges reverentiam Iehovæ, & agnitionem Dei conſequêris.

v. 6. Nam Iehova dat ſapientiam: ex ore ejus ſcientia & intelligentia procedit.

v. 7. Repoſitum habet rectis, quic-

quid reverà eſt ſcutum pro ambulantibus integrè.

v. 8. Cuſtodiendo itinera juris: & viam eorum, quos benignè accepit, conſervat.

v. 9. Tunc intelliges juſtitiam, & jus, & quicquid rectum eſt, omnem orbitam bonam.

Sequitur pars altera in promiſſionibus de bonorum largitione: quæ item duorum ſunt generum: prius habet pietatem & Dei cultum, 4. verſibus: poſterius juſtitiam erga homines tum ſe, tum alios, etiam inimicos. Cum enim, quicquid à Deo in nomine Chriſti petierimus, dabitur: tum illa cumprimis, quæ Dei gloriam recta ſpectant. Docet autē hanc peritiam de Deo, & ejus cultu dari hominibus ex ore Dei per miniſterium eorum, qui Eccleſiæ in verbo inſerviunt: & proinde hoc in loco homines vehementer ſunt ad miniſterium amplexandum cohortandi.: nulla enim opera ſua (quamvis adhibenda ſit, quià alioquin Deum invocare eſſet eum ludificari) ſine verbi miniſterio conſequi valeant.

Huic etiam ſapientiæ conſequutioni promiſſiones aliæ adnectuntur; illa generalis de omnibus; quæ verè bona ſunt, 1. Tim. 4. 8; hæc ſpecialis de propugnatione verorum Dei cultorum, & omnium, quæ ab illis ſuſcipiuntur: quod per ſubjectionem tacitæ objectioni ſubjicitur. Nam promptum eſt excipere, veros Dei cultores multis in hac vita periculis exponi: ſed occurrit, ſcutum, & propugnaculum illis à Deo parari.

Altera promiſſio continet officia erga proximos, de quibus prius dictum eſt. Sed hoc in loco, מעגל טוב tanquam genus apponitur reliquorum, quæ enumerata ſunt.

Hinc apparet, Scripturam omnem ſemitam bonam docere. Cum enim & Dei cultum, & officia omnia erga proximum doceat, efficitur ut perfectus ſit homo Dei ad omne bonum opus perfectè inſtructus:

A verſ. 10. ad finem uſque Partes ſunt, { *effecta,* / *adjuncta* } *ſtudij doctrinæ ſacræ.*

In priori conſideratur, { *quid ſit ſtudioſum eſſe ſanæ doctrinæ;* / *quæ ſint ejus effecta.* }

Verſ. 10. *Cum venerit ſapientia in animum tuum, & ſcientia menti tuæ amœna erit:*

Quid ſit ſtudioſum eſſe ſapientiæ, ſupra dictum eſt copioſius; & brevius hîc, non ſine auctario repetitur; nempè cum ſapientia animum hominis penetret, & ſuavis illi ſit ſupra mel & favum. Quemadmodum igitur prius ſapientiam pari ſtudio & diligentia inveſtigari voluit, quo aurum ab avaris inveſtigatur: ita hoc in loco tam ejus accipiendæ inflammatum deſiderium eſſe vult, quàm eſt famelicorum, & ſitibundorum, ut ſalubri cibo, & potu reficiantur:

Verſ. 11. Solertia obſervabit te, intelligentia cuſtodiet te,

Sequitur effectum doctrinæ duplex, { *obſervatio* / *cuſtodia* } *Domini ſui.*

Hîc igitur mataphora quadam ſapientiæ acquiſitæ fructum exponit, docens ipſam ſapientiam & ſolertiam inſtar clypei futuram, aut experrecti vigilis, deinde verò cuſtodis munus obituram. Facit enim ut homo tuto incedat, atque etiam ſemper Dei patrocinium ſecum attrahit.

Sic

Sic Joh. 8.32. veritas dicitur cultores ſuos in libertatem vindicare : & Salomon ait Eccl. 8. 3. ibi robur eſſe , ubicunque eſt edictum principis : quod ſi de hominis edicto, qui ſæpiſſimè, longo intervallo abeſt, de hoc edicto Dei , qui ubique præſens eſt, & omnipotens, multo magis verum eſſe neceſſe eſt.

Verſ. 12. *Eripiendo te à via mali, à viris loquentibus perverſitates.*

Sapientiæ ſpeculatio, & cuſtodia duobus finibus declarantur, prior eſt, ut adoleſcentem à malo ſervet, alter, ut eum in officio contineat, v. 20. Hinc aſtruitur Scripturæ perfectio, quia & ab omnibus malis cuſtodiat, & in omni bono dirigat, maximè cum juvenem , cujus viæ corruptiſſimæ eſſe ſolent , ita excolat. Pſal. 119. ſ. 2. Non igitur oculos tantum aperit, ut prius, ſed manus etiam, & pedes vinculis expedit, quod nulli aliæ doctrinæ cõpetit.

Prior finis amplificatur à diſtributione malorum, à quibus ſapientia eripit, quæ ſunt { *vir malus , effractor de quo cap. 2. v. 1,* / *fœmina adultera.* }

Virum malum deſcribit ab effectis, quæ gradatione proponuntur. Primum effectum eſt, quod loquatur perverſa, i.e. iis adverſa , quæ loqui debet , cujuſmodi illa ſunt in primo capite. Siqui igitur ſermonibus impiis aſſueverint , eos audeamus improbos appellare. *Nam ex ſermonibus tuis juſtificaberis, & ex ſermonibus tuis condemnaberis.* Unde liquet longè ſecus ſe rem habere, quàm plerique autumant, qui de ſermone corrupto in quocunque genere reprehenſi, hoc ſtatim regerunt, ſe, utcunque loquantur , optimè tamen ſentire, nec malum , quod verbis videntur approbare, factis exſequi velle. Quod ſiquis excipiet, mirum videri, quod Salomon improbitatem ad cogitata non extendat: in promptu eſt reſponſum , ideo nimirum tranſiliiſſe cogitata, quia homines in communi vita judicium de iis ferre nequeant nec ullibi in ſcriptura eorum conſortium vitare jubeamur, quorum improbitas non aliquo vel dicto , vel facto proditur.

Verſ. 13. *Qui derelinquunt itinera recti , ut ambulent per vias tenebrarum,*

Secundus gradus eſt deſertio cognitarum & tritarum viarum rectitudinis, quæ lucem præbent, eaque gaudent , ut incedant in viis deviis. Idem enim videtur hîc indicare, quod ſupra habetur, c. 1. v. 22. ſcil. quando homines pietatem & juſtitiam agnitam averſantur , ut ſcelera patrent, quibus patrandis noctem & tenebras quærant. Hujuſmodi ſunt, qui latrocinia ſectantur, ebrietatem &c. quæ legibus etiam politicis prohibentur : cujuſmodi etiam ſunt aleatores.

Verſ. 14. *Qui lætantur faciendo malum, exſultant in perverſitatibus peſſimis,*

Tertius gradus eſt, quod lætentur malis. Vide c. 4. v. 16. Mich. 2. 1. Videntur enim inſtar parturientis torqueri, donec, quod intus conceperint mali , dicto , aut facto excluſerint: cujus rei inſigne exemplum eſt in Achabo , qui ideo ægrotavit, quod voto ſuo iniquo potitus nõ ſit. Huic impio gaudio contrarium videre eſt in Servatore, cui eſca erat exſequi voluntatem ejus , qui ipſum miſit ; & conſummare ejus opus. Joh. 4. 34.

Quartus gradus eſt , triumphos agere

ex

ex admiſſo ſcelere. Hi ſunt, quorum gloria eſt ad ignominiam ipſorum, qui apud ſuos gloriantur de adulteriis, crapulâ, tot vini, aut cerviſiæ exhauſtis congiis, &c.

Verſ. 15. Qui itineribus ſuis perverſi ſunt, & præfracti orbitis ſuis:

Ultimus gradus eorum eſt, qui ita refractarij ſunt, ut etiam, quod bonum eſt, fugiant & abhorreant (tametſi illud prius amplexati fuerint;) atque ita quidem, ut cum bonis, & laudatis operibus non minus, quam cum hoſte colluctentur. Vide Pſal. 18. & Prov. 8. 8.

Verſ. 16. Eripiendo te à muliere extranea, ab alienigena, quæ dictis ſuis blanditur,

Hactenus docuit prioris effecti partem priorem, quæ eſt liberatio à perdito viro: ſequitur pars altera de vindicando pio à meretrice; quod beneficium eſt priore non inferius.

Quantum ſit hoc malum docetur ex
- *deſcriptione meretricis:*
- *adiuncta pœna eorũ, quæ ab ea capiuntur.*

Meretrix deſcribitur à ſuis
- *proprietatibus,*
- *effectis.*

Proprietas prima eſt, quod vocetur extranea; qua appellatione Spiritus Sanctus nobis etiam ejus fugam ingenerare conſtituit. Nam alienum, ſive extraneum, illud omne in Scriptura dicitur, quocum rem habere prohibemur: ſic ignis in ſacrificiis interdictus, peregrinus dicitur; ſic etiam peregrinus in ſacrificiorum oblatione dicebatur omnis, qui ſacerdos non eſſet, etiam ſimplex Levita. Quoties igitur deſiderium cum illa commercium habendi animum ſubit, meminerimus, illam peregrinam eſſe, & quidem peregrinam non legibus civilibus definitam, erga quã humanitatem exercere non licet modo, ſed etiam decet; verum lege Dei conſtitutam, quam non licet civitate donare in ſocietate fidelium.

Altera proprietas eſt, quod alienigena vocatur, id eſt, non tam regionum intervallo, quam toto cœlo à pio adoleſcente diſſociata. Nam quæ olim fœminæ alius gentis erant, quàm Iudæorum, à Dei cultu extorres habebantur. Quemadmodum igitur Iſraëlitis fas non erat filios ſuos elocare gentium filiabus, quod idololatræ eſſent, niſi veræ Eccleſiæ ſe adjungentes paternis ædibus ſimul & moribus nuncium miſiſſent: ſic nec nobis; maximè cùm, qui cum meretrice congreditur, membrum Chriſti accipiat, & illud membrum meretricis reddat.

Sequuntur effecta; in quibus primum eſt, quòd blandula ſit, & verba ſtillet mellita, verbis præ ſe ferens, ſe illum, quem decipere vult, unicè amare; illi optima quæque precari; neminem eſſe, quem, ut illum, amet atque diſcupiat; ſe, niſi cum illo, nullo pretio, aut cujuſquam gratia congredi velle; illum eſſe oculorum ejus delicias & oblectamentum; ſe ob ejus amorem vel mortem perpeti paratã eſſe. Tametſi vero ad hunc, vel ſimilem modum verba faciat; ea tamen à mente & judicio, vel certè à veritate disjungi, ex aliis ejus effectis mox patebit.

Verſ. 17. Quæ dereltnquit ducem adoleſcentiæ ſuæ: & federis Dei ſui obliviſcitur.

Primum argumentum, quo oſtenditur, eam aliter, atque ſentiat, aut ſaltem, quam res

res eſt, loqui, inde eſt, quod deſerat ducem juventutis ſuę,id eſt,maritum,quem juvenis amabat. Primum enim fœmina juvenis ferventius amat, quam grandiores natu; 2. primus amor mulieris multo eſt intentior,quam ſecundus,nedum tertius, aut quartus: 3.illum etiam deſeruit, qui eam ſuæ curæ commiſſam rexit,multis beneficiis affecit, veſtitu & gemmis ornavit, denique ei undique proſpexit. Unde facilè dignoſcas,illam hoc aut propriæ voluptatis, aut lucri cauſâ facere; & ſeipſam, non te amare.

Secundum argumentum petitur ab alio ejus effecto, quod non tantum maritum ſuum deſeruit,&fidem illi datam fefellit; ſed in Deum etiam contractus authorem, & cujus nomen ad connubium confirmandum invocatum eſt, perfidioſa exſtitit.Quæ igitur Deum lucelli,aut voluptatulæ cauſa deſerit, quomodo te non multo magis deſeret, ſi vel major aliqua voluptas,vel lucrum affulſerit? Hinc conſtat, quantum ad caſtitatem conſervandā momenti habeat, ut connubio conjungendi vero Dei timore imbuantur; & non metu ſolum inferorum (quod quidā faciunt;) ſed Dei etiam amore à vagis libidinibus abſtineant.

Verſ. 18. [Nam propendet ad mortem domus ejus, & ad expertes vitæ orbitæ ejus:

v. 19. Quicunque adeunt eam, non revertuntur, neque aſſequuntur itinera vitæ].

Adhuc fuit meretricis deſcriptio: ſequitur eorum pœna, qui ab illa capiuntur: hæc autem eſt mors accelerata. Dicitur enim domus ejus, id eſt, metonymicè ea, quæ in domo ejus geruntur, ad mortem propendere: quod etiam metaphorâ plauſtralium ejus viarum illuſtratur. Quorum priore indicatur,vel ipſam domum meretricis fugiendam eſſe, ut meretrix ipſa declinetur; poſteriore verò innuitur per meretricios amores, tanquam per latam viam, plurimos ad exitium properare.

Mors, quam minatur ſæpius aſſciſcitur amatorum ipſius digladiatione, qua illa unicè oblectatur; nonnunquam morbis ex illa fæditate contractis; vel denique Magiſtratus manu, qui flagitiū hoc morte mulctare debet lege naturæ,& morali.Et quamvis ſæpius inter homines mors adulteris non infligatur, nihil tamen illis inde accedit. Quo enim magis laxantur Magiſtratuum manus, eo majus à Deo ſupplicium imminet; non tantum ob injuriam marito illatam, verumetiam quia ſanctiſſ. ejus nomen violetur. Ex hoc loco aliqui ex antiquioribus patribus,adulterium irremiſſibile eſſe, concluſerunt.

V.20. Vt ambules per viam bonorum, & itinera juſtorum obſerves.

Supra audivimus, ſapientiam pro cultoribus ſuis duplicem ob finem excubias agere; 1. ut adoleſcentem à malo conſervet; 2. ut in officio contineat; priore igitur jam explicato, reſtat alter: Scriptura enim non modo à malis cohibet; ſed etiam docet, quæ ſit via bonorum, imo virtute ſpiritus efficit, ut iſti viæ inſiſtatur. Nam ut Scripturarum ſtudio Miniſter perfectus redditur; ſic & diſcipuli completi evadunt.

Verſ. 21. Nam recti inhabitabunt terram,&integri reliqui fient in ea:

v.22. Improbi verò è terra exſcindentur, & perfidè agentes avellentur ex ea.

Sequitur adjunctum præmium piorum, & pœna impiorum in hac vita. Piorum præmium eſt { *Terram habitare:* / *poſteritatem poſt ſe relinquere.*

Impiorum (& præcipuè effractorum) pœna ſt { *Præmatura morte abripi;* / *poſteritatem penitus eradicatam habere quod luculentiſſimè apparet in* Salomone *ipſo, cujus poſteritas, licet ipſe de crebris ſuis adulteriis reſipuerit, in Conjah extincta eſt Ier 22.*

CAPUT III.

DEus obſervationi & cuſtodiæ doctrinæ ſuæ promiſſa longævitatis & proſperitatis proponens verſibus duobus prioribus, ſpecialiùs reliquo cap. exequitur.

Partes ſunt { *Generalis & ſuccincta ad doctrinam Dei amplexandam adhortatio v. 1.* / *ſpecialis & explicata ejuſdem declaratio in verſ. ſequentibus.*

In priori conſideratur { *Mandatorum obſervatio, v. 1.* / *adjunctum promiſſum, v. 2.*

Verſ. 1. Fili mi, doctrinæ meæ ne obliviſcaris; ſed præcepta cuſtodiat animus tuus.

Sal. qui infinita rerum varietate & ſylva inſtructus erat, & qui unam eandemque rem illa verborum & dicendi formulâ variare potuit, ut vix eadem appareret; tamen, ut piis conſuleret, unam eandemq; rem verbis pene iiſdē repetit.

In mandatorum obſervatione notandum 1. nomine תורה intelligi, non legem mandatorum, ſed univerſum corpus doctrinæ, qua electorum ſalus continetur; 2. voce oblivionis non intelligi memorię in præceptis retinendis fragilitatem, ſed doctrinæ, vita & factis exprimendæ neglectum: ſicut ſuperiore cap. dictum eſt, adulteram oblitam eſſe fœderis Dei. Quod etiam ex oppoſito membro cognoſcitur, ſcil. ut animo, vel interiori affectu illam obſervet. Unde etiam pro impiis habentur, qui Deum obliviſcuntur: ſemen enim verbi in memoria parùm actuoſa repoſitum ibi computreſcit; & inutile, vel potius noxium fit; ſed occultatum & in ima præcordia demiſſum radices agit & fructum fert.

Verſ. 2. Nam longitudinem dierum annoſamq; vitam cum pace adjicient tibi.

Adiunctum promiſſum duas habet partes { *longævitatem.* / *proſperitatem.*

Hîc ſtatuitur longævitas & proſperitas præmium obſequii divini. Sic Pſalm. 34. Ex quo illud liquet, pietatē habere promiſſa præſentis, & futuræ vitæ. Atque ſi nulla eſſet promiſſio præſentis vitæ, tamen futuræ vitæ uberrima benedictio omnem noſtram hac in parte operam & ſtudium abundè compenſaret. Sadducęi tantum ob pręſentis vitæ commoda de lege ſolliciti erant: & nos utriuſque vitę promiſſis non movebimur? Deinde (ut ſeorſim de utriſque dicamus) primum, mirum eſt, quomodo homines ſatagunt, ut quàm diutiſſime vivant, quem delectū ciborum, potionum, veſtium, exercitii corporis, & medicinæ faciunt, & ſæpè balnea procul remota adeunt, &c. Interim & Deum authorem & largitorem vitæ negligunt, & mandatorum obſervationem, quæ hac promiſſione ornatur, à tergo abjiciunt. Hinc eſt, quod qui omnibus vitę adminiculis abundant, ſæpiſ-

ſime

ſimè μακρόβιοι exiſtunt. Ubi non eſt prætermittendum, quod doctrina, & præcepta obſervata annos, & longam vitam addunt; ut in mandato quinto, parentes dicuntur vitam obſequentium filiorum prorogare. Perinde eſt ac ſi diceret, ea pro diæta, medicina, cuſtodia, excubiis, & aliis id genus vitam conſervandi mediis fore; ut ſi communia illa vitæ ſubſidia minus ſuppetant, tamen Deum horum veluti miniſterio utentibus vitam conſervaturum. Ex quibus illud liquet, quam imperitè faciant, qui liberorum ſuorum pietatem non magnopere curant, (ſed ne exoptant quidem plerique,) quia inſigniorem aliquam pietatem prematurę mortis omen exiſtimant: ideoque quemadmodum nolunt liberos ſuos profligatæ ſpei eſſe; ita etiam ne ſint magnæ ad pietatem ſpei, pertimeſcunt. Verum quidem eſt, iſtos aliquando è vita ſubduci, ne aut corrumpantur ipſi, aut dirum aliquod experiantur, aut quod mundus illis indignus ſit: nihilominus tamen in ſuæ promiſſionis complemento perſeverat Dominus, quam ſi eum centũ terræ jugeribus muneretur quiſpiam, cui unicum pollicitus erat.

Altera promiſſi pars eſt pax, id eſt, vitæ præſentis commoditas, & externa proſperitas. Sic enim hæc conjunguntur Pſal. 34. Sine qua pace & proſperitate vita (ut ita dicam) vitalis non eſt. Nam ſi longam vitam agens quis erro & vagus fieret, ut Cajin, & ſubinde ſtimulis iræ divinæ terreretur, quis non mortem duxerit priorem. Vide Iob. 2. & 3. Hîc eadem querela, quam ſuprà poſuimus, renovanda eſt. imo vero quod pacem putant ſuam procurari, cum Sabbatum violent. Sed hic magna adhuc difficultas oritur, cum videmus pios, maxima ex parte pauperes eſſe, eoſdemque multis in hac vita calamitatibus obnoxios. Sed ſciendum primum pace externâ, quæ legis pædagogiæ aptiſſima erat, animi pacem & tranquillitatem adumbrari, quæ juge convivium eſt. Deinde notandum eſt ex Pſal. 37. & Proverb. uno aut altero loco, parum illud, quod juſtus poſſidet, maximis impiorum divitiis præponderare.

Verſ. 3. Benignitas & fides ne derelinquant te: alliga eas faucibus tuis: inſcribe eas tabulæ cordis tui.

v. 4. Ita conſequere gratiam, & ſucceſſum optimum ante oculos Dei & hominum.

Sequitur pars altera de ſpeciali tùm præceptorum, tùm promiſſionum explicatione, quæ in v. 1. & 2. comprehenduntur. Et primò præcepta diſtribuit

in { begnitatem erga homines
veritatem, ſeu fidem erga Deum;

quæ ne unquam à nobis diſcedant, hortatur. Sunt enim ita conjunctæ inter ſe, ut nunquam divelli debeant. Hîc convincit hos, quòd juſtitiam, temperantiam, ſobrietatem non ſervent; alios verò, quòd in homines ſatis officioſi, in Deum ingrati ſint, perfidioſi, non in ejus cultum inquirẽtes, nedum quod eſt officium piorum, obeuntes.

Promiſſionem adjungit, quæ ſuperioris generalis promiſſionis cauſa eſt, nempe gratiæ & proſperitatis cùm apud Deum, tùm apud homines. Nam אמת gratiam proſperitatemque addet apud Deum; & benignitas eaſdem cumulabit apud homines. Unde ſequetur tùm longa vita, tùm proſperitas. Sic David apud Deum, & homines, etiam improbos *Saulis* aulicos gratiam obtinuit; quando etiam apud *Saulem* deploratum hoſtem be-

 nignitate

nignitate ſua in ipſum & humanitate: idem etiam apud reges Philiſtæorum & Moabitarum. Sed hujus rei exemplum præſtans in *Ioſepho & Moſe* extat, qui apud impios Ægyptios ſumma gratia pollebant. Hæc etiam de Chriſto jam puero dicuntur; & de Apoſtolis Act. 2. & 5. Hîc denuo noſmet excutiamus, qua gratiâ apud Deum valemus (tametſi enim nō omnes, qui pace & externâ proſperitate fruuntur, Deo item accepti ſint; tamen ſi Deus in nos reſtrictior exiſtat, etiam in externis beneficiis, nedum donis ſpiritus, certè eum à nobis offenſum eſſe, concludendum erit;) qua etiam apud homines; ut non modò innocentiâ & integritate noſtra omnibus os obturemus, nequis juſtè maledicat nobis, verùm inſuper tam prudentes, humanos, amicabiles noſmet pręſtemus, ut, ſi fieri poſſit, ne injuſtè quidē.

Verſ. 5. Fiduciam habe in Iehovah ex toto animo tuo: intelligentiæ verò tuæ ne innititor.

Ex duobus propoſitis erga proximum, & erga Deum officiis, poſterius de more Hebræorum, utpote quod dignitate longè prius eſt, exſequitur. Et primum quidem divini cultus partium aliquot enumerationem declaraturus orditur ab interno cultu, qui pręcipuus eſt; & una parte ejus ſynecdochicè omnes comprehendit. Prima autem cultus divini pars eſt fiducia in Deum, quam ante omnia præcipit. Quod quidem maxima ex parte ſupervacaneum præceptum videri queat. Quis enim (dicet aliquis) tam impius eſt, ut Deo non confidat? Atqui cum Deus ſæpius hoc pręcipiat, fiduciam in ipſum promiſſo muniat, juramento etiam ad majorem certitudinem obſignet, non tam obvium eſſe Deo fidere, in promptu eſt. Sed cujuſmodi hoc ſit, tum videbimus, cum Deo fidere quid ſit, intellexerimus. Eſt autē in Deo fiducia, qua in eō pro omnis boni conſecutione maliq; averruncatione acquieſcimus, quod nobis in vocationis noſtræ ſtatione conſiſtentibus è re fuerit. Videamus igitur, quomodo hoc pręſtiterimus; quod fiet, ſi vitā noſtram percurramus, & in omnes ejus partes inquiramus; ſi recordemur quo pacto in honeſtis cauſis trepidavimus, quòd nos media deſtituerint, quibus tuti eſſe potuimus; maximè ſi modum expendamus, qui hîc præcipitur, ut ſcilicet non verbis, ſed animo; non per hypocriſin & diſtractionem quandā, ſed rotundè & ſincerè faciamus, quod hîc toto corde faciendum dicitur.

Hoc adverſ. illuſtratur. i.e. ne innitatur ſuæ intelligentiæ. Qua una ſpecie vanæ fiduciæ omnem condemnat. Non igitur hoc loco verbis בכל-לב intelligitur perfecta fiducia, quam lex requirit, ſed vera & germana. Condemnat igitur fiduciam in robore, amicis, divitiis, propria ſanctitate, &c. Nam cum nemo ſervire poteſt Deo & Mammonæ, ſitque fiducia in Deo pars ſervitij, quod ei præſtatur, quis non videt, neminem poſſe ſimul & Deo & intelligentiæ ſuæ fidere. Fiducia in idolis eſt fiduciæ in Deo maximè adverſa; de qua tamen nihil hic loquitur. quia id peccatum craſſius ſit, neque hujuſmodi quod plerumque in Dei cultores incidat. Sed confidere intelligentiæ noſtræ idololatriæ genus quoddam eſt ſubtilius & tenuius, quo plerique per imprudentiam irretiuntur; ut & propriis viribus, ſanctitati, ſacramentis, exteriuſq́; operibus plus ſatis tribuere. Nos autem infici hac vana fiducia patet, quòd, ubi adſunt adminicula, alacres res aggredimur, quæ illis confici ſolent; ubi deſunt illicò deficimus; ubi dubia ſunt, hæſitamus. Videtur porrò hoc adverſum ſimilitudine illuſtrare, dum cujuſque intelligentiam ſua opinione bacillum, cui incumbat, eſſe ſubindicat.

Verſ.

Verſ. 6. In omnibus viis tuis agnoſce eum, & ipſe diriget itinera tua.

Aliam partem veritatis erga Deum in cultu divino declarat eſſe hanc, ſiquis Deum in toto vitæ ſuæ curriculo, & omnibus actionibus agnoſcat, id eſt, eum ſemper in conſilium adhibeat, quicquid aggreditur; nec quidquam ſuſcipiat, quod non ſit ejus voluntati congruum. Sic videmus *Davidem*, & reliquos pios reges, & patriarchas Dei oraculum conſuluiſſe, cum aliquid majoris momenti aggreſſi ſunt: & *David* affirmat, ſe omnes vias ſuas ad verbi normam exegiſſe Pſal. 119. ſ. 8. Hîc igitur denuò rei peragimur contemptæ divinæ majeſtatis, qui nunquam Deum ſedulò invocamus in iis, quæ noſtrarum virium eſſe videntur, neque in familiæ, nec in Reipublicæ, neque in Eccleſiæ procuratione: ſed tum demùm, ſi unquam, eum adimus, cum ad res gerendas propter difficultatem, aut inſolētiam impares noſmet judicemus. Hinc eſt, quòd multi panem quotidianum aut non petant, aut tam frigidè, ut ſua petitione ſibi malum accerſant.

Huic mandato promiſſio adjungitur, ejus, qui Deum conſulit, vias & vitæ inſtituta recta & plena fore; eum nunquam à via compendioſa diſceſſurum, nec hinc inde per devia oberraturum, quo minùs, quod petit & exquirit non conſequatur, aut non magno compendio temporis cōſequatur. Eſt enim hæc vita tanquam deſertum, nos tanquam peregrini; & quoniam Deum in conſilium non adhibemus, fit ut. 40. ánnis vix illud pietatis & fœlicitatis iter conficiamus, quod paucorum dierum intervallo decurrere potuiſſemus.

Verſ. 7. Ne eſto ſapiens judicio tuo; reverere Iehovam, & recede à malo.

Prius præceptū diſſentaneum illuſtrat; *ne eſto ſapiens*, &c. Eum enim, qui ſapiens fieri velit, priùs ſtultus ſit oportet, ut fiat ſapiens. Cave igitur, quid depravatæ rationi tuæ tribuas, niſi illam ad normam verbi divini exigas. Maximè hoc cavendum eſt in religione, quia, utut quis reliqua acutiſſimè rationis oculo intueatur, in religione tamen turpiſſimè hallucinabitur, niſi propriæ rationi diffidens à Deo collyrium petat. Τῆς σαρκὸς φρόνημα inimicum Deo eſt, nec ei ſubjici poteſt. Videmus autem nonnullos, qui, cum in verbi divini cognitione tam cæci ſint, quam talpæ, ſuæ tamen prudentiæ fidentes, tam ſecurè, & tanta fiducia de rebus Dei pronunciabunt, ac ſi in Dei verbo conſenuiſſent; maximè ſi verbulum aliquod ex ſacris ſcripturis alicunde arripuerint, quod ſuæ opinioni prætexant.

Prolepſis autem hîc eſſe videtur, cujus addubitatio tacita ſic colligitur: tametſi ſciam equidē hoc mihi accuratè ex verbo Dei præcipi; pauculum tamen declinans curabo rem ita ſartam tectamquè, ut nihil inde mali eventurum ſit; ſaltem Dei miſericordia me paululum declinantem ſublevabit: ſubjectio eſt; *time Deum*; &c. Nam Deus, ut eſt miſericos, ſic etiam terribilis eſt his, qui ſe ad peccandum hac ſpe animant; fore ſcil. ut elabantur.

Verſ. 8. Salutare erit umbilico tuo, & irrigatio oſſibus tuis.

Hîc porrò explicat partem totius, quod poſuit v. 2. voce שלום. Sanitas enim corporis non minima pars eſt pacis externæ, ſine qua nec longitudo dierum, nec divitiæ, aut honor grata ſint. Notat autem univerſam corporis ſanitatem exteriùs umbilico, interiùs oſſibus, umbilico tanquam fibula quadam, qua ſuperioris & inferioris partis corporis nervi connectuntur; oſſibus verò, quòd corporis ve-

luti fundamenta ſint, quibus ſi benè ſit, melius utique erit toti homini. Ex quo videmus, medicinam tutiſſimam, & lectiſſimam peti ex vitę pietate, &Dei cultu. Ut igitur Dei mandata nobis ſunt a conſiliis, à ſatellitio, & excubiis; ſic & pro medicina tum θεραπευτικῇ, τῦ ὑγιεινῇ. Vide exemplum *Moſis & Calebi*, qui viridem & vegetam ſenectam habuerunt.

Verſ. 9. Honora Iehovam de ſubſtantia tua, & de præcipuo totius proventus tui.

Alia pars cultus divini eſt munificentia ad cultum Dei tuendum, maximè ad alendum miniſterium, quoDei cultus conſervatur. Ad quam ut ſtimulos addat, argumentum à ſubj. adhibet, Deo ſcil. cui, quæ ad cultus miniſterium ſpectant, debentur. Sic dicuntur Deum ſpoliare, qui Sacerdotibus, aut Levitis decimas, vel primitias detrahunt, Matt. 3. 8. Hîc etjam notandum, quod præcipua quæque & optima requirat. Ubi maximæ ingratitudinis convincitur mundus, qui ægrè aliquid conferunt, aut peſſima quæque; & miniſterium ſibi obnoxium habere ſe credunt, cum ſibi Deus hoc datum, non miniſtris affirmet: niſi forte tam impudentes ſint, ut Deum ipſum hoc modo ſibi obnoxium habere vellent.

Verſ. 10. Ita implebuntur horrea tua ſaturitate, & muſto lacus torcularij tui perrumpent.

Prolepſis hîc habetur: cujus occupatio tacita ſic colligitur; Atqui hac munificentia attenuabimur: ſubjectio eſt; imò ita implebuntur horrea tua, &c. Vide exemplum viduæ Sareptanæ. Vide etiam Agg. 1, & 2.

Verſ. 11. Eruditionem Iehovæ, fili mi, ne ſperntto; neque tædeat te correctionis ejus:

v. 12. Nam quem diligit Iehovah, corrigit; & quidem ut pater filium, cui benè vult.

Hîc occurrit tacitæ objectioni, qua veritas ſuperioris doctrinæ poterat labefactari; Atqui videmus cultores Dei ſummè religioſos multis calamitatibus obnoxios eſſe: ſubjectio eſt; caſtigationes & reprehenſiones eſſe, non irati Dei pœnas & vindictas; & quidem ex Dei amore profectas. Quod ipſum à ſimili illuſtratur, quippe Deus erga ſuos in corrigendo non ſecus ſe gerat, quàm pater erga filium, quem charum habet.

Hîc igitur duo conſiderantur; 1. adhortatio, deinde rationes, quibus illa fulcitur & incumbit. Adhortatio eſt, ne fidelis, aut pius Dei manum ſe caſtigantem aut contemnat, aut ejus pertæſus ſit. Unde illud liquet, naturâ nos proclives eſſę ad immiſſas plagas aut tanquam leves aſpernandum, quas depellere & excutere nullo negotio poterimus, aut præ puſillanimitate ſub illarum onere fatiſcendum. Hinc enim ſecuri & præfidentes; iſtinc vero ſpei inanes reperiuntur: quod utrunque veræ patientiæ adverſatur. Prioris innumera ſunt in ſcripturis documenta, quæ ἀναιδῶνται hanc non modo in impiis deprehendi, qui ſatis bellè ſe armatos putant adverſus omnes Dei ſagittas, verum etiam piis ſæpenumero imprudentibus obrepere teſtantur. Sunt enim homines plerunque ebriorum inſtar, qui plagas impoſitas non ſentiunt. Atque hoc maximè fit in caſtigationibus, quæ verbis fiunt, quas ventis leviores putant; atque etiam in iis, quæ fiunt verberibus, ſi non ſint ex his, qui acerbiores ſunt, &

acrius

 acrius pungunt, ſed ut tinea arrodunt. Aliquando etiam in gravioribus Dei virgis ſe obfirmârunt pii, ut *Ionah*, qui, coorta tempeſtate, obdormivit.

Alteram etiam labem notat priori contrariam, nempe cum Dei caſtigationibus nimium tribuitur, ſive ore, ſive manu adhibeantur; ita ut homines inſania ex afflictione corripiantur, memoriâ priventur, aut ſpem omnem melioris conditionis amittant, aut in voces impatientis animi teſtes erumpant, ut Cajin.

Prioris antidotum porrigit, cum Deum qui in minimis ſuis virgis, etiam verbis formidandus eſt, afflictionum authorem eſſe affirmet. Nam ſi nonnulli ex principis comminatione mortui ſint, multo magis ad regis regum vocem trepidandum. Ut igitur ſecuritatem & vanam fiduciam excutiamus, recordemur, nobis cum Deo negotium eſſe.

Adverſus alteram veræ patientiæ peſtem ſuggeritur, 1. quòd caſtigatio non ſit pœna: idque illuſtratur ſimilutudine paternæ adminiſtrationis erga filium. Vide Heb. 12. Alterum argumentum petitur à cauſa, Dei ſc. amore ante jacta mundi fundamenta. Neque impedit, quòd *David* & alij parentes ex nimio amore in filios illis graviter delinquentibus pepercerint, quandoquidem amor ille verius dicatur odium (ut alibi *Salomon.*) Cogitatio igitur divini amoris inſtar olei eſt, quo delinita caſtigatio multo ęquius perfertur.

Verſ. 13. *Beatus homo, qui conſequitur ſapientiam; & homo, qui provehit intelligentiam.*

Sequitur ἔκϐασις τοῦ λόγου ad ſapientiæ veræ laudes decantandum; quo ſtimulos addat ejus ſtudioſis, ut eam avide amplectantur, & mordicus retineant. Atque quò magis eos afficiat, exclamatione rem orditur, qua attoniti præſtantiæ ejus admiratione corripiantur. O quàm beatus (inquit) eſt, qui ſapientiam hanc veram invenit, & qui intelligentiam factis exprimens coram & in medium affert! Atque cum omnium rerum pręſtantiſſima ſit (ut quæ hominem beatum reddat,) ejus inſuper inventio eſt certiſſima. Aliter enim quàm in aliis rebus accidere ſolet, hic ex Dei promiſſione quicunque quęrit, invenit; aperitur ei qui pulſat; accipit, qui petit.

Verſ. 14. *Melior enim eſt negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effoſſo proventus ejus.*

v. 15. *Pretioſior eſt carbunculis, & omnia oblectamenta tua non poſſunt æquari ei.*

Veræ ſapientiæ laudes amplificat quadruplici compar. à minori, quorum tria ſpeciali gradatione exornata ponuntur: quartum generale eſt, & tria priora cum id genus aliis complectitur. Hoc docetur partium enumeratione. Nam cum in hac vita longitudinem dierum, divitias, honores, delicias, & pacem largiatur, & in futura nos amiſſæ in Adamo fœlicitati reſtituat, palàm eſt eos, qui ſapientiâ hac imbuuntur, perfectè fœlices eſſe.

Verſ. 16. *Longitudo dierum in dextera ejus eſt, in ſiniſtra ejus divitiæ & honor.*

Sapientiæ negotiatio præſtantior declaratur ex adjunctis; ubi per Allegoricam metaphoram, Sapientiæ, perſonam fœminæ, vel reginæ imponit dextra manu vitam longam, ſiniſtra honorem & divitias.

vitias tenentis, quibus ſui ſtudioſos afficiat. Hîc igitur flagellanda hominum perverſitas, qui non tantum virtutem poſt nummos quærunt, ſed porrò arbitrantur, nullam viam magis compendioſam eſſe ad mendicitatem, aut infamiam, quàm, ſi pietati, ſeu veræ ſapientiæ animum applicent.

Verſ. 17. Viæ ejus ſunt viæ amœnitatis, & omnes ſemitæ ejus, pacis.

Ex effectis idem oſtendit, quia viæ ejus plenæ ſint dulciſſ. conſolationis & oblectationis. ubi tacitæ objectioni occurrit. Dicat enim quis, ſapientiæ intelligentiam plenam quidem eſſe voluptatis, ſed amaram fore, cum quis in medium afferat: ſubjectio eſt, ut priùs. Sic Matt. 11. jugum meum ſuave eſt. Cumque bona opera nos reddant certos electionis noſtræ ante jacta mundi fundamenta, non poſſunt nos jucundiſſima voluptate non perfundere. Quod illos coarguit, qui nullam in mandatorum obſervatione, nec in Euangelij cognitione voluptatem capiũt. Dici ſolet eum, qui conjunxerit cum voluptate utilitatem, omne punctum tuliſſe. Cum igitur à ſapiẽtia hoc præſtetur, quin eam ſuſpicimus, acquirimus, lætamur adepti?

Verſ. 18. Arbor vitæ eſt prehendentibus eam; denique tenentium eam beatus quiſque.

Alterum ſapientiæ effectum eſt, quod nos vitę in Adamo amiſſę reſtituat. Quod etiam ſimilitudine arboris vitæ in paradiſo plantatæ illuſtrat: ea tamen lege, ſi & avidè illam apprehendamus, & mordicus retineamus.

Verſ. 19. Iehovah ſapientiâ fundavit terram, ſtatuit cælos intelligentiâ.

Verſ. 20. Scientiâ ejus abyſſi diffiſſæ ſunt, & ſuperiores nubes diſtillant rorem.

A verſ. 19. ad 27. duo habentur,
- *Adhortationis repetitio verſ. 21.*
- *Adhortationis ratio*
  - *antecedentis.*
  - *Subſequentis.*
  - *Cujus rationis partes ſunt*
    - *Primo, hanc ſapientiam, quam laudat, eandem eſſe, qua Deus omnia condidit.*
    - *Secundò illius effectum: ſc. id in nobis, & pro nobis ἀναλόγως pro rerum noſtrarum, quod in Deo pro rerum ipſius procuratione effeciſſe.*

In verſ. autem. 19. docetur excellentia ſapientiæ, quòd Deum authorem habeat, Chriſtum ſc. patris ſapientiam. Sic Iacob. 1. 5. Si igitur *Salomonis* ſapientia, quæ in rerum naturalium perveſtigatione ſe oſtendit, ex authore magnum pondus habitura eſſet, ſi ad noſtram ætatem tranſmiſſa fuiſſet, quanto majus hæc Deo authore nobilitata habere debet! Si igitur ſapientiæ hujus faſtidium aliquando nobis ſubrepat, ilico animi oculos ad fontem, unde manavit, convertamus. Cum enim ſapientia hæc filia ſit omnipotentis & ſapientiſſimi Dei, & veluti germana ſoror illius divinę ſapientiæ, quæ relucet in mundi creatione, gubernatione, &c. quàm indignum foret eandem omni affectu non proſequi!

Deinde illam commendat ex effectis à pari illuſtratis. Sicut enim Dei filius patris ſapientia omnia ſapientiâ ſuâ condidit, & procurat, quæ ad majeſtatem & gloriam ipſius vindicandam ſpectant: ſic ſuâ in hominibns ſapientiâ illis ſpiritu ſuo infuſa

infuſâ omnia conficit, quæ Deus ſapientiæ cultoribus commodè obventura in ſe recepit. Si igitur fides noſtra aliquando heſitet, an verę ſapientię ſtudio& obſequio iis potiamur, quæ Deus promiſit; oculos ilicò referamus ad illa opera, quæ Deus in mundi creatione & adminiſtratione affabrè&penitus ſapientiâ perfecit; ut in abſoluta eorum operum per ſapientiam perfectione, tanquam in ſpeculo, quid cœleſtis hujus ſapientiæ præſidio & adminiculo Chriſtus in nobis ad ſummam & cumulatam beatitatem confecturus ſit contemplemur. Non equidem quod expectatione aliqua teneri debeamus cælum, aut terram ſeu creandi, ſeu converſandi, (id enim nobis non convenit, nec illius ulla promiſſio extat;)ſed ut eandem virtutem divinę in nobis ſapientię ad perpetuam ſalutem,& fœlicitatem credamus quam in Chriſto ad illa opera obeunda& plene defungenda experti ſumus:quemadmodum ſiquis, perſpecta regis ſui in principes, & primores largitione,& munificentia, non inde colligit, aut concludit,ſe muneribus æquis oneratum iri; ſed inde tamen facilem conjecturam facit ſe pro ſuo loco, & ordine, & pro rata portione remunerandum fore. Quid, quod etiam Deus ſua hac ſapientiâ, quam nobis commendavit, majora & ampliora perficiet (ſi opus eſt,) quam quantum in mundi creatione & gubernatione perfecit;quippe qui cœlum & terram piorum; non autem pios illorum gratiâ condidit?

Verſ. 21. Fili mi, ne decedant ab oculis tuis; cuſtodi eam, quæ verè eſt ſapientia, *& ſolertiam.*

Hic ad ſuperiorem adhortationem redit, ut ſapientiam hanc amplexentur omnes, eam ſemper ante oculos habeant, tanquam frontale, aut tanquam annulum in digito, necunquam vel ad dextram, vel ad ſiniſtram oculum & animi intentionem ab ea vel minimum deflectere patiantur; ſed ut Deus in mundi creatione & gubernatione ſemper habet ſuam ſapientiam ſibi adnatam & adhærentem,ex cujus præſcripto omnia facit; ſic etiam nos hanc veluti normam adhibeamus, ad quam res omnes noſtras exigamus; ut ſit oblectatio oculorum, cujus intuitu nunquam ſateremur.

Hic nota,quod תושיה ומזמה ex poſteriore hemiſtichio ſint ad prius accerſenda; ut plerumque fit in proverbiis.

Verſ. 22. Eruntque vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.

In hoc verſ. & ſequentibus ad 27.ſpeciatim commemorat effecta ſapientię erga cultores ſuos congruenter his, quæ Deus ſapientię ſuæ adminiculo efficit. Et primo quidem docet, quid ipſis obveniet animo, corpore; deinde quid ipſorum omnibus in vita,commerciis & ſuſceptis. Quod ad prius membrum attinet, docet, animæ benè futurum, quę hominis præcipua pars eſt, quam ſine hac ſapientia mortuam eſſe innuit,utut corpus vivificet vegetetque. Sicut enim corpus ſive anima cadaver eſt; ſic anima ſine ſapientiâ mortuum quid, & cadaveroſum eſt. Unde dicuntur mortui hujus ſapientiæ auditione à mortuis excitari Ioh. 5. 25.

Deinde addit gutturi(quo ſynecdoch. totum corpus notat) gratiam & decus: quo ſanitatem etiam complectitur: Nam corpora,quę decus & dignitatem habent ſana eſſe neceſſe eſt.

Verſ. 23. Tum obibis ſecurè viam tuam, & pedem tuum non offendes.

In commerciis duo promittit, illos cum à malis liberos fore, tum à pavore mali. Et quidem prius per inductionem probat. Sive enim in motu, ſive in quiete; ſive in negotio, ſive in otio; ſive interdiu, ſive noctu, omnia proſperè cedent. Priorem partem de negotiis probat comparatione à minori: Eum ne ad lapidem quaſi impacturum. Vide exemplum Petri Act. 12. quam ſuaviter & ſecurè dormiverit, cum in carcere ferro & compedibus oneratus mortem die inſequente exſpectavit.

Verſ. 24. ***Cum cubabis, non expaveſces; ſed cubanti ſuavis erit ſomnus tuus.***

v. 25. ***Ne timeto à pavore repentino; & à vaſtatione improborum, ut adveniat.***

v. 26. ***Nam Iehovah aderit fiduciæ tuæ, & ſervabit pedem tuum à captura.***

In his verſ. à pavore, quo improbi conſternuntur, eum immunem fore docet. Cujus immunitatis ratio redditur, non quod ſibi, & ſuæ ſapientiæ, qua res ſuas rectè dirigit, fidat; ſed quod Deus ſit illi pro fiducia, qui cum ab inſidiis, tum à violentis impreſſionibus eum vindicaturus ſit. Unde David Pſal. 4. in pace, inquit, decumbam, & dormiam, quia tu, *Iehovah*, ſolus facis, ut ſecurè habitem.

Verſ. 27. ***Ne cohibeto bonum ab iis, qui opus habent, cum eſt in poteſtate manus tuæ efficere illud.***

Hactenus de priori parte ſapientiæ divinæ, quæ verſatur in vero & legitimo Dei cultu: ſequitur pars altera de beneficentia erga proximum, quæ adhortationi ad ſtudium beneficentiæ, contrarii fugam adjungit, hujus infælicitatem innuens, illius porro à Domino beatitatem.

Partes ſunt
- *hortatio ad humanitatis officia: In qua ſunt duo*
  - *Adhortatio ad beneficentiam in proximum v. 2.*
  - *dehortatio à malo ei inferendo.*
- *eiuſdem à Deo præmium,*

Adhortatio eſt; ne cohibeas dicto, aut facto, ſive in teipſo, ſive in alio beneficentiam, ſive perennem, ſeu momentaneam; ſive ſit corporis, ſive animi, ab eo, cui jure, tanquam juſto domino (non lege civili, ſed divinâ) competit, cum in tua facultate ſit illam vel utraque manu præſtare. Cum enim vel aſino ejus laboranti & ſub onere jacenti ſuccurrendum doceat lex, nedum ipſi ſuccurrendum eſt; & ſi ejus bovem ex cœno ut extrahas, danda ſit opera, nedum ut proximum ipſum expedias, cum in cœno peccati & erroris defixum conſpicabere.

Deinde & illud notandum eſt, eum exiſtimandum eſſe, bonum à proximo inhibuiſſe, qui illud pro virili non ſuppeditaverit. Quo accedit illud Servatoris; *qui non eſt mecum, is contra me.*

Notandum porrò quod dicit, eum, qui noſtra ope eget, illius opis & adminiculi, quoad præſtare poſſumus, juſtum dominum eſſe, & poſſeſſorem; noſque ei veluti debitores & ſervos. Non equidẽ quod ille ſuo jure hoc vendicare poſſit, ſed quod nos hoc tanquam debitum ſolvere debeamus; cum, ſicut charitatem omnibus debemus Rom. 13. 8. ſic & charitatis fructus,

Denique cum dicit, modo in poteſtate utriuſque manus ſit, docet, non tantum conferendam eſſe beneficentiam, cum facilè

facilè & levi momento fieri poſſit, ſed cum ad illud efficiendum contentione opus ſit. Unde Job cauſam, quam ignorabat, diligenter perveſtigavit 29. 19. & domeſticos ſuos fatigabat miniſterio hoſpitum 31. 31. Et charitas laborioſa dicitur, 1. Theſſ. 1. 3.

Verſ. 28. Ne dicito proximo tuo, abi, deinde revertere; cras enim daturus ſum; cum fuerit penes te.

Non ſatis eſt, ſiquis beneficus ſit, niſi tempeſtivè & maturè beneficium conferat. Bis enim dat,qui cito dat, juxta vetus proverbium. Bonum facite, dum dies eſt Galat. 6. Neque enim ſcis quid craſtinus dies afferet;forſan tui arbitrij cras non erit,quod hodiè eſt;vel ſi te penes ſit conferre, alter tamen calamitate ita intercipi poteſt, ut illi tuum beneficium non ſit profuturum. Hilarem & promptum largitorem Deus diligit: non ergo dormiat tecum beneficium, quod conferre potes, nec beneficiarius ſine eo dormiat, cui forſan erit inſtar ſtragili tecto impoſiti, quo incaleſcat. Hîc illi arguuntur, qui beneficentiam ſuam ad mortem uſque rejiciunt porcos referentes;qui nunquam ante lanienam utiles ſunt.

Verſ. 29. Ne fabricator contra proximum tuum rem malam, qui confidet ſecurè tecum.

Sequitur dehortatio à maleficio. Et prima eſt, ne malum moliatur in eum,qui in ipſius fide acquieſcit, & nullum ab ipſo malum extimeſcit. cum enim omnis injuria in vitio ſit, tum illa maximâ reprehenſione digniſſima eſt,quæ non tantum in immeritũ ſit, ſed porro etiam in eum, qui nihil mali ſuſpicatur. Hinc *David*; ſi malum ei feci,qui mecum pacem colit. Et alibi; ſi inimicus hoc mihi feciſſet, facilè tuliſſem; ſed ille fecit, quicum in cultu Dei,&in convictu conjunctus eram. Hoc adverſ. male-fidos πανδοχέας facit,quibus confidunt, qui ab illis excipiuntur: item adverſus ſervos, qui, cum ſua diligentia & fide heri animum in aliquam de ipſis fiduciã adduxerint, poſteà illis imponunt.

Verſ. 30. Ne contendito cum ullo homine immeritò, niſi affecerit te malo,

Monet non eſſe diſceptandum cum innocente fiduciâ victoriæ, aut facultatis, quod injuſtè petimus, obtinendi. Vide. 1. Cor. 6. Mat. 5. Luc. 12.

Verſ. 31. Ne invideto ulli violento; neque eligito ullas vias ejus.

Occupat tacitè,in quo occurri poterat. Nam ex eo, quod præcipit, non litigandum eſſe cum innoxio, ſubinferre quis poterat; ergo illatam injuriam retaliare licet; Minimè (inquit) imo dextra gena obvertenda potius, Mat. 5. Excipienti rurſus; At illi proſperè agunt, qui id faciunt, reſpondet; at cave ſis, ne illos æmulatus ipſorum inſtituta eligas, relictis viis rectis, quibus inſtitiſti.

Verſ. 32. Nam abominationi eſt Iehovæ præfractus; apud rectos autem arcanum ejus eſt.

Iam ſequitur præmium utriuſque, cum in officio ſe continentis, tum vero contra officium ad injuſtitiam proſilientis. Maximè vero docet, cur æmulatione impiorũ ad eorum inſtituta deflectendum non ſit, quia impios Deus non odio tantum, ſed & abominatione proſequatur. Quod nos docet, eorum proſperitatem contemnendam eſſe. Cum enim eorum, ſeu in victu,

ſeu in cultu deliciis adhęreat Dei odium; cum illud edant, bibant, &c. quis illis proſperitatem invideat? Proximum eſt, juſtum & ſimplicem ita à Deo amari, ut illum ad arcana ſua conſilia admittat, Iohan. 15.15. Quis autem non malit humili conditione eſſe, & gratiam principis cōjunctam habere, quàm ad ſummam cæteroquin dignitatem ſubvehi cum ejuſdē indignatione? Vide Pſalm. 4.6. Excutiamus nos ipſos, an Deus ad arcanorum notitiam nos admiſerit, Nam, niſi hoc fecerit ratio nulla eſt, qua de ipſius erga nos amore ſecuri reddamur.

Verſ. 33. Exſecratio Iehovæ incumbit domui improbi; at habitaculo juſtorum benedicitur.

Pergit in hujus confirmatione, quod Dei maledictio domum & ſuppellectilem improborum, quantumvis amplam, exedat; tenuem vero juſti caſam benedictione ſua amplificet.

Verſ. 34. Quandoquidem deriſores ipſe deridet, manſuetis autem dat gratiam:

Verſ. 35. Honorem ſapientes poſſident; ſtolidos verò tollit ignominia.

Hìc oſtendit, injuſtos, quos eoſdem ſuperbos vocat, à Deo irriſioni expoſitos eſſe; & cōtrà, afflictos, quos Petrus manſuetos appellat, gratia apud homines ornari.

CAPUT IV.

AD veræ ſapientiæ ſtudium hortatur ad verſ. 14. à contrariâ dehortatur ad finem uſque cap. verſ. 1. ad 10. Attentionem iterum, tanquàm novo exordio ſumpto, excitat; dein ejus rationes ſubjungit verſibus 9. ſequentibus:

Partes ſunt { *Captatio attentionis* / *Rationes ſubjecta.* }

Verſ. 1. Audite, filij, eruditionem patris, & attendite ad cognoſcendum prudentiam.

Quod attentionem flagitat, ſubinde noſtram in rebus ſacris ſomnolentiam & animi remiſſionem taxat, à qua nec Prophetas liberos fuiſſe conſtat, ne tum quidem, cum viſiones longè auguſtiſſimis illis revelatæ ſunt. vide Zach. prophetiam in pluribus locis, maximè 4.1. Quod præcones monet, ut hujus in auditoribus inertiæ & ſtuporis memores illos brevi oratiuncula expergefaciant. Auditores etiam ipſos commonefacit, ut ipſiſeipſos compellent, & ſtimulos afferant. Sic *Deborah* ſe compellat Iudic. 5. & *David* ſæpiùs animam ſuam. Sicut enim chorda muſica pulſando remiſſa iterum intendenda eſt: ſic corda noſtra laſſa & defatigata.

Deinde quod non tantum audiri petit, ſed porrò ut, admota aure, doctrinam accipiamus, docet, non tantùm nos ſurdos nos eſſe oportere, ſed ne gravibus obtuſiſque, verum arrectis auribus iſta accipere. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Verſ. 2. Nam diſciplinam bonam trado vobis; doctrinam meam ne derelinquite.

Rationes captatæ attentionis ſequuntur, quæ ſunt duæ { *prior ab adjunct. præſtantia doctrinæ, quam tradit, hoc v.* / *altera à teſtimonijs v. 7. ſequentibus.* }

Prioris ſenſus eſt, non eſſe trita, aut pervulgata, quæ inſtituit, ſed (ut alibi dicit) principes & primarias ſententias, &

(ut

(ut ante appellavit) משלים. Omnes captant bonum, & illud cupidè inſectantur: multi dicunt,quis oſtendet nobis bonum; Quæ tamen verè bona non ſunt, ſed ut quis utatur illis. Interim quod verè bonum eſt, negligunt, & oſcitanter prætereunt: verbis forſan non dicimus malum bonum, & bonum malum; dulce amarum, & amarum dulce; ſed factis & re hoc facimus.

Hic verò excipiat aliquis,ſordere hanc de ſua doctrina laudem, aut certè res ſuſpectas reddere.Quis enim credet homini proprias merces prædicanti? Sed ſciendum, hoc à *Salomone* tanquam Dei ore promanare: nihil autem impedit,quo minùs Deus omnia ſua opera, maximè doctrinam ſalutarem laudibus ornet. Nullum enim periculum eſt inanis gloriæ apud Deum,cui omnis gloria debetur. Et cum ſola lucri cupiditas venditoris fidem ſuſpectam reddat, (cum alioqui optimus & maximè idoneus teſtis ipſe habeatur mercium ſuarum;) Deo nihil hinc accedit, ſed nobis tantum. Quocirca de doctrina ab ipſo laudata ne dubitemus, ſed incredibile ejus in benefaciendo ſtudium prædicemus, quod ſapientiam nobis ſuam tot verbis commendet.

Concludit à bonitate diſciplinæ ſuæ, non eſſe deſerendam. Quis enim (niſi mente captus) bonum deſeret, maximè cum deſertione boni non tantùm bono ipſo deſtituatur,ſed in malum etiam maximum incidat? Quis fontem aquæ vivæ deſeret, ut bibat ex puteis, aut turbatis aquis?Quis regiam viam relinquet, ut adyta & loca inacceſſa perambulet?

Verſ.3. Cum Filius eſſem apud patrem meum, tener & unicus coram matre mea.

Sequitur altera ratio à teſtimoniis:perinde ac ſi dicat; nota vobis eſt patris mei cum in eccleſia, tum in Repub. authoritas celebris, ſapientia inclyta, pietas inſignis, adeò ut vir ſecundum cor Dei dictus ſit: atque ille in his præceptis, quæ vobis jam trado, me inſtituit; itaque non Deum in me ſolo, ſed in illo etiam repudiaturus eſt, qui hæc præcepta contemptui, aut neglectui habebit. Ex quo efficitur, eò gravius peccatum eſſe veritatis propoſitæ rejectionem, quò à pluribus, iiſque doctrina & pietate cultioribus ad nos perfertur, & in Eccleſia authoritate præſtantioribus.Donum enim pretioſum, utpote gemma, tametſi ad nos in loculo pelliceo adferatur, gratè accipiēdum eſt, ſed cum porro in crumena ſerica, vel inaurata exhibetur, multo magis. Nec tamē hinc ſequitur, ſatis argumenti eſſe, ut quis quid admittat,quod illud à parentibus edoctus ſit, ſicut Pontificij, & idiotę plurimi contendere ſolēt, niſi majoris notę fuerint &probatæ pietatis.2.Tim.1.3.

Deinde hoc argumentum amplificat ab efficiente cauſa hujus inſtitutionis, intima ſcil.parentum erga ipſum dilectione. Unde illud elucet, certiſſimi eſſe veri & legitimi amoris effectum, ſiquis liberos ſuos inſtituat in pietate; tantoque magis ipſos amare cenſendos eſſe, quanto fuerint de ipſis inſtituendis ſolliciti magis: contra vero odio haberi liberos à parentibus, quos non inſtituunt. Multi autem parentes ſunt, qui præ ſtulto, neſcio quo, ergà liberos amore, non patiuntur eos in pietateinſtitui, ne quam ſcil. moleſtiam iis exhibeant.Sed cum viri boni ſit totam familiam inſtituere, nedum liberos. Imo vero (quod alibi docetur) quanto parentum quilibet filium magis amat, & majoris partis hæreditatis hæredem ſcribere cogitat, tanto magis eum informare oportet.Nam*David* plures filios ex Bathſheba ſuſcepit,non legimus tamen in reliquis inſtituendis tam ſollicitum fuiſſe quam in *Salomone*.

Deinde amplificatur hoc à diverſ. eum, quamvis ætate tenerum, tamen his præceptis imbutum fuiſſe. Vide 2. Tim. 3. ſugant igitur infantes (quoad fieri poteſt) unà cum lacte pietatem; & linguam Canaan à teneris diſcant. Ubi cogitemus fœlicem hujus doctrinæ ſucceſſum in *Salomone*, qui hoc modo à parentibus inſtitutus peritiſſimus evaſit, & undiquaque inſtructiſſimus.

Verſ. 4. Docens ille me dicebat mihi, retineat verba mea animus tuus, obſervans præcepta mea vive.

Subjungit ſummam doctrinæ patris ad v. 10. Et primum generaliter & ſuccinctè, poſteà ſpecialiùs, & copioſiùs illud proſequitur.

In utriſque duo proponit { *Officium* / *Præmium.* }

Officium in genere eſt 1. ut verba ſapientiæ altè animo imprimantur, ne perfluant, Hebr. 2. 1. ne regurgitentur, ut in κακοστομάχοις fit, & ne ſint ut ſemen non bene occatum & occultatum: deinde ut obſerventur. Ut enim cibus bene concoctus paſcit & pinguefacit; ſic doctrina obſervatione elaborata & quaſi aſſimilata, vel potiùs (quæ eſt natura hujus cibi) aſſimulans & convertens nos in ſuã quaſi ſubſtantiam perfectos reddit ad omne opus bonum, & Deo conformes. Præmium eſt vivere, id eſt, vitam pręſentem & futuram. Hîc quære, quomodo vita tribuatur obſervationi præceptorum.

Verſ. 5. Acquire ſapientiam, acquire prudentiam; ne obliviſcitor, neque declinato à ſermonibus oris mei.

Verſ. 6. Ne derelinquito illam, & conſervabit te; dilige illam, & cuſtodiet te.

Nunc ſpecialiùs ſuperiorem doctrinam exſequitur: & primùm quidem per ſe & ſimpliciter, poſt conjunctim componens cum officio præmium ei analogum & accommodum.

In officio tria requirit, 1. notitiam pietatis & probitatis; 2. memoriam; 3. obſervationem. Sexto autem v. perſeverantiam in tribus illis exigit: quam adhortationem, ut maximè difficilem, promiſſo munit.

Deìn cauſam hujus officii aſſignat, amorem pietatis. Cujus etiam amoris effecta proponit, nempe ſi illam præferat quis rebus omnibus, ita ut rerum omnium jacturâ eam redimere paratus ſit: ac ſi non omninò amet, qui ſupra res omnes non amat. Ubi etiam illius amoris effectum exonat ſimilitudine.

In primo alludit ad agri, aut hæreditatis perquiſitionem, vel ad mercium comparationem, & mercatorum negotiationem. Amos 8. 12. Vide exemplum reginæ Sabæ. 1. Reg. 9. Vide Pſal. 119. 2. Hic cavendum à perverſa intelligentia, Matth. 16. 6. 7. atque etiam à ſtupore, ideoque à crapula & ebrietate quibus cor gravatur, abſtinendum.

Secundum eſt, ut memoria fideli ſepiatur Pſal. 119. 16. Margaritæ comparatur, Matth. 13. & theſauro; eoque fideliter reponenda.

Tertium eſt, ut ad neutram partem declinet, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, ſed recto pede incedat ἀκριβῶς Epheſ. 5. 15. ne vel unguem latum, aut tranſvorſum digitũ à recta via deflectat.

In verſ. 6. habetur quartum pręceptum de permanſione in omnibus ill s tribus: ſine qua illa non proderunt, imò nocebunt

bunt multum, 2. Pet. 3. Ideoque huic promiſſio adjungitur. Neque enim dicitur, eum ſervatum iri, qui ſapientiam comparat, recordatur, factiſque ad tempus exprimit; ſed qui perſeverat. Hac promiſſione ſuſtentat patientiam piorum. nam perſiſtenti multa perpetiēda ſunt. Adverſùs autem tentationes illas aptiſſima conſolatio eſt, ſapientiam eos in illis conſervaturam. Multa ſunt mala piorum; ſed ex omnibus eruit illos Deus, Pſal. 34. Et juſtus, utut ſepties uno die cadat reſurgit tamen.

Horum omnium cauſam efficientem notat, amorem ſapientiæ. Siquis enim ſapientiam amet, eam ſectabitur, recordabitur, vitâ exprimet, ad extremum ſervabit. Quis enim rem amatam non ſectatur? Ecquis avarus unquam oblitus eſt, ubi theſaurum recondidit? Quinetiam amore ſapientiæ fiet, ut mandata ejus obſervemus Pſal. 119. 167. & ne eam deſeramus, 2. Theſſ. 2. Amor quippe vehemens eſt, nec ingenti aquarū mole extingui poteſt, Cant. 8, 6, 7. Vide 1. Cor. 13.

Verſ. 7. Quæ caput eſt ſapientiæ, eam *acquire ſapientiam; & tota acquiſitione tua acquire prudentiam.*

Quam priùs comparandam ſapientiam admonuit, nunc ſpecialiùs explicat, docens & quo ordine quidque perſequendum ſit, & quo ardore affectuque animi. Et primò quod ad ordinem attinet, docet, præcipuam ſapientiam, & totius ſapientiæ caput & fontem Dei timore comparari; quam præfert illi ſapientiæ, quæ verſatur in benignitate erga proximum, 1. Ioh. 5. 2. *Ioſephus*, ut probaret fratribus ſuam æquitatem, proferebat Dei timorem. Et *Abraham* notat, cauſam fuiſſe, cur ſibi & uxori apud exteros timeret qui illi timerent Deum. Primnm quęrendum eſt regnum cœlorum, &c. Matth. 6. non tantùm quia eſt mandatū prius, ſed quod omnis benignitas Deo odioſa ſit; quæ ad timorem Dei non refertur.

Deinde oſtendit, quo pretio comparari oporteat, maximo ſc. ut Matt. 13.

Verſ. 8. Extolle eam, & exaltabit te; honorabit te, cum amplexaberis eam.

Extollimus eam, 1. cum ut Dei ſapientiam accipimus, 2. cum ejus legatos honore proſequimur, ut cum illos ſicut angelos Dei, imo ut Chriſtum ipſum accipiamus; 3. honore etiam eam afficimus, cum ejus omnes profeſſores, vel abjectiſſimos & pauperrimos honoramus. Hinc *Iacobus* quoſdam perſtringit, quòd pauperes, tametſi pios, contemtui haberent. Deniq; tum illam honore proſequimur, cum omnibus poſſeſſionibus, atque adeo ipſi vitæ noſtræ eam præferamus.

Verſ. 9. Indet capiti tuo adjectionem gratiæ, coronam ornatiſſimam tradet tibi.

Honoris ſpeciem adjungit, quo ſapientia ſui ſtudioſos proſequetur: dabitur illis regnum (hæredes enim Dei ſunt, & Chriſti cohæredes:) quod regnum hic ſpiritu inchoatum, poſthac peccati abolitione abſolvetur,

Verſ. 10. Audi, fili mi, & percipe ſermones meos; ita multiplicabuntur tibi anni vitæ.

Hactenus fuère *Davidis verba* a *Salomone* repetita, ſequuntur quę ſunt *Salomonis*. Ubi novum initium ſumit & attentionem excitat ſubinde intercidentem, niſi crebra admonitione ſuſtentetur. Primò hor-

tatur,

tatur, ut verba ipſius omnia audiamus: deinde ut admittamus illa, promiſſum adjungit longæ vitæ, & in hoc, & futuro ſæculo. In hac vita vegetum te reddet, Pſal. 103. 5. Vide eximia exempla in *Moſe*, & *Calebo*: Confecto autem hujus vitæ curriculo, te ſaturum dierum æternitate coronabit.

Verſ. 11. *Viam ſapientiæ doceo te, deduco te per orbitas recti.*

Verſ. 12. *Cum ambulabis, nihil arctabit greſſum tuum, etiamſi cucurrens, non offenderis.*

Docet, ſe viam ſapientiæ tradere, quã omnes expetunt;& illam ſapientiam,quę cum rectitudine conjuncta eſt,& expers fraudis, cum plerique ſapientia lætentur, qua aliis imponant. Deinde & illud docet, non tantùm ſe viam indicaſſe,ſed etiam ὁδηγοῦ officium præſtitiſſe, quo nos in via deducat, & quidem lata, ubi periculum impingendi nullum eſt, ne tum quidem, cum in illa non incedamus ſolum, verum etiam curramus; hoc modo illis occurrens, qui zelum averſantur. Eſt autem lata & facilis via 1. quia per fidem errores remittuntur;deinde quia Spiritus Sanctus nobis illam ſuavẽ redditIoh. 1. 5.

Verſ. 13. *Prehende eruditionem illius, ne deſiſtito: cuſtodi illam, quia eſt vita tua.*

Abſoluta adhortatione ad boni ſtudium, aliam orditur de mali fuga ad v. 20.

Partes ſunt { *Animi ad accipiendam doctrinam comparatio.* / *doctrina ipſa, quam tradit.* }

In præparatione duo ſunt { *Mandatum.* / *Promiſſio.* }

Mandatum in duobus verſatur; 1. ut diſciplinam, ſeu inſtructionem inſequentem fortiter prehendamus; deinde ut prehenſam avidè, firmiter, & mordicus teneamus, ita ut nec patiamur negligentia excidere, nec vi nobis excuti, vel extorqueri. Vide Matth. 11. 12. Phil. 3. 12. 14. *Ne dimittas*; parum enim fuerit fortiter prehendere, niſi quis illam retinuerit. Quidam autem ſunt, qui primo ingreſſu fervebant,ſed poſteà deferveſcunt, ut illi,qui cum voluptate & alacritate accipiunt ſemen Matth. 13. Sunt ſtomachis ſimiles,qui cibum avidè arripiunt, quibus tamen deeſt vis retinendi: pueris ſimiles ſunt,qui re nova viſa gaudent,quam poſt unius horæ uſuram contemnunt, & abjiciunt. Quamobrem impensè operam demus,ut non perfluamus; cum præſtitiſſet, nunquam agnoviſſe viam veritatis, accepiſſe ſapientiam,quàm abjicere,aut amittere. Gal. 5. 7. Apoc. 3. 11.

Promiſſio ſequitur ſcil. obſervationem præceptorum eſſe vitam ipſam, & vitam in horum obſequio conſiſtere. Quantum tibi ex his decidit, tantum vitæ diſcedit tuæ. Nam qui improbi ſunt, etiam vivi mortui habentur. 1. Tim. 5. Math. 8. Nec enim vita dicenda eſt, quæ habet initium & horrorem æternæ mortis ſibi adjunctum; qui verò è contra credendo in Chriſto rectè faciunt, etiamſi morerentur, vivunt Ioh. 11.

Verſ. 14. *Iter improborum ne ingreditor, neque incedito per viam malorum.*

Duo hortatur; 1. ne ineamus viam improborum; 2. ſi anticipati & intercepti fraude peccati ingreſſi fuerimus, cavendum eſſe, ne illi inſiſtamus; atque utut ſemitam impiorum ingrediamur, non tamen committendum,ut viam eorum calcemus. Pſal. 1. 1.

Verſ.

Verſ. 15. Abſtrahe te ab ea, ne tranſito per eam; declina ab ea & præteri.

Docet pluribus, quod prius propoſuit; nullum ſcil. nobis commercium intercedere oportere cum impiorum inſtitutis, ſed omni ratione averſanda eſſe, etiam minimas occaſiones declinandas: non tantùm ipſam viam repudiandam & palàm abominandam, ſed ne illàc tranſeundum. Ubi ſpeciem quandam contradictionis inducit, dum monet ut tranſeat, quem priùs vetuit tranſire: ſed intelligendum eſt, eum debere actutum declinare ab ea via, ne, ſi cunctetur, in laqueum incidat. Similis exhortatio erat c. 1. v. 15. Sicut igitur in fætidum cadaver incidens non illud declinabit ſolum, ſed ad latus ejus tranſiens præfeſtinabit; ne fætorem, quem exhalat, naribus hauriat: ſic qui impium hominem convenerit, eundem (quantum pote, ſalvis neceſſariis externæ ſocietatis officiis) declinato. Nec enim, niſi dæmoniacus in loco ſepulchrorum deſidebit, Marci 5.

Verſ. 16. Nam non dormiunt illi, niſi malefecerint; & eripitur ſomnus illorum, niſi fecerint ut impingat quiſpiam:

Prior ratio eſt ab adjuncta inquietudine, qua torquentur, niſi concupitum ſcelus expleverint. Eo enim impetu rapiuntur ad meleficia, ut, niſi voto potiantur, ſomnum inire nequeant. Vide exempl. *Achabi & Ammonis*: quorum alter morbo correptus eſt, quod *Nabothi* vineam nanciſci nequibat; alter tabe indiès conficiebatur, quod turpi amore non potiretur. Hic igitur diſcrimen ſtatuitur inter peccata piorum & impiorum. Nam pii mœrentes, & quaſi inviti, impii vero magno impetu inſtar cataphracti equi feruntur ad peccatum, quod ipſis dominatur.

Hoc loco etiam admonemur, quanro ſtudio ad bonum contendendum ſit, ut ſomnum non ineamus, nec palpebris noſtris quietem demus, niſi re præclarè geſta. Eccleſia ex amore inChriſtum ægrotat, Cant. 2.

Verſ. 17. Qui veſcuntur cibo improbitatis, & vinum omnimodæ violentiæ bibunt.

Perſiſtit in priore argumento, & illud ex effic. cauſa docet, quam ſimilitudine illuſtrat. Nam ut qui jejuni lectum petunt, ſomnum inire nequeunt: ſic iſti homines, quibus ſua improbitas inſtar cibi & potus eſt, non poſſunt ſomnum inire, niſi ſcelere priùs confecto. Contra pii obſequium Deo præſtitum reputant cibũ & potum ſuum, Ioh. 4. Sic *David* melle dulcius habuit in mandatis Dei occupari. Vide Iob. 23. 12.

Verſ. 18. Iter enim juſtorum ſimile eſt luci ſplendidæ, pergenti lucere; adeo eorum quiſq; *ſit ſtabilis die:*

Verſ. 19. Via verò improborum ſimilis eſt caligini neſciunt in quid impacturi ſint.

Alterum argumentum eſt ab adverſa juſtorum via, quæ plena conſolationis eſt. Iuſtus enim ſicut dies eſt, quæ manè lucens certis gradibus provehitur, donec ad meridiem perveniantur & omnibus numeris abſolutam perfectionem. Hunc igitur cum ſumma fiducia in itinere verſari neceſſe eſt, præſertim cum (ut prius dictum eſt) viâ lata incedt. Contra

verò improbis iter ingredientibus veſpere, tenebræ augentur certis gradibus, donec ad tenebras denſiſſ. tanquam mediam noctem, eandemq; luna ac ſtellis minimè lucentem. i.e. ad ipſos inferos pervenerint. Nam impii aliqua luce, nempe rationis & humanitatis colluſtrari poſteà hanc ipſam quantulamcunque amittunt: deinde aliqua luce proſperitatis (quam lux repræſentat) colluſtrantur; quæ poſteà in ſummam infælicitatem deſinit. Unde etiam fit, ut nõ tantùm inſcitiâ impingant, ſed (quod in viatoribus ſecus accidit) etiam lapſi ſe lapſos eſſe non intelligant. Niſi fortè ebriis comparandi ſint, qui potu ſtupefacti etiam tum cum ceciderint, ſe cecidiſſe non intelligunt.

Verſ. 20. Fili mi, ad verba mea attende; ad ſermones meos inclina aurem tuam.

Ad finem capitis habetur nova adhortatio ad ſapientiæ plenam perceptionem, & magis ſpeciatim ad efficacem ejus intus, & foris praxin.

Prior adhortatio habet { *Mandata* / *Promiſſa.* } *Mandata requirunt* { *extern.* { *aures* / *oculos* } / *intern. animi* { *intelligentiam.* / *affectum.* } }

Aures poſtulat { *admoveri* / *inclinari* } documentis traditis, id eſt, ſummam attentionem requirit. Ἐνωτίσασθε (inquit) Petrus Act. 2. 14. Ut auris ſit veluti ſubula perforata ad oſtiũ ſanctuarij. Oculos etiam in earum rerum lectione occupari poſtulat; eoque monet, ut ſint veluti frontalia, monilia, & annuli in digitis, quæ ſemper ob oculos verſentur; ut non libris tantùm deſcribantur, ſed poſtibus inſculpantur, aut pingantur, cùm in portis publicè, tùm in oſtiis privatim. Neque tamen propterea tam utile fuerit in Templis pingi, quia hoc pacto animi ab attenta verbi auditione avocãtur ſæpiùs.

Verſ. 21. Ne efficiant illi, *ut recedant ab oculis tuis; ſerva hæc in animo tuo.*

Eandem rem porrò confirmat remotione efficientis, dum monet, ferendum non eſſe, ut improbi (quorum nuper mentionem fecerat) nos à ſapiẽtiæ ſtudio depellant, & ab oculis, auribuſque doctrinam hanc ſubmoveant. Sic Pſal. 1. meditaturi in lege jubentur improborũ conſortium declinare, ut qui tùm verbis, tùm vitæ ſtudiis conabuntur pios à ſapientiæ ſtudio & amplexu abducere.

Sequitur præceptum de interna recõditione ſapientiæ in animo tanquam in arcula, idque non in ſuperficie animi, ſed in intimis ejus præcordiis; quo non tantum plenam & accuratam ejus intelligentiam, ſed & interiorem erga illam affectum deſignat. Deut. 6. 6.

Verſ. 22. Nam verba vitæ ſunt iis, qui conſequuntur ipſa, & toti carni cujusque eorum ſalutaria.

Promiſſionis duo ſunt membra { *prius vitæ* / *alterum ſanitatis: idque toti homini.* }

Eſt igitur veluti arbor vitæ, cujus fructum guſtantes à morte vindicabimur; eſt antidotus, & amuletum. Præterea ſanitatem præſtat tanquam peritus & fidelis medicus. Dictum eſt prius, pios reges eſſe;

eſſe; &,ut cum regibus, Deum cum illis munificentiſſimum agere, ſtipantur enim ſapientia tanquam ſatellitio; eandem habent viæ ducem & ὠτακουστὴν: eſt eis pro ſenatu ſanctiore;atque hoc loco pro collegio medicorum. Et cum medici ſinguli ferè in unius alicujus membri curatione excellant, hujus medicina toti corpori, atque animo etiam inſervit.Quod quidem tum fit, cum à crapula, ebrietate, effuſis libidinibus,è nimio dolore,gaudio, ira &c. temperat; unde infiniti morbi pullulant.

Verſ. 23. Supra omnem obſervationem cuſtodi cor tuum: nam ex eo prodeunt actiones vitæ.

Sequitur ſpecialis adhortatio ad praxin. Ubi primùm obſerva, inverſo ordine, à praxi capi initium. Nam in plena perceptione ſapientiæ, ab auribus, & oculis initio ſumpto, tandem ad animum devenitur;ſed in praxi,àcorde initio ſumpto ad externa membra fit progreſſus.

Monet autem, ut, cum in ſingulis partibus ſervandis magna cautio ſit adhibẽda, tum verò ſumma & maxima in cordis cuſtodia: ut ſi nocturnas alibi, hîc & nocturnas, & diurnas excubias collocemus; ſi alibi cuſtodiam apponamus, hîc quaterniones augeamus. Sicut enim in præſentis vitę cuſtodia præcipuè cor munimus antidoto, quia inde fons vitæ petitur; ſic etiam in vitæ futuræ procuratione longè maxima cura animi & affectus eſt agenda, ne ille pollutus, aut duplex ſit. Vide Matth.15. Hîc autem à pleriſq; peccatur. Multi enim ſunt,qui cavent,ne quid exterius in corporis membris admittatur, quod ipſis vertatur vitio:qui interim corda ſua nunquam expurgarunt. Atq; hi, utut innoxiam vitam foris agant, nec in judicium vocari poſſint, nihil tamẽ profecerint totâ illa ſua in ſpeciem innocentia, quia nullâ in Deum conſcientia, ſaltem pura&fide purgata quidquam faciant;ſed tantum metu divini judicij, aut deſiderio famam, & auram inanem apud homines captandi. Quid,quod etiam non ſemper ab ignominia ſe tutos ſervãt;quin illis imprudentibus, aliquid turpe ſe proripiet foràs, niſi animus, aut cor primum expurgetur?Quid enim profuerit reliqua in nave opera diligenter præſtari,ſi ab illo peccetur, qui clavum tenet?

Verſ. 24. Remove abs te perverſitatem oris, & pravitatem labiorum procul amove abs te.

Cuſtodiæ cordis ſubjungitur cuſtodia oris, ut cogitationibus verba; idque quia difficultate ad illam proximè accedit.Sicut enim non poſſumus non cogitare mala(unde euangelicum præceptum eſt non tam ut non concupiſcamus quàm ut concupiſcentiis non obſequamur;)ſic *Iacobus* docet, perfectum eſſe, qui linguâ non peccat, id eſt, neminem eſſe,qui hoc non faciat. Sed ut magis ab hoc vitio abhorreamus, comparat verba perverſa,& tortuoſa diſtortioni oris aſpectu fœdæ: eodemq; modo blæſæ linguæ & μογιλαλίᾳ comparari poſſit. Meminerimus igitur precari cum *Davide*, ut Deus oſtium labiorum noſtrorum ſervet:quippe mutum eſſe præſtiterit, quàm linguâ ad petulantiam & blaſphemias abuti.

V.25.Oculi tui è regione intueãtur, &palpebræ tuæ ſpectent rectà corã te.

Poſt cautionem exponit oculorum uſum, ne hùc, illùc vagentur & oberrent, ſed rectà aſpiciant ad illud,quod pium & juſtum eſt. Metaphora ab iis ſumpta videtur, qui aratrum ducentes rectà illud

 aſpiciunt,

aſpiciunt, tantum abeſt ut reſpectent. Vide Pſal. 119. ſ. 5. *Averte oculos meos, ne aſpiciant vanum*: item Iob. 31. pepigi fœdus cum oculis meis, quanquam uno ſenſu maximè periculoſo ſynecd. omnes intelligat.

Quod de palpebris ſubjungit, ut dirigant intuitum ad illud, quod coram eſt, rem eandem diverſis verbis inculcat: ſimulque indicat, palpebras eſſe à Deo datas pro oculorum tegumento & propugnaculo, hoc tantum conſilio, & hac lege, ut oculorum aciem & intuitum ad rectorum & juſtorum jucundum aſpectum aſſervent.

Verſ. 26. Expende orbitam pedis tui, ut omnes viæ tuæ ſtabiles ſint.

Oculo adjungit pedem, quâ metaph. actiones deſignat, quas ad trutinam exigi jubet; ut quæ exſecutioni mandatæ plus aut proſunt, aut obſunt, quàm ſi concipiantur tantum, animo deſignentur, aut ſermone efferantur. Vult igitur, omnia juſtis ponderibus examinari. Sic Apoſt. ad Galatas reprehendit eos, qui οὐκ ὀρθοποδοῦσι 2. 14. & ad Eph. 5. ἀκριβῶς περιπατεῖτε. Huic admonitioni contraveniunt, qui omnem ſtrictiorem, & magis religioſam mandatorum obſervationem curioſitatis, aut ſtultitiæ accuſant. Trutina verò, ſeu amuſſis noſtra eſt lex Dei, ſeu doctrina, Pſal. 119. ſ. 8. 13. Hæc ſunt pondera juſta & obſignata, reliqua ſunt, veluti Leſbiæ regulæ, doloſa.

Hanc adhortationem aculeatam reddit, adjecta promiſſione ſtabilitatis operum ad trutinam legis divinæ expenſorum, 1. Chron. 22. 13. & 2. Chron. 24. 20. Prov. 12. 2. Ex adverſis arguitur. Pſal. 119. 6. Imò vero regium ſolium ſtabilitur juſtitiâ (Prov. 16. 12.) nedum privatorum res. Vide Matth. 7. & 1. Cor. 3. 12.

Verſ. 27. Ne declinato dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, amove pedem tuum à malo.

Praxin illam accuratam aliâ metaph. amplificat tracta ab his, qui regiâ via incedunt, ut patet Deuter. 2. 27. quorum intereſt magnoperè, ut illâ inſiſtant, perinde ac ſi utrinque periculum ſubeſſet, ſi vel minimum declinarent; ac ſi regia via mari cincta, ac ſepta eſſet, ita ut qui vel minimum ad alterutrum latus deflecteret, illicò mergi periclitaretur. Vide Deut. 5. 32. & 17. Superbiæ datur, ſi quis in alterutram partem declinet: veluti cum quis aut habenas gulæ laxat, aut nimium contrahit; cum Deum aut audacter nimis & temerè adit, aut nimis trepide per novos ſequeſtres, ſanctulos accedit; cum crucem refugit, aut ſponte accerſit; cum ceremonias pontificias aut nõ averſatur, aut ita refugit, ut earum gratiâ omnium vel præclariſſimorum jacturam faciat.

Quod vero prius metaphorice dixit, poſt aperta & ſimplici oratione explicat, cum quemque jubeat à malo recedere; hoc ipſo ſtatuens minimam in alterutram partem declinationem in malis eſſe, utut homines aliter ſentiant. Quod ſi in alterutram partem declinare periculoſum ſit, nedum retrocedere.

CAP. V.

Verſ. 1. Fili mi, ad ſapientiam meam attende, ad intelligentiam meam inclina aurem tuam.

Verſ. 2. Vt obſerves omnimodam ſolertiam, & ſcientiam labia tua cuſtodiant.

Doctri-

DOctrinam generalem de divinæ ſapientiæ ſtudio ad hypotheſin ſeptimi præcepti accommodans in eo cum præſentis, tum futuræ vitæ commoda, & incommoda percenſet. A. v. 1. ad. 7. ad ſtudium, & praxin ſapientiæ adhortans ejus uſum in meretricis præcipitiis declinandis uberrimum eſſe docet.

Partes ſunt
- *Adhortatio ad ſapientiæ ſtudium & praxin.*
- *Ratio ab adjuncto periculo ex impura meretrice.*

In priore præter ea, quæ ſæpius repetita ſunt, notandum, quod veræ ſapientiæ ſtudium hominem in omni re ſolertem reddit, & ad omnia pericula cautum, ne inſidioſis Satanæ, & Satellitum ejus tendiculis irretiatur. Sic Pſal. 119. *David* veræ ſapientiæ ſtudio prudentiâ principes, ſenes, & præceptores ſuperavit. Unde Saulus illum ſubdolum pronunciavit. Alia conſilia, utcunque ingenioſa conſultori ſunt peſſima; hæc ſola, quæ pietas ſubminiſtrat, ſuos dominos expediunt.

Deinde vult horum ſcientiam in labiis aſſervari, id eſt, ita amari, ut frequenti de illis colloquio, & ſermone nobis opportunè & tempeſtivè ſuccurrant. Sicut enim labia ſacerdotum ſcientiã aſſervant, quia alios inſtruunt: ſic labia cujuſque eam ſervare debent, qua ſe & ſuos ab errore vindicet. Qua de cauſa jubemur in via, & domi de rebus ſacris ſermones ſerere.

Verſ. 3. Quamvis favum ſtillent labia extraneæ, & mollius oleo ſtillet palatum ejus;

Verſ. 4. Attamen poſterius ejus amarum eſt ut abſinthium; acutum ut gladius bipennis.

Sequitur ratio ab adjuncto periculo, contra quod hominem muniet. Ubi illud primò notandum, nullam nec educationem ſeveriorẽ, nec vitæ aſperitatem, nec ſolitudinis & clauſtrorum conſectationem poſſe nos à meretricum lue & plagis eripere abſque ſtudio ſacræ ſcripturæ & veritatis divinæ. Honeſtæ quidem, & legitimæ rationes tùm educationis, tum jejunij contemnendæ non ſunt; ſed laxiores habenæ ſunt, quàm ut iis efferum hominis ingenium contineri poſſit. Solo vero Dei timore, tanquam fræno & lupato conſtringuntur indomitæ libidines, ut ſe non poſſint commovere. Vera enim Dei agnitio veluti antidotus & amuletum eſt, quo ab infectione hac immunes ſumus.

Deinde notandum, verba, quæ Spiritus ex ſacræ Scripturæ ſtudio ſuggerit, medicinam præbere adverſus blanda & illecebroſa meretricis verbula. Utcunq; enim alioqui quis aſtutus ſit, utcunque ſermonis facultate valeat, niſi tamen linguam fingat & formet vera Dei cognitio, actũ eſt. Multi enim ingenio freti, & ſermone audent cum meretricibus confabulari, nec dubitant ejus in ipſos conjecta jacula facilè, & parva quaſi corporis declinatione evitare. Sed falluntur plurimum. Nam verba meretricis mellita ſũt, & melle longè lectiſſimo, quod ex favo ſponte diſtillat (Anglicè *life hony*) Quamobrem opus eſt Dei verbo, quod melle & favo dulcius eſt, quo malum illud declinemus, & quò nos illius dulcedinis tædeat, præ illa quæ in verbo Dei habetur. Ut enim omnia præ Chriſto ſordent, & veluti ſtercora habenda ſunt: ſic meretricis verba præ Dei ſermone planè inſipida ſunt. Verba meretricis ſunt opinione tantùm dulcia, cum Dei ſermones in ſe & ſua natura ſuaviſſimi ſint. Prætereà molliora ſunt oleo verba meretricis, quæ nihil in ſe aſperitatis habere videntur; nihil, quod offendat, aut moleſtiam exhibeat, quin potius, quod demulceat, & mitiget. Quamobrem Dei verbo opus eſt,

quo fraudes iſtas videamus, & evitemus, *David* ſe periturum dicit, niſi Dei ſermone ſe ſuſtinuiſſet Pſal. 119. Hujus exemplum egregium vide Gen. 9. 8. Contra verò cum verbum Dei è Salomonis ore exciderat, illicò à mulieribus victus eſt. Quod etiam Samſoni accidit.

Quod autem illa, & mellita ejus verba adferunt, amarum eſt, ut abſinthium, acutum ut bipennis gladius; quæ duplex cõparatio & mœrorem innuit, & curationis difficultatem. Mellis enim favo diſtillanti opponit abſinthium, & oleo gladium ancipitem. Sic plurima toxica ſunt, quę hauſtu dulcia in ſtomacho dolores intolerabiles creant. Et quidem guſtatio brevis & momentanea evolat; ſed punitio & ſtimulus, velut in ſtomacho conſcientiæ durabilis eſt.

Verſ. 5. Pedes ejus deſcendunt ad mortem, ad ſepulcrum greſſus ejus pertinent.

Pedes, ſeu viæ ejus, ſtudia & conatus deſcendunt, ſeu præcipitantur (ut qui à monte in vallem tendunt) ad mortem, præſentem ſcil. Eoque etiam quicunque illi adhærent, ad mortem cum illâ properant. Veſtigia ejus ad ſepulchrum pertingunt; nihil ut ſpacij ſit inter ſepulchrũ, & ejus ſtudia. Quod quidem non intelligendum eſt tantùm de morte, quæ ex lege Dei quibuſlibet adulteris debetur, ſed quòd Deus etiam, ceſſante Magiſtratu, illos lethalibus morbis afficiat, quibus intereunt.

Verſ. 6. Iter vitæ ne expendas, moventur orbitæ ejus te imprudente.

Hoc veſu indicat, tantam eſſe varietatem, & mutabilitatem ingenij meretricij, & ita ſe, tanquam *Proteum* in omnes ſpecies & formas convertere, ut ſi velis ad libram ejus vias, & inſtitutum vitæ ad calculum rationis revocare, oleum & operam perdas: ut quæ ſe & vias ſuas ita contortuplicet, ut omnis tuus ex ea parte labor irritus futurus ſit. Vide Prov. 30. 18. 19. Quamobrem ex uſu eſt nunquam de illa amplexanda vel tecum conſilium capere; ſed illicò eam averſari, ab ea abhorrere, & ne ſemel quidem minimum commercium admittere. Egregium exẽplum exſtat in *Ioſepho*, qui poſt primam admonitionem illicò ſe ſubduxit illius colloquio.

Verſ. 7. Nunc itaque filij auſcultate mihi, & ne recedite à ſermonibus oris mei.

Adhortatus ad doctrinæ ſuæ obſequium in ſcorti fuga adhortationis rationes generatim prius attactas ſpecialius perſequitur ad v. 15.

Partes igitur ſunt
- *Adhortatio ad doctrinæ ſuæ obſequium in ſcorti fuga.*
- *Rationum ſuperiorum ſpecialior explicatio.*

In priore notandum (quod ſupra dictum eſt) ſubinde nos ad attentionem, quæ alioqui deferveſcit, excitandos eſſe.

Adhortatio eſt
- *Generalis.*
- *Specialis.*

Generalis eſt, obſequendum eſſe Prophetæ: quod Adverſi negatione illuſtratur; non recedendum à verbis oris ejus. Neque enim ſatis fuerit audire, intelligere, reminiſci, niſi etiam factis verba exprimas.

Verſ. 8. Procul facito ab illa iter tuum, & ne appropinquato ad oſtium domus ejus:

Iam docet quæ ſunt verba, à quibus ne latum quidem unguem diſcedendum eſt.

eſt. Prius eſt, ut ſe procul à ſcorto ſubmoveat & vias ſuas, ut illam non contrectet, aſpiciat aut cum illa colloquatur, nullum ab illa nuncium accipiat, nullum ad illam mittat: palea enim, vel ellychium facile ignem concipit. Cogitandum igitur, illam quaſi lepra infectam; ut ſicuti mundo fas non erat leproſo appropinquare, ſed illum maximo, quo potuit intervallo alloqui; ſic nec munditiei ſpiritualis ſtudioſo quicquam rei cum illa commiſcere, ſed ne cogitatione quidem ad illam propè accedere oporteat.

Quod ſequitur, rem eandem habet, ſed non ſine incremento: vetat enim appropinquare ad oſtium ædium ejus. Tanta enim eſt ejus contagio, ut ædes ipſas veluti peſtilentes reddat. Vide ſuprà adnotata c. 4. v. 15. Quo etiam ſpectat, quod eſt c. 2. v. 18. ubi ruinoſis ædibus comparantur ruinam minitantibus, qua obruatur, qui propè accedit.

Verſ. 9. Vt non cedas aliis decorem tuum, & annos tuos crudeli:

Sequitur pars altera de rationũ ſuperiorum magis ſpeciali explicatione. Ubi primum enumerantur, quæ exterius illi accident incommoda v. 9. & 10. deinde animi ex illis incommodis compunctiones v. reliquis. In priori parte primo occurrit decoris & dignitatis ſuæ ex adulterio diſpendium & jactura: hoc enim peccatum contẽptum attrahit. Illud docetur comparatione minor. Prov. 6. v. 30. 33. Præterea ſi illi nota infamiæ aſpergatur, qui injuriam hanc patitur nedum facienti. Huc videtur referri poſſe, quod Apoſt. dicit, eum qui fornicatur, adverſus proprium corpus peccare, cum cætera peccata ſint extra corpus. Hujus rei documentum petitur ex *Davide*, qui illico atque *Vriæ* uxorem violaſſet, cepit a propriis filiis, & ſervis contemptui haberi: item ex *Salomone*, in quem *Ieroboamus* ipſius ſervus inſurrexerit, & eum veluti calcibus petiit. Cum igitur adulterio te addicas, perinde eſt, ac ſi, detractâ corona capiti tuo, ad alios te inferiores eam traderes, & frænum, aut lupatum eorum ori eximeres, qui cæteroquin te revererẽtur.

Secundo docet, hoc modo annos, ſeu vitam tuam crudelis admiſſi adulteri vindicis furori exponi, qui iſtam injuriam ſanguinis tui effuſione ulciſcetur. Vide Prov. 6. 26. 34. 35. Vide etiam hiſtoriam filiorum *Iacobi*, qui ſororis ſuæ conſtuprationem totius urbis cæde ulti ſunt. Hoc etiam ſæpe fit à corrivalibus, aliquãdo etiam ab ipſa meretrice, quæ veneficio tollit amatores ſuos; & à Magiſtratu præſtari debet. Quâm ergo ſtultum eſt brevis voluptatulæ cauſâ vitam prodere? *David* aquam *Bethleemiticam* bibere noluit quod ſervorum diſcrimine comparata eſſet: quanto minus has furtivas aquas non alieni, ſed proprij ſanguinis periculo, conſectari debes!

Verſ. 10. Vt non ſatientur extranei facultatibus tuis, & labores tui maneant in domo alieni:

Tertium incommodum eſt facultatum amiſſio quod etiam amplificatur ab adjunct. bonorum acquiſitione, robore, mœrore tuo; & à ſubjunct. homine peregrino, ad quem tranſſerentur. Vide c. 6. v. 26. & Luc. 15. 30. Omninoque notum eſt, maximorũ ſumptuum eſſe, ſiquis ſe meretricibus alendis addicat. Meretrix enim, tanquam vorago, gurges, aut ſepulchrum, nunquam ſatiatur; nihil nec videt, nec appetit, quod non illicò expetit; & petenti nihil denegatur; Inveniuntur enim plurimi aliàs ad rem attentiores, qui tamẽ in meretrices profuſi admodum ſunt. Lenæ etiam, & lenones quæſtum exinde facient; ancillæ etiam, & alii, ad quos ejus rei cognitio perveniet, donis & corrup-

telis

telis paſcendi ſunt. Hujus rei exemplum in *Salomone* vide, qui omnium ditiſſimus à fœminis, quas ſtulte deperiret, adeo exhauſtus eſt, ut coactus fuerit ſubditos ſuos nimio vectigali onerare. Ex quo liquet, quantum ſibimetipſis imponunt, qui, ut diteſcant facilius, & rem familiarem conſervent, ſcortationem potius, quam conjugium ſectantur. Deinde notanda eſt hujuſmodi hominis inſcitia, qui ob momentaneam libidinis expletionem facultates ſuas magno labore & mœrore partas prodigit; idque in eos, qui nullam ei gratiam reponent, præteritis agnatis, aut etiam liberis.

Verſ. 11. *Gemmaſque tandem conſumta carne tua & corpore tuo.*

Fuerunt externa incommoda; ſequitur animi cruciatus; qui notatur ab effectu clamoris, qui illuſtratur metaph. rugitus à leonibus, vel mari tractâ, quorum ſonitus maximè formidabilis eſt. Non enim gemet tantùm, aut ſuſpirabit; non tantum flebit, aut lamentabitur; ſed inſtar leonis, aut maris præ dolore & cruciatu vocifiberabitur, ut videatur quodammodo inferorum veſtibulum ſalutaſſe. Hic videmus, voluptatem, quam adulteri in ſua turpitudine capiunt, ne centeſima quidem parte dolorem æquare, quem ſæpe in hoc ſeculo experiuntur: ut non mirum ſit, ſi extremum adulteræ abſynthio & bipenni gladio comparetur.

Deinde ſubjungitur hoc loco quartum incommodum, quod hoſce homines ferè ſequitur; carnis ſcil. & corporis conſumptio, quaſi dicas, ſi quis mortem à Magiſtratu infligendam, vel ab alio vindice evadat (quæ fornicatoribus ne ex lege quidem obvenit,) languidum tamen, & effœtum corporis ſenectuti tradit, ſi ad illam pervenerit. Multa enim morborum genera, ut morbus Neapolitanus, & cæteri id genus turpiſſimi originem hinc trahunt.

Verſ. 12 *Ac dicas quomodo odi eruditionem; & correctionem ſprevit animus meus,*

verſ. 13. *Neque auſcultavi voci doctorum meorum, & ad docentes me non inclinavi aurem meam?*

In his v. & ſequente continetur vana & inutilis adulteri, ſeu ſcortatoris querimonia, quam invecta ex ſcortatione incōmoda extorquent & exprimunt. Quæ ut magis pios afficiat, in ipſius ſcortationis perſona proponitur. Qui enim prius parum morabatur, quod quis ipſum ad accuratiorem mandatorum obſervationē revocaverit, & ſtimulis adhortationis urſerit, ut honeſtè viveret, nunc contra obſtupeſcit, quod tam inſanus fuerit, quod doctrinam de meretrice fugienda odio habuerit, & animo ſuo ſpreverit, utcunque verbis illud præ pudore proferre auſus non fuerit. Simile quid præceſſit c. 1. v. 28, &c.

Notandum, plerunque tempus dari, cum libidinoſi ſuam maximam culpam fateri cogantur. Tanta enim vis veritatis eſt, ut vel hoſtes non tantum conſcientiâ convincantur, ſed etiam ſæpe teſtimonium de ea reddere cogantur. Qui enim abhibitis rationibus nō acquieverunt, admotis tamen, & impoſitis pœnis, quibus punguntur premunturque, rem, ut eſt, fatentur. Vide *Pharaonem & Iudam.* Quod idem factum videmus à latronibus qui cruci ſuffigendi tum demum fatentur & palàm prædicant ſuam in parentes pertinaciam, ſua adulteria &c. Pii vero potiſſimum ex verbo, & verbi perſuaſione odio adverſus peccatum duci debent.

Deinde & illud notandum, quomodo

non

non ſine ſtupore, ſua facinora confiteantur; perinde ac ſi quis de ſe diceret, quam fui brutus, & alienus à communi ſenſu; quàm extremi ingenii, qui nec ipſemet mihi conſulere, nec benè conſulentibus obtemperare potui! Quod quidem ſpeciem magnam reſipiſcentiæ præ ſe fert; cum tamẽ hoc loco videmus quod nomine pœnę, & quidem graviſſimæ proponatur. Reſipiſcentia autem uon eſt pœna peccati, ſed eximium Dei donum ex fide in Chriſtum profectum. Eſſet enim oratio à Spiritu Sancto valdè aliena dicere; ſi mœchaberis, tandem vera pœnitudine ducêris, & ſalutari. Hic igitur obſervandum, quàm turpiter hallucinentur, qui ex pauculis verbis, quibus peccator ſe damnat, & vitam ante-actam apud omnes vituperat, illico ſtatuunt, eum reſipuiſſe. Vide quæ ſuprà adnotantur c. 1. v. 21. *tunc invocabunt me,* &c. Nec tantum ipſi Deum invocant, ſed, ut Deum pro ſe invocent, alios invitant. Actor. 8. qui tamen à vera & ſalutari pœnitentia longiſſime abſunt.

Porro notandum eſt, cauſam peccati fuiſſe, quod animo ſuo oderit reprehenſionem & correctionem; tametſi palàm hoc tum profiteri non ſit auſus. Oportet enim projectæ audaciæ eſſe, ſiquis palàm adulterii patronus exiſtit. Non ſatis ergò eſt ad aliquem ex numero iſtorum reproborum eximendum, quòd palàm caſtitatem & honeſtatem vitæ verbis colat, cum interim inſtructioni & correctioni non obtemperet.

In verſ. 13. probat odium & contemptũ ab adjuncta recuſatione audiendi eos, quorũ eſt inſtituere, ſive domi, ſive foris; privatim, ſeu publicè. Quo indicat, medicinam huic malo peti oportere ex verbi prædicatione, & quidem ab his profectâ, qui nobis à Deo inſtitutores pręficiuntur.

Verſ. 14. Ferme verſor in omni malo, in medio congregationis & cœtus.

Confeſſioni vanæ & infructuoſæ, quam edit de peccato, adjungit confeſſionem pœnæ & calamitatis inde pallulantis. Et primum quidem affirmat, ſe penè in omni malo verſatũ. Cujus gravitatẽ exaggerat à ſubjuncto loco, nempe Eccleſia in qua, multi doctrin. amplexatione beati redditi eum infelicem ſpectant & intuentur; & in qua ipſe potuerat adverſ. iſta mala muniri.

Tertio arguit à teſtimoniis, adhibitâ indubitatæ aſſeverationis particula, ut rem totam confirmet. In primo notandum, ſæpè parum abeſſe à deploratis peccatoribus in hac vita, quin veluti in limine & veſtigio inferorum conſiſtant, propter graves, quos perferunt, cruciatus: adeo ut illa libido, quæ olim animi oblectamentum fuit, nunc veluti cordis fractura eſt: quod uſu prius jucundum, nunc nunc vel ſola recordatione abſinthio magis amarum; denique qui prius ridebat minas adverſus turpitudinem prolatas, jam fateatur, ſe plus pati, quam reverà patitur, dum ſe graviſſimis ferè tormentis exerceri clamet, cum tamen ne centeſimam ejus partem ſentiat, quod illum poſt obitum manet. Secundo amplificatur miſeria, quod eam contraxerit in tali loco. Eccleſia enim Dei eſt regnum cœlorum: in cœlo igitur verſantem velut in inferis eſſe, grave eſt. Deinde ibi eſſe ubi ſalus exundet, nec tamen eam vel guſtare poſſe miſerrimum eſt. Denique piorum, qui illius ſpectatores erunt, coronâ circumſiſti, res luctuoſa eſt. Sic impii apud Iob. in porta dicuntur atteri. Atque hoc eſt, quod maleficos ſæpius excruciat vel maximè, quod ſuæ calamitatis tot ſpectatores admittantur. Hoc modo damnatorum ſupplicium exaggeratur, Apoc. 14. quia fumus eorum aſcendat coram angelis, & coram agno.

Poſtremo illud liquet, improbos, qui olim omnem fidem Dei comminationibus abrogarunt, nec quidquam credere vellent eorum, quæ ipſis denunciata ſunt, poſteà tamen, mutatâ ſententia, omnium comminationum veritatem fateri. Ex quo illud conſtat, ſæpe impios ad interitum illud credere, quod anteà ad cautionem & ſalutem credere recuſarent; & qui minus juſto prius crediderunt, poſteà plus juſto credere: ſæpe enim adducuntur ut credant, nunquam poſſe plagam ſuam perſanari, cum tamen, reſipiſcentiâ adhibita, ſanaretur.

Verſ. 15. Bibe aquam è ciſterna tua, & fluenta è medio putei tui.

Adverſus ſuperius malum turpiſſimæ libidinis remedium præſcribens cum cuique propriam uxorem præcipit, tum præcepti eximios fructus exponit ad v. 2..

Partes itaque ſunt { *Præceptum de propria uxore comparanda v. 15.* / *Eximij fructus legitimi matrimonij in verſ. reliquis.* }

Similitudo, qua utitur, elegans eſt, & appoſita. Cum enim ignis libidinum hominem urat, aqua opus eſt, qua incendium reſtinguatur: & cum ardor ſitim ingeneret, appoſitiſſimè remedium cum ciſterna, & puteo comparat. Quemadmodum autem quiſque apud ſe intùs cupit fontem aquę habere ad omnes domeſticos uſus, potius quàm foris aquam, & aliunde petere: ſic operæpretium eſt, ut uxorem propriam habeas, unde malorum, quibus ex libidinibus infeſtaris, remedium petas. Cum vero adjungat fluentes & vivas aquas, eaſque limpidas petendas eſſe ex proprio puteo, ſubindicat, remedium, quod à ſcortis petitur, inſtar cœnoſæ & turbatæ aquæ eſſe, quæ multorum pedibus calcatur, eoque non tam commode & ſalubriter ſitim reſtinguere. Hoc igitur idem eſt, quod Apoſt. hortatur; ad vitandam fornicationem quæque mulier ſuum virum, & vir uxorem habeat. Quod eos coarguit, qui proverbium jactant pro ſcortationis patrocinio, *vitulos illos pinguiores eſſe, qui varia oberrant prata*, quam qui uni *alligantur*: Scil. impinguantur ad diem lanienæ. Sed an non prius accepimus, eorum vires exhauriri, & ſanitatem labefactari? An non præſtabilius eſt aquam bibere ex ciſterna propria, quàm ex aliena; ex fluenti aqua, quam ex ſtagnante; ex limpida, quam ex turbida & cœnoſa? Quam vero abſurdi ſunt, qui, ut ſumptui parcant, & frugi ſint, ad meretricem confugiunt, dictum eſt prius.

Hoc etiam adverſus pontificios facit, qui lupanaria erigunt (ut illi dictitant) in Eccleſia Dei; cum lex Dei non permittat ſcortum in *Iſraele*; qui etiam cœlibatum ſacerdotum ſuorum tantoperè prædicant ut eorundem matrimonium prorſus damnent.

Verſ. 16. Spargantſe fontes tui foras, in plateis rivi aquarum.

Fuit præceptum; ſequitur fructus obſequii. Primus eſt πολυτεκνία. Liberi ſiquidem veluti fontes, & rivi aquarum ſunt, qui à ſcaturigine legitimæ uxoris profluunt. Fœcunditas enim vel maximè comitatur legitimum matrimonium: ideoque uxor legitima comparatur viti ad latera domus conſitæ Pſal. 128. 3. quæ tum aſſidua inſpectione, tum ſolis ad parietem reverberatione fœlicius provenit. Nam 1. moderatus uſus congreſſus aptus eſt ad fæcunditatem procurandam cum vagus & immoderatus plurimum officiat. Deinde cum liberi à Deo ſint Pſal. 127. 3. quis dubitet, Deum illos in legitimos conjuges

conjuges potius, quam adulteros collaturum? Tametſi enim uxor pia quandoque ſterilis ſit, & ſcortum, præſertim adoleſcens, pariat, tamen indubium manet, poſteritatis benedictionem conjugium ἐπὶ τὸ πολὺ conſequi. Huc accedit, quod licet ſcorta filios habeant, non tamen longævi ſint; aut ſi longævi tamen ſcelerati. Hic Salomonis exemplum memorabile eſt, qui, cum tot uxores habuerit tamen in *Coniah* poſteritatem extinctam habuit. Vide *Achabi* liberos 70. Contra legitimi & genuni comparantur plantis olivarum, quæ virent & augeſcunt. Huc accedit, quod omnes fere ſcelerati ſuſpendiis & aliis flagitioſorum hominum ſuppliciis pereunt; denique quod plerunque inhonorati ſint, eoque, dum vivunt, quaſi mortui.

Verſ. 17. Sint tibi ſeorſim, ac non extraneis tecum.

Aliud adjunctum commodum notat ex juſto matrimonio, quod liberos habebit proprios; cũ adulterorum liberi filij populi appellentur; & qui ex ſcorto naſcuntur, partim hujus, partim illius ſint, ac ſi pes hujus, manus illius, hujus tibia, illius brachium exiſtat. Et primo quidem ſemper in dubio erit, an proprij ſint, quia pręterquam quod meretrix nullâ conſcientia tenetur verum hac in parte dicendi, ne ipſa quia hoc ſemper novit, cujus ſit fœtus. Deinde quamvis uno congreſſu concipiatur fœtus, tamẽ qui poſt conceptum cum ſcorto rem habent una cum illa caro ſunt, undè turpiter fit, ut totidẽ quodammodo patres ſint, quot ſunt mœchi: ideoque ſemper inhoneſtum judicatum eſt, ſi vidua ex defuncto prægnans ſe matrimonio cum alio ante partum conjungeret. Ducitur in bonis, ſi quis prædium ſuum ſibi in proprium peculiare ab aliorum prædiis diſcluſum habeat; quanto magis ex uſu fuerit tam pretioſam poſteritatis hæreditatem ſibi uni propriam habere! Atque hoc liquidiùs adhuc conſtat, ſi quis ad languidos & remiſſos affectus ſpuriis cum ſuis genitoribus mutuò intercedentes animum advertat: ſicut vulgò fit, ut quæ multis communia ſint, minùs curentur, quàm quæ ſunt uni propria.

Verſ. 18. Erit ſcaturigo tua benedicta, ſed lætare cum uxore adoleſcentiæ tuæ.

Quod priùs allegorica oratione elegãter, ſed obſcurius dixit, nunc apertis verbis explicat, cum dicat, lætandum cum uxore, quam juvenis duxit: & quod priùs dixit: *ſpargant ſe fontes, &c.* nunc planiùs exponit, cum dicat, *erit vena tua, vel fons tuus benedictus.* Docet igitur, inde benedictionem Dei in connubio accerſi, ſi quis propria acquieſcit, & illâ ſe oblectat. Si igitur uxor fœcunda non ſit, illicò accuſatur ut ſterilis; nec cogitat maritus, an ipſe, mœchus, vel ſcortator cum fuerit, hanc maledictionem in ſuam familiam intulit, Atque utut maritus in matrimonio juſtus ſit, ſi tamen uxor fœcunda non fuerit, non illico putet, ſibi conceſſum eſſe ad vagas libidines transfugere. Vide exemplum Zach. Nec *Abrahami* exemplum arripiat. Primum enim nulla eſt ſimilitudo; deinde ille fecit ex inſtigatione uxoris; poſtremo id Deo diſplicuit, qui probè ultus eſt.

Verſ. 19. Sit cerva amiciſſima, & rupicapra gratioſa: ubera ipſius uberent te omni tempore; in amore ejus errato jugiter.

Quod prius dixerat, duabus aptiſſimè ſimilitudinibus illuſtrat; unâ cervi, qui cervam; altera capri, qui capram deperit, &

rit,& eam deperiens conſectatur,&conſectans huc, illuc errat. Hac ſimilitudine Eccleſia Chriſti ſponſa intimum ejus erga ipſam amorem notat.Itaque hoc modo exornat *Salomon* caſtum amorem,qui in matrimonio eſſe debet.& ſimul intenſum, qui virum penitus in uxoris amore retineat; eadem operâ adulteros ad beſtiarum ſcholam remittens, ut eos pudefaciat, qui hac in parte multo ſunt beſtiis ipſis deteriores & intemperantiores.

Cum oberrare eũ jubet in uxore propria, alludit ad ferarum, quas notat, morem. Non quod intemperantiam in conjugio probet; ſed quod ea loquendi ratione in matrimonio liberaliorem uſum concedat; quandoquidem caſtitas quædam in matrimonio eſt, ut Apoſt. loquitur. Nam ut in cibis moderatio præcipitur, ſic & in congreſſu; neque ſine precibus fieri debet.

Cum autem dicit; *omni tempore* ubera ejus te oblectent& inebrient, diſcrimen notare videtur inrer congreſſum cum uxore,&cum ſcorto,quod ſcorto quis non niſi furtim,aut per vices facilè utatur,cum ejus poteſtatem non habeat. Nec tamen hoc ita accipiendum, quaſi liceat ſemper uxore uti, quando ſit cum illa de more mulierum.

Ver.20.Et quare errares,fili mi, cum extranea, & amplectereris pectus alienæ;

In reliquo hoc capite, nullam adulterandi cauſam, ne minimam quidem ſubeſſe, concludens ex præcedentibus, prolepſes quaſdam proponit,&eiſdem abundè ſatisfacit.

Partes ſunt
- *Concluſio ex antecedentibus omnem fructus ſpem adultero præripiens.*
- *Ejuſdem concluſionis ulterior confirmatio,qua porrò obiiciendis occurrit.*

Cum tot incommodis ſtipetur adulterium,tot commodis & vitę præſidiis conjugium, quæ demum fili, dementia eſt, quæ te ad ſcorti amplexus alliciat,aut invitet? Si nihil in adulterio mali eſſet, tamen cum in conjugio tot commoda inveniuntur, eorum ſtudio ab adulterio liberum te,& intactum ſervare oportet,ut iis perfruaris:Si nihil boni in conjugio eſſet,mala tamen,quæ adulterium ſequuntur, debent te ab eo abſterrere. Iam verò cum tãtus in illo bonorum,in hoc malorum cumulus exiſtat, nemo niſi mente captus, repudiato conjugio, ſe addicet adulterio. Omnes bonum aliquod, aut utile,aut jucundum,aut honeſtum ſibi proponunt: hîc nihil niſi turpe, nihil niſi naufragium facultatum. Atque utut jucundũ videatur ad momentum, poſt tamen amarum eſt ut abſinthium; utut læve appareat ut oleum, poſteà tamen pungit & ſcindit ut gladius bipennis. Quàm vero ſtolidum eſt voluptatẽ hanc ſectari, præterita ea, quæ nullam habet conjunctam acerbitatem!

Verſ. 21. Cum coram oculis Iehovæ viæ cujuſque ſint, *& omnes orbitas ejus expendat?*

Idem porro confirmat argumentis generalibus, quibus non hoc tantum, ſed alia omnia peccata retunduntur & refringuntur. Nam Dei oculis exponi, & peccatorem ad æternam mortem trahere cuilibet peccato convenit. Hîc illud obſervatu digniſſimum; ad peccatum profligandum duo requiri telorum genera: prius eſt ſpeciale, quod ex ipſius particularis peccati viſceribus eruitur; alterum generale, quod ex generali peccati natura deducitur.Sicut enim in gravioris morbi curatione non tantùm adhibentur propria pharmaca,quę morbum recta petũt, ſed generalia etiam, ut totius corporis purga-

purgatio, venæ apertio,' &c. ſimiliter in ſpirituali morbo faciendum eſt. Malum enim peccati tam ferox & tumidum eſt, ut, niſi omnis generis ponderibus comprimatur, & coërceatur, penitus erumpet. Quod vel maximè in his peccatis præſtãdum eſt, quæ naturali inſtinctu, aut ſtudio & conſuetudine nobis adhærent; cujuſmodi inter alia eſt adulterium, ad quod depravatâ natura magis proni ſumus.

Deinde tacitæ objectioni occurrit; ſubibit enim fortè mentem adulteri, ſe ita tectè & cautè res ſuas confecturum, ut nunquam erunt evulgatæ. Eſto (inquit) hominis oculos fugeris; quid tamen inde lucri facis, cum Dei oculus pervigil te intueatur? Tu quidem noctem & tenebricoſa loca ſectaris; ſed Deo tenebræ ſunt ut lux Pſal. 139. Vide Zach. 4. 10. Ier. 23. 24. Prophanæ gentes, ut homines melius in officio retinerent, admonuerunt, ut ſemper ſibi proponerẽt ante oculos gravem aliquem, & honoratum virum (puta *Catonem*, *Socratem*, &c) cujus metu & reverentia à flagitio abſtinerẽt. Quanto magis divinæ præſentiæ certiſſimæ, ſanctiſſimæque meditatio apud nos valeret! Et ſi principis aſpectum reformidamus, nedum regis regum debemus reformidare. Angelorum porrò oculum non fugis, qui præſentes res geſtas omnes ferè intuentur.

Verſ. 22. Iniquitates ſuæ capient ipſum, improbum inquam iſtum; & funibus peccati ſui tenebitur.

v. 23. Ipſe morietur expers eruditionis, & in amplitudine ſtultitiæ ſuæ oberrabit.

Alteri objectioni occurrit: At vero (dicet adulter) ſi deprehendar in adulterio, illis tamen vel amicis & defenſionibus, vel arte & aſtutia nitor, ut facilè me pœnis peccato debitis, carcere & morte eximam. Reſpondet *Salomon*; licet hoc facias, tamen peccata, quæ nexuiſti, inſtar retium & tendicularum ſunt, quæ vinctum te, & conſtrictum tenebunt, ut te expedire nequeas, quoad dies mortis & executionis divini judicij advenerit, in quo, quod nullam diſciplinam admiſeris, certo peribis. vid. Prov. 1. 31. Gen. 4. 7. Iob. 20. 11. Hæc eſt merces adulterorum, maximè eorum, qui admoniti & edocti ſibi non caverunt. Tametſi vero reſipiſcentiâ aliquis ſervetur, quoniam tamẽ id rarius fit, & non niſi gratuita remiſſione peccatorum, non mirum eſt, ſi mortem hîc adultero nulli non debitam vix ulli devitatam denunciet.

CAPUT VI.

Verſ. 1. Fili mi, ſi ſpopondiſti amico tuo, comploſiſti extraneo manum tuam.

V. 2. *Illaqueaſti te ſermonibus oris tui, captus es ſermonibus oris tui.*

Ad v. 6. oſtendit { *Periculum inconſultæ fidejuſſionis v. 1 2.* / *remedium ei, qui implicatur, adhibendum v 3. 4. 5.* }

F*ili mi* &c. Senſus hic eſt, ſi (quod fit) pro proximo tuo fidejuſſeris, & manum comploſeris ei, qui alienus eſt id eſt, cui tu nihil debes, nec ullo vinculo; aut nomine obſtrictus teneris, noli exiſtimare, hoc leve & contemnendum eſſe, quia ſpondendo verbis tantum, aut manu rem tranſegiſti, non etiam pecuniam diſtraxiſti, Nam quicquid tu judicas, res nõ ſecus

ſe habet, quam ſi laqueis irretitus teneris. Imo (quod grave eſt) propria verba tua velut retia & plagæ ſunt; propria manus, qua comploſiſti, laqueos ab ore contextos aſtringit, & te, ante liberum, captivum facit, ut amplius proprij juris non ſis.

Notandum hoc loco homines ſæpe peccare, quod, quæ vis ipſorum verbis inſit, parum expendant. Verba enim dum ſunt, illa parum æſtimant; eoque tutum eſſe, ut ad fidejuſſionem ſollicitatus ſecum reputet: quanti ſit pecuniam illam, pro qua ſe ſponſorem facit, præſentariam ſolvere; nec citius velit ſponſionem ſubire, quàm pecuniam, cui diſſolvendæ ſe aſtringit, numerare. Quamdiu nihil aliud præſtatur, quàm ut ſyngrapham quis obſignet, manum complodat, verbo in ſe hoc faciendum recipiat, nugæ habentur: at ſi diem ſolutionis jam adeſſe, ſi pecuniam protinus ex arca expromendam, & dicam ſibi impactam cogitaret; ſi vicecomitem ædes ipſius circumſtantem, ſi carcerem jam paratum animo ſuo repræſentaret, non tam celeriter ad fidejuſſiones advolaret. Eodem etiam modo cum Deo agitur: vota & ſponſiones facimus libenter; ſed non tam facilè præſtantur, quæ promiſimus. Eccl. 5. Profuerit igitur oris & verborum menſuram ex brachij dimenſionibus æſtimare, & ea ex parte Deum imitari, qui, quod ore pronunciat, brachio exſequitur.

Deinde & illud notandum eſt; captivitatem & ſervitutem quandam eſſe, ſiquis pro alio ſpoſponderit. Quod præclarè confirmatur Prov. 22. 7. Meminerimus igitur quod Apoſtolus dicit; nos pretio emptos eſſe, eoque non debere facile & ſine graviore cauſa ſervos hominum fieri; ſed potius, quando datur, libertate uti. Cogitandum enim eſt, non hoc tantum hic prohiberi de ſponſione, ſed alia ejuſdem generis; quæ, cum ſpeciem officii habeant, & charitatis, tamen veræ & germanæ charitatis non ſunt. Atque hæc, ut aliis omnibus, ſic verbi miniſtro præcipuè declinanda ſunt. Ier. 9.

Sed duo hic ſunt, quæ difficultatem moveant; primum eſt, quod *Salomon* Propheta Dei, & doctor Eccleſiæ ad minuta iſta ſermonem ſuum dimittat. Videntur enim iſta ad privatas ædes potius, quā Eccleſiam ſpectare; ad domeſticam cathedram, quam ſuggeſtum publicum; ad parentis admonitionem, quàm paſtoris inſtitutionem. Sed tenendum eſt, primum non indigna eſſe ſuggeſto, quæ à parentibus traduntur: nam Eccleſiæ miniſter eadem tractat ſæpe, quæ parens, quamvis alio modo. Deinde cum mandatum octavum legitimum bonorum uſum præcipiat, palàm eſt, à Theologiæ finibus non diſcedere, qui adverſus bonorum diſſipationem homines cautos reddit. Ad hæc cum Eccleſia ex familiis conſtet, ſicut & Reſpub. Eccleſię tantum decedere, quantum familiis, manifeſtum eſt; ut familiæ labefactio Eccleſiæ diminutio ſit. Denique religio malè audit ex familiarum diſſipatione, quæ luxuria veritatem profitentium naſcatur. Hinc docetur 1. Theſſ. 4. 12. pios & decenter & inoffenſè erga hoſtes Eccleſiæ ſe gerere, ſi nullius rei inopia premantur. Et deteriores Ethnicis habentur, qui ſuis familiis non proſpiciunt. 1. Tim. 5. Quibus adnecte patrem familias in ſua familia eadem informare quæ miniſter in Eccleſia.

Altera difficultas eſt; quod hic locus omnem pro aliis ſponſionem tollere videatur; in qua tamen officium charitatis aliquando cernitur. Imò ea in tempora inciderunt nonnunquam chariſſimi Dei ſervi, ut vel liberos & liberorum vitam oppignorare neceſſe habuerint, nedum pecuniam Gen. 42. 37. & *Iudah* Gen. 43. 8. ſeipſum oppignorat patri. Qamobrem ſciendum eſt, non omnem oppignorationem; ſed eam, quæ temerariè ſuſcipitur,

ſine

ſine debita ſui ipſius, ejus, pro quo ſpondet, & illius, cui quis obſtringitur, conſideratione. Si enim quis obæratus ſit ſuâ incuria & bonorum profuſione, non videtur prudentis eſſe pro eo ſpondere: ſed ſiquis tempeſtate aliqua ſubita & improviſa jacturam patiatur, maximè ſi ob Chriſti fidem paupertate urgeatur, abſit, ut etiam hoc officio ſponſionis non juvaremus.

V. 3. *Fac iſtud jam, fili mi, & eripe te, quandoquidem conveniſti in manum proximi tui: age, ſubjice te, & interpella proximum tuum.*

V. 4. *Ne concedito ſomnum oculis tuis, aut dormitationem palpebris tuis;*

V. 5. *Eripe te ut caprea è manu venatoris, & ſicut avis è manu aucupis.*

Fuit periculum inconſultæ fidejuſſionis: ſequitur remedium; cujus duæ ſunt partes; prior de eo, quod ſponſor prȩſtare debet erga creditorem (cui ſupplex ſit, ut diem ampliet;) & erga eum, cujus causâ ſponſionem fecit (cui etiam ſupplex ſit, ut fidem liberet:) altera de eo, quod apud amicos ſuos præſtare debet, illos excitans & ſollicitans, & quaſi ſuperbium in eos gerens urgendo & appellando, ut ipſum operâ, re, aut verbis juvent.

Hìc autem prolepſis eſt; cujus occupatio eſt ſupra: atqui indignum eſt, me meis æqualibus calcandum præbere: ſubjectio eſt à relatis: imò hac ſponſione videris in utriuſque poteſtatem deveniſſe, ut non minùs te deceat hoc facere, quam ſi ſervus ſe ſupplicem ſuo domino prȩbeat. Hoc porro ab adjunct. temporis exornatur, nempe ut ſine omni mora fiat. Et porro confirmatur promiſſione; ipſum hoc pacto magna veriſimilitudine ereptum iri. Prima igitur eſt, & ſumma hominis Chriſtiani prudentia, ut à temerariis hujuſmodi ſponſionibus intactum ſe, & immunem ſervet: proxima eſt, ut ſe implicitum explicet quàm maturimè. Quantâ autem diligentia hoc factitandum ſit, docet ſimilitudine capreæ, & avis; quæ captæ, illa à venatore, hæc ab aucupe, quam primum totis viribus elabi contendunt.

Quod ſi cavendum ſit, ne debita contrahamus apud homines, multo magis, ne apud Deum: & ſi alterius causâ nomen ſeu debitum non ſit temerè admittendũ, apud homines, nedum alius gratia apud Deum. Et ſi tam ſolicitè curandum, ut nomen apud homines contractum liberetur, nedum apud Deum. Et ſi tam impensè laborandum, ubi nulla certa extet promiſſio, nec certus exitus, multo magis apud Deum, qui nos certiſſimis promiſſionibus munivit. Denique ſi æqualibus noſtris, quibus ſumus obnoxij, nos calcandos præbebimus, nedum Deo immortali, altiſſimoque.

V. 6. *Abi ad formicam, ô piger; aſpice vias ejus, & ſape.*

Oſtendit { *Fatuitatem & ἀπραξίαν otioſi ad v. 11.*
Effectus, qui eã ſequuntur, inde ad v. 16.

Fatuitatem arguit comparatione minor. q. d. Habes tu quidem præceptores domi & foris; hos civiles, illos eccleſiaſticos; hos ratione informantes, illos documentis ſpiritus te inſtituentes: habes exempla multorum hominum, quorum induſtriâ ad opus permovearis: attamen res, ad quam excitaris, ejus generis eſt, ut vel formica abjectum animalculum luculenter officium tuum te condocefaciat, & doctrinam ipſius repudiantem jure condemnet. Multo igitur magis damnan-

dus

dus es, ſi iſtis omnibus tam præclaris documentis non profeceris.

Hîc videmus abjectum vermiculum in ſuggeſtum à *Salomone* ſublatum&ſubvectum, ut homines incertos ad induſtriam erudiat, eundemque non tantum doctorem conſtitutum,ut inſtituat, ſed & judicem,ut ſententiam contra illos pronunciet. Sic homines Chriſtus ad aves cæli, & lilia agri relegat,ut ibi diſcant in Dei providentia acquieſcere. Præcipuus igitur creaturarum uſus in eo verſatur, ut inveſtigatione naturæ earum proficiamus ad pietatem,tum ut Dei virtutes in illis ſcintillantes, tum noſtras ipſorum corruptelas cum prædicandis illarum ingeniis cõparatas diſcamus. Aliquis forſan exiſtimet, nullum eſſe uſum formicæ, ſed providentiæ divinæ convenientius videri, ſi illam aut nunquam creaſſet, aut creatam illico interemiſſet, maximè cum tantam vim frumenti hominibus alendis accommodati edaculum animal voret. Sed ut nulli alii uſui inſerviret, tamen vel hoc nomine pinguedine tritici, atque adeo regiis deliciis alenda eſſet, ut illam ſemper ob oculos habeant omnes; ſeduli in opere faciundo, ut ſe in officio contineant, &diligentiam ſuam acuant ignavi, ut ſe corrigant. Hîc reprehendendi ſunt, qui in jumentis, herbis, & reliquis creaturis nihil aliud quærunt, niſi quod ad præſentis vitæ commodum ſpectat: inter herbas nullas,ne de nomine quidem, noſcunt,niſi quæ eduliis conducunt;in equis generoſiſſimis animalibus nihil exquirunt, quod creatoris magnificentiam & majeſtatem celebret.Porro ut nulla creatura eſt, unde aliquid ad pietatem adminiculi petere non licet; ſic illæ potiſſimũ obſervandæ ſunt, quas Spiritus veluti in cathedra collocavit. Perinde enim eſt,ac ſiquis agreſtes flores in hortum ſuum transferret, cum Deus aliquot creaturas deligit, quarum operâ ſingulari quadam ratione homines inſtitui velit. Sicut igitur agreſtes flores in hortum traducti ſpectabiliores ſunt: ſic etiam hæ creaturę à communi philoſophorum conſideratione ſpeciali quodam SpiritusSancti documento ſepoſitæ attentius & accuratius excutiendæ ſunt. Denique hi ſunt veri laicorum libri; hæ imagines, quibus ad Dei notitiam erudiantur.

V. 7. *Cum non ſit illi ductor, moderator, aut dominator:*

V. 8. *Comparat æſtate cibum ſuum, comportat per meſſem eſcam ſuã.*

Aliud argumentum à minore ſumit ab adjunct. utriuſque curatione. Ubi quod prius generaliter dictum eſt, ſpecialius exſequitur.In tria autem membra diſcinditur. Si enim formica, quæ nullum viæ ducem habet, qui ei præeat; nullum inſpectorem operis, & veluti ἐργοδιωτὴν, nullum denique dominatorem habet,qui ei imperet, aut pœnam infligat, ſponte ſua & naturæ inſtinctu labori ſe dedat; nedum vecors iſte,cui exempla ante oculos obverſantur,qui ſuos curatores habet qui rationem ab eo depoſcent &c. Saltem Deum omnium inſpectorem,qui ſuum vel herum, vel principem pro præceptore habet, qui illi, quæ officii ſunt, imperet, & neglectum puniat.Atque hic formicæ exemplum aptiſſimè convenit, cum quædam animalia,ut grues,oves&c. ſuos ductores habeant, quos ſequantur; boves ſuos curatores, qui ſtimulis cunctantes impellant; apes ſuum regem, cujus veluti juſſui, vel nutui pareant.

Atque hic notemus, ignaviam quadam ex parte naturæ repugnare; cùm cuique à natura quodammodo inditum ſit, ut ſe, vitamque ſuam tueatur,victum,veſtitum, latibula paret. Eoque Ethnicis deterior eſt, qui otioſus deſidet. Atque ne lactentes

tes

tes quidem ſine labore & difficultate lac exugunt.

Deinde notemus cujuſlibet, ſeu parentis, ſeu heri eſſe, eos, qui ipſis ſubſunt, ad opus aliquod agendum impellere, neqne pati ut otio torpeant, quo non tantum inutile ſint Reip. ſed ingenia etiam, tanquam contractâ ærugine, corrumpant. Hic igitur arguendi ſunt, qui numeroſum ſatellitium alunt, quos nulli honeſto labori, aut animi, vel corporis exercitio aſſuefaciunt: atque ita, dum ſuæ ambitioni ſerviunt, Reip. nocent, & ſatellites ſuos perdunt.

Denique notandum, tanto gravius peccari, quanto quis magis, contra quàm inſtituitur præceptis, exemplis confirmatur, pœnis & caſtigationibus impellitur, vitæ rationem init. Homines equidem, ſi nullis prçceptis, aut monitis imbuerentur, jure tamen hac in parte culparentur, & merito plecterentur: at ſi, culturâ adhibita, non promoventur, gravius judicium accercitur.

Verſu octavo tertium argumentum addit ab effectis formicæ, quod quaſi hyemis præſcia æſtate paret victum ſuum, cum per aëris ſerenitatem, & cæli clementiam, perque viarum planitiem & munditiem juſtum onus comportare poſſit. Atque ut temporis ad laborandum rationem habet; ſic etiam opportunitatis, quam meſſis ſuppeditat, cum victus parabilis eſt, nec ea modo, quibus in præſentiarum veſcatur, parare poſſit; ſed quibus hyeme etiam alatur, cum cibus publicè nuſquam appareat: ideoque tum ſtudioſe recondit, quod poſtmodo uſui ſit. Hic otioſus multipliciter taxatur; primo quidem, quod præſens ſolummodo, & inſtans tempus cogitet parum, aut nihil de futuro ſollicitus; deinde quod tanquam nudus nuces legens omnia voret nihil recondens in poſterum; præterea quod juventutem, tanquam æſtatem præterire ſinat ſine fructu; denique quod meſſem, & opportunitatem lucrum faciendi negligat. Sed quamvis piger tanto intervallo beſtiis ipſis magis brutus ſit, ſuo tamen judicio ſapiens videtur, & reliquis quidem hominibus ſapientior: ſummæ enim ſapientiæ putat eſſe, ſi, aliis pro victu laborantibus, ipſe ſine labore vivat.

Quod ſi fatui ſit, & inconſiderati inſequentis ætatis & ſenii rationem hebere; quanto magis, ſiquis præſentis vitæ negotiis ita intentus ſit, ut nulla perennis vitæ ſollicitudine ducatur; nec in cælum quidquam congerat, quo ſibi ad æterna tabernacula viam muniat!

Cap. 30. 25. Formicæ dicuntur populus infirmus. Qua appellatione occurrit deſidioſorum cavillis, quibus ſe à labore conantur eximere. Nihil enim illis magis tritum eſt, quam ſuam imbecillitatem obtendere.

V. 9. *Quouſque, piger, jacebis? Quando ſurges à ſomno tuo?*

Aliam partem otii conſtituit in ſomni exceſſu, quem exemplo formicæ tacite perſtringit. Nam animalculum iſtud valde pervigilat non interdiu modo, ſed noctu etiam in plenilunio frumentum ad latibulum comportans: ut non immerito hac etiam in parte ignavus formicæ in diſciplinam tradendus ſit, ut ſomnum immoderatum corrigat: cum enim illa noctu laboret, hic ne interdiu quidem. Cum autem quærit, quando ſurges? declarat, ſomno modũ ſtatui. Operæpretium igitur foret ſcire, quod ſit dormiendi tempus. Huc accerſatur, quod habetur Pſal. 104. Deum conſtituiſſe, ut ad opus ſuum unuſquiſque manè exeat, & domum veſperi redeat v. 21. 23. Quamobrem ſciamus, nobis non tantum laborandum, & in ſudore vultus panem eſſe quærendum; ſed tempus etiam laborandi ordinarium

à Deo præſcribi, niſi gravior aliqua cauſa ut morbus &c. te impediat. Et quidem non multum verendum eſt, quin qui Domini ſunt, à ſervis penſum ſuum depoſcent: ſed ſciendum etiam, illis ipſis non deeſſe ἐργοδιωκτὴν, qui penſum non minus ab illis exigit, quam illi à ſervis ſuis. Neque tamen hæc eo conſilio dicta ſunt, quaſi ſtrictè adigamur ad 12. horarum labores. Aliquid enim temporis alimentis percipiendis relinquitur, aliquid ludo & remiſſioni animi. Verum ſciamus, paſtum, ſomnum, jocos &c. huc referri, ut diem honeſta aliqua arte exercenda melius inſumamus. Neque vero idem ſomni modus omnibus convenit.

Deindè ſomnolentiam nobis meritò excutiat, quod Deus ipſe nos inclamet: quaſi ipſe hunc laborem ſuſcipiat, ut nos à ſomno excitet. Nam pro excitantis dignitate excitatus ſe ad ſurgendũ comparat. Videmus quomodo Samuel adhuc puer noctu ab Eli ſacerdote (ut exiſtimabat) vocatus illicò advolat, & quid ſe velit, quærit. Jam verò cum Deus ipſe oſtium pulſet, lectum adeat, & voce clara te compellet, quàm abſurdum eſt, te Deo vocanti, & ut manè ſurgas, hortanti non reſpondere!

Sed repetit etiam in eundem ſenſum, quod prius dixerat; quaſi non contentus ſemel inclamaſſe denuò oſtium tuum pulſat; &, ut expergiſcaris, admonet. Semper igitur hic ſonus aures tuas verberet; ut tibi inſtar horologij, ſit, quod, ut tempeſtivè ſurgas, ad lectum referas. Quod ſi ab aliquo voceris, cogita, non tã hominem eſſe, qui te compellat, quàm Deum ipſum: quoties, ut ſurgas, admoneris ab aliquo, qui illud legitimè ex vocationne fecerit.

V. 10. *Pauculis ſomnis, pauculis dormitationibus; paucula complicatione manuum cubando;*

Hîc mimeſi quadam deſidioſum ridiculè reſpondentem, & ſurgere recuſantem proponit: & recuſationis ratio eſt ab adjunct. parvitate ſomni, vel qui adhuc ei deeſt, vel, qui jam perceptus eſt. Quę quidem interpretationes eodem redeũt; ſed prior magis placet, ut quæ melius convenit cum ſequente verſu. Summa autem eſt, illum clavis ſocordiæ ita lecto affixum eſſe, ut nullo modo avelli poſſit. Vid. Prov. 26. 14. ubi in lecto ſe jactans comparatur oſtio, quod in cardinibus huc, illuc vertitur, ſed interim è loco ſuo non movetur. Hujus tam immodici ſomni cauſa docetur eſſe pigritia ipſa. Nam nihil agendo copia humorum contracta ſomnum pleniorem & copioſiorẽ efficit.

Hîc igitur denuo quæritur, an aliquo noto tempore finiatur ſomnus? Reſp. illud quidem certum eſſe, noctem ſomno attribui: ſed ut in cibo, & potu nihil certi præſcribi poteſt, quia pro ſtomachi ratione, & quantitate corporis plus, minúſve requiritur; ſic in ſomno etiam reſpicienda eſt habitudo corporis. Atque utut nullæ horæ certæ hîc facilè præfiniri poſſint, illud tamen facilè conſtituitur, hominem cujuſcunque habitudinis noctis ſpatio, id eſt 12. horis circumſcribi poſſe, ut ſomnus ejus in diem non incurrat, niſi morbo aut re aliqua inuſitata impediatur.

V. 11 *Interea advenit, tanquam viator expeditus paupertas tua; & egeſtas tua, tanquam vir clypeatus.*

De fatuitate, & ἀπραξίᾳ otij dictum eſt: ſequuntur effectus, qui ſpectant incõmoda vitæ { *hujus* / *futuræ* }

In hac vita mulctatur piger paupertate. Sic. Prov. 13. 4. & 19. 15. docetur, animam pigrorum inedia & eſurie laboraturam; unde concluditur, non tantùm pauperem

pauperem fore, ſed tanta pauperate laboraturum, ut non ſit habiturus, quo veſcatur? quæ miſeria tanto major eſt, quia 13. 4. dicitur admodum expetere cibum. Illuſtratio eſt ab adverſ. c. 10. v. 4. Hic potius ad illud ſpectatur; de violenta paupertatis irruptione, cui mederi non poſſit. Miſeriam porro hoc ejus augebit, quod, cum alii pauperes miſerationem moventes ſæpius ſublevantur, hic, quia ſuâ ipſius & tali culpa contracta eſt paupertas, miſerationem non conſequitur. Nam tametſi temere ſe fidejuſſione implicans ſuo vitio pauper fiat, ejus tamen potius miſerebuntur alii, quam hujus fuci, qui non laborat. Atque adeo lex divina cavet, ut nolentes laborare non manducent. Eſt igitur hic non Deo tantum, ſed hominibus etiam plerunque exoſus, cum alii improbi hominibus ſæpenumero accepti ſint.

Adjunct. hujus paupertatis ſunt duo; improviſa ejus ſuperventio, & violenta irruptio. Et quidem notum eſt, mala, quæ ſubito accidunt, gravius ferire, quod inopinata ſint; qualis hæc paupertas eſt propter pigri inſcitiam, qui nullius rei, niſi præſentis, curâ ducitur. Hoc adjunct. illuſtratur ſimilitudine viatoris, qui ex improviſo ædes alicujus ingreditur. Dum enim piger in latus decumbit, dum ſedet domi, paupertas ſe in viam dat; & quo cunctatur ille magis, eo hæc feſtinat magis; & quanto magis ille ſtertit, tanto minus hæc dormitat, quoad illum conveniat, & apud illum hoſpitetur. Nam pigri ædes ſunt paupertatis hoſpitium.

Alterum adjunct. eſt violenta irruptio, cui reſiſti nequit. Nam ſi excipiat aliquis-atqui ad paupertatem redactus, tum demum laborabo; nihil eſt. Qui enim ab adoleſcentia otio aſſuevit, vix unquam, ut laboret, adducetur: aut ſi maxime vellet, morbis tamen (ut plurimum) confectus nil operæpretium præſtare poterit; vel ſi morbi non impediant, vix tamen reperitur, qui ejus operam conducet.

Hoc adjunct. illuſtratur ſimilitudine armorum. Nam pauperiem inducit, tanquam armatam, quæ in pigrum, tanquam nudum, & inermem impetum faciens eum proculdubio opprimet. Hoc autem juſtiſſime fit, ut paupertati cedat vel invitus, qui ſomno volens ceſſit; & à paupertate veluti armata obruatur, qui ab otio, & ſomno, tanquam ab armato milite, vinci ſe paſſus eſt. Siquis igitur velit paupertatem vincere, prius oportet, cum ſomno, & otio manus conſerat.

V. 12. *Homo nequam, vir nihili ambulat perverſo ore.*

Adhuc de Paupertate in hac vita; ſequuntur incommoda futuræ vitæ; quæ ſunt { *Peccatum.* / *Pœna peccati.* }

In priori primò generalius agit: deinde ſpecialius. Hæc autem verba; בליעל איש און אדם notant illum multis peccatis onuſtum eſſe. Tametſi enim peccata alia ſuum comitatum habeant, ut & virtutes ſuum; nullum tamen eſt, quod pluribus, quam hoc, ſtipatur vitiis.

הלך עקשות פה vir eſt; qui non ſemel, atque iterum perverſa loquitur; ſed qui penitus maledicentię addictus ſit, ut qui in ſermonis perverſitate ambulet & verſetur. Vid. 1. Tim. 5, 13. Qui enim factis nullus eſt, hic verbis plerunque valet; cujus manus ſunt otioſæ, ejus lingua eſt actuoſa admodum. Hinc eſt, quod arcanum ſibi creditum celare non poſſit. Prov. 20. 19. Detrahentem autem proximo non fert David in domo ſua Pſal. 101. quanto minus ferendus eſt otioſus ſimul, & detractor! Cumque à ſervo requiratur, ut arcana heri clam ſervet, palam eſt, deſidioſum non eſſe aſciſcendum in familiam, aut aſcitum non retinendum.

dum. Nam cum præclare facti nullam apud homines gratiam inire poteſt, verbis ad libitum aliorum compoſitis ſe illis gratioſum præſtare conabitur. Si igitur detractores & calumniatores nobis odio ſint, otioſos ſubmoveamus è domibus & pagis noſtris. Exemplo ſint errones, & circumforanei, & circumcelliones. Notentur etiam mali & inertes miniſtri, quibus nihil loquacius, cum de piis injuſtè loquantur.

V. 13. *Nictat oculis ſuis, verba facit pedibus ſuis, docet digitis ſuis.*

Hoc v. videtur probare à compar. minor. illum mirum in modũ perverſis ſermonibus addictum eſſe; ut qui non tantùm ore illos proferat, ſed reliquis etiam partibus corporis, quas enumeratione percenſet, oculorũ nictatione, & digitorũ agitatione &c. aliquid ſemper ſuis congerronibus ſubindicet. Cum enim coram iis verſetur, in quorum aſpectu ineptias ſuas effutire nequit, tamen præ impatientia aliquid continendi apud ſe agit ſignis, puta pedum comploſione, digitorum ſublatione, oculorum nictatione; quibus ſe quodammodo exonerat, ne diuturniore aliquo ſilentio prematur. Sic videmus fieri (quod Apoſtolus notat 2. Theſſ. 3. 11.) ut, qui ἄεργοι ſunt, ſint etiam περίεργοι; & qui ne digitulum quidẽ ad opus aliquod bonum admovebunt, tamen ad nequitiam patrandam valdè expeditos, & celeres eſſe. Sic fit, ut qui laboris ergò ne pedem quidem è foribus efferent, tamen ut aliquid noxij deblaterent nunquam huc, illuc circumcurſare deſinent. Hujus rei præclarum exemplum exiſtit in ſacerdotio papali, cum, præterito, & ſpreto divinarum literarum ſtudio, & promulgatione, ad inanes & pueriles quaſdam geſticulationes ſe convertant; nictant oculis, loquuntur pedibus, & mille nugas excogitarunt, quibus ſegnitiem ſuam tegant, & miſeræ plebeculæ imponant. Hos etiam multi ſub Evangelio miniſtri imitantur, qui, cum docere nequeant, tamen ſuam ex ea parte inopiam ſtulta ceremoniarum obſervatione compenſare ſtudent.

V. 14. *Omnimoda perverſitate inſidente animo ſuo; fabricatur omne malum omni tempore; contentiones immittit.*

Ab effectis ad cauſam aſſurgit, nempe cor perverſum, ex quo, tanquã ditiſſimo perverſitatis theſauro perverſa illa dicta proveniunt: Neque verò perverſitatem nudè cordi ejus inſidere, ſed *perverſitates*; ac ſi cor ejus perverſitate penitùs oppletum eſſet, & conſtipatum; adeoque intumeſceret perverſitatibus, ut non poſſint ampliùs contineri, quin, ut vas liquore redundans in terram effundit; ſic cor ejus, perverſitate turgidum dictis perverſis ſe exonerare neceſſe habeat. Hinc illi refutantur; qui, cum perverſa loquantur, nihil tamen mali ſe cogitaſſe clamitant. Alia Chriſti ſententia eſt dicentis, bonum hominem ex bono theſauro cordis proferre bona. Quamobrem tenendum eſt illud, quod priùs accepimus; cor ante omnia aſſervandum.

Deinde prioris etiam cauſæ aliam aſſignat cauſam docens, non illas modò perverſitates animo ejus infixas manere, quę omnibus aliis hominibus inhærent, quorum cor naturà depravatum eſt, & cujus rationes nequam à prima ætate omni tẽpore ſint; ſed quia illam naturæ corruptelam continuo uſu malum excogitandi, & quaſi procudendi auxit & confirmavit.

Aſſiduitatem ejus in maleficiis notat hac voce חרש, qua tùm colonus, tum artifex

ſex quivis deſignatur. Qua metaph. aptiſſimè rem, de qua agitur, illuſtrat. Docet enim, otioſum non ſecus iniquitati comminiſcendum addictum eſſe, quàm colonus agrornm cultui, aut artifex operi perficiundo imminet. Atque hîc demùm impii à piis diſcernuntur. Utcunque enim pii liram, aut porcam peccati aliquando ducant, tamen non ut colonus illi addicti ſunt, nec totum diem arant: utcunque aratro peccati manum apponant interdum tamen reſpectant: utcunque illis ſemen peccati quandoque excidat, tamen in agrum ſemen non comportant, ut hinc inde ſpargant; atquè utcunque ad pietatis & probitatis incudem collimantes in contrarium incidant, tamen illico ſe colligunt. Impius vero artifici, aut agricolæ comparatur, cor ejus aratro, vel inſtrumento operis faciundi; perverſitas autem eſt opus, quod molitur.

Hanc improbitatem exaggerat ab adjunct. tempore; quod illuſtratur compar. minor. Nam colonus & artifex ab opere ceſſat, dum edit, & bibit, aut ad quietem ſe componit; ſed nullum tempus intermittit, ne noctu quidem. Vide Mich. 2. 1. item exemplum luculenta ſimilitudine illuſtratum Hoſ. 7. 6.

Poſtea effectum adjungit, tanquam meſſem, aut rem artificio diaboli præſtitam, ſcil. quod contentiones excitet? quod ſuſurris & detractionibus fieri ſolet; dum hunc traducit, illum laudat; eum traducit apud ſocium, aut amicum quem coram laudavit, aut è contra, imò vero dum eundem eodem tempore & laudat, & inſectatur, laudat quidem verbis; ſignis vero pedum, digitorum, oculorum eum apud adverſarium ipſius traducit. Vide Prov. 1. 18, Si igitur pacem colere in familiis, vel aliis ſocietatibus cupimus, procul amandandi ſunt otioſi.

V. 15. *Idcircò repentè adveniet calamitas ejus: ita ſubitò diffringeretur, ut non ſit curatio.*

Adhuc de peccato; ſequitur pœna; quę eſt perditio, & ineluctabile exitium, quo ita penitus attereretur, ut nunquam denuo reſarciri, aut inſtaurari poſſit.

Hoc illuſtratur adjunct. ſubita & repentina irruptione. Ubi illud animadverſione dignum eſt, impios ex improviſo è mundo tolli Vide Iob. 21. Pſal. 73. Quod obſervandum adverſus impios, qui ſibi ſpatium pœnitentiæ pollicentur, nec ſciunt miſeri, aut ſaltem ſcire nolunt, ſe ſubito ceu turbine correptum iri, & ad locum ſuum detruſum. Sed ut ſpatium detur, deeſt tamen, qui eos moneat & ad reſipiſcentiam vocet vel ſi hic etiam detur, tamen cum reſipiſcentia Dei donum ſit, quid illis profuerit, ſi ſalutaris operatio & benedictio miſerantis Dei ad uſum mediorum non acceſſerit?

V. 16. *Sex iſta odit Iehovah, imò ſeptem abominationi* ſunt *animæ ejus.*

V. 17. *Oculi elati, lingua fallax, manuſque effundentes ſanguinem innocentem;*

V. 18. *Animus, qui fabricatur cogitationes iniquas, pedes feſtinanter currentes ad malum:*

V. 19. *Conflans mendacia teſtis falſus; denique immittens contentiones inter fratres;*

Partes ſunt {
Dei odium in multiplicia otioſi ſcelera certum exitium acceerſentia.
Eorundem ſcelerũ ſpecialis enumeratio.

In priore, otioſi interitum certiſſ. & maximè formidabilem fore denunciat.

Quod duplici argumento confirmat: prius eſt ad adjunct. multitudine & cumulo ſcelerum, quæ certatim in ejus unius animula & corpuſculo ſedem figunt: alterum eſt divinum in ſingula odium & deteſtatio, quæ inferendæ pœnæ cauſa eſt.

Multitudinem notat, cum ſex eſſe dicit: quod à maj: illuſtrat cum addat, non ſex duntaxat eſſe, ſed ſeptem. Viroque autem numero proverbii in modum propoſito magnam ſcelerum multitudinem, & quidem majorem, quàm quæ apponitur, deſignat? ut Iob. 5. 19. Deſidioſum igitur veluti caveam, aut nidum conſtituit ubi inauſpicatæ ſcelerum aves excluduntur numeroſiſſime.

Deinde cauſa exitii notatur. Dei odium & abominatio: & quidem ex animo, & ipſis precordiis. Eſt autẽ ἀνθρωποπάθεια multiplex, dum attribuuntur Deo odium & anima. Qua loquendi formula extrema ultio deſignatur. 2. Sam. 5. 1. Notemus igitur Deum odio, atque adeo abominationi habere, ut quæ naturæ ipſius contraria ſunt qui totus eſt ſanctitas. Homines aliter ſibi perſuadent, aut certè perſuaderi ſibi cupiunt; Deum ſcil. non tantoperè peccatum odiſſe, quantoperè præcones dictitant; cum ejus patientia ipſos ad pœnitentiam exſpectet: imò vero cum maleficia patrantes non modo judiciis nõ adoriatur, ſed porro beneficiis oneret. Tum enim prorſus Deum ipſorum ſimilem ſtatuunt, & peccato quodammodo oblectari. Nos vero, tametſi Deus peccatis indulgentes beneficiis proſequatur, non tamen inde vel cogitationem admittamus, Deo cum peccatis noſtris ſimultates & inimicitias non eſſe; ſed eo ipſo etiam momento peccata odio habere, perinde ac cum graviſſ. pœnis peccatorem afficit, pro certo ſtatuamus. Nos quidem, ſi quando rem aliquam deteſtemur, protinus in eam involamus; & hora annus videtur, donec è medio ſuſtulimus: ſed Deus tardus eſt ad vindictam; nec, ut homo, iræ impotens. Inveniuntur quidem mortales, qui ad ulciſcendum impares odium ad tempus opportunũ celant: ſed Deus, quos odio habet vel maximè ob peccata, & nunquam non ulciſci potuit, ſæpius in hac vita, quoad externas plagas, intactos præterit.

Sequitur pars altera de ſpeciali ſcelerũ enumeratione. Ubi quæritur primo, an iſta ſint maximè Deo exoſa; & non potius illa, quæ cultui divino directè adverſantur? Certè quidem ea, quæ ad Deum rectà ſpectant, maximè ſunt abominationi, ut patet 2. Reg. 17. Ubi reliquis omnibus præteritis, Deus Iſraelitas tantummodo idololatriæ accuſat, & ejus ſolius nomine, πωνολιθρία inductam eſſe, confirmat: ob eamque cauſam Scriptura Deo zelotypiam ex admiſſa idolomania effingit. Quo etiam refertur, quod unius hujus peccati ergo homines in eum ſenſum tradit, ut præceptorum ſecundà tabula comprehenſorum penitus obliviſcantur? Quamobrem ſciamus, hîc comparationẽ fieri, non omnium peccatorum, ſed eorum duntaxat, quę adverſus homines committuntur.

Secundo quæritur, an hæc 7. ſint graviſſ. quę in homines perpetrantur. Nam adulteria. inceſtus, & prodigioſæ libidines, ſacrilegia, proditio patriæ, &c. pleriſq; ex his tetriora & acerbiora ſunt; & nonnulla omnibus. Reſpondendum igitur: *Salomonem* non de omnibus his agere, ſed iis tantum, quę otioſum potiſſimum ſequuntur, & placidam Reip. aut familię pacem violant. Nam in diſſeminatę litis mentionem incidens ea perſequitur, quę ad illam referuntur, & cum eadem cognationem habẽt: cujuſmodi ſunt omnia, hîc percenſentur.

Tertio quæritur, quo ordine hæc diſpoſita ſint? Nam cum ſcriptura ſoleat à maximis exordia capies ad minima gradatim

datim deſcendere; vel à minimis paribus gradibus, ad maxima aſcendere, hoc loco neutrum factum eſt. Reſp. *Salomonem* potius ordinem, & ſitum membrorum corporis, quorum adminiculo iſta geruntur, quàm gravitatis, aut levitatis ſcelerum rationem habuiſſe: Ideoque oculos primo ponens, dein linguam, linguę manus, manibus cor, pedes cordi ſubjungit; quæ ſunt præcipua membra, quibus hujus generis improbitas admittur. Præterea hęc peccata diſpoſuit, non tam ratione atrocitatis ipſorum, quàm ratione ordinis, quo aliud ex alio gignitur; ſi illud unum excipias de cordis pravitate nequitiam aſſidue fabricante, quę ideo in medio collocatur, quia ut cor in medio corpore ſitum vitam ſuppeditat reliquis membris ſurſum, deorſum conſtitutis: ſic animus peccatorum omnium hinc inde pullulantium ſcaturigo exiſtit. Nam quibus ineſt ſuperbia, hi linguis ſuis inani jactantia ſui efferuntur, & aliis detrahunt, quod ſibi falſo arrogent: ex virulentis verbis ſæpè ad pugnam proſiliunt, unde ſanguinis effuſio conſequitur. Porro qui aſſiduè mala fabricatur & comminiſcitur, is proculdubio incredibili celeritate ad ea patranda fertur: idque authoritate & potentia plerunque, ut fit, orbatus, maximè virulentâ lingua perficit.

Deinde & illud quærendum, cur potius dicat, Deum oculos elatos, linguam falſitatis, &c. odio & abominationi habere, quam elationem oculorum, falſitatem linguæ, &c? Alienum enim eſt à Deo creaturam ſuam odio habere: ſicut naturæ ipſius conſentaneum eſt peccatum odiſſe. Reſp. hac ratione Deum illis occurrere, qui ſibi immunitatem à malis ideo promittunt, quia Deus nihil eorum odit, quæ fecit; cum peccatum quidem per ſe, creaturam vero etiam peccati cauſa odio proſequatur.

Quod oculos ſuperbos primo in loco ponit, cum Apoſtolo conſpirat, qui ταπεινοφροσύνην omnibus juſtitiæ virtutibus tanquam baſin ſubſternit, Epheſ. 4. Maximè vero & præcipua quadam ratione ſuperbiam lites ſerere, liquet ex Prov. 13. 10. Nec mirum videri debet, ſi piger, licet omnibus, quæ hominem ornent, vacuus, ſuperbiat tamen. Nam Deus occupationem (quam hic odit) conſtituit, ut eâ homines ad humilitatem erudiantur, Eccleſ. 5. Et diſerte affirmatur de deſidioſo, quod ſapiens ſit in oculis ſuis Prov. 26. 16.

Quæritur porro, cur & linguam falſam, & teſtem falſum poſuit, cum unum & idem deſignari utrobique videatur? Reſp. ſe quidem mutuo ſequi, ut alibi Salomon docet; ſed eadem non eſſe. Aliud enim eſt ubivis mentiri, aliud inter teſtimoniū perhibendum: tametſi quiſquis in communi ſermone mendaciis deditus eſt, idem falſum teſtimonium dicet; & contra, falſum dicens teſtimonium in communi ſermone mentiri non erubeſcet.

V. 20. *Cuſtodi, fili mi, præceptum patris tui, neque deſerito doctrinam matris tuæ.*

A v. 20. ad 30. Salomon pios ad cuſtodiam mandatorum generaliter adhortans eoſdem ab adulterij conſuetudine dehortatur ſubjectis utrinque rationibus.

Partes ſunt { *Adhortatio ad præceptorum obſervationem,*
Dehortatio ab adulterio. }

In priori { *Conſilium ſeu nuda adhortatio in 2. verſibus.*
Rationes ſubiecta, duobus alteris. }

Vide, quæ ſupra notata ſunt, cap. 1. verſ. 8.

Verſ.

Verſ. 21. Alliga ea cordi tuo jugiter; annecte ea faucibus tuis.

Vide ſupra cap. 3. v. 3. Ordo tantum invertitur; & pro metaph. ſcriptionis in animo uſurpatur alia vinculorum, vel nexus. Prætereà hic additur תמיד, quod docet animum ſemper incumbere oportere legi Dei, vel tum, quando de ea loqui, aut meditari non licet.

V. 22. Quocunque itabis, illa deducet te; cum cubabis, obſervabit te, cum experrectus fueris illa confabulabitur tecum.

Vide ſuprà cap. 3. v. 23, 24. Hoc loco tantum additur, præceptum, cum expergiſcamur, paratum & promptum eſſe conſiliarium, qui nobiſcum de tota illius dici negotiatione diſſerturus ſe offerat: Vt quemadmodum heri manè ſolent cuique penſum illius diei præcipere: ſic præceptum declaret, quid à nobis officii per totam vitamDeus exigat. Eſt etiam conſiliarius in rebus noſtris gerendis longè & fideliſſimus, & ſapientiſſimus; idem etiam ſemper paratus & ad manum; ut non prius è ſomno expergiſcaris, quam præſto adſit, tecum colloquatur, antequam, veſtibus indutis & aptatis, cum aliis colloquendi detur opportunitas; nihil ut tibi hujus colloquio depereat temporis ad alia tua negotia. Tecum autem de re quavis diſſeret: ſive tecum agas quid, ſive cum alio; ſive cum Deo opt. max. ſive hominibus, nulla re te deſtituet; cum homines, ut plurimum, una aliqua in re præſtantes in aliis rudes & ignari ſint.

Doctrinæ αὐτάρκεια inde liquet, quia intellectum penitus informet; ut quę Miniſtrum abundè inſtituit, quem tamen ex omnibus hominum ordinibus maxime oportet intelligentia veri illuminari; deinde quia voluntatem ad Dei obſequium fingit Pſal. 119. ſ. 2. (Nam ſi juvenem, qui ætate præceps maxime ruit ad ſcelera, in officio contineat, non dubium quin alios facilius continebit;) denique quia regem à ſuperbia vindicat, qui ad eam vel maxime proclivis eſt; ob eamq; cauſam alias omnes profeſſiones vitæ, & ordines hominum à malo aſſeret.

V. 23. (Nam lucerna præceptum eſt, & doctrina lux, viæque vitæ correctiones erudientes;)

Confirmat, quod dixerat de legis ſtudio ab effectis per diſtributionē ad totius vitæ munia accommodatis, & comparatione illuſtratis. Et quidem primo (de ſcripturæ more) quod poſterius eſt, aggreditur, quaſi dicas, cum dixerim, legem Dei te, & cum noctu lectum petis, & mane ſurgas, directuram, ejus rei hanc tationem affero, quod ſit inſtar lucernæ cujus magnus uſus eſt, cum quis aut cubitum eat, aut mane ſurgat. Quod autem dixi, doctrinam interdiu te ducturam. ideo dixi, quia præceptum ſit inſtar lucis, aut ſolis, qui homines in diurnis laboribus dirigit; ita ut piis ſol nunquam occidat, nec lucerna extinguatur. Impiis autem in ipſo meridie denſiſſimæ ſunt tenebræ propter naturæ corruptelam, qua fit, ut omnia ſint atra nox, & loca invia; adeo ut ſine præcepti lucerna, & luce doctrinæ; neceſſe ſit, nos ad ſingulos paſſus imimpingere & corruere.

Atqui (dicet filius) præceptum patris, & matris doctrinam, quæ ex verbo Dei deprompſerunt, libens accipio, & ambabus ulnis amplector, dummodo non ulterius progrediantur ad verba aſperiora, & verbera. Huic objectioni ſubjectio eſt; caſtigationes etiam eruditionis, id eſt,

eſt,quæ cum eruditione conjunctæ ſunt, tanquam viam vitæ, neceſſarias eſſe, ut qui illas repudiant, vitam illico rejiciant. Vide Proverb. 3. Heb. 12.

V. 24. *Adſervandum te à muliere maleſica, à blanditia linguæ alienæ.*

A generalibus effectis verbi divini deſcendit ad ſpecialia, & ex uno ſynecdochice omnia notat. Nec tamen hoc temerè delegit, ſed, adhibito judicio; cum adulterium ex otio, quod hoc loco inſectatur, naſcitur; & juventutem, quam informat potiſſimum, maximè infeſtat: in cujus reformatione verbi vis vel maximè elucet. Sed objicitur, non ſolum Dei verbũ juvenes ab adulterii periculo vindicare, cum inter Pontificios, & alios infideles caſtitas culta ſit. Reſp. veram caſtitatem nuſquam inveniri, niſi apud pios, qui Dei causâ & conſcientia ſceleris ab adulterio abſtinent; cum impii honoris ſui causâ, aut metu inferorum, vel civilis ſupplicii; aut etiam meriti opinione caſtitatem colant. Illa etiam apud Romanos, quam hoc nomine celebrat hiſtoria, cum à turpitudine libera videri voluit, in majus malum incidit.

Ut igitur Dei verbo ab adultera fæmina vindiceris, declinanda ſunt ea quibus hoc vitium accerſitur: & primo quidem cavendum, ne dulcibus verbis allici te, & abduci patiaris. Verbum Dei à verbis meretricis te vindicet, veritas ejus ab hujus falſitate, fidelis Dei ſermo ab inſidioſis ſcorti ſermonibus, labia Dei ab ejus lingua aculeata: Hic imitandum eſt *Ioſephi* exemplum, qui noluit heram ſuam ſermocinantem audire. Nam & Evæ malè cecidit, quia cum ſerpente verba commutavit.

V. 25. *Ne deſiderato pulchritudinem ejus cum animo tuo; neque capiat te palpebris ſuis.*

Aliud pharmacum adverſus adulterium; ſiquis adulteræ formam non concupiſcat. Vide Matth. 5. Nam adulterium admiſit coram Deo, qui vel animo illam concuperit. Hac autem præcipiendi formula videtur tacitæ objectioni occurrere, qua juvenis ſecum ſtatueret à turpibus ſcortis, utcunque blandis & loquaculis abſtinere; ſed ſi fæmina pulchra ſit, difficilem admodum, & dubiam victoriam fore. Verumenimverò (inquit *Salomon,*) utut formâ ſit, & ſpecie eleganti, eaque nativa, non fucata ne tamen concupiſcas; ut quæ non magis illam commendet, quam annulus aureus, ſuis roſtro inditus. Forma quidem omnis (cujuſcunque tandem fuerit) evanida eſt, & (ut flos ſole, aut vento) ætate, aut morbo exareſcit. Neq; tamen omninò formam cave ne concupiſcas. Venit in mentem fœditas, & deformitas animi ipſius: memineris, formam ejus non niſi irritamentum eſſe, quo tanquam laqueo, aut hamo capiaris: qua de cauſa etiam venatoribus mox comparabitur.

Sed hic denuò occurritur à juvene: rem eſſe difficilem, vel potius impoſſibilem in tanta & ætatis, & naturæ ad prolabendum proclivitate, formam mulieris ſpecioſam non expetere. Reſpondet *Salomon*; ut non concupiſcas, cavendum eſt, ne oculorum obtutum in illam defigas quandoquidem ἐκ τοῦ ὁρᾶν, naſcatur τὸ ἐρᾶν. Exemplum pete ex *Potipharis* uxore, quæ oculos extuliſſe dicitur, item à *Davide*, qui oculos in *Bathſebam* defluit. Hinc illud Pſal. 119. averte oculos meos, ne videam vanitatem; & illud Jobi, 31. 1.

V. 26. ***Nam propter mulierem meretricem* devenitur *uſq; ad fruſtum panis; etiam uxor viro* juncta *animam pretioſam venatur.***

Argumentum ducit ab adjunct. incommodis. { *Mendicitate,* / *Morte ignominioſa.*

Primum incommodum ab adjuncta tenuitate victus ſynecdochicè ? extremam rerum omnium inediam notat. Tantum enim abeſt, ut aliquod ei in arca manſurum ſit, ut non ſit habiturus quo vitam ęgrè ſuſtineat. Quem in ſtatum eum conjiciunt cum meretricis ſumptus (quos ſatrapes vix ſufferre poterit,) tum aliorum heluonum & decoctorum ſodalitium. Vide exemplum prodigi filii Luc. 15. qui eo inediæ redactus erat, ut cum ipſis porcis libens ſiliquas comediſſet. Eſt quidem parabola iſta, non hiſtoria, ſed ejuſmodi tamen, quæ è communi vitæ uſu petitur. Huc accedit, quod proverbio jactatur, *ſine Cerere, & Baccho friget Venus*; ita ut iſta turpitudo ſecum intemperantiam trahat; quæ vel ſola ad paupertatem facilè ſuppetit Prov. 23. 21. Neque verò juvabit, ſiquis hic excipiat, ſe adulterando præmium accipere, non dare. Perinde enim eſt, cum malè parta malè diſperierint; & verum ſit illud *Salomonis*, divitias manu, ſeu honeſtè acquiſitas durare. Deinde ſi quando paupertatem effugiat, pejus ferè cum illo agitur, quia hoc pacto indormit peccato ſuo, cum poſſet afflictione excitari.

Alterum incommodum eſt, quòd uxor viri venatur animam, quæ illi pretioſa eſſe debet: quod quidem ab illa non, niſi rariſſimè, affectu fit, ſed effectu, dum deprehenſus morte plectatur. Quo ſenſu odiſſe filium dicitur, qui parcit virgæ.

Pretioſam] Quam ipſe pretioſam habere debet; ideoque non tam vili pretio momentaneæ, ejuſdemque illicitæ voluptatis eam profundere. *Eſavus* profanationis damnatur, quod primogenituram juſculo vendiderit; ne dum culpandus, qui vitam ipſam nefaria libidine commutat. *David* ex aqua Bethleemitica noluit bibere, quod pretio ſanguinis aliorum allata eſſet; multo minùs has *Maræ* aquas proprii ſanguinis pretio præſtinaſſet. Pellem pro pelle, & quæcunque quis habet, pro vita dabit. Pro patria, maximè cæleſti vitam periculo objicere ſanctum eſt: ſed turpis & fœda voluptas ne canis quidem vitâ redimenda eſt.

Sed cum hoc incommodum à legum & magiſtratus juſtitia naſcatur, quę apud nos ex hac parte locum non habet, hujus apud nos comminationis nullus eſt uſus, metus nullus. Veruntamen illud nos ſecuros non faciat: quandoquidem quicquid hic decedit præſentis vitæ periculo, accedit futurę diſcrimini, quæ multo magis hoc modo periclitatur, quam ſi in crucem agerentur delinquentes, Magiſtratus operâ. Plerunque etiam fit, ut qui hominum manus effugiunt, in Dei ſeverius judicium, etiam in hac vita incidant. Sic in *Abſhalome*, & filiis *Heli* accidiſſe novimus. Deinde videmus multos ab hominibus furti damnatos, qui hoc pacto ob adulteria juſto Dei judicio ad ſupplicium juſtiſſimè rapiuntur.

Quod ſi vita hominis tam nobis chara eſſe debet, multo magis illa, quæ ſanguine Chriſti redimitur; quandoquidem vitâ æterna excluduntur, qui adulterium admittunt, 1. Cor. 6.

V. 27. ***An accepturus eſſet quiſquam ignem in ſinum ſuum, & veſtes ejus non adurerentur?***

V. 28. ***An ambulaturus eſſet quiſ-***

quiſquam ſuper prunas, & pedes ejus non cremarentur?

V. 29. *Ita eſt, qui congreditur cum uxore proximi ſui, non relinquetur impunis, quiſquis tetigerit eam.*

Quod prius dictum eſt, v. 21. compar. par. illuſtrat: ubi adulterium igni ardenti comparatur. Vide Iob. 31. 12. Ubi adulterium (perinde ut hoc loco) hoſce duos fructus producere dicitur, ſc. extremum delinquentis exitium, & omnis proventus jacturam.

V. 30. *Non afficitur contemtu fur, qui furatur ad explendum animum ſuum, quum eſurit:*

V. 31. *Sed deprehenſus rependit ſepties, qualibet ſubſtantia domus ſuæ reddit.*

V. 32. *Adulterans autem mulierem eſt demens: perditurus ſeipſum ipſe faciat iſtud.*

V. 33. *Plagam & ignominiam conſequetur, probrumque ejus non delebitur.*

V. 34. *Nam zelotypiæ* ineſt *æſtus viri, ideò non utitur clementia die ultionis.*

V. 35. *Non habet rationem ullius redemptionis, neque acquieſcit, quamvis multa adhibeas munera.*

His verſ. adulterium furto (ſecùs quàm plerique judicant) crimen gravius eſſe docetur.

Humani ingenij perverſitas longè maxima eſt, ſiquis bonum malum dicat, dulce amarum, ſacrum profanum, & contrà: ſed & illud etiam corruptum & depravatum eſt, ſiquis in bono, & malo, diſcrimen verum non aſſignat, ſed aut minus malum majus conſtituit, aut levius bonũ præſtantiori præferat. Poſterius hoc à *Corinthiis* factum legimus, 1. 13. 14. prius illud ab hominibus illius ſæculi, in quo vixit *Salomon*; ſicut & ab hominibus noſtræ ætatis. Furem enim omnes exagitant, & convitiis inceſſunt, flagricibam. (Anglicè *Gallows-clapper*, *Newgate-bird*, &c.) appellantes: unâ menſa cum illo vivere renuunt, uno poculo bibere, uſque adeò, ut veſtes ejus ferè abhorreant; denique carceri & morti tradunt. Contra vero in adulterio nihil hujuſmodi: non modò non exprobant; ſed ne abſtinent ab ejus conſortio. Quis unquam de furto ſuo ſe jactabit? Atqui ſæpe inventi ſunt, qui de ſuis adulteriis, cum pulchra præſertim, aut nobili fœmina gloriantur. Tãto autem magis hæc judicii perverſitas apud nos locum habet, quãto ſcelus adulterii à pęna ferè omni immunius eſt; cum tamen furtum ſeveriſſimè vindicetur. Interim tamen Deus ſententiam ſuam non mutabit. quò minùs adulterós deteriores judicet, & ſuppliciis exquiſitioribus puniat; utcunque homines ſtatuant,

Deinde rationes expendantur, quibus hæc ſententia confirmatur, quæ a duobus adjunctis petuntur; ignominiâ & pœnâ, ſc. civili lege impoſitâ. In priore docet, furem non ideò ab hominibus contemptui haberi, ſed potiùs homines commiſeratione quadam in illum duci, qui, ut famem ſedet, furatus fuerit. Atque utut ignominiæ aliquid adhæreat, facilè tamen eluitur; cum adulterii ignominia numquã deleatur, Ex quo liquet, peccatum hoc hominem vel maximè vilem, & inhonoratum reddere; ſicut caſtitate dicnntur ſua corpora in honore ſervare. Hùc accedit, quòd alia peccata extra corpus ad-

miſſa dicantur ; hoc verò adverſùs proprium corpus. Vide etiam ſi hùc referri nequeat, quod de *Davide* dicitur, eum ſcil. per omnia incorruptum fuiſſe, ſi negotium uxoris *Vriæ* excipias; cum tamen homicidium grave & atrox admiſerat; quaſi,ignominiâ ex homicidio deleta,infamia ex adulterio maneret.

Alterum eſt de pœna civili, quæ atrocior eſt in adulterum, quàm in furē, quia fur damnum illatum compenſare poteſt, atque ita ſe periculo liberare,pro pecudibus quadruplum, pro jumentis & majoribus animalibus quintuplum reddendo,ſi illa aut mactârit,aut vendiderit:adulter autem nullam compenſationem dare novit. Fur, quavis ſubſtantia, aut quibuſvis facultatibus compenſationem inſtituere poteſt : adulter verò ne,omnibus quidem divitiis, & facultatibus quantiſcunque accumulatis. Fur,ſi ſepties, aut multotiès per inopiam furetur, totiès ablatum reſtituit, & damnum compenſat: cum adulter,vel ſemel deprehenſus filius mortis ſit ; atque hùc ſpectat, quod fur dicatur vitæ ſuæ prorogandæ, ſuo furto aliquouſque proſpicere; cùm adulter vecordiâ ſuâ vitam perdat. Hinc colligitur, quodque peccatum tanto gravius eſſe, quanto atrociore ſupplicio ex lęge vindicatur.

Diſcrimen porrò furum obſervetur: apparet enim ex hoc loco, furibus duntaxat his indultum fuiſſe, qui inopia coacti furabantur. Inedia autem non tantùm ſpectatur in fame (ut apud nos fit,) ſed etiam in nuditate. Perinde enim iniquè ferendum eſt,ſiquis frigore ex nuditate pereat,ac ſi ex defectu cibi. Confirmatur hoc diſcrimen furti 2. Sam. 12.

Deinde in zelotypia illud in laude ponitur, ſiquis nullum præmium aut munus pro caſtitate accipiat: ſed illud non perinde probatur, ſi mœchum interfecerit Vindicta enim Deo,& magiſtratui à Deo deſignato permittenda eſt. Quod ſiquis excipiat, leges civiles in plęriſque Rebuſp. hoc marito permittere : reſpondeo, illud parùm commode indulgeri. Nam difficile eſt homini præſertim iracundo, vel potiùs furenti, acceptâ hujuſmodi injuriâ,modum in vindicta tenere.Deinde confuſa hac & precipiti rei interfectione via & aditus reſipiſcentiæ præcluditur.

CAPUT VII.

Verſ. 1. *Fili mi, obſerva ſermones meos, & præcepta mea reconde apud te.*

V. 2. *Obſervans præcepta mea vive; doctrinamque meam ut pupillam oculorum tuorum.*

V. 3. *Alliga ea digitis tuis; inſcribe ea tabulæ cordis tui.*

In his v.& duobus ſequentibus adhortatio generalis ad amplectendam inſequentem doctrinam,adjuncta promiſſione, proponitur.

Partes ſunt, oratio.
- *Simplex & aperta v. 1. & 2. priore hemiſtichio.*
- *Allegorica tropis & ſimilitudinibus exornata magis.*

In utraque parte ſunt
- *Adhortatio,*
- *Promiſſio.*

In tota hac oratione notetur,qua præparatione,&veluti præmunitione,ad verbi auditionem accedendum ſit. Sicut enim principes tubæ ſonitu, aut ſimili aliqua ſolennitate prius attentionem parant, quam promulgentur edicta; ſic propheta hoc in loco. Vide quomodo ad cultum

idoli

idoli homines præparentur apud Dan. multiplici muſicorm inſtrumentorum ſono: nedum ad veri Dei cultum impenſe excitandi ſunt. Quod in auditione verbi tanto magis præſtandum eſt, quanto naturâ magis ſurdi ſumus, obturatis, & incircumciſis auribus ad percipienda hæc myſteria: atque adhuc tanto magis quanto Dei verbum infinitis gradibus hominum verbis, & dei mandata principum edictis præferenda ſunt. Unde emphaticῶs jubet, ut obſervemus ipſius verba, & præcepta, quæ Dei nomine proponuntur, q. d. quicquid alij contra aut dicant, aut præcipiant, tu verbis & præceptis meis auſculta: melius enim eſt obedire Deo, quàm hominibus. Unde in laude eſt principis mandata præ Dei præceptis violare: & contrà væ non tantum illis denunciatur, qui iniquas leges ferunt, ſed iis etiam, qui earum exequendarum miniſtri ſunt. Ieſ. 10.

Deinde in priore hemiſt. ad accipiendum ſermones ipſius cohortatus in poſteriore præcepta recondi jubet. Quod quibuſdam inde profectum videtur, quòd promiſſiones Dei homines avidè arripiant, quæ ejus erga ipſos liberalitatem & munificentiam continent, neglectis præceptis quæ ipſorum in Deum, obſequium urgent; & in ipſis præceptis quædam probant, quæ ipſis magis adlubeſcunt, reliqua prætereunt. In quibus tamen illud tenendum eſt, quod Chriſtus alia in re præcipit; neminem divellere debere, quæ Deus conjunxit. Omnia ſiquidem Dei verba purgata ſunt & defæcata ſeptuplũ.

Pæterea in priori parte verſ. jubens ſermones aſſervare, in poſteriore docet, quo tandem modo id fiat; nempe ſi in animo recondantur. Periculum enim eſt, ne, ſi in cordis veluti ſuperficie ponantur, vel negligentiâ excidant, vel oblivione; vel à diabolo auferantur, niſi meditatione & commentatione altius inſideant. Idemque nobis faciendum eſt, quòd ab illis fieri ſolet, qui ſua κειμήλια in imis & abſtruſis locis adverſùs furum fraudes, & violentiam reponunt.

Promiſſio vitæ ſubjungitur v. 2. Ubi formula loquendi, qua imperat, ut illicò fruatur, notanda eſt: Ut videamus, quàm & prompta, & indubitata eſt beatitas his qui ſe Dei obſequio addicunt. In rebus humanis ſecus fit: nam cum quis ſementem fecerit, meſſis tamen nec ſtatim ſequitur, nec certò; & qui hominibus ſerviunt, non illicò præmium laboris accipiunt; multaque cadunt inter calicem, ſupremaque labra (ut eſt in proverbio.) Sed in divinis ipſum initium benefaciendi & vita; nec citiùs viam obſequij verè ingredimur, quàm vitæ aliquouſque participes fiamus. Vide Pſal. 119. Nec tamen porta hîc patet meritis hominum, non tantùm quia in mandatis eſt etiam ut Deo credamus, atque ita obedientiâ fidei ſervemur; ſed quod obſequio noſtro vita in Chriſto gratuitò promittitur.

Sequitur pars altera: ubi primum occurrit, quod moneat doctrinam Dei tanquam oculi pupillam aſſervare, id eſt, ſollicitè & ſtudioſè. Oculus enim tùm uſu, tùm pretio nobile admodùm membrum eſt. Unde Apoſt. cum Galat. in ſe amorem ad vivum depingere vellet, voluiſſe affirmat in ipſius gratiam vel oculos ſuos eruere. Atque cum nulla pars oculi non ſit tenerrima & diligentiſſimè ſervanda, tum pupilla inprimis curatur; ut quæ & facillimè offendatur, & ipſius oculi veluti oculus, & lumen ſit; cujus vi & virtute totum corpus dirigitur. Hinc undique palpebris, ciliis, & ſurperciliis probè munitur. Hinc etiam Deus ſuum in ſuos amorem & curam declaraturus non potuit illud efficacius facere, quàm dicendo, pupillam oculi ſui peti, quoties illi petuntur. Ex quo illud liquet, ne minimum quippiam admittendum eſſe, quod legi &

doctrinæ adverſetur. Scimus enim nihil tam aut tenue, aut leve eſſe, quod oculum (præſertim pupillam) non turbet & lædat. Quod adverſus illos obſervandum eſt, quibus res aliena videtur, & abſurda, ſiquis accurratè & præciſè legi divinę adhæreat; item adverſus eos, qui, tametſi nolint ipſi apertè legem Dei violare, tamen ab aliis id fieri non iniquè ferunt. Propheta eam ſui rationem haberi à Deo expetit, quam pupillę oculi ſui habet Pſal. 17. 8. Quod idem ſi nos deſideremus, elaborandum eſt, ut Deo idem nobis in mandatorum obſervatione præcipienti promptè & alacriter pareamus.

De verſ. tertio vide ſuprà: tametſi digitorum hîc meminit, quos priùs non habuit; ut doceat, quàm ſemper ob oculos præcepta & doctrina eſſe debeant, (Nulla enim pars corporis nuda perinde oculis obverſatur, ut manus & digiti; quia facies, licet nuda, non tam objicitur oculis noſtris, quàm alienis;) deinde quàm chara. Scriptura enim annullum digiti pro re chariſſima ponit. Jer. 22.

V. 4. *Dic ſapientiæ, ſoror mea es; & affinem prudentiam voca.*

Salomon ſibi in hoc argumento nunquam ſatisfacit. Quamvis enim multas ſimilitudines egregias propoſuerit, quibus noſtrum, qui erga cæleſtem doctrinam eſſe debet, amorem & ſtudium indicabit; tamen, quaſi nihil prorſus adhuc dixiſſet, alias, & illas quidem ſpecie parum concinnas perſequitur. Rem enim vita carentem cum rebus pretioſis vitæ expertibus componere congruum ab omnibus judicatur; ſed cum re animata conferre, eademque rationis participe, durius & audacius videri poterit. Veruntamen hujuſmodi ſimilitudinibus opus habuit ut veternum noſtrum caſtigaret. Neque (ſi probè attendamus) elegantiùs, aut magis concinnè quidquam dici potuit, dũ hoc modo omnes & conſanguinitatis & affinitatis nexus nobis cum cœleſti doctrina intercedere velit.

Prius quidem docuit, illam nobiſcum tanquam conſiliarium de rebus nobis diſſerere paratam eſſe: nunc etiam tanquam ſororem, & affinem adjungit, quaſi dicas, ſi quidem, juvenis, puellarum & pulcherrimarnm fœminarum conſortio gaudes, ecce tibi longe elegantiſſimam ſapientiam hanc, quam tibi cognatione & affinitate ſi conjunxeris, cognationem cum Chriſto ipſo, & affinitatem inibis. Et hinc illum locum, Matth. 12. Chriſtus videtur mutuatus.

V. 5. *Vt ſervet te à muliere extera, ab aliena ſermonibus ſuis blandiente?*

Cuſtodiæ mandatorum finem & fructum narrat priori fini ſubordinatum; nempe ut cæleſti hac ſapientia adverſus adulteræ fraudes munitus ſit. Neque ſapientia humana, quæ illa cunque ſit, poteſt homines ab illa labe vindicare. Quod in Salomone ipſo clariſſimè conſpicitur.

V. 6. *Nam per feneſtram domus meæ ex feneſtella proſpectans,*

V. 7. *Vide inter fatuos, animadverti inter filios puerum dementẽ;*

V. 8. *Qui tranſiens per vicum juxta angulum illius via ad domum illius gradiebatur.*

V. 9. *Crepuſculo, veſpere diei, nigra nocte, & caliginoſa* [*animadverti:*]

V. 10. *Cum ecce mulier proceſſit obviam*

obviam ei ornatu meretricio, & circumſpecta animo.

V. 11. *(Quæ ſtrepera eſt, & contumax; in cujus domo non pedes ejus:*

V. 12. *Modò foris, modò in plateis; aut propè quemque angulum inſidiatur.)*

V. 13. *Et prehendens eum oſculata eſt eum; obfirmanſque vultum ſuum dixi ei;*

V. 14. *Sacrificia euchariſtica apud me [ſunt,] hodie reddidi vota mea.*

V. 15. *Idcircò prodij obviam tibi ſtudiosè quærendo faciem tuam commodè invenio te.*

V. 16. *Cadurcis inſtruxi ſpondam meam [variam] emblematis, linteis Ægypti.*

V. 17. *Suffivi cubile meum myrrha, ſantalis, & cinnamomo.*

V. 18. *Agè incumbamus ubertim amoribus ad matutinum uſque nos ipſos exhilaremus amatoriis.*

V. 19. *Nam non eſt vir domi ſuæ; abiit via longinqua.*

V. 20. *Loculum pecuniæ accepit in manum ſuam; die ſtato redibit domum ſuam.*

V. 21. *Flexit eum multitudine diſciplinæ ſuæ, blanditia labiorum ſuorum impulit eum.*

V. 22. *Sequitur eam ſubitò, tanquam bos ad mactationem abit, & velut compeditus ad eruditionem ſtultorum,*

V. 23. *Donec diſſecet culter jecur ipſius; quemadmodum feſtinat avis ad laqueum neſciens contra vitam ſuam illum eſſe.*

Hic proponitur ὑποτύπωσις antegreſſæ de adulterio doctrinæ ſub exemplo, ficto quidem illo, ſed quod fieri poteſt, & plerumque fit.

Partes ſunt
- *media, quibus Diabolus improvidis inſidias collocat, ut adulterii laqueis involvat ad v 21.*
- *eorundem mediorum effectus verſ reliquis.*

In priore conſideratur
- *Iuvenis improvidi & incauti converſatio,*
- *Meretrix ad decipiendum fraudibus inſignibus inſtructa.*

Primò notandum eſt, quod Magiſtratus non debet ſtertere in utramque aurem, ſed ſollicitus eſſe tanquam urbis cuſtos, & pervigil excubitor, ut præfectus Reip. fidem in ea procuranda liberet. Qua de cauſa *Salomon* hoc in loco è feneſtra per feneſtellam ſe proſpexiſſe ait, tanquam vigilem excubitorem oculos huc, illuc circumferentem, ut graſſantia in populo mala explorans de iiſdem ſupplicium ſumeret, vid. Prov. 20. 8. Magiſtratus igitur ſuam domum veluti ſpeculam conſtituat, ex qua ſubditorum mores exploret; ſit urbis & Reip. ſpeculator, non tantum alienis oculis, ſed ſuis & propriis. Nam, licet hoc prout hic narratnr; geſtum non ſit; hujuſmodi tamen eſt, quod ſæpe fit, aut certe fieri debet.

In juvene 1. obſervandum in genere, illum fatuum & vecordem appellari. Sic Amnonem ſoror ipſius ſtultum in Iſraele voca-

vocatum iri prædicat, ſi ſcelus,quod erat admiſſurus emanaret. Et certè grave eſt in Iſraele ſtultum haberi, ubi ſcholæ erant ſapientiæ, & populus inter omnes nationes prudens exiſtimandus. Quod ſi ab hominibus, præſertim ſapientibus fatuum dici grave ſit; quanto magis à Deo fonte ſapientia!

Deinde videndum eſt ſigillatim, cur ſtultus appelletur. Et primum quidem occurrit ætas ejus juvenilis, quæ in hanc partem ſæpius peccare ſolet, & eſt ad omnem lapſum præſertim in hoc genere proclivis. Ideo Paulus Tim. hortatur, ut fugiat juveniles cupiditates. Quamobrem juventuti imprimis elaborandũ eſt, ut verbis ſapientiæ (quæ ſola ſunt purgando ſemitas ipſorum) ſtabiliantur. Quod & aliis ætatibus ſexibus, & ordinibus eo impenſius faciendum eſt, quo præ cæteris ratione ætatis, ſexus, aut ordinis certo alicui peccato obnoxii ſunt.

Notetur etiam locus,ubi fuerit,nempe per plateam tranſiens verſus domum meretricis: contra quam Salomon admonuit 4. 15. & 5. 8. Qui amant periculum, in illud incidunt. Atque videtur ex v. 21. colligi poſſe, hunc ad domum ejus profectum eſſe, non eo animo, ut cum ea ſe pollueret, ſed ut fortè cum ea colloqueretur, eam videret, vel ſui cum ea colloquendo ingenii periculum caperet, vel forſan ut cum ejus colluſoribus & congerronibus confabularetur, aut convivaretur.

Tempus etiam deſignatur; nempe ſub noctem. Quo facto naturæ ordinem à Deo præſcriptum Pſal. 104. v. 223. pervertit: & illius ſententiæ veritatem confirmat; *non dormiunt, niſi malefecerint*. c.4. 16. Quæ autem hæc nox, aut cæcitas eſt, fugere hominum oculos, nec ulla cura duci oculorum Dei! Quid,quod ne homines quidem fugiunt ſemper, ut ex hoc loco patet? Huc refert, quod eſt Num. 5. de ſollicita in hoc ſcelus inquiſitione.

Hactenus de juvene in meretrice conſideretur.
- *De providentia juſtiſſimo judicio illam in occurſum juvenis dirigens.*
- *Ejus ad decipiendum inſtructio.*

Quod dicitur,meretricem ei in occurſum veniſſe, id juſtiſſimo Dei judicio fit, nimirum ut, qui malum quærunt,in illud incidant; atque adeò iis illud obviam procedat: maximè cum perditæ ſpei ſit, qui ſe ad mala perſequendum in viam dat. Nam quos Deus ſervare ſtudet,eos, utcunque maleficio patrando addictos, à ſcelere apud ſe deſignato avertit, ne illud, quod cupiunt,admittant. vid. Hoſ. 2. 5. 6. 7. Sic Deus *Davidem* cædem Nabalis ſpirantem ab ejus patratione occurſu Abigaëlis continuit. Sic etiam *Abimelechum* jam ad mœchandum cum Abrahami uxore paratum morbo percuſſit,ut hoc modo eum iſto malo eriperet. Verum quidem eſt,Deum quandoque, ut periculum fiat vel imbecillitatis ſuorum, vel virtutis, qua eos inſtruxit, media,quibus ad peccandum facilè abuti poſſint objicere; ut cum David adulterium & homicidium patravit, & populum muneravit.Nam miniſtros & ſatellites ſuppeditavit, qui conceptum ab eo ſcelus ſuâ opera & miniſterio proveherent. Quamobrem operepretium eſt,ut precemur, ne nos in tentationem inducat.

In meretrice ipſa notetur ejus
- *ad decipiendum apparatus*
  - *exterior.*
  - *interior.*
- *effecta.*

Exterior apparatus eſt veſtitus ad morem meretricium compoſitus, fortè crinium

nium contortuplicatione, & adhibitis calamiſtris, criſpatione, colli ad mammas nudatione, inceſſu conciſo & fracto. Tametſi enim inter Cananæos conſtet, ſingularem & diſtinctum fuiſſe meretricis habitum à matronali; in populo tamen Dei, ubi lupanar non ferebatur, uſu veniſſe non eſt veriſimile. Cum autem ſathanæ machinâ ſit veſtitus ad laſciviam & luxuriam factus, omnibus caſtis matronis providendum eſt, ut habitu eo incedant, qui pietatem profitentes deceat.

Interior apparatus eſt in corde, quod undique fraudibus quaſi obſeſſum ſervatur & munitur, nequid emanet, aut ſe proripiat, quod ſceleratum ipſius ſtudium & conatum impediat; unde tota illa fraus, quæ veſtitu, geſtu, factis ſe prodit, proſiluit. Vid. Prov. 30. 18. 19. Sed illud teſtimonium longè eſt illuſtriſſimum Eccleſiaſ. 7. 26. ubi dicit, retia & plagas eſſe in corde adulteræ. Quod ſi quęratur, quomodo fœmina, quæ viro prudentiâ & cautela inferior eſt, tantam aſtutiam cōpararet, qua viris etiam circumſpectis imponat; reſp. non hîc decertari adverſùs carnem & ſanguinem, ſed principatus, &c. Deinde naturâ ad malum ingenioſi valdè ſumus. Quamobrem *Salomonis* conſilium ſequamur, ubi adverſus ſcorti periculum monet, ut cor noſtrum Deo ſervandum tradamus, & ut oculi ſe oblectent viis ejus Prov. 23. 26. Huc præcipuè refer illud c. 5. v. 1. 2. Et Eccl. 7. docet, eum tantum evaſurum, qui Deo acceptus eſt, q. d. nullam ſapientiam poſſe huic malo mederi, niſi Deus hominis miſereatur.

Effecta ſequuntur: quæ ſunt { *facta.* / *dicta.* }

In factis primum eſt, quod ſtrepera ſit, clamoſa, & turbulenti ingenii, ut præſtabilius ſit in perforatis ædibus, aut fumoſa domo habitare, quam cum illa in domo ſplendidiſſima. Quamvis enim illam deberet manſuefacere conſcientia improbitatis ſuæ, tamen inflatur. Huic adverſum eſt, quod Apoſtolus in piis & modeſtis fœminis requirit 1. Pet. 3. v. 3. 4. 5. item quod Paulus hortatur 1. Tim. 2. 11. 12.

Deinde contumacem & refractariam eam deſcribit Deo, marito, & honeſtis legibus; quod ex animi elatione & inquietudine promanat. Contra. piæ fœminæ dicuntur ſuis maritis obſequi, ut *Sarah*, quæ maritum ſuum Dominum appellavit 1. Pet. 3.

Præterea pedes ejus domi non manent; ſed huc, illuc diſcurrit. Quod inde etiam fit, quia otioſa eſt. Contra verò. Tit. 2. 5. Iudic. 5. 24. Pſal. 68. 13. Hæc tria, tametſi non ita meretricibus propria ſint, ut omnes, quæ in iis peccant, continuò meretrices habendæ ſint, tamen ἐπὶ τὸ πολὺ illas comitantur. Quamobrem ad famam honeſtatis tuendam iſta diligenter declinanda ſunt.

Alterum effectum eſt, quod juvenem prehenderit. Ubi inverecundiam ſuam prodit à fœmina alienam. Debebat iniquè ferre, ut ipſam quis prehenderet; ſed virum prehendere, maximè juvenem magnæ fuit impudentiæ. Hoc declaratur Eſai 4. 1. ubi rerum omnium confuſio & perturbatio notatur, quod ſcil. 7. mulieres prehendent virū eundem. Vid. exemplum uxoris Potipheris Gen. 39. 12. Hîc autem opportunè meminiſſe oportet, quod habetur Eccl. 7. 26. vinctos eſſe in manibus ejus: ut melius fuerit à lictore aliquo corripi, & ad carcerem trahi, quam ut illa manum nobis injiciat.

Majorem adhuc impudentiam prodit, quod ei oſculum figit. Mulieris enim verecundia poſtulat, ut vel uxor à viro oſculum præſtoletur potiùs, quam ut arripiat. Porrigere igitur oſculum juveni inſignis impudentiæ eſt. Quod ſi pericu-

lum ſit in manuum contactu, nedum in oſculo, cum virum labiis, tanquam plagis, in foveam trahat.

Cum verò meretricis impudentia multifariam ſe factis prodiderit, proceſſu in mediam plateam habitu & geſtu meretricio, prehendendo adoleſcentulum, & oſculo denique figendo; tum nuſquam magis quàm in ſermone, quo illum affatur: unde Salomon eam nunc demum faciem obfirmare affirmat, & quaſi frontem perfricare; non quod antea gnaviter impudens non fuerit, ſed quòd ſeipſam impudentia & impudicitia nunc demùm ſuperet: ut ſi prius fronte ferrea fuerit, nunc demum ænea, vel potiùs adamantina ſit. Idem videre eſt in uxore Potipharis, quæ primum oculos ad *Ioſephum* ſuſtulit, deinde manu chlamydē ejus prehendit, poſtremo apertis verbis ad concubitum invitavit. Quamobrem cū multę artes meretriciæ ſint, & multi gradus improbitatis, tum ille ſupremus eſt, & apertiſſimum perditi & protriti ſcorti judiciū, ſi amatorum illectamenta non exſpectet, ſed ipſa eos impuro ſermone anticipet.

Orationis ſumma eſt, ut ei illicitos amplexus & congreſſus perſuadeat. Cujus perſuaſionis duo potiſſimum capita ſunt: priùs verſatur in argumentis, quibus rei commoditatem ſuadeat; poſterius in iis ſolvendis, quæ perſuaſionem impedire poſſe videantur. Primum prioris generis argumentum ducitur ab adjunct. liberalis & inſtructæ menſæ q. d. quandoquidem ſacrificia fecerim pacifica, quorum bona pars ad me redit, promptum tibi eſt intelligere, liberalem menſam nobis paratam eſſe. Ex quo illud intelligitur, meretricibus in more poſitum eſſe, ob eam cauſam lauta convivia inſtruere, ut amatores cum ad ſe faciliùs pertrahant, & incautam juventutem in caſſes ſuos impellant, tum etiam ut hoc modo cibis, & vino incenſos faciliùs ad venerem irritent. Hinc Ezek. 16. ſaturitas panis ſtimulos ad portentoſas libidines Sodomitis addidit. Quam ob cauſam meretricis menſam, tanquā plagas, & retia averſari oportet, & ab ea procul abcedere. Huc etiam accedit, quod non tantum animum inflammet, ſed judicium etiam adimat, aut certè retundat & inflectat.

Huic rei fidem facit addita probatione ex adjuncta votorum perſolutione. Qua in re tacitè & obliquè ſuam (ſi Deo placet) religionem, & pietatem imperito adoleſcenti prę ſe ferre ſtudet. q. d. tametſi animo meo in amoribus indulgeam, noli tamen exiſtimare me (quod plerique de meretricibus judicant) animum à cultu Dei alienum gerere, aut nullo Dei timore teneri. Neq; enim illum cultum tantū prę ſto, qui omnibus eſt prę ſcriptus ſed majore quodam ſtudio pietatis ducta Deo vota facio, & facto fideliter præſto. Hæc autem inſignis eſt Satanæ in decipiendo methodus, & profundū inprimis artificium in re turpiſſima ſanctiſſimā Dei religionē obtendere. Vid. 1. Sam. 2. 22. ubi fœminæ ſummam pietatem profitentes cū impiis ſacerdotibus ſe polluerunt.

Secundum argumentum ducitur ab adjuncto ſuo in illum amore, quod illum præ cæteris experiverit, & ſibi in occurſum dari optaverit. Ubi inſigniter mentita eſt, quandoquidem non magis illum, quam alios adoleſcentes amaverit. Eſt enim ſolemne meretricibus, cum multos amatores habeant, de ſingulis profiteri, eos longè ſibi chariſſimos eſſe, cum tamen unus tantum poteſt eſſe chariſſimus, vel (ut veriùs dicam) cum neminem illorum charum habeat, niſi in quantum lucro ſuo & libidini inſerviant. Cum enim (ſic ut prius accepimus) ab amore mariti adoleſcentiæ ſuæ defecerit, quem maximè charum habere debuerat, quid de ejus in alios amore exiſtimandum ſit, facilis conjecturæ eſt.

Tertium

Tertium argumentum eſt ab efficiente cauſa, Dei nimirum providentia illum in occurſum ejus & amplexum dirigentis: quaſi Deus ipſe tam nefarij ſceleris author eſſet. Vide hujuſmodi quiddam in Saule, qui, audito Davidem eo loci eſſe, ubi comprehendi poſſet, Deum in manu ipſius illum concluſiſſe dixit. 1. Sam. 23. 7. Sic ferè fit, ut peccatores, cum ex animo omnia ſuccedant, illicò ſibi perſuadeant, Deum nefariis ipſorum votis annuere. Zach. 11. 5.

Quartum argumentum petit ab adjunctis cubilis, ubi congreſſuri erant, ſingulari commodo. Et primum quidem in medium affert cortinarum ornamenta: deinde ſpondę ſuis columnis affabrè ſculptæ & inciſæ; deinde linteorum elegantiſſimis & fili tenuiſſ. ex Ægypto comportati; denique thymiamatum & ſuffituum, quibus omnia tum lectus tum ornamenta, & lintea, & totum cubiculum perfuſa redolebant. Quod quidem hoc conſilio facit, ut, omnibus ſenſibus voluptate affectis, guſtu ex cibis (de quibus anteà diximus;) viſu ex ornamentorum & ſpondæ conſpectu; tactu ex mollitie linteorum, olfactu denique ex ſuffituum odoramento, eum in naſſas ſuas pertrahat, atque ad venerem accendat. Qui enim à venere alioqui alieniores eſſent, his tamen irritamentis libidinis incitati & occæcati laqueis ſe facilè indunt. Et hoc quidem inſigne eſt meretricum artificium, iſtorum ornamentorum pulchritudine, amatorum animos ab impudicitię deformitate; & ſuffituum ſuavitate à fœtore turpitudinis ſentiendo avertere. Hîc recordemur ornatiſſ. Chriſti lectum in Cantico Salomonis deſcriptum; à qua tanto longiùs abſcedis, quanto ad lectum meretricis accedis proprius. Neque tamen hujuſmodi ornamenta penitus hîc damnantur tanquam illicita, dummodò ſobrius & moderatus eorum uſus adhibeatur, prout cujuſque conditio & dignitas ferat, & quoad venerem immoderatè non irritent: in quibus à meretricibus peccatur.

Iſtis argumentis concluſionem ſubjungit q. d. cum hæc ita ſint, veni igitur amoribus indulgeamus, noſmet mutuo congreſſu oblectemus; & quidem totam noctem, donec illuceſcat. Ubi notanda eſt inexplebilis & inſatiabilis ejus libido, cui vix totius noctis uſura ſatisfacit.

Hactenus de priori parte perſuaſionis, qua juvenem ad improbitatem pellexit: ſequitur altera, qua ſcrupulos tollit. Ubi primo notandum, quam inſignis ſophiſta ſit nullam captionem omittens, qua vecordem & incautum juvenem intercipiat: ut nobis divini verbi eccleſiaſtis pudori ſit, ſi eandem diligentiam, prudentiam, & cautionem in rebus divinis non adhibeamus, quam putidum ſcortum in re tam turpi adhibet. Tacitum igitur adoleſcentis argumentum ex adjunct. ne vir interveniat, periculo illi præripit q. d. ſcio metum tibi iniicere mariti adventum: ſed fidenti animo ſis; nihil hîc periculi eſt, cum maritus domi non ſit. Interim de præſentia Dei omnia penetrantis altum eſt ſilentium; cujus tamen cogitatio majorem nobis, quàm mortalis cujuſquam, metum inferre debet. Quin & illud hîc obſervandum eſt, quod virum illum nominet, non virum ſuum, non ducem, non maritum, ut caſtæ fœminæ ſolent. Et quidem hoc conſilio videtur mariti, vel viri ſui nomen declinare, ne illius mentione ſuam, aut adoleſcentis conſcientiam percelleret, & à deſignato ſcelere alieniorem redderet. Hîc eximium locum habet conſiliū, quod Abimelechus Saræ dedit, nempe ut vir ei ſit apud quoſvis operimento oculorum.

Alterum argumentum præripit, quod hujuſmodi eſſe poterat; At quamvis jam domi non ſit, forſan tamen, nobis incogitantibus, adveniet: huic occurrit ab adjunct. itineris longinquitate; quam confirmat

firmat ab adjunct. pecuniæ ſacculo, quem ſecum geſtavit.

Hactenus expoſita ſunt media, quibus diabolus improvidis inſidias collocat, ut adulterij laqueis involvat: jam ſequuntur eorundem mediorum effectus verſ. 21. 22. 23.

Hi duo ſunt { *Iuvenis ad nefas perſuaſio.* / *Perſuaſionis effectus.* }

Cauſa effic. præcipua & principalis irretiendi juvenem eſt ſermo meretricius. Nam & habitus & oſculum aliquid effecerunt: ſed ſermo veluti paxillus erat tẽporibus infixus, qui ad terram permeavit. Hujus adjunct. duo ſunt; πολυλογία & χρηστολογία. Pluribus enim argumentis uſa eſt, atque etiam multa iis aſperſit, quæ oblectationis ſummæ ſpem facerent. Labia ſiquidem ejus diſtillant mel & favum, & in lingua veluti teſtudinem geſtat, cujus pulſatione omnes incautat, quotquot ei aurem adhibent. Nam colloquia prava mores corrumpunt. Quamobrem prudentiam ſerpentis, qui aurem obturat adverſus peritiſſ. incantationes: ſic Joſephus heram audire nolens laqueos effugit.

Deinde gradus quoſdam notat, quibus in naſſas ſuas eũ pertraxit. Primum enim dicitur flexiſſe, dein impuliſſe. Quapropter tenendum eſt illud Salomonis, de vigilantiſſ. cordis cuſtodia: quo ſervato, totus ſervabere.

Effectus perſuaſionis duplex eſt. { *Prior, quod illam ſequitur.* / *Alter, quod ab illa confectus perit.* }

In priore ex adjunct. tempore, quod ſubito profectus ſit poſt eam, indicat inconſiderantiam, & præcipitantiam nimiam in cauſa fuiſſe, cur eam ſequutus ſit. Tametſi enim perſuaſus eſſet hoc ſcelus admittere, ſi tamen tempus, & diligentiam ad meditandum adhibuiſſet de verbis ejus, & ſimul ſecum reputâſſet malum & culpæ, & pœnæ, quod erat inſequuturum, in illo tramite nunquam pedem poſuiſſet. Sic Joſephus rationes explicat ab officio erga herum, & Deum, quibus ſe à maleficio cohibuit.

Illius ad meretricis domum profectionem triplici ſimilitudine illuſtrat. Prima, & tertia ejuſdem generis ſunt, quamvis poſterior pernicitatem ad malum liquidius exprimat: ubi etiam res, in qua comparantur ſub finem v. 23. aſcribitur; ſcil. ignorantia imminentis exitij. Sicut enim bos, & avicula putant, ſe ad paſcuum, & eſcam proficiſci, cum ad mortem properent; & ut putant, ſe ad paſtum ire, cum ipſi aliis paſtui futuri ſint; ſic juvenis exiſtimat, ſe hilari convivio exceptum iri, cũ venenum illi hauriendum ſit. Quamobrem verè illud dicitur à Salomone, quod vecors ſit, & veluti inſenſatus. Meretrix enim ſua oratione tanquam mero ita eum inebriat, ut veluti μεταμορφώσει quadam ſubito ex homine brutus & ſtips factus ſit.

Prætereà in ſecunda ſimil. dicit illum tanquam compeditum proficiſci ad ſupplicium ſtultis & improbis debitum. Quo docetur, quàm inextricabiles ſint plagæ, quæ juvenibus à meretrice collocantur Vide Prov. 23. 27. & Eccl. 7. 26. Tametſi vero compeditus ſit quoad exitij fugam, non tamen ut compeditus tardè & cunctanter ad malum patrandum incedit. Nam ad illud, ſicut brutus eſt & ſtupidus, ut bos; ſic ut avicula feſtinat & accelerat.

Denique oſtendit ab adjunct. tempore ejus ſtoliditatem, ut qui nunquam ad ſe redit, aut ſomno expergiſcitur, aut antequam patrato ſcelere veluti ſagitta confoſſus ſit, & quaſi jecinore trajectus, ideſt, donec ſe & anima & corpore perdiderit.

V. 24. *Itaque nunc, filij, auſcultate*

ſcultate mihi; & attendite ad ſermones oris mei.

V. 52. *Ne declinato ad vias illius animus tuus; ne aberrato in ſemitas illius.*

V. 26. *Nam multos confoſſos dejecit, & numeroſi [ſunt] omnes interfecti ab illa.*

V. 27. *Viæ ad ſepulchrum [ſunt] viæ ad domum ejus deſcendentes ad penetralia mortis.*

Iam ex ſuperiore documento filios adhortatur: ubi occurrunt
- *Adhortatio ipſa, v. 24. 25.*
- *Rationes, quibus innititur, 26, 27.*

In adhortatione
- *Primum attentionem conciliat.*
- *Deinde rem ipſam proponit.*

Attentionem conciliat v. 24. quaſi dicas, nunc igitur, filij tali documento admoniti aurem adhibete ſermoni meo, qui fidelis & ſalutaris eſt; non autem meretricio, qui planè pernicioſus eſt; & propterea meo, licèt acriori, potius quàm ejus, quamvis mellitiſſimo.

Adhortatio ſpecialis v. 25. duo continet; primo, ne animus ſe inclinet ad iſtam improbitatem; deinde ſemitis ejus incedant.

Rationes duæ ſunt
- *Prior ab adunct. eorum, qui ab illa interfecti ſunt.*
  - *Multitudine.*
  - *Robore, ſeu habilitate.*
- *Poſterior à periculo inextricabili.*

Quæ omnia ducuntur ex ſuperiore eventur v. 21. &c.

CAPUT VIII.

Verſ. 1. Nonne ſapientia clamat, & intelligentia edit vocem ſuam.

V. 2. *In faſtigio editorum locorum; per viam, in loco multarum ſemitarum conſiſtens,*

V. 3. *Ad latus portarum, in aditu urbis, in ingreſſu oſtiorum recantant? dicendo,*

IN hoc capite ſapientia meretrici, & ſapientiæ doctrina fructuſque, lenociniis eorumque effectis ex diametro oppoſita proponuntur.

Ad verſ. 12. in ſequenti doctrinæ attentio tacita contentione cum ſuperiore meretricis oratione comparatur.

Partes ſunt verba Salomonis perſonâ
- *ſua & propria in oratione ſimplici tribus verſ,*
- *aſſumpta [illegible] προσωποποιΐαν, ubi Christus [illegible]ientia patris loquens ind[illegible].*

Cum per interroga[illegible] hæc afferat, docet, captos illecebris m[illegible]icijs omni excuſatione carere: indi[illegible]tim eſſe, ut tam ſtupidi & vecordes ſint in ſe, aut tam facilè inſidiis meretriciis ſe capi ſinãt; cum ſapientia, vel ipſe Dei filius tam clara voce per Miniſtros ſuos clamet: naturę ipſius lumine, quantumvis obſcuro & dubio notum eſſe periculum, quod hac in re hominibus imminet; ideoque cum prętereà æterna Dei ſapientia nos admoneat, multiplicis condemnationis reos teneri, qui in hanc foveam cadunt. Vide 2. Reg. 1. 3. Quàm enim abſurdum ſit meretrici potius aliiſque corruptelarum magiſtris auſcultare, quàm Chriſto ſapientiæ patris; ſe in diſciplinam tradere loquaculæ fœminæ, quàm venerandæ matronę; lupa-

lupanar ingredi, quàm ſcholam Chriſti; &(ut breviter complectar omnia)diabolo potius, quàm Deo animum adjungere; quis non facilè deprehendit?

Deinde ut inter ſe lõgo intervallo differunt; ſic porrò effectis perinde ſunt diſtracta. Meretrix enim & aliæ corruptelarum magiſtrę ſuas peſtes pipiunt,muſſitant,& quaſi in aurem inſuſurrant,& hæſitabundę ſua cogitata proponunt;ſed ſapientia clamat,& confidens cauſę ſuę audacter eloquitur:illa aliquid loquẽs multa reticet; ſapientia omnem ſuum ſpiritum effundit in ſinum ſuorum,& illis erudiendis vocem & linguam ſuam quaſi totam conſecrat. Sic Ieſ. 58. 1. Hîc etiam docetur, quo zelo ſermo Dei proponendus ſit; non frigidè, & dilutè.

Aliud diſcrimen eſt à ſubj. loco. Primum enim, cum meretrix & alij impietatis dogmatiſtę latebras quærunt,&tanquam è terra,vel fovea loquantur,ſapientia montes editiſſ. ſcandit, unde exaudiri poſſit. E loco enim edito inclamans facilè exaudiri poteſt: Unde ſuggeſta ſuper populum in ſubſelliis ſedentẽ elata. Hinc diſcimus,doctrinam Evangelij ita proponẽdam eſſe,ut quàm liquidiſſimè ab omnibus intelligatur; primum quidem loci commoditate: Unde Act. 1. Petrus in medio diſcipulorum concionem habuit. Quod adverſus pontificios facit, quorum ſacerdotes ſeſe à populo procul ſubducunt,& terga obvertunt.Deinde idiomate noto proponẽda eſt; ſine quo non magis juvabit ſugeſtum editum, quàm ſiquis ex antro, aut cavea loqueretur. denique ſtilo dicendi, & formulâ orationis omnibus familiari. Atque hæc omnia, ut à Miniſtro præſtanda ſunt,ſic à populo approbanda & optanda. Nec repugnat, quod tempore perſecutionis noctem quærat Eccleſia & clandeſtinos conventus.Nam loca ut publica &notiſſ.captat;ſic mavult occulta,quã ut veritas penitus cõticeſcat.

Docet porro, ſapientiam verticẽ montis deligere, qui propè viam eſt, qua itur, reditur,quâ commeunt,& tranſeunt viatores; ut illos in itinere dirigat. Ob eam cauſam etiam in compitis conſiſtit, ubi lata via in varias ſemitas ſe diffũdit,quod tranſeunti peregrino fraudi ſit, niſi index ſit, qui viam commonſtret. Deinde ad portam urbis conſiſtit, ut ingreſſuro plateam oſtendat, quę ad locum, quem ſibi adeundum propoſuit, rectà ducat: denique ad oſtium domus,ubi ei quieſcendũ. Adeo ut manifeſtum ſit, eſſe totius itineris ὁδηγὸν ab initio ad finem uſque, & tanquam columnam nubis & ignis, quæ Iiſraëlitas per deſertum duxit. Quocirca ſiquis aberrare velit à recto tramite, merito pereat, cum paſſim proſtet ſapientia,ut illi veritatem indicet.Si enim à prętereuntibus,& præſertim à ſapientia,quę viam, & omnes flexus optimè novit, non quæramus, imò indicium ſponte oblatum non accipiamus,quis neget noſmet nobis ipſis interitum conſciſcere?

V. 4. *Vos, ô viri præſtantes, inclamo; & vox mea [plebeios filios hominum.*

V. 5. *Intelligite, fatui, aſtutiam: &, ſtolidi; animum advertite.*

V. 6. *Audite, nam præſtantia eloquar, & apertura labiorum meorum [eloquor] recta.*

Adhuc fuit oratio *Salomonis*: ſequitur illa, quæ Chriſto tribuitur: quam propterea majore quadam diligentia excipi oporteat,ut quæ res præſtantiores & difficiliores contineat. Vide 1. Cor. 7. hæc non ego, ſed dominus; hæc non dominus, ſed ego.

In hac parte capitis attentio paratur à ſubjectis
- *perſonis, quas ſapientia alloquitur, v. 4. 5.*
- *rebus, de quibus loquitur ver. reliquis.*

A perſonis attentio dupliciter colligitur, per diſtributionem hominum ex adjunct.
- *externis & adventitijs*
- *internis & inſitis.*

Reſpectu externorum ſunt
- *nobiles,*
- *obſcuri, vel ignobiles.*

Ubi intelligit etiam divites & pauperes; doctos, & indoctos: nam non tantùm ſtirpe nobiles, ſed etiam divitiis, & doctrina nobilitati אישים appellantur. Sicut contra רבני אם ſunt pauperes indocti.

Hîc primum videmus, Deum non contentum eſſe omnes homines ſine diſcrimine, aut diſtinctione alloqui, niſi etiam ſpecialius eos compellet. Sic Pſal. 49. 2. non ſatis duxit proclamare; audite hæc, omnes populi; auribus percipite, omnes habitatores mundi; niſi & adderet in verſ. ſequenti; tum nati plebeio homine, tum nati præſtante viro; ſimul dives, & egens. Ratio autem, cur hoc facit, illa demum obſervatu digna, nempe quia, quicquid omnibus in univerſum dicitur, id nulli dictum putatur: quamquam, ſiquid emolumenti hujus vitę omnibus alicujus urbis civibus concedatur, nemo tam aut ſtupidus, aut verecundus eſt, quin ſe illius participem eſſe oportere & intelligat, &, in communionem ejus ut recipiatur, poſtulaverit. Quamobrem ſpiritus Sanctus quaſi nominatim deſignat ſingulos. Nobiles enim, niſi illos ſpeciatim ſapientia alloquuta eſſet, exciperent, maximis ſe, & graviſſ. negotiis implicari, ut ſapientiæ audiendæ vacare nequeant; ſe etiam illâ, ſapientia, illis literis, eaque rerum peritia imbutos eſſe, ut non opus habeant aliquid amplius expetere. Vide Pſal. 62. 11. Maximè vero ſua magnitudine, & elatione animi impediuntur, ne diſciplinæ ſe ſubjiciant, & jugum Chriſti ſuſcipiant. Vide eximium locum Ier. 5. v. 4. 5. Hinc tam difficile eſt, ut dives ingrediatur regnum cælorum; & quod pauci nobiles, & ſapientes, &c. 1. Cor. 1, Quamobrem contendendum eſt illis tanto magis, ut ſuas cupiditates contrahant & conſtringant.

Deinde compellat plebem, & infirmam hominum conditionem, qui ferè doctrinam veritatis deſperatione quadam ſuæ ad eam accipiendam ἀδυναμίας rejiciunt; quaſi ad ſolos literatos, Academicos aut Miniſtros pertineret. Cujus rei inſigne teſtimonium eſt Ier, 5. 4. Ioh. 7. 49. Hi enim ſe natos putant ut in terra defixi ſemper hæreant, quamvis ſcriptura omnes vocet, & ſtupidiſſ. quoſque hujus divinæ philoſophiæ idoneos auditores eſſe profiteatur; idque initio hujus libri, qui tam rudium & inſciorum causâ ſcriptus eſt, quàm eorum, qui ſunt doctiſſimi. Deinde illi ad nobiles rem hanc totam referunt, quibus per ſuas facultates diſcere vacat; cum ipſi manu victum ægrè quęrentes ſe id præſtare non poſſe dicunt. Sic terræ inhiant, cùm ad cœli poſſeſſionem vocantur: ſic in villa ad annos locata occupantur, cùm interim hæreditatem reſpuant! Hoc perſtringit pontificios, qui plebi, ut aberrent à Dei cognitione, ſcripturarum lectionem & auditionem interdicunt.

Ex adiunct. internis homines ſunt
- *ſimplices, qui nulli opinioni penitus adicti facile quovis vento doctrinæ circumferuntur,*
- *ſtolidi, qui in certa erroris face defixi difficulter inde abducuntur, Prov. 26. 12.*

Sic enim ferè totum genus hominum eſt comparatum, ut aut nulli religioni addicti, & de nulla ſolliciti, eam ſequantur, quæ primo ipſis à Miniſtris Satanæ offertur; aut ut aliqua falſa religionis opinione imbuti

imbuti ab illa ægrè abducantur: ex quibus malis prius videtur minus.

Hîc autem expectari potuit, ut, ſicut prius omnes homines in nobiles & ignobiles diſtribuit; ita nunc in ſtolidos, & ſapientes diſtribueret. Sed hominum inſcitia iis adnata (cum à ſummo ad infimum, à Rege ad lignatorem, ab academico Doctore ad rudiſſ. idiotam per ſe nihil prorſus de Deo ſalutari modo intelligant) illud impediit. Nam cum ne nobiles quidem hujus ſæculi in tali educatione, convictus delectu, rerum magnarum viſu, auditu, & experientia quidquam ex myſterio ſalutis norint, aut etiam noſcere poſſint (1. Corint. 2.8.9.) nedum vulgus inficetum, qui nihil præter agros, & boves ſapiunt. Quid, quod ipſa humana ſapientia & doctrina virum verè ſapientem adeò non efficiunt, ut quandoque turpius in religione hallucinandi occaſionem præbeant? Sic Ægyptiis & Chaldæis accidit. Vide etiam Act. 6. 9. & 17. Hinc intelligimus, quæ ſit hominum quorundam inſania, qui, tametſi nunquam animum ſuum ad Theologiæ diſciplinam inſtituunt, ſe tamen in ea ſatis peritos exiſtimant. Quis unquam in humanioribus literis peritus extitit, qui ſcholam, aut academiam non adiit, & in illis addiſcendis operam poſuit? Et tamen facilius illas ſine magiſtro intelligere poterimus, quã doctrinam Dei. Itaque de Chriſto admirabundè dictum eſt; *Vnde hic literas ſcit, cum eas nunquam didicerit?*

Sic fuerunt perſonæ, à quibus captata eſt attentio: ſequuntur res; quæ proponuntur { *ſimpliciter.* / *comparatè.* }

Primum igitur cum ſapientia hominibus dogmata ſua laudet, non imitatur mercatores, qui merces ſuas laudant, ut melius vendant, & plus lucri auferent. (Nam ſi ſapiunt, ſibi ſapiunt; nec bona eorũ Deum attingunt;) ſed potius medicum curationis cupidum, qui medicamentum laudat, ut ægrotum ad illud accipiendnm alliciat.

Primum argumentum eſt ab adjunct. v. 6. quod ſint præcipua axiomata, & dignitatis principibus dignæ; in quibus nihil futile, nihil otioſum, nihil puerile ſit. Nam vel prima elementa, quæ pueri docentnr in hac arte, eximia & præſtantia ſunt. Vide 2. Tim. 3. 16. Pſal. 119. 130. Eccl. 12.12. Prov. 22.20. Verba *Salomonis* videmns quàm avidè & cupidè à regina *Sabæ* percepta ſint: multo autem magis percipi debent verba ipſius Dei. Et ſi verba filij Dei adhuc ſub lege tam præſtantia fuerunt, quanto magis ſub Evangelio! 1. Tim. 3. 16.

Vox נגידים incidat, hæc Dei verba tantum præcellere verbis aliorum, quantum principes excellunt vulgus hominum. Quamobrem ingenui omnes, & vera nobilitate inſigniti illa expetant.

Deinde commendat ab adjunct. rectitudine, vel æquitate. Sic Eccl. 12. 12. affirmatur, illa ſcripta eſſe rectitudine. Et ratio eſt, quia rectâ nos linea ducant ad æternam fœlicitatem, ſine omni flexu, ambage, ſeu declinatione in dextram, aut ſiniſtram, cum cætera omnia ſcripta in obliquum non raro ducant, aut ſaltem poſſint ducere. Quo magis intolerabiles ſunt, qui Dei verbis hominum figmenta tanquam ad ſalutem neceſſaria aſſuunt. Hinc etiam liquet, à recti ſtudio, & amore alienos eſſe, qui Chriſti verba non amplectuntur.

V. 7. *Nam veritatem meditatam effert palatum meum; & abominationi labiis meis eſt* [*efferre*] *improbitatem.*

Alterum adjunct. eſt, quod verba Chriſti ſint omnia certæ & indubitatæ fidei. In

aliorum

aliorum dictis & ſcriptis vera falſis admiſcentur; in verbis autem Dei nihil niſi veritas eſt, uſque eo, ut cœlum & terra interitura ſint potius, quàm ex his ullus apex intercidat: aliorum verba aquam habent vino admiſtam, tenebras luci, auro ſcoriam: ſed verbum Dei quaſi merum merum eſt, lux ſine tenebris, aurem penitus defæcatum. Deinde veritas, quæ in aliis rebus exiſtit, non eſt tam exploratæ fidei, ut animus cujuſquam ſtatim debeat in illa acquieſcere: multa enim feruntur de naturis animalium, & plantarum: multa de Platone, Ariſtotele, Cicerone, & aliis ejuſmodi viris apud hiſtoriam referuntur, quæ vera eſſe fas ſit exiſtimare; attamen illa penitus credere, & & de illis certi eſſe non poſſumus. Fidei autem noſtræ ſubjectum eſt Dei & Chriſti verbum, quod multo certius eſt, quam quod oculis cernimus, manibus contrectamus, aut denique ullis aliis ſenſibus percipimus. Hic de certitudine promiſſionum, & minarum Dei (quo nomine hæc præcipuè dicta ſunt) opportunè dicendum. Hic videmus mendaces eſſe, & mendacio addictos, quotquot Dei verba aſpernantur, aut negligunt: Videmus etiam, quanta ſit naturæ noſtræ perverſitas, qui fidem omnibus expoſitam, vel obviam habemus, præterquam Dei verbo: cui maximè fides adhiberi debet.

Hoc argumentum illuſtrat ab adverſ. quod labia ejus improbitatē abominantur, mendacium omne improbitatem ſtatuens. Ubi primò notandum eſt, verę pietatis eſſe non modò vera dicere, ſed veri amore & ſtudio hoc facere; nec tantum falſa non proferre, ſed odio & abominatione falſi id facere. Multi enim ſunt, qui vera loquuntur, & falſa declinant, ſed nullo tamen vel hujus amore, vel illius odio; ſed aut emolumenti, aut metus, aut honoris causà contrarium facturi.

Deinde & illud notandum, omne mendacium, quod contra veritatem eſt, improbitatem eſſe; ideoq; mendacia etiam jocoſa & officioſa quæ vocantur, illicita eſſe, quocunque pietatis, aut juſtitiæ fuco obvelentur. Vide etiam annon probè huic argumento conveniat, quod in Pſal. dicitur, juſtitiam & veritatem ſe mutuò exoſculari.

V. 8. *Iuſti ſunt omnes ſermones oris mei, nihil eſt in eis contortum, aut perverſum.*

Alterum verbi ſui adjunct. notat, ſcil. juſtitiam, quam ex adverſ. contortuplicatione, & perverſitate illuſtrat. Iudiciis domini duo hæc attribuuntur, quod ſint vera, & juſta pariter. Multa enim verè dici poſſunt, quę tamen perperam dicuntur, & perversè. Nam qui arcanum ſibi commiſſum effutit, aut qui peccatum fratris occultum deblaterat, verum quidem dicit, ſed dictio ejus eſt injuſta, ut qui illud elocutus ſit, quod tacitum eſſe debebat. Sic reſponſa pythonum & ariolorum quandoque vera ſunt, ſed non juſta. Hoc verbi divini adjunct. hominum obſtreperorum ora obturat, qui nonnulla in ſacra ſcriptura pro iniquis & injuſtis damnant, ut de compenſatione boni pro malo, &c. Sicut enim omnium ora occludēda ſunt, ne creaturas Dei inſimulent, cum, bonum eſſe, quicquid ille creavit, affirmetur; ſic duplici quaſi capiſtro conſtringendi ſunt homines, ne in Dei verbum debacchentur. Ex quo etiam illud concluditur, injuſtitiæ labe meritò notari, qui verbum Dei averſantur: item perperam facere, qui exiſtimant, aliquid in verbo Dei comprehenſum nullius uſus eſſe, aut ad ſe non ſpectare.

V. 9. *Illi omnes* [*ſunt*] *obvij pru-*

denti, & recti iis, qui conſequuntur ſcientiam.

Ultimum adjunct. eſt, quod ſint expoſita & obvia, tùm in ſe, tùm in æquitate ſua. Quo ſpectat, quòd lux ſint, & lucerna; quod pueris, atque adeo infantibus proponantur; cum in aliis diſciplinis multo maxima pars obſcura ſit; &, ut quodque majoris momenti eſt, ita etiam difficultatibus magis implicetur: unde etiam illud natum eſt; ἔκδοτα ἀνέκδοτα eſſe. Nemo enim maximorum philoſophorum ne intimus quidem diſcipulus inventus eſt, qui ſui magiſtri arcana & myſteria percepta habuit. Quo deteſtabilior eſt pontificiorum error, qui ſcripturas obſcuritatis inſimulant, quo plebem ab earum lectione arceant. Quamquam optandum ſit, hunc errorem iſtorum eſſe proprium, & non etiam ex Evangelicis multos reperiri, qui, abjectiore animo cum ſint, deſperatione quadam intelligendi à ſacræ ſcrip. ſtudio repellantur. Verumenimvero cum dicat, ſcripturam expoſitam eſſe, ſed intelligenti, & rectam, ſed invenienti ſcientiam, videtur hoc ipſum confirmare, quod pontificij contendunt: quo etiam ſpectat illud, quædam in Paulinis epiſt. eſſe δυσνοητὰ quæ indocti pervertũt. Reſpondeo, intelligentiam & ſcientiam hanc non à natura inſitam eſſe, aut induſtria & literis humanioribus acquiſitam; ſed cælitùs demiſſam, & à ſpiritu Sancto edoctam, cujus intelligentiæ & ſcientiæ rudes perinde ac docti capaces ſunt. Neque illos juvat illud Petri: omnes enim ſcripturæ tam faciles, quàm difficiles perverti poſſunt. Quamobrem ſi quis hic ſe ad ſcripturæ intelligentiam ineptum eſſe dicat, eodem momento ſpiritu ſancto deſtitutum ſe profiteatur. Vide. 1. Cor. 2. 14. 15.

V. 10. *Accipite eruditionẽ meam, ac non pecuniam; & ſcientiam potiùs quàm [aurum] effoſſum lectiſſimum.*

V. 11. *Nam melior eſt ſapientia carbunculis, & omnia oblectamenta non poſſunt æquari ei.*

Hactenùs de priori parte, nempe ſimplici laudatione verbi Dei: ſequitur laudatio per contentionem, & comparationem. Illuſtrat autem verbum Dei à compar. minor. argenti, auri, carbunculorum, denique omnium deſiderabilium in unum quaſi faſciculum & corpus compactorum. Sic Pſal. 19. poſtquam verbi Dei præclara adjuncta propoſuiſſet, illico eadem primo quidem cum auro, & argento, in ſuavitate vero cum melle, & mellis favo componit. Hîc nos igitur excutiamus, quo in honore, quo in pretio verbum Dei habeamus; quo ſtudio, & amore illud complectamur. Quod ſi quis dicat (quod omnes ſanè profitebuntur) ſe pluris verbum Dei æſtimare, quàm deſideratiſſ. omnia; illico ſapientia, ſeu Dei filius hujus profeſſionis experimentum capiet; ſi ipſius adhortationi, quam hîc appoſuit (nempe *accipite inſtructionem, non argentum*, id eſt, potius quam argentum) auſcultet. Hujus autem rei quomodo fidem facient, qui duorum, aut 3. denariorum lucello ſabbatum profanare; qui unius convivij, aut compotatiunculę gratiâ ſe à verbi divini auditione ſubducere; minimarum (ut ipſi profitentur) ceremoniarum ergo ſe miniſterio ejus privare velint?

V. 12. *Ego [ſum] ſapientia, cohæreo aſtutiæ, & ſcientiam ſummæ ſolertiæ præſentem habeo.*

Adverſ. 22. ſumma eſt, Dei filium, & ſapientiam patris omnes veræ ſapientiæ theſau-

theſauros abundè ſuos & proprios habentem eoſdem ſui amantibus ad perfectam & omnibus numeris abſolutam fœlicitatem communicare.

Partes ſunt
- *Sapientiam abſolutè perfectam & cumulatam Chriſto Dei filio ſuppetere ad verſ. 17.*
- *Eandem ipſius ſtudioſis ad perfectam beatitudinem communicari.*

In priore parte i. occurrit, quod aſtutiam dicat, cum ſapientia. i. Dei Filio cohabitare, & ei peritè inſitam & ingenitam eſſe; non autem alicundè perceptam, hauſtamque. Unde illud Joh. 7. Chriſtum ſapientia refertum, cum tamen literas non didicerat: item illud, quod de ſeipſo profitetur, ſe eloqui tantum quæ à Patre didicerat. i. quæ patri conſubſtantialis ab omni æternitate novit. Notum eſt autem homines fontem ipſum potius quàm rivulos ſectari, & bonum quodque inde libenter petere, ubi naturâ ſua creſcit provenitq;. Quod ſi non datur, ſecundo in loco ab his ea petunt, qui fontẽ adierunt; & proinde merces à mercatoribus potius, quàm à cauponibus, & è prima (quod dicunt) manu potius, quàm à ſecunda comparare & emere. Quamobrem ſapientiam ſcripturis conſignatam, tanquam germanam & genuinam ſectemur; cum humana, & mundana ſapientia omnis velut à nativo ſolo tranſlato fæliciter non creſcat, nec lætè proveniat. Hîc aqua velut è fonte petitur, quæ alioqui ex ciſternis hauritur: hic ex flumine, quæ alias ex puteis libatur; ut non ſatis hominum amentiam mirari poſſimus, qui, relictâ divina ſapientia, ad humanas traditiones & figmenta tranſvolant.

Vocabulum, *aſtutia*, derivatur à voce, quę ſignificat, *nudum* eſſe, ſimilitudine ducta ab hominibus veſtibus ſuis exutis, quo ſe facilius & agilius in omnes partes flectant & verſent. Quamobrem aſtutia hoc loco in bonam partem ſumitur; non pro fraude, aut dolo, ſeu vulpina aſtutia & verſutia, ſed pro illa ſapientia, quæ hominem inſtituit, quomodo ingrediatur, & egrediatur, quamque in toto vocationis ſuæ curſu viam ineat, ubi pergat, ubi inſiſtat; ubi cedat, ubi obſiſtat; ubi loquatur, ubi taceat &c. Sic lege divina Dei ſervus cautus factus dicitur Pſal. 10. & ſervator Chriſtus ſerpentinam aſtutiam nobis commendat. Mat. 10. Plerique autem exiſtimant, pietatem nihil aliud eſſe, quàm ſtoliditatem, & pios omnes ſtolidos, & incautos eſſe; pietati ſe addicere non poſſe, quin illicò prudentiæ, & cautioni nuncium mittant. Solomon verò contrà ſtatuit, veram Dei notitiam conjũctam ſibi habere aſtutiam & calliditatem quandam. Sic de Davide dicitur homine longè piiſſimo, eum in omnibus prudenter ſe geſſiſſe eouſque ut vel ipſe Saul eũ eſſe aſtutum confirmet. Verum quidem eſt, jubere Chriſtum ſimplicitatem columbinam, quæ à fraude & vafritie quàm longiſſimè abſit: ſed interim tamen mandat in rebus gerendis prudentiam, & circumſpectionem.

Adjungit, ſcientiam ſolertiarum, vel ſolertiſſimã ſcientiam penes ipſam eſſe. In quo ſiquid à priore diſcriminis ſit, hoc eſſe videtur, quod aſtutia illa Dei ſapientia ſit, qua pericula nobis ſtructa, & inſidias collocatas declinamus; ſcientia autem ſolertiarum ſit illa Dei ſapientia, quę cogitationes ſolertes & acutas ſuppeditat velut ad bonum aliquod nobis afferendum, vel malum hoſtibus inferendum.

V. 13. *Reverentiam Iehovæ odium mali: faſtum & elationem, viamque mali, denique os perverſitatibus deditum odi.*

Hîc excipiet forte aliquis, ſapientiam, de qua prius dictum eſt, reconditam, & abſtru-

abſtruſam eſſe; ſubtilem, & plenam ſpeculationis: cui occurrit, illam ſapientiam non eſſe tam contemplativam, quam practicam. Ejus enim pars maxima, imo ferè tota, aut certè quaſi totius compendium quoddam in Dei timore & reverentia continetur: de qua vid. ſuprà c. 1. Hanc definit ſynecd. odio mali, eo ipſo amorem etiam boni complectens. Ubi notandum eſt, qui ſint verè pii; hi ſcil. qui non tantum malum declinant, & bonum faciunt; ſed qui malum odio mali fugiunt, bonum amore boni proſequuntur. Sæpè enim videas, qui bonum faciant, aut malum fugiant ex conſuetudine, aut educatione ſuâ, legum præmiis aut pœnis, infamiâ, aut honore propoſitis permoti. adducti famâ aut populari aurâ quam captant: ſed qui verè pij ſunt, utrumque faciunt, utcunque nulla eſſet aut pœna, aut præmium, nulli aut cæli, aut inferi, nulli aut Angeli, aut homines; qui tantum unius ſuæ conſcientiæ oculo, & Dei theatro contenti ſunt. Quid quod non tantum amare, ſed deamare bonum, & zelo quodam deperire; contrà malum non tantum odio habere. ſed deteſtari cōtendunt? Malum, quod primum in genere dixerat, jam per ſpecies & partes explicat. Ubi primum per faſtum & arrogantiam occultas animi cogitationes deſignare videtur: commodè autem & opportunè faſtus & arrogantiæ inteſtinæ mentionem facit, potius quã aliarum animi corruptelarum, quod arrogantia & faſtus radix, ſeu fons ſit, & mater aliorum vitiorum. Huic congruenter facit Paulus Eph. 4. qui bonorum operum ſtructuram & ædificium excitaturus, illis omnibus ταπεινοφροσύνην ſeu humilitatem tanquam fundamentum ſeu radicem ſubſternit. Iſtis cogitationibus ſubjungit viã mali id eſt facta improba. Denique oris perverſitatem ſeu ſermonem improbum, maximè ſimulatum, cum animo unum cogitante, aliud lingua loquatur. Ubi etiam notandum eſt ſummam pietatis in eo verſari, ſi quis illa odio habeat & amet, quæ Deus odio & amore proſequitur. Unde etiam illud. *Hoc habes quod odiſti opera Nicholai: quæ & ego odi.* Revel. 2. Sicut enim apud homines amicitia cernitur eorundem fugâ & amore, ſic noſtram etiam cum Deo conjunctionem eodem modo probare convenit.

V. 14. *Meum [eſt] conſilium, & quicquid eſt, mea [eſt] prudentia, meum robur.*

Parum fuerit cogitationes & inventa peracuta habere, niſi eadem conſilio firmentur & ſtabiliantur. Sic enim Salomõ *cogitationes ſine conſilio diſſipantur; ſed quæque earum conſiliariorum copia ſtabit.* Prov. 15. v. 22. Iam conſilium hoc ſuum & proprium profitetur Chriſtus, ut qui ſit à patre *admirabilis conſiliarius deſignatus.* Iſa. 9. Quamobrem ſi quis ſana & conſulta conſilia capere velit, hîc Chriſtum accedat, qui ſe verbo ſuo patefacit. Ut enim conſilia Dei omnium firmiſſima ſunt & optatum exitum aſſequuntur, hominum conſiliis penitus fractis, & diſſipatis; Pſal. 33. v. 5. Sic conſiliũ illud quod nobis in verbo dictat Chriſtus, ut quod ab illo profectum eſt, quàm proximè ad firmitatem accedit. Hinc eſt illud, *proſpere ſuccedere omnia quæ pius aggreditur.* Pſal. 1. Hujus rei egregia exempla exiſtunt in Ioſepho, Iacobo, Davide, aliiſque eximiis Dei ſervis. Contra ſcriptura teſtatur improbos ſuis propriis callidis conſiliis irretitos teneri. Unde conſilium à Chriſto prębitum, ſolidum, & (ut ita dicam) ſubſtantiale conſilium vocat. Hinc eſt quod David Dei doctrinam ſibi à conſiliis & pro ſenatu fuiſſe confirmet Pſal. 119. Neque enim aliter Chriſtus Dei Filius nobis eſt conſiliarius à patre datus, niſi ei in verbo ſuo conſu-

conſulenti aurem adhibeamus Quamobrem, ſive in declinandis malis nobis aliundè importatis;ſive in perſequendis bonis, Dei in verbo ſuo ſapientia nobis in conſilio adhibenda eſt.

Addit *ego ſum prudentia*. Quo dicto, ſicut ſuperius ſapientiam in capiendis conſiliis; ſic in illis exequendis & adminiſtrandis prudentiam ſignat. Nam utcunque ſapienter conſilia inita ſint;tamen, niſi prudenti quadam οἰκονομίᾳ & diſpenſatione procurentur, caſſa & irrita fiunt. Hanc etiam ſapientiam Chriſtus ſuis verbis ſtudioſè ſuppeditat.

Adjungit, apud ſe haberi robur & vires & nervos, quibus conſulta in exitum & eventum educantur. Tametſi enim ad res gerendas plus ponderis habeat conſilium quam robur; nihil tamen ſine verbis effici & expediri poteſt, Iſa. 39. v. 5. quarum ſi participes fieri cupiamus, ad quem niſi ad earem fontem Chriſtũ nos recipiamus: ad quem tamen niſi,in verbi ſui ſapientiâ accedere non poſſumus. Ille enim eſt Deus exercituum, ei ſunt currus & equites;ejus ſunt argentum & aurum; is eſt qui Davidi vires ſuppeditavit, quibus arcus Chalubeus brachiis ejus frangeretur;qui illam pernicitatem ſubminiſtravit, qua murum potuit tranſilire; & qui *pedes ejus celeritate damis æquavit*; Pſ. 18. Denique is eſt cujus beneficio quinque centum,centum mille,imo unus mille denique pauci multos in fugam vertunt, Quamobrem ſi ingenuas cogitationes ſi conſilia ſana, ſi prudentem conſiliorum adminiſtrationem, ſi denique robur expetimus, aut in Chriſto, verbi ſui ſtudio, & amore illa conſequimur, aut ubi illa quæramus locus non erit.

V. 15. *Per me reges regnant, & dominatores decernunt juſtitiam.*

V. 16. *Per me principes gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ.*

Hæc omnia ſcil. aſtutiam, acutas cogitationes, conſilium,prudentiam, denique robur abunde à quovis pio inChriſto obtineri poſſe docet,Argumentum majoris: quia reges,ſenatores,ingenui judices omnes ab illo habent,quo imperia,regna,reſpubl. fæliciter adminiſtrent: ut nihil dubitare debeamus nos,quin res noſtras privatas & minoris momenti tractaturi&curaturi ſimus, dummodò in illis tractandis Deum in conſiliis adhibeamus. Hujus rei locuples teſtis eſt tota hiſtoria ſacra, quæ illas reſpub.fæliciter adminiſtratas docet, quæ ad præſcriptum verbi à piis regibus, & toparchis,aliiſque magiſtratibus adminiſtratæ ſunt.Si igitur amplæ reſp. tanquã Argonautarum naves rectè&fæliciter adminiſtratæ ſint; multò magis oppida, familiæ, & demum ſingula hominum capita, ejus normâ & ductu, tanquam cymbæ,ſuas res ex voto conficient.Atque hactenus de priore parte:ſequitur pars altera de ſap. ad beat. communicandâ.

V. 17. *Ego amantes mei animo, & ſtudioſè quærentes me inveniunt me.*

Fontem communicationis bonorum iſtorum omnium, atque adeo perfectę & cumulatæ beatitatis notat Dei amorem, qui veluti fundamentum & radix primus eſt: & electionis noſtræ ante jacta mundi fundamenta:nedum eorum quæ Deus nobiſcum in hac vitâ communicat. Qui quidem amor nullis noſtris operibus nititur; ſed unius Dei beneplacito: ſicque Apoſt. ſolum Dei amorem cauſam eſſe judicat, cur ſe pro ipſo tradiderit: Gal.2, 20. in quo & propter quem omnia nobis communicantur. Ab hoc tamen alienum

videri poteſt, quod ſubjicit, ſe amantes ſui amare; ac ſi primus Dei in nos amor, ex noſtro in eũ amore naſceretur: quod longè ſecùs ſe habet: quandoquidem ſicut Jacobum dilexit antequam boni aut mali aliquid feciſſet;ſic & electos omnes. Unde illud, *in hoc conſiſtit Dei amor, non quod nos illum dileximus; ſed quod dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiatorium pro peccatis noſtris.* 1. Ioh. 4. 10. Rom. 5. 6, 7, 8, 11. Quod igitur dicit Deum amantes, ſe amare, ſingulari piorum conſolationi proponitur, quò eos de paterna charitate Dei certiores faciat. Si enim *Deus tum nos dilexit cum inimici ejus eramus*, & ſua bona nobiſcum communicavit;*nedum reconciliatis & in Filios adoptatis hoc faciet magis.* Rom. 5. 9. 10.

Hinc conſtat hanc Dei munificentiam omnibus non patere: ſed tantum ipſius amatoribus expoſitam eſſe. Quod ſi quis occurrat, neminem eſſe tam perditum, & profligatæ vitæ, qui Deum non amet: illicò regerit Sal. Dei amorem effecto eum quærendi, idque ſtudioſè & maturè comprobari: hoc enim modo cognoſcuntur facilè probi ab improbis, pij ab impiis. Sic Pſ. 27. [Quærite faciem meam: faciem tuam requiram, Domine.] Cum enim homines Deum aut non quærunt, aut illum frigidè quærunt, qui mundum & mundi voluptates avidè conſectantur; palàm faciunt ſe mundi magis, quàm Dei amore duci. Sic Pſ. 97. Alio effecto amoris Dei pios diſtinguit, cùm dicit: [vos qui Deum amatis, odio habete malum.]

In hoc officio nos confirmat adjunct. promiſſione nos illum inventuros. Sicut etiam Chriſtus docet *quærite & invenietis* &c. Mat. 7. Quod quidem non eò dictum eſt, ac ſi Deum antevertamus eumque inveniamus prius quàm ille, nos inveniat: cum Iſ. cap. 65. v. 1. docet *Deum inventum eſſe à non quærentibus ipſum*: ſed ut piorum animis ſcrupulum eximeret, certoſque faceret Deum quærentibus ipſum obviam eſſe, cùm ab ipſo fugientibus ſe in occurſum dederit: ut in Adamo, Paulo, & pleriſque aliis liquet.

V. 18. *Divitiæ & honor penes me* [*ſunt*,] *ſubſtantia perdurans & juſtitia.*

Alio argumento nos animat & confirmat in amore ſuo, & inveſtigatione, ab adjunct. promiſſione divitiarum & honorum, quæ penes illum ſunt. Sic Chriſtus *primum quærite regnum Dei, deinde omnia hæc adjicientur vobis* Matth. 6. Item, *qui Filio ſuo unigenito non pepercit, ſed illũ pro nobis dedit; quomodo non omnia cum illo dabit?* Rom. 8. Hîc igitur hominum perverſitatem notemus, qui primùm divitias & honores quærunt; deinde Deum: primùm hujus vitæ commoda; deinde regnum cælorum: primum immunitatem à malis: deinde Dei Filium, cum contra fieri deceret, hoc ipſo meretricios amores imitantes, quæ magis ſectantur annulos, aliáq; dona, & pignora amatorum, quam ipſos amatores. Deinde etiam hoc illis imponit, quod pietatis ſectatores divitiis & honoribus excluſos arbitrentur; cum eorundem jus & poſſeſſio ad pios ſpectet, tanquam ad veros Dei cultores, cujus unius eſt honores & divitias conferre. Quis enim tam demens eſt ut regis theſauros hoſtibus & refractariis potiùs, quã ſuis amicis & civibus patêre oportere cogitet? Poſtea 3. argumento nos ad Dei amorem & inquiſitionem excitat ab adjuncta promiſſione juſtitiæ, quam primũ amplificat ſimilitudine divitiarum durabilium & permanentium. Quemadmodum Paulus 1. Tim. 6. pietatem docet eſſe divitias magnas: item Chriſtus, Luc. 12. 21. *ſic omnis, qui theſauros ſibi colligit & non eſt dives Deo.*

Verſ. 19. Melior [eſt] fructus meus [auro] effoſſo, & quidem purgatiſſimo, & proventus meus argento lectiſſimo.

Poſtea hoc ipſum argumento minoris confirmat, auro ſcilicet effoſſo & purgatiſſimo; item lectiſſimo argēto: nam hæc, utcunque firma, dilabuntur tamen & diſpereunt; cum juſtitia nunquam nos deſerat; ne in morte quidem.

Verſ. 20. Per iter juſtitiæ deduco; per medias ſemitas juris.

Docet quid illud tandem ſit quod eſt argento & auro pręferendum; nempè cum nos deducat Deus in orbitâ juſtitiæ; & per medium ſemitarum judicij. Hîc igitur nos ipſos examinemus quo ſimus animo erga juſtitiam, an illam præferamus divitiis, voluptatibus cæteriſquè vitę commodis.

Verſ. 21. Efficiendo ut poſſideant amantes mei id quod eſt, denique theſauros eorum impleo.

Confirmat pręſtantiam juſtitiæ præ divitiis, ab effecto nos perfectè beatos reddendi quam quidem beatitatem amplificat, primum ad adjunct. firmitate, ſtabilitateque, dum illam יש: id eſt, ſubſiſtentiam vel ſubſtantiam vocat. Perinde ac ſi divitiæ, honos, & cætera omnia hujus vitæ commoda reverâ non eſſent; ſed eſſent tantum umbræ, & figuræ rerum imaginariæ, quæ hominum magis opinione, quã reipſâ ſint: vide. 1. Cor. 7. Quâ in re perverſum hominum judicium refellunt, qui tanti divitias faciunt, ut illas ſolùm ſubſiſtere exiſtiment, & earum Dominos (ut ita dicam) ſubſtantiales vocant. Deinde amplificat beatitatem hanc ab adjũct. perpetuitate, quam illuſtrat ab adjunctâ ſimilitudine hæreditarię poſſeſſionis, perinde acſi cætera omnia evanida eſſent, & inſtar bonorum (quod dicunt) mobilium, cùm hæc una hæreditatis nomen mereatur. Tertio hanc beatitatem amplificat ab adjunctâ plenitudine, & bonorum cumulo undique perfecto, cùm dicat eorum theſauros eſſe complendos. Nec tamen hinc ſequitur meritum aliquod bonorum operum, cum non meritoriam cauſam, ſed viam & rationem oſtendat, quâ ad beatitudinem pervenitur.

Verſ. 22. Iehovah poſſidebat me principio viæ ſuæ, ante opera ſua, ante ullum tempus.

V. 13. *Ante ſeclum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ.*

V. 24. *Quum nullæ eſſent abyſſi, edita eram: quum nulli eſſent fontes graves aquis.*

V. 25. *Quum nondum factum eſſet ut montes demerſi incumberent [terræ,] ante colles edita eram.*

V. 26. *Adhuc non fecerat terram, aut rura: imo principium, pulveres orbis habitabilis.*

V. 27. *Quum aptaret cælos, ibi eram quum ſtatueret ambitum in ſuperficie abyſſi,*

V. 28. *Quum fortificaret ſuperiores nubes supernè, quum roboraret fontes abyſſi,*

V. 29. *Quum imponeret mari ſtatutum*

tutum ſuum, & aqueis, ne tranſgrediantur [præſtitutum] oris ipſius; quum ſtatueret fundamenta terræ.

V. 30. *Cùm itaque ſim apud eum, educans, & ſim deliciæ quotidianæ lætificans coram eo omni tempore,*

V. 31. *Lætificans in orbe habitabili terram ejus, atque delicijs meis filios hominum:*

Poſtquam de verbi divini præſtantia, & perfectione, qua diſcat à cæteris rebus omnibus, nec non de iis qui fruentur ipſo cum divitiis ejus, abunde jam dictum fuit: quis author ejuſdem ſit, in ſequentibus explicatur: æternus nempe Dei filius, à cujus perſonæ dignitate, verbum illud ſic illuſtratum habemus.

Verſ. 22. Pater me habebat, quum ego & ipſe incipiebamus operari primo, imo ante ejus opera, vir: in principio viæ ſuæ, priuſquam aliquid operatus fuiſſet, quod ab hominibus vel videri vel etiam cognoſci poteſt, & priuſquam quis dicere poteſt *tunc*, id eſt ante omne temporis momentum.

Verſ. 23. Et ab ipſo principio inuncta fui, mirabilem poteſtatem & gloriã cum ipſo poſſidens: etiam quum primordia terræ non exiſtebant, id eſt molis illa terram ſimul & aquam continens, quę rebus omnibus fuit inſtar materiæ.

Verſ. 24. Quum adhuc nulla fuit abyſſus, quæ pars altera fuit inconditæ molis: multo magis, quum nulli eſſent fontes graves aquis.

Verſ. 25. Ante firmos aliquos montes, vel terræ ſiccæ fundamenta (ſic enim ad aridam accedit, poſtquam de liquida parte dixiſſet.)

Verſ. 26. Ante terram conditam: non ſolum in principio, ſed & ante principium, & pulverem ipſum orbis.

Verſ. 27. Denique, ante omnem cœlorum ornatum, (primo enim cœlum ac terra involvebantur ſimul, & quaſi fermentabantur aqua) tunc eram ibi & operabar una, quum ſtatueret ambitum, & quaſi circulum duceret, qui terram cingeret, id eſt expanſum cœlorum.

Verſ. 28. Aderam ego, quum quaſi fixas conſtitueret nubes, quas etſi graviores, in aere ſubtili pendere facio, per potentiam illam quam cum patre & ſpiritu eamdem habeo: ſicut & abyſſi juſſu meo ſuum tenent locum.

Verſ. 29. Oceano ipſi limites dedi certos, ita ut terminos à me præſcriptos non tranſgrediatur unquam: quod terra etiam ſic ſuper nihilo ſuſpenſa eſt, quaſi firmiſſima aliena niteretur baſi, hoc totum factũ eſt me authore.

Verſ. 30. Hæc omnia faciente patre meo una cum ſpiritu, eram apud ipſum tanquam alumnus, perpetuæ ipſius delitiam adferens ſummam.

Verſ. 31. Hoc tamen fęliciſſimo non obſtante quem apud patrem fruebar ſtatum, ſic filiis hominum delector, ut cum iis verſari lubet, & benedictiones omnigenas communicare.

Sermonis hujus eo ſpectat ſumma, ut efferri poſſit authoritas Chriſti, & exinde ſapientiæ ejus vel verbo ſcripto, concilietur etiam authoritas juſta.

Partes ſunt { *Authoritas Chriſti.*
Finis, ratione cujus introducitur.

Authoritas Chriſti declaratur ex ejus æternitate, antiquitate, immortalitate, & eſſentia à verſu 22. uſque ad 27. & ex operibus ejus magnificis, verſibus ſequentibus.

In primis illis verbis, ſeptuaginta interpretes cum errore ſummo poſuerunt pro *poſſidebat me*, *creabat me*, quod avide arripere ſolent Ariani omnes. ſed quod ſe-

ctam

ctam Arianam plane jugulat) aureum illud Iohannis effatum, *in principio erat ſermo ille, & ſermo ille erat apud Deum, eratque ille ſermo Deus*, ex iſthoc loco quaſi mutuo deſumi videtur.

Sententiæ reliquæ licet variæ ſint, unicam continent doctrinã, illam ſcil. quam habet Paulus: *Eſt imago Dei inviſibilis, & primogenitus omnium creaturarum: fuit ante omnia, &c.* Coloſſ. 1.15.16.17. Si in principio tantum fuit & non antè, tum inter creaturas numerari debet. nihil ante creaturas omnes fuit præter creatorem ſolũ. Chriſtus igitur eſt creator omnium. Nec magis unquam ſine Chriſto Deus fuit, aut fingi poteſt fuiſſe, quam ſine ſapientia & ſermone ſuo : hæc enim relatio illa eſt quæ inter Deum & Chriſtum intercedit. Sed ad lucem iſtam accedere nemo poteſt & non conſumi. Splendorem ejus ferre ne Angeli quidem valent, ſed faciem ſuis alis obvelare dicuntur, Iſai. 6. quia majeſtatem hanc non audent intueri. Neque mirum ſane, quum ſolis ipſius lumen aſpectantium oculos perſtringere ſolet intentos. In effectis tamen lucem hanc inacceſſam, quaſi reflectionis ope, ſatis clare videmus: atque hoc illud eſt quod proponitur his verſibus à ſpiritu Sancto.

Quum enim primo in loco dixiſſet in genere fuiſſe eum *in vijs Dei*, declarat idem poſtea ſigillatim per omnes operum ſpecies, in quibus eſt via Dei. Rem unam igitur hæc omnia confirmant, & eo ſpectant. ut verbi divini æternitatem demõſtrent, in illa ſcilicet efficaci vi qua vel ad ſalutem perducit vel ad deſtructionem. Immortale ſemen eſt hoc verbum, 1. Pet 1. 23. atque adeo participes eos immortalis facit gloriæ à quibus recipitur : ſicut & iis à quibus rejicitur, confuſionem etiam immortalem adfert. Sic ad Hebræos Apoſtolus, quum excellentiam Chriſti in primo declaraſſet capite, infert in initio ſecundi, eo magis oportere nos attendere ea quæ audivimus, ne quando perfluamus.

Actionũ quæ Chriſto tribuuntur duo ſunt genera
- *In mundo erga nos, creatio rerum omnium.*
- *Ante mundum erga Deum delectatio Dei patris & ſpiritus, quæ mutua fuit.*

In operibus vero mundanis non effectio ſola ſpectanda proponitur, ſed & aptatio ac exornatio: quamvis enim effectio tribuitur ſublunaribus iſtis, & aptam exornationem ad cœlos applicat, utraque tamẽ ad omnia Dei opera pertinet. Cum his etiam obſervare monemur continuationem illam, quæ ut ſpectabilis eſt in omnibus creaturis, ſic in terræ ſitu, in ſuſpenſione nubium, & maris immenſi tam ſtabili cohitione, providentiam conſtantem indicat maximeque mirandam, Job. 26. Ier. 5. 22.

Horum omnium operum hic uſus eſt, ut Deum revereri & colere diſcamus ratione potentiæ ejus : quod multo etiam magis debemus facere quum Deum ipſum ſpectamus, in quo plus multo potentiæ ineſt quam unquam adhuc exeruit. Nec revereri Deum debemus tantum, ſed & amare etiam ratione ſapientiæ illius infinitæ quæ in iiſdem operibus reſplẽdet.

Ex delectatione illa mutua quæ inter patrem & filium ab æterno fuit, beatitudinẽ divinam percipere poſſumus: & noſtram etiam fœlicitatem, qui Chriſtum habemus pro nobis agentem & intercedentem, in quo delectatus eſt & acquievit pater ab æterno.

Verſ. 32. Nunc igitur filij auſcultate mihi : beati enim [ſunt qui] vias meas obſervant.

V. 33. *Audite eruditionem & ſapite, & ne [vos] abſtrahite.*

V. 34. *Beatus homo qui auſcultat mihi, ſedulò inſiſtendo foribus meis quotidiè; obſervando poſtes oſtiorum meorum.*

V. 35. *Nam qui conſequitur me, conſequitur vitam, ut provehit benevolentia à Iehova.*

V. 36. *At qui peccat in me, vim facit animæ ſuæ: omnes oſores mei amant mortem.*

Univerſam ſuperiorem doctrinam à cap initio ad uſum acommodans ad verbi obſequium propoſito fœlicitatis prẹmio adhortatur.

Partes ſunt
- *Summa adhortationis breviter propoſita, v. 32.*
- *Eiuſdem per partes uberior explicatio verſ. reliquis.*

In priore notanda
- *Adhortatio.*
- *Ratio cui incumbit.*

Adhortatio eſt ut Deo in verbo obtemperemus. Nam cum ſe audiri poſtulat Deus, non nudam verbi auditionem duntaxat requirit; ſed conjunctum cum auditione obſequium; ideoque illâ hîc conſtructione verbi utitur, quâ obſequium indicet; eoque altero hemiſtichio, quid prius dixit: *Adite me*, appellat viarum ſuarum obſervationem. Sed ob eam cauſam verbum audiendi uſurpat, quòd auditione ad obſequium pervenitur. Sic Pſal. 40. auris perforatione, ſeu ut Apoſtis loquitur, præparatione Chriſti obſequium ſacrificiis legalibus oppoſitum deſignatur. Idcirco ἐξηγητικῶς, eodem Pſalmo ſubjicitur Chriſtum oblectari voluntatis divinæ obſequio, & doctrinam Dei in medio viſcerum ejus velut inſculptam eſſe. Nam ut ſatione meſſis, congreſſu fœtus, plantatione arbor, nutritio cibi comeſtione: ſic auditione verbi obſequium. Quamobrem perinde abſurdum eſt, ut quis obſequium ab eo præſtoletur, qui verbi divini auditione non occupatur; ac ei largam meſſem ex iſta terra exſpectaret, quæ nec ſemen gremio ſuo exceperit, nec rorem cœli imbiberit. Quodcirca in Papatu, ubi opera tantoperè jactantur, præſertim Eleemoſynæ, nullum eſt obſequium, obedientia nulla: Sed nec ab his qui ſe Evangelicos jactitantes, nullo ſtudio aut ſollicitudine verbi audiendi tenentur.

Ratio duplex adnectitur: prior à relatis filiorum, quod illis tribuitur non purè, ſed hac lege ſi Deo obſequentur. Sicut enim Apoſt. affirmat Deum ſe patrem his exhibere qui ejus correctionem non aſpernantur, Hebræor. 12. ut & Proverb. 3. 11. 1. Ioh. 3. 1. ſic hoc in loco ſe patrem his offert, qui ei ſe in obſequiū dedunt. Quamobrem cum ſumma & ampla ſit dignitas filiorum Dei; ſtudeamus obſequio ex verbi auditione hanc dignitatem tueri: Alioqui filij quidem appellabimur; ſed ut in Iſa. 1. 2. *Filij rebelles & ſuppoſitij.* &c.

Altera ratio eſt ab adj. fœlicitate quæ obſequentibus obvenit: ſic Luc. 8. 21. 11. 28. Multi multam operam poſuerunt in inveſtigandâ fœlicitate: omnes fœlicitatem expetunt, & magnis itineribus, & laboribus, & ſumptibus comparare parati ſunt: Quanta igitur hominum perverſitas, qui quod tam avidè cupiunt, in harum viarum obſervatione oblatum reſpuunt? Nec tamen idcirco dixerimus fœlicitatis cauſam eſſe obſequium noſtrum; tametſi fœlices ſunt qui obſequuntur: ſalutem enim comitantur, quæ ſalutis cauſæ non ſunt: ſicut fervorem & ardorem ignis ſiccitas; & aquæ humiditatē frigiditas, &c. Quod diſertè poſt notatur, verſ. 35. hanc ne quis merito operum adſcribat.

Sequitur

Sequitur pars altera de uberiore prioris ſumma explicatione: ubi exponitur. { *Primo obſequium 2. verſilus,* *deinde fœlicitas ex obſequio, reliquis.*

Verſ. 33. Priùs de obſequio exponit, & obſequium arguit à præcipuâ & difficillimâ ejus parte, ac ſi à comparatis majoris cauſam concluderet.Perinde ac ſi in hunc modum diſſereret;Qui accipit& admittit correptionem, nec ſe à Dei obſequio ob caſtigationẽ ſubducit,is per omnia officia Deo obſequens futurus eſt: Quamobrẽ cum infinitum ſit omnes Dei vias & ſemitas peragrare, in quibus ſe fidelis obſequioſum præſtare debet;in hoc uno vel maximè experientiam obſequij capiam, ſi in malis pro veritate perferendis, conſtans & firmus maneat. Prov.24. docet anguſtas eſſe ejus vires, qui ſe die anguſtiæ ignavum & diſſolutum præſtitit: eoque contrà conſequi,eum qui perſtiterit die afflictionis, invictæ virtutis eſſe, 2. Tim. 2. 11. Iacob. 1. 12, ſic Rom. 5.patientia probationem affert,id eſt,docet hominem probatum eſſe, Math. 13. pro bonâ terrâ habetur quæ æſtu perſecutionis non exareſcit; maximè ſi quis ſe non ſubduxerit, Heb. 10. 38. Deinde hanc patientiam& longanimitatem commendat ab adjunct. ſapientiâ, vel potius quam ipſam ſapientiam appellat. Vide Jacob. 1.5.Vide etiam an huc referri poſſit quod eſt Prov. 3. 13. In quo occurritur depravatæ vulgi opinioni,qui ſtultitiæ tribuunt, & ſtupiditati, ſi quis patientiâ injurias devoret.

Verſ. 34. Aliam partem auditionis obſequioſæ notat in exporrecta & ſollicita attentione& inveſtigatione voluntatis divinæ: quod illuſtrat à ſimil.ducta à clientibus, qui ſtudioſè manè & ſero portas advocatorum, aut judicum obſervant, & ad illas excubias agunt. Vide Math. 7. pulſate & aperietur vobis.Item 1. Sam.2, de fœminis ad portam tabernaculi excubantibus.Hujus rei egregium exemplum exiſtit, Actor. 10. in Cornelio. Vide apud Ezech. 46. 10. Quomodo regi præcipitur, ut templo initio adſit liturgiæ, & ad finem uſq; perſtet. Huc accedat quod prius docuit v. 17. hujus cap. ubi alia ſimilitudine hanc doctrinam illuſtrat, ducta ab his qui primo mane ſurgũt,ut rem aliquam operæ precij adipiſcantur.

Verſ. 35. Sequitur pars altera de fœlicitate ex obſequio manante: quæ fœlicitas arguitur ab adjunct. vita æternâ,quam conſequuntur obſequentes & veram ſapientiam conſequuti. Omnes vitam expetunt, & eam præſertim longam, quovis pretio rediment; cum propter multiplices miſerias admixtas morti ſimilior ſit hæc vita, & vitæ potius umbra, quam vita, præſertim quæ extra Chriſtum eſt. *Vidua petulans vivens mortua eſt.* 1. Tim. 5. *Et ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos,* Math. 9,

Verſ.36. Aliud argumentum ab adverſâ in fœlicitate, & morte eorum qui adverſus hanc Dei ſapientiam ſe opponunt & in illam peccant. Ubi αὐτοκτόνοι & ſui oſores nominantur. Qui animam ſuam ſervat, eam, perdet; & qui illam præter officium amat, illam odio habet. Eoque docet quod dicitur, Prov. 9. 12. ſi ſapies, ſapies tibi; ſin improbè feceris, tu feres, ſubaudi damnum.

CAPUT IX.

Verſ. 1. Summa ſapientia ædificavit domum ſuam, excisis columnis ſuis ſeptem.

V. 2. *Mactavit animalia ſua;*

miſcuit vinum ſuum, etiam inſtruxit menſam ſuam:

V. 3. *Et miſſis puellis ſuis, invitat per collegia & loca excelſa urbis,*

V. 4. *Quiſquis fatuus, diverti to huc,* [*quiſquis eſt*] *demens, dicit ei.*

V. 5. *Venite, veſcimini cibo meo, & bibite de vino* [*quod*] *miſcui.*

V. 6. *Relinquite fatuos, & vivite, ac incedite per viam prudentiæ.*

V. 7. *Qui erudit deriſorem, recipit ſibi ignominiam; & qui corripit improbum,* [*recipit*] *convicium ſibi.*

V. 8. *Ne corripito deriſorem, ut non odio proſequatur te: corripe ſapientem, & amabit te.*

V. 9. *Da ſapienti, ut ſapiat amplius: notum fac juſto, ut augeat diſciplinam,*

V. 10. *Principium ſapientiæ reverentiam Iehovæ, & agnitionem ſanctorum prudentiam.*

V. 11. *Nam per me multiplicabuntur dies tui, & adjicientur tibi anni vitæ.*

V. 12. *Si ſapias, ſapies tibi: ſin deriſor eris, ſolus reportabis.*

PRopoſitâ Dei erga mortales munificentiâ ampliſſimâ, qui demum ſint ejus beneficij participes exponit.

Partes { *Chriſti munific. erga mortales ampliſſima 3 verſibus* / *Subjectum tantæ munificentiæ, reliquis.*

Prior pars parabolâ & ptopoſitâ ſimilitudine illuſtratur; cujuſmodi eſt, Math. 22. & Pſal. 23. hoc conſilio ut altiùs animis inſideat quę parabolâ proponitur doctrina tam neceſſaria & illuſtris. Atque ut ſuperior concio 8. cap opponitur blandæ & illecebroſæ meretricis orationi; ſic hęc parabola de convivio, ejus convivio tanquàm adverſa objicitur.

Vbi duo conſiderantur { *Inſignis theſaurus quem Deus mortalibus præparavit verſibus duobus.* / *Ratio eundem communicandi verſibus 3.*

Priore parte Dei munificentia nobiliſſimæ fœminæ peſona adumbratur; ſicut Math. 22. ſub regis auguſtiſſ. effigie, ut intelligatur magnum & lautum quid eſſe, quod à tanta majeſtate & celſitudine proficiſcatur. Simul etiam perſiſtit in allegoria ſuperioris capitis, ubi dixit ſe oblectari filiis hominum.

Præparatio in duobus verſatur { *Structurâ Palatij ſeu ædificij regij,* / *Menſâ lautiſſimâ inſtruendâ.*

Quod docet ſapientiam ſeu Dei filium extruxiſſe palatium ſeptem, id eſt, infinitis columnis impoſitum, cum forma ædificij, tum vero amplitudine ipſa regium fore ſubinnuit. hinc aparet quàm inſipiens & frivolum ſit 7. ſacramentorum inventum, quoad ex his verbis fundatur: deinde firmitas hujus palatij notetur 7. columnis, ut Math. 16. ſuper hanc Petram.

Materia autem ædium iſtarũ celebratur à Salom. Cantic. 1. 17. Tigna enim dicuntur eſſe cedrina & ambulacra ſeu παραδρομίδες ex brutis. Hac autem ſtructuræ magnificentia indicatur Eccleſiæ præſtantia in hoc ſeculo 1. Tim. 3. & cœlorũ ſplendor, qui ſæculo futuro nos præſtolatur,

ſtolatur, de qua re, vide 2. Cor. 5. Atque ut hîc ſplendor; ſic tutum ejus præſidium notatur, Pſal. 23. ſub ſimilitudine ſeptorum & caulis ovilis. & Iſa. 26. 1. comparatur munitæ urbi, quæ muro & antemurali ſalutis cingitur. Cujus quidem introductionis in eccleſiam baptiſmus nunc, ut olim circumciſio pignus eſt, & teſſera. Ex quo liquet primum nos eſſe natura errones, & circumforaneos, & transfugas à paternis ædibus, unde nos ſubduximus, Luc. 15. huc illuc palantes & curſitantes, tanquàm ſylveſtres, antequam ad eccleſiam aggregemur. Quicunque igitur in Eccleſiam non aggregantur, grandini turbinibus, & fulminibus divinæ iræ expoſiti ſunt; iidemque, tanquam errones, juſtitiæ divinæ obnoxij ſunt, & quotidiè periclitantur ne compræhenſi in crucem æternam cum ipſis impiis, & immundis ſpiritibus rapiantur. Cum igitur errones iſtos merito damnamus qui nuſquam cõſiſtunt, maximè ſi oblatam habitationem reſpuant; cavendum ne in nos ipſos ſententiam dicamus, ſi tantam Dei noſtri munificentiam repellamus. Deinde quàm & illud alienum videri debet, quòd in ædibus alienis & extraneis totos nos occupemus; cum interim ædes tam lautas, jam antè ſine ſumptu noſtro extructas aſpernemur, & contemptim prætereamus. Quis enim non ſummæ inſcitiæ eum condemnat, qui ſe fatigat & macerat tuguriolo extruendo; dum interim tantas ædes à patre ſibi paratas contemptim abjiciat?

Sequitur pars altera præparationis in lauta menſa, quæ Math. 24. convivio regali adumbratur, quod in nuptiis filij ſui inſtruitur: & Pſ. 23. cum tenella herba ovibus gratiſſima componitur. Hoc autem loco mactatione altilium, & temperatione vini, ſeu illud ad moderationem revocando, ſeu aromatis condiendo indicatur: quod poſterius videtur melius quadrare cum loco Proverb. 23. & 25. 6. laudatur vinum defæcatum. Cujus quidem effuſæ Dei in nos liberalitatis pignus & teſſeram habemus in cœna Domini, quæ nobis continuationem in Eccleſia, ſuppeditatis alimentis obſignat. Hîc igitur reputemus quàm ſimus natura famelici & inedia exhauſti, quod peccatorum noſtrorum copiis obſeſſi cogimur lotium proprium bibere, & ſtercoribus & excrementis veſci, ut falſo exprobratur populo Dei; 2. Reg. 18. ſed verè de nobis affirmari poſſit: aut cum filio ἀκολάστῳ ſiliquas cum porcis comedere. Quo major ingratitudo & inſania noſtra futura eſt, ſi tantam Dei munificentiam parvi fecerimus. Huc ſpectat Prophetæ querela Iſa. 33. Venite ad aquas, venite, emite lac & vinum, idque abſque pecunia: Quorſum pecuniam veſtram exponetis pro cibo inutili & noxio?

Quid autem ſibi velint hæ deliciæ, vide Iſai. 25. v. . 8. Item Joh. 6. ubi hæc & hujuſmodi parabolæ explicantur apertiſſimè: notantque gratiam in hac vita; v. 7. gloriam in futura v. 8. Hactenus de præparatione: ſequitur de communicatione. Iam excutiamus quem guſtum, & quod palatum afferimus menſæ tam exquiſitæ.

Hoc autem ita operæ-pretium eſt, ut ſine ipſo prius beneficiũ ſit irritum. Quid enim profuerit epulas parari & domum regiam extrui, niſi innoteſcant: aut quid profuerit theſaurus in terra defoſſus & abſconditus? Ratio autem hæc beneficia communicandi eſt in verbi miniſterio, & promulgatione: cujus miniſtri 22. Math. ſervi appellantur; hîc autem ancillę; non quod fœminis miniſterium Eccleſiæ obire concedatur, 1 Tim. 2. 12. ſed ut allegoriæ continuatione decorum obſervet. Nã cum Dei filium antè ampliſſimæ fœminę comparaverit; conveniebat ut illi ancillas & pediſſequas, quæ illam obſervarent, attribueret. Hîc igitur quanti faciendum

ſit verbi miniſterium conſtat. Deinde, ut ſervi voce docetur, nihil illis proponendum, quod àDeo non acceperint: ſic, quod à virginibus prædicari dicitut, ſubindicat quanta puritate, & ſinceritate, abſque omni corruptela, & conſtupratione verbi doctrina cœleſtis proponenda ſit, ne verbum domini cauponemur, &c. Quod clamare dicuntur non ſuſurrare, aut frigide loqui: item quod in æditis locis, vid ſupra.

Sequitur Pars altera de ſubject. tantæ munificentiæ quod duplex conſtituitur	*Homo ſimplex & omni intellige̅tiâ orbatus,*	*quibus utriſq; velut in medio opponitur deriſor.*
	Sapiens qui timore Dei imbutus eſt.	

Verſ. 4. & 5. Per ſimplicem & apertum eum intelligit, qui ita religionis & ſapientiæ expers eſt, ut interim nullâ malitiâ in veritatis profeſſores laboret: nec ſibi de ſe confidit ut ex contrario deriſore liquet. Hoc diſſimile non eſt orationi illi, quam habet Chriſtus, Math. 22. ubi jubet claudos, cæcos, ſurdos, &c. introduci ad convivium regis, Johan. 9. 39. 41. Luc. 14. Vide Iſa. 38. 9, & 14. ubi præfert infantes & ſugentes deriſoribus, in doctrinâ Dei informandâ. Hæc igitur incredibilis Dei gratia eſt, quod non tantum cum hominibus oblectetur, & delicias agat; ſed porro cum ſtolidis & inſipientibus hominibus ipſe ſapientiſſimus.

Verſ. 6. Quod dicit illam, id eſt, ſapientiam, non autem illas, id eſt ancillas, allocutam; docemur in ſermone miniſtrorum non tam ſpectari eorum authoritatem, quàm Deum in illis loquentem. Qui vos audit, me audit, &c. & 1. Theſſ. 1. quod accepiſtis ſermonem noſtrum, non ut ſermonem hominum, ſed, ut reipsà eſt, ſermonem Dei.

Invitat vero ea lege & conditione ut inſipientiam ſuam, eoq; inſipientium conſortium deſerant. Cui non abſimile eſt quod dicitnr, Math. 22. ubi accùſantur quod ſuos centones ad convivium attulerunt; nam hæc ſtultitia inſtar centonum habetur. Plerique enim inveniuntur qui ita convivium Evangelicum accedunt ut interim veteres conſuetudines depravatas & mores corruptos, quibus aſſueverant tempore inſcitiæ ſuæ, non exuunt; ſed perinde avari, inobſequentes parentibus, luſibus prodigioſis dediti, ac olim extiterunt. Hìc vide quam operæpretium ſit noſmet ab impiorum conſortio abjungere. Nec tantùm requiritur ut inſipientes deſerant, qui participes eſſe velint ſapientiæ cœleſtis; ſed ut incedant in viis intelligentiæ. Abjectis enim ſuis pannis nuptiali veſte operiri eos neceſſe eſt, ſi Reginæ accepti eſſe velint.

Verſ. 7. Deriſores vocat quos ſervator Chriſtus, Joh. 9. poſtremâ parte v. 39, & 41. qui dicunt ſe perſpicaces nec ſunt tamen; ſed ſuo judicio mirificè ſibi ſapere videntur. Hos non eſſe arguendos monet, ut qui canes & porci ſunt, Matth. 7. idque arguit ab effectis propriæ infamię, quæ ſimilitudine maculæ illuſtratur, quæ faciei aſpergitur. Sic Chriſtus, ne in vos inſurgant: item odij inteſtini, quaſi dicat, illis non profueris quicquam; & tibi ipſi plurimum nocebis: quamobrem ne coarguito, ut ex ſequentibus adverſis conſtare poſſit.

Verſ. 8. & 9. Hoc ipſum arguitur ab adverſis, ſcil. reprehenſione ſapientis qui idem juſtus appellatur: unde effecta manabunt, in admonitum & repræhenſum, profectus in ſapientiâ; in vituperatore verò amor, Pſal. 141. 5. Hìc refellitur vulgi error qui ſtultitiæ deputant, ſi quis placidè ſe repræhendi & exagitari patiatur.

Verſ. 10. Hìc eſt ſynecdoche, nam per cultum Dei intelligit totam legis obedientiam; cultûs autem Dei

2. partes

2. partes facit { timorem / notitiam } Dei.

Hoc loco quis ſit ille ſapiens docetur, nempe qui timet dominum; & ille intelligens, nempe qui ſcientiâ illâ imbuitur, quæ eſt propria ſanctorum. Quod quidem adeò verum eſſe confirmat, ut ne minimam vel veræ ſapientiæ, vel veræ intelligentiæ partem habeat, qui Dei timore, & reverentiâ, & ſcientiâ ſanctorum præditus non ſit. A comparatis igitur minoris probat Dei timorem, & ſcientiam ſanctorum, veram & ſapientiam & intelligentiam eſſe, Pſal. 111. ult. Ier. 4. 22. & 8. 9. Deut. 4. 6. Sic ſapientia hujuſmodi ſtultitia eſt apud Deum. Et ſi quis vult ſapiens fieri, fiat priùs ſtultus: ſine hac ſapientiâ, Chaldæorum, Ægyptiorum, imò vel ipſius quidem Salomonis, aut Adami, cùm in integritate ſtetit, inſipientia nunc eſſet.

Verſ. 11. Ab adjunct. præmio longæ vitæ & quidem vegetæ hortatur ad convivium hoc. Quod quidem per opportunè facit, cùm fructus paſtûs & convivij ſit ut quis ſalubriter nutritus vires ad vivendum colligat. Quâ ſynecdoch. omnia bona intelligit, maximè futura, & quę ſenſu non percipiuntur. Atque cum dicit per me, notat non aliam viam inire poſſe per quam dies noſtros multiplicemus: *Ego ſum via, veritas, & vita.*

Verſ. 12. Deinde occupatione præcipit, quod objici potuit, videri aliquem fructum, idq; longè maximum ad Deum rediturum, ſi quis illi hortanti auſcultet, aut damnum, ſi quis abnuat: minimè (inquit:) Nam ſi ſapias, tibi, non Deo aut Chriſto ſapueris. Non enim ut ſapiens ſervus hero prodeſt; ſic nos Deo ſapientiâ profuerimus, Pſal. 16. Hinc illud toties decantatum in lege, *Vt tibi bene ſit*, Prov. 35. 7, 8.

Deinde etiam ſi deriſor ſis, Deus non irridetur, Galat. 6. ſed tu malum feres, Iob. 35. 6, & 8. Huc affer quod eſt in Euangelio, Phariſæos adverſus ſe Dei conſilium contempſiſſe, Luc: 7. v. 30:

Ex quo illud liquet, homines ſæpe hoc apud ſe agitare, lucrum ſc. vel ad Deum, vel ad miniſtrum redire, quod tantoperè urgeant pietatem: & contra impios ſuâ impietate exiſtimare ſe probè ulturos Dei ſervos, quorum repræhenſiones tam ſuperbè repellunt.

Deinde notanda incredibilis Dei bonitas qui nos obſecrat, objurgat, inſtat, urget, ut nobis benefaciat, Matth. 22.

Tertiò cùm omnia fecerimus quæ nobis imperantur; tamen inutiles ſervos nos eſſe.

V. 13. *Mulier ſtolida ſtrepera [eſt:] fatua, etſi neſcit quicquam,*

V. 14. *Tamen ſedet ad oſtium domus ſuæ, ſuper ſolium, in locis excelſis urbis.*

V. 15. *Ad avocandum viatores, qui [etiam] rectà eunt itineribus ſuis:*

V. 16. *Et quiſquis fatuus, divertito huc, & [quiſquis eſt] demens, dicit et.*

V. 17. *Aquæ furtivæ ſuaves [quidem] ſunt, & cibus latebrarum amœnus.*

V. 18. *Sed ignorat ille expertes vitæ illic eſſe, in profundiſſimo ſepulchro, invitatos ab ea.*

Verſ. 13. Stultitiæ ſub picturâ & umbrâ meretricis deſcriptio.

Partes ſunt { *Stultitiæ mores inter mortales 5. primis verſibus.* / *Eventus qui obtingit illis qui ejus lenociniis auſcultant v. 6.* }

In priore ſunt { *Adjuncta.* / *Effecta.* }

Primùm indicatur ſtultitia ſeu ſimplicitas ea eſſe,quæ errori,ſuperſtitioni,morum corruptelæ, denique quæ omni ſtudio ſapientiâ ſuperius deſcriptâ comprehenſo adverſatur. Cujus cauſam indicat, quòd nihil ſciat, ſed omnium ignara exiſtat. Ignorantia igitur religionis mater non eſt; ſed contrà parens omnis nequitiæ & impietatis.Atque hinc conſtat ſtultitiam eamque ſtultiſſimam eſſe rem omnem quæ ſapientiæ priùs deſcriptæ, id eſt ſcripturæ advetſatur, quam ſpeciem cunque ſapientiæ habeat.

Aliud adjunct.eſt quod ſit ſtrepera tametſi enim ignara ſit, tamen nihil eâ loquacius, nihil fidentius: nubes ſine pluviâ: fontes ſine aquâ Iudic. v. 12. 16. 1. Timot. 20. 7. Item ranis aſſimulantur, Apoc. 16. quæ ſtreperæ ſemper vociferantur unum illud κοὰξ, κοὰξ. Hinc eſt quòd toties neſcio qua frivola conditione præmiſſa exitio ſe devovent, & proprias animas æternâ perditione conſtringunt. Item quod bellum quodammodò illis omnibus indicant, qui aliquam in os eorum bolum non ingerunt. Deinde perfrictæ frontis meretrici eam comparat, quæ non, ut matrona, domi ſuæ ſedet; ſed quæ foras prodiens ad portam ſe venditat, ut ſolent meretrices, vel ad oſtium vel ad feneſtras ſuam formam oſtentat. Qua deſcribitur ſumma quorundam impudentia & libido ſe omnibus immiſcendi & ingerendi intrepidè, qui cùm nullâ vocatione inſtructi ſint, tamen tanquam apoſtoli ſe univerſi agri dominici colonos profitentur.

Verſ 14. Deſcribitur porrò à pompa & apparatu quod in ſolio ſedeat, & in eminentiſſ. locis, & in æditiſſimis urbis faſtigiis. Sicut enim meretrices forma deſtitutæ ſe fuco & lenociniis exornant: ſic corrupta doctrina ſe pompa, apparatu externo, & aliis ſenſuum oblectamentis in hominum animos inſinuat, aurium & oculorum delicias ſectatur; cùm doctrina pura, tanquam formoſa fœmina nativæ formæ confidit, & hoc ipſo ornata eſt quod ornatum omnem negligit, Vide pſeudoctores Corinthiacos: expende morem idololatrarum ſuper montes, & colles, & excelſa ſacrificantium. Ier. 2. Item Babylonicam meretricem auro & purpura nitentem; ut his ornamentis externis internas ſordes operiat.

Verſ. 15. Poſt convivatur.quos invitat explicat: hi autem imprimis ſunt qui rectam viam ingreſſi ſunt. Hic enim præcipuus conatus & molitio Satanæ eſt, ut pios à rectâ vel cultus vel probitatis ſemitâ abducat. Cum enim ipſe exitio deſtinatus ſit, alios in eandem perniciem pertrahere ſtudet. De his autem qui in peccatorum cœno demerſi ſunt, ſecurus non magnoperè laborat, ſed omnes ſuos nervos intendit ut tranſlatos ex regno tenebrarum ad ſe denuò retrahat. Fortis cum poſſidet arcem,omnia quiete tenet; ſed cum ille fortior venerit, tum demum ad arma conclamatum eſt. Quamobrem videmus quàm ſollicitè his incedendum ſit, qui viam veritatis ingreſſi ſunt; & quam iis opus ſit legitimo & benè inſtructo miniſterio.

Deinceps verba & ſermones inſipientiæ attribuit ubi ponuntur { *Invitatio,* / *Invitationis* αἰτιολογία }

Verſ. 16. Invitatio iiſdem verbis proponitur, quibus ſapientia ſuos convivas invitavit. Sed cum priùs dictum ſit illam omnẽ operam ponere ut pios de via depellat;

pellat; quomodo eoſdem jam ſtolidos & vecordes appellat? Reſp. inducit inſipientiam ſua dialecto loquentem & ex ſtulto animi ſui ſenſu de piis pronūciantem quaſi dicat, ô vos ſtolidos & dementes qui præſentis vitæ delicias, commoda, & honores ſpernitis; qui carnem veſtram crucifigitis; qui odia hominum incurritis ob res nihili! Pietas enim & ſapientia Dei mūdo ſtultitia, imò verò inſania reputatur. Sic Prophetæ inſani appellati ſunt.

Verſ. 17. αἰπολογία qua abducere ſtudet pios à rectis ſemitis ad tortuoſas & curvas orbitas, eſt, quòd quæ improbè parātur dulciora ſint & palato arrident magis. Sic enim ferè in proverbium abiit, meliùs ſapere ad guſtum ferinam, quæ furto & noctu ſurripitur, quàm quę interdiu legitimè capitur: & diabolico proverbio dicitur paſcuorum varietatem vitulos benè ſaginatos reddere. Huic ſimile illud Prov. 20. Suavis eſt panis mendacij. Sic nonnulli relictis concionibus publicis latebras captant. Atque hîc notanda venit prodigioſa naturę noſtrę depravatio, qua mallemus furto & malis artibus commoda percipere, quàm honeſtè & legitimè; & qua mallemus commodis noſtris furtim & reconditis in receptibus uti, quā liberè locis publicis & conceſſis. Quod quidem eorum perverſitatem imitatur, qui, cùm divites ſint & rebus omnibus abundent, adde etiam amplo & claro loco nati; tamen non poſſunt ſibi temperare, quin cochlearia, ligulas, aciculas, aut alia hujuſmodi clam ſuffurentur.

Verſ. 18. Eventus ſequitur, adverſus illi qui ſuprà deſcriptus eſt ſapientię convivis obtigiſſe. Nam illi ex epulis vitam longiſſ. percipiebant; hi verò ex paſtu inſipientiæ mortem præſentem ſæpe, & futuram ſemper. Confer cum hoc loco Prov. 20. v. 17. hemiſtichium poſterius. ubi docet lapillos ſubinde os incurrere quibus dentes lædantur.

CAPUT X.

Verſ. 1. Proverbia Schelomonis. Filius ſapiens lætitia afficit patrem, filius verò ſtolidus moeſtitia [eſt] matri ſuæ.

HActenus fuit præfatio in totum librū. nunc ſequuntur parabolæ quarum interpretatione hoc generatim notandum quod cum partes parabolæ in axiomate compoſito comprehenſæ (ut ſæpè uſuvenit) adverſæ ſunt, altera alterius ratio & probatio exiſtat.

Parabolæ autem ſunt { *Salomonis,* / *aliorum,*

Salomonis quas { *ipſe contexuit ad cap. 25.* / *alij concinnarunt.*

Verſ. 1. Liberi ſapientes ſeu verâ pietate imbuti utriq; parenti gaudium ſolidum afferunt, eoque cor patris exhilarari dicitur: ſicut contrà liberi inſipientes & à Dei timore alieni patrem ſimul & matrem mœrore conficiunt. Confer cum Prov. 23. v. 15.

Hinc igitur duo documenta eruuntur de officio { *Parentum.* / *Liberorum.*

1. Parentes liberorum procreatione & educatione ſibi vitæ aliquod ſolatiū proponunt; qua ſpe ſi excidant triſtari eos & angi neceſſum eſt: nedum cum non tantum nullo ſolatio juvantur, ſed porro injuriis & incommodis onerantur. Hoc ſolatio ut potiantur, declinato contrario danda illis opera eſt ut non ſibi ſatisfaciant ſi de hujus vitæ commodis filiis ſuis proſpexerint; niſi porro cum doctrinam tum informationem adhibeant. Eph. 6. 4. Imo vero etiam caſtigationem paternam

M &

& moderatam Prov. 13. 24 : 23. 13. 14. & opportunam Prov. 19. 18. cujus fructus erga parentes deſcribitur idem qui hoc loco Prov. 29. 17. Exemplarum exſtant in Eli & Davide : denique ut ſe illis exemplum pię vitę exhibeant. Hoc etiam ad ſpirituales parentes accommodari poteſt. Joh. 3. ep. [majus hoc non habeo gaudium &c. quàm ut videam filios ambulare in veritate.]

Alterum eſt de officio filiorum ut hi parentibus ἀμοιβὰς reddere velint & ἀντιπελαργεῖν, quod omnibus natura inſitum eſt. Studeant igitur veræ pietati qua parentes ex ſenio aut aliter afflictos recreent & reficiant. Hujus rei exemplum eſt in Ioſepho, de quo pater ipſius [jam moriar hac vice quandoquidem vidi faciem tuam. [Gen. 46. 30.

V. 2. *Non proſunt theſauri improbitatis, ſed juſtitia eripit à morte.*

Non proſunt quicquam theſauri improbitate congeſti aut conſervati: ſed juſtitia, cujus diſpendio & jacturâ theſauri iniquitatis corraduntur & convertuntur, uſque eò prodeſt ut poſſeſſorem & dominũ ſuum eripiat vel à morte ipsâ cùm præſenti, tùm futurâ, ne dum ab aliis incommodis.

Quo Proverbio Salomon hominum ſtultitiam dupliciter damnat: primò quòd tantum ponderis & momenti collocent in divitiis, ut quidvis ſe poſſe iis conficere ſperent, utcunque etiam partis. Deinde quod parum virium conſtituant in vitę integritate, in quâ plurimum momenti ineſt. Hanc opinionem hominum mentibus penitus adhærere arguitur ex parabolâ Luc. 12. 15. 16. Et tritum eſt vulgò, pecunia omnia confici poſſe.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Iactant ſe in crumenâ legem circumferre: pecunia valetudinem conſervari; amiſſam recuperari : ad honores pecunia aditum fieri : ad regum colloquia viam muneribus ſtrui. Deniq; quid non? Pontificii etiam cælum pecunia emi poſſe ſtatuunt.

Hîc igitur cogitandum quàm ſint natura ſua fragiles opes quas tinea & rubigo depaſcunt: quàm inconſtantes, ut quę alatę avolant, à juſtis poſſeſſoribus; à furibus ſurripiuntur: quod totum concludatur ſententia illa longè appoſitiſſ. Eze. 7. 19. Hoc illuſtratur ſimilitudine ejus qui plus juſto edens totum vomit Iob. 20. 15. Huc accedit generalis illa ſententia de omnibus operibus tenebrarum, quod ſint inutilia. Eph. 5. 11.

Alterum eſt quod homines parum juſtitiæ tribuunt, ac ſi nullarum virium eſſet ad vitę hujus aut commoditatem aut prorogationem: eoque ſtudio divitiarum juſtitiam incultam jacere patiuntur : unde illę impiorum apud Malach. & alios prophetas querelæ, vanum eſſe Deum timere, & ſubmiſſe cum eo ambulare. Sed refutantur hoc loco: item crebris promiſſionibus in lege quæ longam vitam cultoribus Dei pollicentur. Luc. 12. crumena appellatur quę non veteraſcit, & theſaurus qui non deficit, qui à tineâ exedi, aut à furibus ſurripi nequit. Sed longè præſtantiſſima illa ſententia eſt ad hujus rei confirmationem. 1. Timot. 4. 8. Hinc Sal. Proverb. 15. 16. 17. & Prov. 16. 8. Pſal. 37. 16. Hîc vide quomodo conveniant quę de juſtorum perſecutione dicuntur. Huc refer quod impius in locum juſti ſufficitur ut luat pœnas juſto paratas. Prov. 11. 8 : Quid quod pius etiam noxium & nocentem liberabit, non tantum ſeipſum. Iob. 22. 30. Gen. 18.

V. 3. *Non ſinit eſurire Iehova animam juſti, ſubſtantiam verò improborum depellit.*

In

In נפש (anima) eſt Synecdoche membri pro integro, animæ ſcil. pro tota perſona. Videtur hoc Proverbium ἀπολογία eſſe prioris; ita tamen ut quod poſteriore loco poſitum eſt, priùs confirmet, & priore loco poſitum, poſterius. Utroque autem in loco vult nos oculos attollere ad Deum ejuſque manum. Quod cùm homines non faciunt, fit ut in duos illos errores ſuprà notatos incidant, ut pluſculum divitiis tribuentes, nihil ferè deferant juſtitię.

Atque cùm in poſteriore hemiſtichio dixerat juſtitiam liberare à morte (quia de vita æterna nulla inde quęſtio oriatur, cum non dubitent quin juſti regnum Dei poſſidebunt,) illam partem propoſitionis quæ eſt de præſenti vita confirmat. Huc optimè quadrat quod eſt Pſ. 37. 25. 26. item quod dicitur leones eſurire, cùm tamen timentibus Deum proſpiciatur Pſ. 34. 11. Hujus rei ſigilla vide in Eliah à corvis paſto in vidua Sarreptanâ. 1. Reg. 1. 17. in Shunamite 2. Reg. 4. item in Iſraëlitis in deſerto agentibus. Quod ad poſteritatem juſti attinet, illuſtre eſt exemplum in Iſhmaële cum reprobo, tum illegitimo concubitu procreato; cui tamen in extrema ſiti à Deo proſpectum eſt. Gen. 16. Hìc quæritur an juſtus fame pereat; quo de, vide ſuprà.

Hoc Proverbio proſternitur illa immenſa habendi cupiditas & ſtudium divitias injuſtè congerendi. Quorſùm enim homines hac diteſcendi flamma incenduntur? Huc certè omnia referuntur ut vitam hanc miſeram tueantur: cujus aſſequendi via maximè compendiaria eſt, ſi juſtitiam & pietatem colant. Atque (referente Apoſtolo) habentes victum & veſtitum illis contenti eſſe debemus 1. Tim. 6. Non promittit Deus ipſum diligentibus delicias & lautitias; tantum hoc promittit illos fame non perituros: ut quiparcè aut duriter neceſſario vivunt, nihil habeant cur ſe à Deo contemptos putēt. Dominum depellere ſubſtantiam impiorum vide Agg. plærumque etiam accidit ut divitiæ malè partæ dilabantur, cū nullæ earum diſſipandarum cauſæ apparent, ſcil. cum Domini ſatis frugi & attenti ſint ad rem, neque decoctores aut effuſi cognoſcantur. Atque ut ut divitię manent; tamen poſſeſſores rapacibus mortis manibus auferuntur. Luc. 12. Divites monendi igitur ne fiduciam habeant in incertis divitiis: ne cor apponant Pſ. 62.

V. 4. *Pauper [fit] qui agit manu doloſa: manus autem ſedulorum ditat [ipſos.]*

Manus ſynecd: membri pro integro. Senſus eſt; malis artibus & dolo diteſcere quærentem non modò quod cupit nō aſſequitur; ſed porro relictas ſibi opes atterere & attenuare, etiamſi neque incogitantia, nec effuſa largitione ſeipſum exhauriat: dolus enim ipſe quem ſibi quæſtuoſum fore ſperat, ipſum divitiis evertit. Ut vero quis opibus augeatur, requiritur non tantum ut ſibi à fraude & malis artibus abſtineat; ſed porro diligentiam & in obeundis negotiis ſedulitatem adhibeat,

Primùm judicium carnis damnatur in priore hemiſtychio. Quotus enim quiſq; reperiatur, qui mendaciis & fraudibus cùm in verbis, tùm in cætera vitâ magnū hujus vitæ præſidium non collocet? uſque eo ut ſecum ſtatuant ferè omnes (palàm etiam non pauci profiteantur) ſe niſi verborum vanitate & linguæ abuſu, aliiſque falſitatis diverticulis hanc vitam tolerare non poſſe. Hinc eſt ut venditor quàm maximo poſſit pretio merces ſuas diſtrahere cupiat; emptor eaſdem quàm poſſit minimo comparare. Hinc mercium corruptela & infucatio, injuſta pondera. Hinc ſolen-

ſolennes rei falſæ atteſtationes, atque adeo ſæpe juramenta. Huc ſpectat Proverbium vulgare *There is craft in dawbing* Contra vero Dei ſpiritus per Salom. apertè pronunciat fraude homines non tantum ad opum theſauros non provehi, Prov. 16.8. ſed etiam retrahi plurimum. hoc etiam cõfirmatur, Pſalm. 37. 16. Quod illuſtri ſimili exornatur, Ier. 17. Hujus rei exemplum vide in Laban. qui ſuis fraudibus nihil profecit; ſed ſemper res ejus in deterius abierunt. Hîc propone exempla fœneratorum, cauponum, &c. Videatur huic oppoſitta ſententia quę ſic ſe habet, manum juſtam dominum ſuum divitiis aucturam: quod quidem tametſi verum ſit, tamen quia cuivis ſponte obvium ex antecedentibus erat, aliud ſubinfert quod ab intelligentiâ hominum remotius exiſtit; docetque non ſatis eſſe ad parandas divitias ſi quis nemini injuriam fecerit, niſi porro in obeundis negotiis alacris & expeditus ſit: ſedulam vero manum tametſi tardius colligat, tandem tamen hominem alioquin exhauſtum, divitiis augere, Prov. 13. 14. Sedulis enim & experrectis omnes favent, v. 22. 29. vide exemplum Ruth. Nec tamen tanta vis diligentię eſt, ut ſine Dei benedictione rem ſuam quis faciat, Pſal. 127. Notare porro videtur fraudem in commerciis inde irrepere ſolere, quod homines vocatione ſegnes dãnum ex deſidiâ contractum, fraude & malis artibus ſarcire ſtudeant. unde illud apud nos Proverbium vulgatum, *He is a true ſore-labauring man.*

V. 5. *Comportat in æſtate filius intelligens: ſomno ſopitus* [*eſt*] *in meſſe filius pudefaciens.*

קיץ (*eſtas*) & קציר (*meſſis*) ſynecd. pro omni occaſione ſeu opportunitate נרדם (*ſopitus*) metaphora vel ſynecdoch. potius omnem in negotio remiſſum & diſſolutum notans. Senſus hic eſt; Qui colligit hujus vitæ commoda cum tempeſtivum ſit, & occaſio ſe offert, is filius prudens eſt, ſe & ſuos honore afficiens: qui vero opportunitatem & occaſionem effluere & excidere ſibi patitur, is filius ſtultus eſt ſe & ſuos pudore obruens opprimenſque. Æſtatis tempus opportunum rebus comportandis eſt; nam & minore labore & minore ſumptu res convehuntur: & meſſis tempus ob eâm rem opportunum eſt, quod tum commoda ſuppetant, aut domini in convehendis frugibus, aut mercenariis ut operam ſuam pecuniâ elocant, aut denique ſpicilegium facientibus, vide Ruth. Sic Mercator Emporia & nundinas obſervat, juriſperiti *juſtitium*. Hoc verè dicatur de pueritiâ, adoleſcentiâ, juventute; quę tempora veluti ęſtas idonea ſunt congerendis artibus quibus vitam cõlamus: ſic meſſis tempus eſt cum occurrunt pręceptores, ſumptus ſuppeditantur. Hæc ſedulitas & opportunitatis captatio commodiſſimè ad rerum cæleſtium perquiſitionem transferri poteſt. nam ſedula auris ditat nos ſpiritualibus donis: & dum ſcholæ Chriſti patent & præceptores ſeu miniſtri liberè docent, & doctrinam proponunt, meſſis quædam eſt frugum Evangelicarum. Quamobrem Ioſephi prudentem œconomiam imitemur qui annis uberibus multa recondidit, quibus inſequentium annorum caritatem ſuſtineret. Vide Gal. 6. operemini bonum dum tempus eſt. Quærite eum dum inveniri poſſit: invocate eum dum propè eſt. Iſa. 59. Ambulate dum lucem habetis ne vos tenebræ comprehendant.

V. 6. *Benedictiones* [*adſunt*] *capiti juſti, at os improborum obtegit violentia.*

Benedictiones, id eſt, beneficia, non unum aut alterum ſed omnis generis adſunt

ſunt capiti juſti, Gen. 49.25,26. id eſt juſto, unde os ejus dilatabitur gloriâ in Deo, gloriatione erga homines: violentia vero aliunde illata obteget, id eſt confertim & numeroſè invadet os improborum, Deut. 28. id eſt improbos, ita & verboſi ſunt & contumelioſi non in homines ſolum, ſed adverſus cœlum.

In priore parte notetur primò perbeatum eſſe juſtum, contrà quàm vulgo exiſtimatur. Vide Pſalm. 1. Deinde quod dicitur capiti ejus adeſſe benedictiones, tametſi ſynecdoch. ſit partis pro toto; tamen capitis ideo fit mentio ut indicetur primum iſtas benedictiones eſſe è cœlo: deinde palàm & ſpectabili quadam ratione conferendas, Gen. 49. 26. Quod ex adverſis liquet, Pſal. 7. 16. Quod autem à Deo cælitus demittitur nos admonet fiduciæ in Deum, utut alia nos ſubſidia deſtituant. Gen. 15.1. ſimulque commonefacit beneficia à quibuſcunq; accepta ad Deum tanquam unicum bonorum fontem referenda eſſe. Hujus rei exemplum, vide in Ioſepho, qui tametſi primum à fratribus, poſt ab hero falſis criminationibus pulſatus & oppreſſus fuerit; Deo tamen confiſus, & illius obſequio periculum poſtponens. à Deo & è malo liberationem, & in mali authores poteſtatem accepit.

Quod autem ſpectabili quadam ratione Deus beneficia ſua confert, confirmatur Pſal. 37. 6. unde etiam improbus dente frendere dicitur adverſus juſtum. Cujus rei præſtatio ſumma tametſi ad ſecundum Chriſti adventum reſervetur (quod & in judiciis adverſus improbos exercitis obſerva;) tamen vel in hac vitâ habent pij amoris divini τεκμήρια etiam impiis conſpicua, ut Iſraelitæ olim in profectione ſua ad terram Canaan; cum impiis contra, ut olim Cananæis, cor liquefactum ſit, & genua alterum alteri collidant præ formidine, tam ex interno ſenſu, quam externis ſignis vindictæ divinę. Imò violentia ſeu maledictiones quæ invitis improbis à Deo inferuntur, turmatim ita concurſabunt, & eos ita obſtupefacient, ut vanâ ſpe proſperitatis falſi, tanquam confuſi & pudorę oppreſſi, quod exprobantibus reſpondeant, non habebunt, vide Pſal. 107. penult. Vide Prover. 26. 2. Quid? quòd in benedictiones convertentur piis impiorum execrationes, 2. Sam. 16.12. etſi improbi mala omnia piis imprecatur; tamen pij à Deo benedicuntur.

Arguitur cauſa hujus ſilentij, nempe dolor & pudor: opponitur enim hoc ſilentium impiorum gaudio & triumpho piorum. Iuſti autem ſecundum ſuam (Pſ. 119. 42. petitionem habent, quod adverſariis ſemper reſpondeant. Notandum improbos nullis ſuis peccatis, tametſi magnopere multiplicatis & magnitudine exundantibus ad ſilentium & ſtuporem adduci: ſed tum demum percelli, cum Dei ferulis & judiciis urgentur. Contra verò in piis uſuvenit qui nihil abhorrent magis, quàm offenſam Dei.

V. 7. *Memoria juſti* [*eſt*] *benedicta, nomen autem improborum putridum eſt.*

Benedictiones juſtum tam cumulate & prolixè conſequuntur, ut illius vel mentio non fiat, niſi cum laude & benedictione: ſicut è regione improbis ne nominatur quidem ſine deteſtatione & execratione eorum apud nos nomen ipſius uſurpatur.

Prior pars confirmatur Pſal. 112. 6. 7. ex quo illud liquet rationem nullam habendam eſſe improborum, qui pios omni ſcelere lacerabunt, improbos verò ut eſt Prov. 28. 4. laudabunt, imò verò eorum vituperium laudi deputandum eſſe. Ea

 enim

enim demùm magna peccati perverſitas eſt, cùm non tantum mala fiunt, ſed porrò malefacta voce comprobantur. Sed hic veritatis Dei virtus elucet cujus benedictione fit ut improborum maledicta tanquam caſſa & irrita tela ſint; cùm piorum laudibus pondus addatur ad memorię conſervatiouem. Deinde ſtudendum eſt nobis ut Dei providentiæ non deſimus, quo minus huic dicto veritas conſtet, dum in piorum ſine honorifica appellatione mentionem non incidamus.

Nonnulli ſunt qui hoc loco abutuntur ad preces pro defunctis confirmandum, neque mentionem mortui præſertim amici faciunt ſine hoc voto, Deus ipſius animæ miſereatur, aut aliquo conſimili. ac ſi mortuis benedicere non ſit conceſſum niſi preces pro iis concipiamus. Quod primum damnatur inutilitatis, ut quod fructum nullum afferat mortuo, damnum vero viventi: cum de omni verbo otioſo ratio reddenda ſit, nedũ vitioſo. 2. falſus Dei cultus eſt peccans in ſecundum mãdatum, cujus nullum nec mandatum nec exemplum exiſtit in ſacris ſcripturis. 3. plerumque ſine zelo aut charitatis effectu fit, atque ita peccat in 3. præceptum. 4. hoc genere precandi injuria fit mortuo, cui benefacere cupimus, dum non obſcurè ſignificamus eum nondum vitam attigiſſe, pro cujus conſequutione petitionem inſtituimus: & ſic peccator adverſus 9. præceptum. 5. fratres offendimus pios pręcepti violatione: impios aut infirmos, eorum animos in errore obfirmando. Sed hîc quærunt, quid ergo dicendum ſit cum in illorum mentionem incidunt. Qua una quęſtione ſuam perverſitatẽ produnt, quibus nihil ſapit niſi quod apud Deum inſipidum eſt; cum tot & tam variæ formulæ ſint quibus ſuam charitatem in defunctum teſtentur: ut *qui ad Deum conceſſit*; aut *cujus memoria grata*, *aut benedicta eſt*; *qui à laboribus ſuis requievit? qui ad patres ſuos aggregatus eſt* &c. Huc etiam ſpectat quod eo perverſitatis deveniant, ut neceſſe dicant aut illis bonum precari aut dira imprecari: tanquam inter hæc & illa nullum medium reperiri poſſet.

Nomen impiorum putreſcet, vel quod animis hominum & linguis excidat; vel quod non niſi cum ſummo dedecore & deteſtatione de illis mentio fiat. Quod quidem clarè cernitur in maximis mundi tyrannis, Nerone, Nebuchad: &c. Quod tantò illuſtrius eſt, quanto majorem operam dant ſpecioſis ſepulchris, & nominũ poſſeſſionibus ſuis inſcriptione, ſe ac nomen ſuum ab oblivionis injuria vindicare. Quæ tamen adeo non famam hujuſmodi hominibus, ut nomen concilient: ut hinc illorum ignominia & infamia recrudeſcant. Quoties enim hujuſmodi monumenta occurrunt; toties de illorum perditis moribus occaſio dicendi præbetur & accipitur.

V. 8. *Sapiens animo accipit præcepta, ſtultus verò labiis ſeipſum conturbat.*

Sapiens corde alios præcipientes libenter audit & admittit, unde pacem & quietem ſibi conciliat: ſed qui impatiens ab aliis diſcendi, docendi, & præcipiendi partes ſibi vendicat, is ſtultitia ſua ſe conturbat.

In priori obſervandum quod præcipitur à Iacobo Apoſtolo quemque ad audiendum paratum & promptum eſſe oportere. Tametſi enim non magnæ ſapientiæ argumentum vulgò exiſtimetur alios docentes & ſalubriter præcipientes audire, quod à quovis bardo pręſtari poſſe videatur; & is demum ſapiens reputetur qui orationem apud alios inſtituit; tutius tamen eſt & veræ ſapientiæ conſonũ

magis

magis ex propriꝫ imbecillitatis conſcientia ab ore docentium pendere; *ſaltem donec qui plus plenè ad docendum inſtructus fuerit & manifeſtè vocatus*: hoc enim pacto aliquã forſan diſcet ſapientiam, certè ſtulti nihil effutiet. Huc etiam ſpectat quod Chriſtus dicit qui habet aurem audiat, nunquam dicturus qui habet os loquatur. Et Iacobus tardum quemque eſſe vult ad loquendum. Huc etiam ſpectat Eccl. 5. peccatum in multiloqui non defuturum, non magis, quam in multitudine negotiorum ſomnum. Quid? quod ſtultus pro ſapiente habetur cum diu tacuerit?

Neque tamen propterea excuſantur, qui, cum officium loquendi & docendi iis imponitur, eidem deſunt. Tametſi hi ipſi præceptum arripere debent, & ab aliis diſcere quid doceant. *Attente lectioni & exhortat.* Nec dedignatus eſt Apollos homo facundus, & in ſcripturis potens & inſtructus, documenta & præcepta cœleſtia ab artificibus ipſis Aquila & Priſcilla haurire.

V. 9. *Qui ambulat in integritate, ambulat ſecurè; qui autem pervertit vias ſuas, documento erit.*

Qui in ſumma integritate & ſinceritate vitam ſuam inſtituit, is, utcunq; omnibus periculis hominum judicio expoſitus videatur, tuto tamen agit: Qui vero ſtudia ſua & vitæ rationem pervertit & variè contorquet, is, tametſi ſuo judicio videatur ſuam agendi rationem hominũ oculis ſubducere, ut periculum fugiat, tandem tamẽ innoteſcens periculo, quod ſua ſimulatione declinare cogitarat, obnoxius erit.

Hìc ſpiritus Sanctus corruptum & perverſum animorum judicium ad ſanitatem revocat. Cùm enim illis penitùs animo depravatâ naturâ perſuaſum ſit, & mundi porro impoſturâ & pravâ ſuggeſtioue altiùs inſideat integram, & incorruptam vitæ converſationem periculum trahere & demum interitum, ſpiritus è contrà docet nullam viam tutiorem eſſe, & longiùs à periculo ab eſſe, quàm ſi quis integritatem & ſinceritatem in totâ vitæ ſuæ ratione colat & illi ad amuſſim adhæreat.

Quidam vertunt *confidenter ambulat*, quod vox ipſa ſignificat; ſed nihil intereſt, quia qui confidenter & ſecurè converſatur, is in tuto eſt. Cujus quidem ratio inde petitur, quòd integrè converſans ſimul ſe ſub divinæ providentię umbrâ & tectorio verſari perſuaſus ſit. unde animi & ſpiritus plus ſumit, quàm ut timore percellatur ex improborum odio & inſidiis. Clypeus ſiquidem habet adverſus omnia impiorum tela, ſic Gen. 17. Ego Deus omni ſufficiens ſum, ambula continenter coram me integer & ſincerus, & Gen. 15. Ego ſum Clypeus. Vide hujus rei egregiam confirmationem, Ioh. 11. 9. Vide Davidem, qui quandiu in Iudæâ ageret, tametſi videbatur in ipſis hoſtis Saulis faucibus verſari, tamen ibi quàm maximè à periculo abfuit. Contrà verò cùm ad exteras gentes profuiſſet, ubi maximè in portu ſibi eſſe viſus eſt, tùm periculum propius adfuit. Sed in Chriſto hujus rei luculentiſſ. & liquidiſſ. exemplum extat, qui quamvis perpetuò in medio hoſtium acerbiſſimorum & ſanguinis ſitientiſſimorum verſaretur; tamen ſalvus permanſit. Fieri quidem poteſt ut quis ſincerè ambulãs afflictionem ad tempus patiatur; tandem tamen ei bene erit. Sic enim egregiè David. Obſerva integrum, aſpice rectum, finem ejus eſſe pacem.

Aliud hominibus παράδοξον tradit, qui exiſtimant ſe ſua vafritie, & in omnes formas converſione tutos fore. contra ſpiritus docet tandem detectos pœnas daturos hujuſmodi homines qui omnes formas induunt, & inſtar Chameliontis in omnes colores (excepto albo) ſe vertunt.

Primum

Primum enim Deum à ſe propellentes animis ſuis conſcientiæ morſu terrentur; deinde Dei ſe protectione exuentes non poſſunt non malis multis patere. Tritum eſt aſtutos in ſuâ aſtutiâ perire. *Sapientum ſapientiam deſtruam*, 1. Cor. 1. 19. Vide Saul: quam obliquas & tortuoſas rationes excogitavit, ut Davidem interciperet ſub ſpecie amicitiæ, & curæ erga rempub. quæ tamen jam omnibus ſumma cum ipſius ignominia innotuerunt; tametſi ad tempus delituerunt. Hunc locum conclude 38. verſ. Pſal. 37.

V. 10. *Qui nictans oculo dat moleſtiam; & ſtultus labijs ſe ipſum conturbat,*

Qui nictans oculis pacem & amicitiam erga proximum ſimulat, malum ſeu moleſtiam affert aliis: contrà etiam qui loquacitate ſua ſeipſum periculo objectat, non minus in vitio habendus eſt; aut uero etiam magis. Senſus igitur eſt tametſi ſuperiore proverbio illos damnarim qui verſutè & tectè in omnes ſe formas convertunt, & ſe verſant; tamen nolim propterea exiſtimēt homines me omnē parrheſiam & apertam agendi rationem probare, cum ſit qui, quod omnia effutit & nihil celat, non minus in vitio ſit, quàm prior ille; atque tanto etiam magis, quo ſibi malum accerſere gravius ſit, quam alteri moleſtiam exhibere. Hîc igitur, ut ſæpè poſt, duo vitia mutuo opponuntur: unum hypocriſeos; alterum vero temeritatis & præcipitantiæ. Sic enim ferè homines comparati ſunt, ut cum vafritiem damnatam audiunt, illico ad inſcitiam, atque infantiam dilabantur; ut cùm regiam viam tenendam eſſe intelligant, nec ad devia declinandum, illico ſe objiciant illis itineribus, quæ latrociniis infamia ſunt, ut apud nos *Shooters-hill*, *Stangate-hole*, *Gads-hill*. *Saliſbury-plaine* &c. ibique ſemper oberrare gaudebūt ſine ulla cautione vel noctis fugiendæ, vel ſolitudinis: ſic aut ad ſiniſtram aut ad dextram deflectunt.

Hæc doctrina confirmatur memorabili ſententia ſervatoris Chriſti. *Eſtote ſimplices quidem ut columbæ.* [ſed & prudentes ut ſerpentes] Mat. 10. Nec minus peccatur nimia ſimplicitate, quam nimia fraude vulpina. Execrabilis erat Ioabi ſimulata amicitia erga Abnerum & Amaſam, cujus ſpecie utrumque interfecit; Sed & plurimum reprehendenda Aſahelis in Abnerum aperta & inexorabilis inimicitiæ profeſſio. Sibæ veteratoria ars ad Davidis benevolentiam captandam, & heri Mephib. innocentiam prodendam 2. Sam. 16. piis omnibus exoſa eſſe debet: ſed & Semei petulans & prodigioſa lingua, áliæque contumeliæ inormes perinde piis inviſæ ſunt. Sic etiam apud nos tam ſunt in vitio, qui illico ex accepta injuria aut opinione injuriæ palam ad pugnam proſiliunt, quam qui conceptas inimicitias tantiſper occultant, quoad opportunitatem ultionis tracti ſint. Plæriq; ſunt apud nos, qui cum hominem excuſare velint, dicunt illum virum bonum eſſe; nemini præterquam ſibi inimicum; velle quidem liberè quòd in animo eſt ſemper profiteri, non poſſe ſibi in ira temperare: quaſi vero grave crimen non ſit ſibi nocere: aut vero potius gravius non ſit aliquando ſibi ipſi, quam alteri nocere, quod in αὐτοκτονία cernitur. Plærique etiam ſunt qui ad ſui ipſorum præconium jactabunt, ſe non eſſe ex detractorum numero, qui hominibus clam maledicere ſolent; ſed ſe in os adverſarij dicturos quicquid ſentiunt, & coram debacchaturos: cum tamen ſæpius plus mali ſit in aperto convitio, quàm in clancularia obtrectatione. Sic in religione deteſtandum eſt execrabile, ſi quis ſe à vero cultu

Dei

Dei ſubducat; ſed & vituperio dignum eſt: ſi quis odio falſi cultus idola diruat nulla magiſtratus authoritate inſtructus. Horrendum eſt veritatem agnitam negare? ſed & periculi plenum eſt, ſi quis privatus, odio Idololatriæ in medio foro ſibi in idola declamitandi licentiã ſumat.

V. 11. *Scaturigo vitæ [perfundit] os juſti: at os improborum obtegit violentia.*

In priore hemiſtichio linguæ hominis pij ſingulare bonum proponitur, dum fonti perennis aquæ comparatur. Scimus enim quis ſit uſus fontis perennis & viventis aquæ in urbe atq; etiã domi in ædibus privatis. Quam ſitientes recreat, æſtuantes refrigerat, cænoſos purgat, incendiis extinguendis utile ſit &c. Primũ obſervandum ex Ioh. 4. juſtum bibentem ex aqua Spiritus ſancti nunquam ſitire; ſed Spiritum in fontem perennis aquæ illi fieri: cùm fons non ſibi ſed aliis tantùm ſerviat. Sed neque ſibi tantùm utilis eſt pius; ejus enim os veluti fons aquarum eſt; quia enim credit, ideo loquitur; nec facilius bona verba, cum oportunum erit contineat, quàm ardentes in ore prunas. Iſa. 5 . 4. 57. 22. 23. Sed hujus rei fructus præcipuus in publico miniſterio Euangelij cernitur. Huc accerſe quod & dicitur arbor vitæ: & quod medicinam afferat ægrotis: ſicut & ſanis cibum: contrà vero impiorum lingua domi & privatim inſtar ſtagni & reſidis aquæ, ruderibus & ſtercoribus oppletæ: etiam aquis illis amaris venenatiſque ſimilis; & planè arbor mortis eſt. *Prava enim colloquia corrumpunt bonos mores.* 1. Cor. 15. Sed hoc vel maximè cernitur in corrupto miniſterio Eccleſiæ, ſive muto, ſive hæretico.

V. 12. *Odium excitat contentiones: omnes verò defectiones obtegit charitas.*

Odium ſopitas contentiones delictorum mentione renovat; nedum novas cõquirit: ſed charitate penitus imbutus, voluntaria quadam oblivione peccata pervertens, illaque operiens litem ſedat excitatam, pacemque fovet.

Odium (quod omnes verbis & profeſſione refugiunt) hîc ab effectis primo deſcribitur; Deinde ab adjunctis illuſtratur. Effectum odij inſtar anguis, in animo, tanquam in herba deliteſcentis odium prodit. Effectum vero eſt quod excitat contentiones. inſtrumentum vero quo illud facit eſt eorum peccata ſeu delicta, quos oderint, traducendo, exaggerando, & in peſſimam partem trahendo. Videtur autem Salomon odio inflammatum cum eo comparare, qui ignem inclinantem, & cineribus obduci incipientem injecto forcipe renovat, & cineres ignis ardorem retundentes hoc pacto diſcutit. Hujus rei exemplum vide in Eſavo qui Jacobi ſupplantationem antè patratam refricavit. Gen. 27. 35. Sed magis illuſtre cernitur in Doego ex poſteris Eſavi. Item in Moab: & Ammon: qui Babylonios acuebant in Iudæos afflictos odio inveterato veteres inimicitias refricantes. Deinde notandum eſt, odio dari ſi quis delictorum admiſſorum commemoratione & iteratione contentionem fovet; Cum tamen homines plærumque ſe vitio carere exiſtimant, ſi nihil falſi affingant aut comminiſcantur ſed tantùm geſta narrent: contrà verò Salomon. Quantò magis odij convictus teneri debet, qui mendacia concinnat & fabricatur? Vide exemplum Doëgi in Davidem. Deinde rametſi unam aut alteram injuriam ex Chriſtiani hominis officio ſe ferre oportere judicet; tamen ſi multiplicentur, jure ultio-

ultionem ſumi poſſe credit. Ubi ſuccurrat quod hîc dicitur charitatem operire multitudinem. Item illud Math. 18. Septuagies ſepties. Ajunt præterea ſi leviùs in ipſos peccaſſent, facilè injuriam ſe præterituros. Quibus occurrit Salvator charitatem graviora etiã peccata tegere. Math. 6. ſicut odium ex leviculis offenſis lites excitat: Atqui nullâne tua in Deum graviora? Quin in hominibus non regeneratis invenias, qui leves & paucas injurias præteribunt; Fortè ne ſibi ipſis injuriarum proſecutione moleſtiam faceſſant. Is igitur demum Chriſtianæ charitatis fidem facit qui omnes defectiones obtegit. Argumentum quo odium detegit ab adverſis ducitur quod charitas delicta & peccata graviora contegit, illa aut oblivione voluntariâ conterendo; aut quoad veritas patitur attenuando. Et charitatem veluti operculo comparat, quo fœda ab aſpectu ſubmoventur, ne illum exoſum reddant in quo mala illa deprehenduntur. Vide Ioſephi exemplum, qui, quoad veritas tulit, ad providentiam Dei paternam, ſuam in Ægyptum pro mancipio vili venditionem retulit: quomodo illius mentionem non captavit: neque niſi coactus de illa vel leviſſimum ſermonem fecit. Sic Japhet & Sem patris pudenda, quæ ille proſtituit, tegebant. Sic David omnium injuriarum in ſe oblitus carmine Saulem celebrat; in ejus interfectorem animadvertit; ejus poſteritatem omni quâ poterat, humanitate proſequitur. Vide exemplum Stephani & Chriſti in hoſtes: & Chriſti erga Apoſtolos poſtquàm reſurrexit, qui præteritis omnibus in ſe injuriis pacem illis apprecatus eſt.

Sed plærique ſunt qui hac ſententiâ ad mala non pauca perversè abutuntur. Hac enim ſententiâ ſibi liberè ſine accuſatione vel etiam appellatione peccandi licentiam ſumunt: cùm Deus odio fratris inteſtino aſperiorem repræhenſionem opponat. Levit. 19. 17. Quid quod & hac ſententiâ verbi præconi os obſtruent, ne eorum peccata pro concione traducat? Alij hac clauſula judicij tribunal labefactare conantur. Qui omnes odiosè charitati lenæ officium adſcribunt: cum peccata hoc loco tecta Deus vetat evulgare, aut publica intempeſtivè agitare ad contentionis incendium fovendum. Denique Pontificij hanc ſententiam ad operum meritum fœdè detorquent; cum Propheta (ſicut & 1. Petr. 4.) hoc loco non de peccatorum apud Deum remiſſione, ſed duntaxat de illis coram hominibus tegendis & ſepeliendis ſermonem habeat. Quod ex adverſo membro arguitur. Sicut enim in priore parte verſus litium excitatio non refertur ad Deum, ac ſi Deus peccati retectione adverſus eum qui traducitur, adduceretur: ſic etiam peccatorum tegmen non dicitur reſpectu divini judicij, ſed hominum duntaxat? Scimus enim delinquentis peccata in foro hominum retecta, tamen coram Dei tribunali tecta manere: & contrà apud homines tecta & oblivione obducta, apud Deum tamen in judicium vocari. Atque ut & contentiones excitans mortẽ mereatur, Roman. 6. non tamen ſequitur eum qui lites componit vitam pro mercede accipere. Deinde cum dicitur hoc loco dilectionem proximi omnes tranſgreſſiones tegere, ſi ad peccatorum meritam abolitionem referretur; quid dilectionis, quâ Deum amore proſequimur, meritò reſervaretur: quæ tamen cum major ſit proximi dilectione, plus ad vitam æternam meriti haberet, quam proximi dilectio?

V. 13. *Labiis prudentis adeſt præſens ſapientia, ut virga corpori dementis.*

In labiis meton. adjunct. deinde eſt Synecd. unius inſtrumenti loquendi pro omnibus

omnibus: item in dorſo ſynec. eſt partis pro toto homine: & in virga ſynec. unius generis ſupplicij pro omnibus: denique in corde primùm eſt metaphora cordis pro animo (quia ut cor principium vitæ & actionum in corpore, ſic animus humanus eſt principium omnium actionum quæ ad vitam alteram ſpectant; (deinde eſt meton: ſub: pro adjunct. animi ſcil. pro ſapientiâ animi. Senſus igitur eſt hominem intelligentem ſapienter loqui, quod illi decus eſt: hominem vero inſipientem, quod ad ſapientis verba parum attendat, eaque aut præ ſtupore non intelliget, aut percepta contemptim prætereat, pœnâ eâque admodum ignominioſa & contumeliæ plena plecti.

Hîc obiter in priore hemiſtichio iterum notandum ſermonem hominis tanquam partum eſſe animi, nec fieri poſſe, quin, ſi animus bene conceperit, os etiam partum non degenerem edat. Bonus enim homo ex bono theſauro cordis &c. item illud, quod prov. celebratur & à Johanne commemoratur, ut homo eſt, ſic eſt ejus oratio,

Sed quod præcipuè hîc ſpectatur à Salomone eſt illud, quod hîc omiſſum ex poſterioris hemiſtichij adverſo ſupplendum eſt, ſcil. decus ei eſſe. quod Chriſtus confirmat Luc. 9. 22. 23. Etiam hac vitâ maximus eſt ejus fructus Prov. 23. ubi fructum ejus tam eximium ducit ut eum verbis explicare nequeat. Hujus rei exemplum eſt in reſponſo Davidis, unde Ionathæ animus ei adunatus eum porro honoris inſignibus ornavit. contrà vero quantâ ignominiâ & damno affectus eſt Rehoboamus, qui Salomonis conſultiſſ. ſenatoribus non auſcultavit, ex illâ hiſtoriâ liquet. Item ex Amaſiâ qui Joaſchi conſilium ſprevit.

V. 14. Sapientes recondunt ſcientiam: ori autem ſtulti contritio propinqua eſt.

Sapientes recondunt ſcientiam, unde cum opportunum eſt, propulſant, cum à ſe tum ab aliis nocitura & contritionem accerſentia, Pſal. 119. v. 11. ſtulto vero promptus & expoſitus in ore eſt ſermo hujuſmodi qui cum ſibi tum aliis terrorem afferat.

Prioris partis egregium exemplũ exiſtit in Eliahu, qui tametſi magnum ſapientiæ theſaurum in animum tanquã in horreum convexiſſet; tamen non illico in medium profert, ſed opportunum tempus expectavit. Sicut enim ruſtici non illico atque granaria referta habent ſuos granorum acervos in medium proferunt ſed prætium cogitant quo commodiſſimè frumentum diſtrahant: ita & ſapientes non, ut σπερμολόγοι, quicquid conceperint temerè effutiunt, ſed imprimis operam dant, ut quæ penſiculatè in animo repoſuerunt, tempeſtivè in aliorum bonum, & propriam conſolationem elocent.

Deinde etiam delectum, habent auditorum, deriſorem ne coarguere Math. 7. 6. temporis ut Abigail, 1. Sam. 25. loci ut Elias Achabum cum pedem poſiturus erat in vineâ Nabothi, 1. Regum 21.

Alteram partem confirmat tritum proverbium, ſtulti ſagittam illico excuſſam eſſe; & inania vaſa multum crepitare ſolent. Et quod dicitur de ſtulto dictum veluti parturire: ut & eo veluti graviter onuſtum incedere. cujus rei exemplum egregium exſtat in Herode, Math. 14. 7. 9. & Nabale. Quod non tantum in impiis cernitur, ſed aliquando in piis, affectu aliquo citatius correptis.

V. 15. Subſtantia divitis [eſt tanquam] urbs munita ejus: contritioni [eſt] tenuibus paupertas eorum.

Divitiæ divitis ſunt (ejus judicio) veluti

urbs roboris ſui, 1, Sam. 25. 22. idem ſc. illi ad mala depellenda: quod urbibus arx munita ad hoſtes repellendos. confractio (ſeu contritio) pauperum (eorum judicio) eſt, paupertas eorum. Ubi tametſi utriuſque genus hominum affectus videantur penitus adverſi, hujus abjectio, & illius elatio; tamen utriuſque peccatum ab uno eodemque fonte manat, ſcil. nimiâ opum exiſtimatione, quibus fretus dives omnia ſibi fauſta fore pollicetur; & quibus pauper exutus nihil ſe boni conſecuturum ſperare poteſt. Ad prioris partis confirmationem adhiberi poſſit parabola, Luc. 12. Mat. 19. hinc illud Servatoris, difficilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum cœlorum intrare. Cujus cauſa aſſignatur, Marc. 10. 24. unde etiam egregia illa apud Davidem exhortatio. Pſal. 62. 11. ſi divitiæ affluant, noli cor apponere. Et illud 1. Tim. 6. Tametſi hoc quod dicitur de divitiis ad alia omnia rei conficiendæ media, adminicula, & ſubſidia referantur: ut ad amicorum copiam, & ad militum, curruum, & equorum copiam ad comparandam victoriam; ad frumenti copiam in vitæ conſervatione. Quod quidem exemplis confirmari poteſt eorum, qui quod numeroſum exercitum conſcripſerant, tanquam de re certá victoriam ſibi polliciti ſunt. Eò etiam dementiæ procedunt, ut divitiis freti ſibi etiam regnum cœlorum deberi putent. Nam ex divitiarum affluentiâ Deum ſæpe ſibi propitium colligunt. Sic in ſuâ multitudine ſeu univerſalitate Pontificij olim gloriati ſunt. Contrà pauperes conſternuntur & animo fracto ſunt, & abjecto quòd opibus careant, & mediis illis quibus res hujus vitę transfiguntur. hic eſt quòd fœlicitatem ſummam in divitiis conſtituant, & divites lautè epulantes, & veſtitos perbeatos putent, eoſque tanquam ſemideos colant, ſeque propter opum acquiſitionem vel ad inferos abjiciant. Imo vero hinc ſæpè fit ut ſe regno cœlorum indignos judicent; eoque tanquam in re deploratâ, Evangelio operam non dant, quod ſe ex ſuâ paupertate aut tenuitate maledictos reputent, ut Gedeon, Jud. 6. Sic etiam Phariſæi de illis pronunciant, *Ecquis principum credidit in eum; ſed plebs hæc à Deo maledicta?* Iohan. 7. Quod quidem cùm multis accidat pauperibus, tum iis vel maximè, qui aliquando divitiis inſtructi, illis poſt nudantur. Unde non pauci inventi ſunt, qui paupertatis impatientiâ ſibi mortem conſciverunt. Atque hâc circumſtantiâ illuſtratur Iobi patientia, Iob. 1. 22. qui de facultatibus ampliſſ. ad ſortem tenuiſſ. dejectus in hoc toto non peccavit. Haud ſecus fit in aliorum vitæ ſubſidiorum defectu, ut cùm paucis adverſus magnas copias depugnandum ſit. Sic denique in religione fit ut plerique trepident, quod non tanto numero ſint qui Deum purè & ſincerè colunt Iſa. 7. 2. Quos conſolatur Chriſtus cum dicit, *ne timeas puſille grex*, Et quod ad hujus vitę commoda attinet, Chriſtus docet pluris eſſe vitam paſtu & corpus veſtitu; eoque non timendum ne qui corpus dedit veſtitum non addat, qui vitam dedit, victum ſit negaturus. Hîc exputanda incommoda divitum, & pauperum commoda ex Prover. 27. 8. Item ex eo quod creſcentibus divitiis lites & inquietudo creſcunt, ſicut Gallico Prov. decantatur. *Qui à de terre, ſi à de querre.* Qui habet terras habet guerras. Prætereà quod in regionum captivitate & vaſtatione pauperibus parcitur, ut liquet Jer. 38. 10.

V. 16. *Quod opere ſuo comparat juſtus, [comparat] in vitam: proventus improbi in peccatum.*

Opus juſti eſt ad vitam præſentem: imo etiam ad futurã ut ex adverſo membro;

bro: Proventus autem improbi eſt ad peccatum. Priore hemiſtichio docet juſtum uſque eo labore & curâ hujus vitæ commoda procurare, quoad illa vitæ præſenti tolerandæ inſerviant, non autem μετεωρίζειν. Vide Math. 6. ult. vide 1. Tim. 6. 6, 7, 8, 9, &c. & 17, 18. 19. Cujus egregium exemplum exiſtit. Ier. 22. 14, 15. 16. ubi apparet vel regem ipſum his contentum eſſe debere. Atqui hinc fit ut juſtus honeſto ac licito lucro contentus ſit, quod cupiditatis ejus non ſint tam ſolutæ, & tam diſcinctæ; non tamen quod ipſe omnia heluetur, vide Eph. 4. 28.

Contrà vero totus proventus improborum, quantus quantus eſt, peccato patrando inſervit; ſive dum illa avare congerit, & aſſervat, ſive cum ad vitæ luxum & libidines referat. hinc eſt ut nullus ſit congerendi, & corradendi modus. Vide hujus rei exemplum in poſteris Ioſiæ. Ier. 22.

V. 17. *Iter ad vitam (eſt) ſervantis eruditionem : derelinquentis verò correptionem (iter) errorem affert.*

Iter, hoc loco ut alibi ſæpe, metaphora eſt à viatoribus. Senſus igitur eſt, ſibi teſtimonium quemque colligere viæ initæ ad vitam, & aliis ejuſdem indicium præbere, ſi quis caſtigationem verbo vel factis illi à Deo impoſitam obſervat, ut inde ad reſipiſcentiam & patientiam proficiat: Contra vero eum, qui vel correptionem declinat, vel ſemel admiſſam poſt excutit iter inire quod in errorem, eoque in mortem inducat atque impellat. Cujus ſumma eſt & caput, ut diſciplinam & caſtigationem, ſive quæ à Deo immediatè, vel interpoſito medio exercetur, commendet; idque duplici argumento: priore quidem ab effectis quę amplectentem ſequuntur; poſteriore vero à contrarij effectis eam averſantis. Proverbium hac ætate obſervatu digniſſimum quæ jugi dominici impatientiſſima eſt: quibus ſuave Dei jugum, ferreum videtur, virga Dei paterna & ſalutaris veluti flagellum & ſcorpionibus conflatum. Denique de hac ætate verè dici poteſt illud Hoſ. 4. nemo fratrem ſuum coarguit, & populus hujus ætatis ſunt tanquam qui cum ſacerdote diſceptent, idem facturi cum Deo ipſo & Chriſto, ſi in terris eſſet. Atque uſque eo progrediuntur, ut non tantum ipſi abjiciunt; verum illos tanquam ſtolidos ludificantur, qui vel ſeriâ admonitione & placidâ reprehenſione alios ad bonam frugem revocare conantur; vel ſe ab aliis revocari patiuntur. Quamobrem ut nunquam hoc Proverbium intempeſtivum exitit; ſic nunc præcipuâ quadam ratione neceſſarium eſt.

Et primò quidem notandum eſt non eſſe ſalutis τεκμήριον & vitæ indubitatum argumentum, ſi quis verbis aut re arguatur: Tametſi ſignum ſit leviuſculum ſanitatis & ſalutis, ſi cui Deus errant; & viam vitæ deſerenti, objectâ & injectâ calamitate & afflictione, occurrat: quòd ſpē bonis faciat eum nondum à Deo abjectū & abdicatum eſſe. Videmus enim Ieroboam & verbis & re à Deo corruptum in ſuâ idololatriâ perſtitiſſe. Idem de Balaamo dici poteſt. Atque illud Eccleſiaſtis locum hic habet, ex rerum externarum eventu neſciri an homo odio, aut amore dignus ſit: verùm enimverò ſi quis immiſſam & impoſitam caſtigationem admittit, eamque ad animam ſuam accommodat applicatque, finemq; & conſilium Dei in illo caſtigando reputat, & in ſuam vitam inquirit, ut labes & peccata ſua exquirat, & deprehenſa abſtergat fugiatque, is demum ſibi de objectâ calamitate gratulari poſſit, tanquam quæ certiſſ. fidem faciat ſe rectâ via quæ ad ſalutem

ducit, inſiſtere: cum caſtigationes Dei nos eò adducunt, ut femur percutiamus, & ſinguli nobiſcum diſquiramus quid feci, Ier. 31. Sic Ioſephi fratres cùm duriter & acerbè à fratre Ioſepho excepti ſunt, conſcientia perculſi, juſto Dei judicio illam aſperitatẽ illis obvenire confitentur, quòd nulla erga innocentem, & bene de illis meritum fratrem miſeratione commovebantur. Hujus rei præclarum documentum exiſtit, Iob. 33. ubi docet quo tandem fiat modo ut afflictiones immiſſæ piis utiles ſint à verſ. 19. ad 21. ſcilicet cum illis laborantibus accedit miniſter, qui Dei juſtitiam in affligendo proponit &c. ex quo quàm neceſſarium ſit Dei miniſterium apparet, ut proficiamus afflictionibus. Hinc eſt ut apud 1. Petr. 1. & Iac. 1. Probari fides dicatur afflictionibus, an ſit umbratilis, necne.

Contrà qui declinat caſtigationẽ verbis aut factis iter init erroris, eoque mortis. Quod faciunt hi qui objurgationes declinant, & ſe concionibus ſubducunt ne ulcus eorũ aut vomica aperiatur. Deinde qui à veritate deſciſcunt ut afflictiones & crucem amoliantur. Denique qui cruce admiſsâ, ejus pòſt tædio, aut impatientia afficiuntur. Prioris generis erant Iſraelitæ apud Ier. qui clamabant prædica nobis placentia. item apud Mich. 2.6. qui dicunt ne ſtilletis, &c. vide exemplum Achabi quomodò certiſſimum iter ad mortem præſentem & futuram tenebat, quod non niſi ſibi ipſi grata æquis auribus audire ſuſtinuit: utut inveniantur qui audient quidem increpantes, ſed perinvite & dolenter. Secundi generis exemplum eſt, Mat. 13. eorum qui ingruente afflictione deſciſcunt. Tertij exemplum in Alexandro fabro, 1. Tim. 4. 14.

V. 18. *Qui tegit odium, labiis eſt fallacibus, & qui profert infamiam, eſt ſtolidus.*

Eſt qui contegit & diſſimulat odium animo in alium conceptum labiis falſis quibus amicitiam ſimulat, aut certe nullã animi ſui offenſionem præ ſe fert. Atq; hoc quidem improbum eſt cum præcipiatur nequis odio fratrem habeat, ſed eum corripiat, Lev. 19. 17. contra qui odium conceptum prodit convitio in proximum conjecto, is ſtultus habendus, cum Dei judicio, quod eũ probris exulcerat quem fraterna correptione ſanare debebat, tũ coram hominibus quod hoc convitio in proxim. odium in ejus animo ingenerat: ex quo illi malum ſtruit. Prioris partis egregium exemplum eſt in Abſolone qui fratris nefandum ſcelus apud ſororem offenſam veluti excuſare, & extenuare videbatur; cum interim altè animo injuriam repoſitam gerebat. Deinde quod etiam apud patrem ſingularem erga fratrem Ammonem amorem præ ſe tulit, 2. Samu. 13. Item Ioabj exemplum in Abnerem & Amaſon. Contra vero odium prodens convitio eſt, Simei & Aſahel.

V. 19. *Multitudine verborum non ceſſabit defectio: ſed cohibet labia ſua intelligens,*

Linguæ lapſus perfacilis cùm ſit, multiſque modis linguâ cùm peccetur, tum nullus locus magis lubricus eſt & lapſui obnoxius, quàm ſi quis multa verba fundit, nec ſibi in loquendo modum ſtatuit. Vide Iac. 1. ubi hortatur ut ad loquendum tardi & ſuſpenſi ſimus; ad audiendum verò alacres, & experrecti. Quo non omnem prolixũ ſermonem damnat, cum hoc Proverbium ad compendium ſermonis pro re natâ cohortetur, moneatque ut nihil temerè profundamus; ſed verba prius expenſa, & veluti numero comprehenſa, & pondere æſtimata in medium proferamus, Eccleſ. 12. 10. nec illud tantum, ſed temporis

temporis & perſonæ rationem habeamus. Nec enim exiſtimemus hoc loco damnari ſermonem eum qui in cauſis malis defendendis conſumitur, ſed illum qui legitimâ in cauſâ adhibetur, niſi quis eo modum ſtatuat.

Præterquam quod ſtudium multa loquendi hominem perſæpe ad falſorum narrationem detrudit. In hoc genere peccatur cum quis omnia quæ animo ſuo adlubeſcunt, effutit.

V. 20. [*Velut*] *argentum lectiſſimum* [*eſt*] *lingua juſti, animum improborum perparui eſt.*

Hujus autem in ſermone redundantiæ 2. partes ſunt.
- *Una apud Deum, Math. 6. 7.*
- *Altera apud homines, Prov 2.*

Lingua, id eſt ſermo, (Metonym. ſubject.) *Iuſti eſt argentum lectiſſ.* quantò præſtantior animus, qui majora concipit, quàm quæ verbis eloquatur? *Cor autem improborum perparvi eſt*; ob eamque cauſam ejus ſermo vilis & contemnendus, ſive veluti ſcoria & quiſquiliæ.

Iuſti hominis ſermo veluti in caminum ignis injectus ſepties defæcatur, ut qui non ſolum argentum, quod per ſe expetitur; ſed lectiſſimum & purgatiſſ. argentum refert exprimitque, quod mendaciis, vanitate, garrulitate, tanquam ſcoriis purgatum *excoctum* ſit. Cum aquarum flumini prius aſſimiletur, ejus in fâmiliâ, urbe, oppido commoditas deſcribitur. nunc vero compoſitio & collatio cum defæcato argento, neceſſarium ejus uſum illuſtrat, docetque quo pretio habendus ſit ſermo juſti; ſcil. maximo, & quàm avidè captandus hauriendusque. Si quis eſſet qui pecuniam, vel in mediam urbis plateam, vel domus pavimentum effunderet; ecquis tam ignavus eſt ne effuſam non colligerêt; præſertim cum ipſe pauper, & indigus ſit? Quis ſe ad illam familiam non aggregaret, quis illâ civitate donari non expeteret, quam magno impetu, & impreſſione homines præſertim inopes eò convolarent? Tantoque magis hoc expetendum, quod argenti ſatietas eſt præ copiâ, ut tempore Salom. argentum nullo pretio habebatur; 1. Reg. 10. cum tamen ſermones lecti tantò gratiores eſſe ſolēt, quantò diligentius, & majore alacritate percipiuntur & corrogantur. Quamobrem quis ſanæ mentis in illam familiam non libenter cooptaretur, aut in illam urbem aut Eccleſiam aſciſceretur, ubi hæc argēti vena omnibus expoſita eſt? Quodnam oppidum, aut quæ ſocietas eſt quæ hujuſmodi hominem magno non compararet? Sic enim fieret, quod fæliciſſ. Eccleſiæ temporibus fore vaticinatur Iſaias 60. 17. pro ære aurum, pro ferro argentum ſubſtituendum. Hinc ſequitur cogitata juſti recta eſſe, quia ex bono cordis theſauro bona profert: contra vero cum cor ſeu cogitationes improbi nullius pretij ſint, quod ab ore ejus proficiſcitur, ſi non noxium, at certe vanum & frivolum eſt; Quamobrem non magis tenearis ſermonis ejus deſiderio, quam abjectiſſ metalli. Habet ille quidem ſæpe vocem ſonoram & ſtreperam, ut metalla ignobiliora ſonantiora reperiuntur; ſed quæ rerum pondere, & dignitate minimè librentur.

V. 21. *Labia juſti paſcunt multos, ſtulti verò dementiâ moriuntur.*

Labia id eſt ſermo juſti, paſcunt &c. Aſſimilatur vir puri & incorrupti ſermonis nobili patrifamilias cujus portæ omnibus tranſeuntibus patent; ut reficiantur ibi, & cibo ſe ſuſtentent. Iuſtus non tantum habet quo ipſe vivat; ſed ex abundantia

dantia

dantiâ cordis ſermones ſalubres & ſalutiferos in medium profert, quibus alios, idq́ue numero multos paſcat: ſtulti vero, quod nullâ intelligentiâ præditi ſint, non modo alias non paſcunt; ſed ipſi vecordia ſua tanquam fame confecti pereunt. Tertia metaphora, eaq́ue longè lucnlentiſſ. beneficium puri & incorrupti ſermonis illuſtrat. Tametſi enim commodus ſit aquæ fons, expetibile argentum? tamen præſtantius quiddam eſt pabulum & convictus ſine quo vitam hanc tolerare nequimus. Unde Salom. Eccl. 5.8.9. dicit neminē poſſe ſatiari argento; aut re quapiam alia, niſi terrę proventu; ut terrę fructus potiores ſtatuat argento. Quod multos paſcere dicatur, inde cōfirmatur, quod inſtar fermenti ſit, quod tametſi parvum, tamen magnam conſperſionem fermentat. Matt. 13. 33. Cujus ratio eſt quod ubicunque, & apud quoſcunque verſatur, ſermones ſale conditos & gratioſos habet, imperitos inſtruendo, delinquentes arguendo &c. quod tempeſtivè & intempeſtivè. vide Iſa. 23. Iohan. 47. &c. Neque enim eſt juſtus ut avarus artifex, qui ſuam ſcientiam celat aliquando ſuos quos ſuſcipit inſtituendos. Nec ut in artibus quo plures profeſſores, eo minus lucrum; ſed quæ donorum ſpiritualium eſt præſtantia, quanto magis communicantur aliis & ab iiſdem participantur, tanto magis locupletant & exhilarant poſſeſſorem ſuum: igitur labia pura pabulo comparentur, convictui vel alimētis; ejus præſtantem vim & virtutem graphicè depinxit. Nemo enim eſt qui non alimenta expetat, & pro alimentis omnia donet, cum fame laboret. Siquis in alienam familiam ttanſit, percunctari ſolet, qualis paterfamilias ſit, an dimenſum juſtum & liberale famulis præbeat; & hujuſmodi familiam conſectatur: quanto magis pabulum vitæ conſectandum eſt? Quis etiam eſt, qui ſe ad oppidum vel urbem aggregabit, quæ undique deſertis circumventa proventum nullum civibus affert? Maximè verò hoc conſulendum foret, ſi cogitemus quàm natura famelici ſimus. Quod ſi debitè reputaremus, futurum eſſet, ut nō minore cupiditate advolaremus ad hunc paſtum, quam olim Samaritæ obſeſſi accurrebant ad illū, quando à rege præfectus rei frumentariæ, à plebe ad mortem pedibus calcatus & protritus erat. Contrà vero quibus aut in familiis collegiis, aut Eccleſiis impuræ ſunt linguæ, aut perverſa labia; ibi ſunt ſtagna & aquæ reſides & putidæ infectæ cadaveribus, & beſtiarum, extis aliiſq́ue graveolentiis: ibi nummus eſt reprobus; ibi ſunt peſtilentes cibi, mors eſt in olla, in mactris &c. Hîc igitur imprimis arguitur miniſterium mutum & corruptū. Hîc etiam nos ipſos excutiamus, quos Deo ſermonibus lucramur; maximè cum conſtet nos multos perdidiſſe. Stulti contra ſua vecordia ſeipſos conficiunt; nedū alios paſcere ſolent; & ſui ipſi animicidæ ſunt. Ex quo illud colligitur, non ita alios informare juſtum, ut interim ipſe pietate excultus non ſit. Grave enim eſt ſi quis non furandum præceperit, cum ipſe interim prædæ inhiet. Rom. 2. Mat. 7. 1. Tim. 4.

V. 22. *Benedictio Iehovæ ipſa ditat, neque additurus eſt moleſtiam cum illa.*

Superius proverbia accepimus quibus perverſum hominum judicium perſtringitur, in opum & divitiarum uſu: nunc vero judicij eorum perverſitatem notat in modo illas perquirēdi. Cum enim plæriq; ferè omnes ad opum acquiſitionem, proram & puppim (quod ajunt) in eo collocant, ſi homines qui divitiis operam dant, primum rerum uſu valeant, deinde ſedulitatem & diligentiam adjungant:

At

Atqui Spiritus ſanctus maximum, & unicum potius ad opes acquirendas compēdium ſtatuit, ſi cui Deus benedixerit, & favore ſuo, ejus ſtudia & conatus ſproſequutus fuerit. Benedictione enim Dei parantur melius, melius conſervantur, efficaciores reddūtur ad omnes uſus ad quos adhibentur: ut parum Dei benedictione pluribus ſatisfacturū ſit, quàm multū remotâ Dei benedictione hoc notatur pronomine הוא q. d. illa ſola cauſa vera eſt; reliqua tantum inſtrumenta. Deinde aliud commodum affert Dei benedictio, quod homines non nimium aut fatiget, aut cruciet; dum Deus ſuâ benedictione illis quaſi ſomniantibus, & de eâ re parum cogitantibus bona ſuppeditat. Pſ. 127.2, Luc. 5. 7. & ſuppeditata ſine anxietate conſervat, cum Iob. 1. Deus ſit pro muro. Exempla luculentiſſ. ſunt in Abraham, Iſ, Iacob, qui hinc inde oberrantes, Dei tamen benedictione ditati ſunt. contra maledictio quid facit vid. Agg. 1.

Hujus rei meditatio omnem fraudem & dolos in commerciis profligaret, & avaritiam in uſu & conſervatione divitiarum. Cum enim divitiæ Dei benedictione acquirantur; quis tam inſanus eſt ut illam à Deo obtinere poſſe credat præceptorum ejus violatione?

Deinde hoc ſtimulum hominibus addet Deum venandi & ab illo petendi ut laboribus & inceptis noſtris benedicat. Nec tamen propterea otioſè & oſcitanter piis in alterum latus innitendum eſt; ſed in vocatione ſuâ σὺν θεῷ graviter laborandum.

V. 23. *Prout ludus* [*fuerit*] *ſtolido facere ſcelus, &* [*exercere*] *ſapientiam, viro intelligenti.*

Id eſt vir perquam intelligens inde ſapientiam accipit, vel ſapientior efficitur, Vel ſapientia eſt veluti riſus homini perquam intelligenti. Quæ verſio tametſi majus verborum ſupplementum deſideret; tamen quia ſenſum habet auguſtiorem & illuſtriorē antitheſin, poſteriorem hanc priori & omnibus aliis prætulerim.

Priore hujus proverbij parte inſignis malorum improbitas declaratur, dum remiſſis habenis & laxato fræno præcipiti curſum ad peccatum feruntur. Nam cum peccati minimi perpetratio eos dolore afficere deberet, ut ad fletum & lachrymas deducat: omnino monſtri ſimile eſt eos inde lętitiam accipere, unde dolorem acciperent; imò inde in riſum ſolvi, unde in lachrymas effundi par ſit: maximè verò horrorem incutit, ſi ſcelus & flagitium pro joco & ludo habeat. Huc accedit, quod dicitur illos ſomnum non inire niſi patrato malo. Prov. 4. 16. 2. 14. Item in Iobo 15. 16. quod dicitur illos peccatum heluare ut (piſces) aquam. Item quod alio loco dicuntur non aliter peccato delectari quàm qui cupedias nactus illas ſub palato diutius retinet, ut quam diutiſſimè ex cibo delectationem capiat. Iob. 20. 12. ut illum reprę ſentent qui ſibi gruis collum expetivit. Pij quidem delicta admittunt, aliquando ſcelere præoccupantur; ſed interim peccati conſcij ilicò ingemiſcunt; & alta ſuſpiria ducunt: denique peccatum illis inhæret; ſed non dominatur; nedum triumphat. Hujus rei exemplum in Eſau vide, qui cum primogeniti jus fratri conceſſiſſet; tamen edit, bibit, ſurrexit, & in viam abiit, tanquam re bene, aut certè non incommodè geſtâ. Sed illuſtriſſ. hujus rei exemplum exiſtit in Ioabo & Abnero. 2. Sam. 2. 14. Huc ſpectat exemplum impij Achabi, qui, quia ſcelus explere nequivit, decubuit; recreatus & valetudini reſtitutus, poſtquam voto impiè potitus ſit. Hæc ad noſtra tempora. Invenias enim plæroſque quibus ludus & jocus eſt alios litigantes videre,

O quique

quique eâ re delectantur: quibus volupe eſt ferinam furto auferre, multoque magis lætantur veſci ex rapto, quam ex juſtè partis; quibus aquæ furtivæ ſunt dulces: quin etiam non deſunt qui glorientur ſe palàm audere verbi miniſterium contemnere & pedibus obterere; interim (ſi placet) ſe Chriſti nomine operiunt, qui ſunt Deo exoſi.

Alteram partem proverbij priore oppoſitam notare utile fuerit: quâ docetur pios in pietate obeunda & officio perfungendo itidem oblectari: eoque pro deliciis ſunt, pro luſu, & pro animi remiſſione, pro cibo Ioh. 4.34. Hilarem enim datorem diligit Deus. Pſ. 119. 2. Cor. 9. Et quamvis jure nos pudeat ab improbis ſuperari, ut illi in pravitate perſequenda nobis in officio præluceant; tamen citatior & impetuoſior eſt improborum ad malũ curſus, quam piorum ad illud quod eſt ſanctum. Impij enim equis, & velis, manibus, pedibuſque omni contentione, vel dimicatione ſine ullà remorâ, inſtar cataphracti equi feruntur; cùm pij, quod repugnantem carnem habeant, in curſu impediuntur, tanquam corpulentia quadam, ut ſi pij ambulent, impij currant; ſi illi currant, impii volent; ſi pij pedites ſunt, impij ſunt veluti equites &c.

V. 24. *Quod formidat improbus, id eveniet ei, quod autem deſiderat juſti, dabit* [*Deus.*]

Formido improbi (id eſt quod improbus formidat) *ipſa obveniet illi: & deſiderium juſtorum dare ſolet Deus*: ſicut contrà deſiderium impiorum peribit: & quod metuunt pij illis non obtinget. Tametſi rideant improbi admiſſo ſcelere; tamen riſus eorum eſt inſtar ſpinarum igne crepitantium, quæ citò extinguuntur; & riſui ſuccedit formido ſeu terror mali ex ſtimulo conſcientiæ, quæ illos irrequietos reddit, & gladium vindictæ divinæ vertici eorum imminentem repræſentat. neque eſt vanus ille timor, cùm juſtitia Dei non ferat admiſſum ſcelus inultum abire. Nam cum juſtus à malo ſibi metuens illud declinat; Prov. 14.27. tamen improbus plenus formidinis & timoris ne hilum inde proficit, nec irruenti malo reſiſtat. Cujus quam aliam cauſam aſſignemus, quàm quod malum malo pellere ſtudet; ac quod preces ad Deum non fundit, ac ne fundere quidem poteſt. Ex quo etiam illud liquet, quomodo juſtus malum declinat, ſcil. dum honeſtis rationibus illud fugere cogitat, & Dei ea in re opem precibus implorat. Exempla ſunt in Saule qui timebat nè regnum à ſe & poſteris ſuis ad Davidis familiam devolveretur, ſicut ſæpiùs apertè cum apud Ionathanem, tum apud Davidem confirmavit. Item aliud exemplum eſt in Iudæis, qui metuebant ne Romani venirent & remp. tollerent. Quod quidem malum, quia illicitè depellere ſtudebant, illis obvenit. Sed hic excipiat aliquis quod Iobus de ſe confirmat, ſcil. illud ipſum ſibi obtigiſſe, quod ille metuebat. Sed ſciendum eſt illud judicium Dei arcanum fuiſſe, & inuſitata ratione immiſſum adeò, eoque ad communem regulam non exigendum eſſe. Deinde ſollicitudo & metus Jobi non erat, ut impiorum, ſervilis; ſed inde potiſſimum profectus, ne nomen Dei malè ex eo pietatem profitente audiret. Deſiderium juſtorum Deus dat. 145. 19. 25. 5. & petite & accipietis. Vide exemplum Iacobi, qui cum deſiderio teneretur videndi Ioſephum, non illum tantùm, ſed & illius filios vidit. Item Salomoni, qui ſapientiam petiit, divitias etiam, & gloriam incomparabilẽ dedit. 1. Reg. 8. non tamẽ nimiâ indulgẽtia ſuis filiis noxia dat ut ſtulti parentes. Quid? quod ſuis exprobrat, quod parci ſint in petendo. Joh. 16, 24.

Verſ.

V. 25. *Vt tanquam tranſeunte turbine non* [*exſtet*] *improbus : juſto verò ſit fundamentum perpetuum.*

Secundum quod (vel quantulo tempore) *tranſit turbo* ; *ita* (vel tantulo momento) *non eſt impius* : *at juſtus eſt fundamentum perpetuum & æternum*, *id eſt immobile.* Quantulæ durationis ſit impius vide Pſal. 37. videtur quidem ita vivere, atque ita altas radices agere, ac ſi immobilis eſſet: ſed radices & fundamentum non habet; unde paululo momento hùc illùc impellitur. Hinc confertur cum herba, &illa quidem quæ in ædito tectorum loco creſcit, Pſal. 73. Iob. 21. 13. Math. 7. 19. nam nec valetudo eorum interrumpitur, aut intermittitur uſque ad vitæ exitum; & cùm obeunt non diu tabeſcunt Hujus infinita exempla in Herode, Juda Achitophele, Abſalomo, Nebuch. &c. Neque verò tantum hac ſimilitudine momentanea duratio notatur; ſed porrò indicatur, quàm obſiſtere nequeunt divino judicio; quàm etiam ſubito intereant, 1. Theſ. 5. 3. Contrà vero pij ædibus comparantur ſuper Petram fundatis, adverſus omnem pluviarum & fluminum concurſationem conſiſtentibus cum impius unius aut alterius tentationis impetum non ſuſtineat, Math. 7. Hujus rei exemplum, vide in Iobo, qui exercitu & arietibus Dei obſeſſus, non eſt expugnatus, cap. 1. Item in Paulo. 2. Cor. 11. 23. Hic locus egregie illuſtratur, Iſa. 6.ult. ubi docetur non tantum juſtum ſtabilem eſſe; ſed & reliqui mundi ſtabilimen. Scopum hujus Proverbij pete ex Pſ. 37. & 73. & 1. Pet. 3. 12.

V. 26. *Vt acetum dentibus & velut fumus oculis, ita* [*eſt*] *piger mittentibus ipſum.*

Quo Proverbio cùm inutilem, tùm noxium pigrum eſſe definit his qui ejus operâ utuntur. ſicut enim acetum dentes hebetat, & inutiles ad mandendum cibum facit; fumus oculos pungit, & infeſtat; ſic piger non tantum non prodeſt; ſed plurimum nocet his qui aliquid ei agendum permittunt. Exoſus valdè nobis eſſe debet, quod ſit inutile pondus, nihil ad rempubl. nihil ad Eccleſiam opis conferens aut communicans: jam verò cum porrò exitium & damnum afferat; næ illi magno odio proſequendus erit. Hinc eſt ut nemo frugi eos alere velit, ũde ad devias rationes ineundum adiguntur; ita ut reſp. ex illis magnum damnum capiat. Quamobrem gladio magiſtratus ad laborem adigendi ſunt; ut abundè ſuppetat his qui verè pauperes ſunt. nec mirum ſi alteri inutilis&incommodus ſit, qui ſibi ipſi inutilis & exitioſus exiſtit. Quod ſi delectum habeamus in Legatis, & nunciis, quos in propiis negotiis expedimus; nedum in his quæ Deum & ejus cultum attingunt. Quàm igitur periculoſum eſt miniſtrum ignavum&otioſum alere; multò magis indoctum, cui etiam pedes & tibiæ deſunt, ſi quidem ſtudio duceretur exequendi muneris. Vide quomodò Chriſtus Iohan, & Petrum miſit, ut Paſcha pararent. Cogitandũ porrò nos à Deo miſſos eſſe in vineam ſuam, ut illam excolamus, & agriculturâ ſpiritus fructuoſam reddamus; eóque excutiendum quam operam oleæ noſtræ navavimus: miſſos eſſe ut mercaturam exerceamus ſpirituale͂; & proinde videndum quid domino, qui nos miſit, lucrati ſumus. Verendum enim hîc ne pigri & ignavi ſervi reperiamur, in quos formidabilis ſententia Chriſti pronunciari poſſit. *Serve nequam*, Math. 25. Quamobrem cogitemus an vanus metus nos ab officio non depulit, ut pigrum metus Leonis in media plateâ & conventu hominum. Denique meminerimus admonitionis, Heb. 12. 12, 13.

V. 27. *Reverentia Iehovæ adjicit dies, anni verò improborum decurtantur.*

Timor domini addit (vel adjungit) *dies*, ſcilicet ſupra ſpem quam quis ſæpe concipere ſolet; aut ſuprà quam ab aliis vivitur, qui Deum non timent: at anni impiorũ præter quàm illi ſperant ſucciduntur. Hinc docetur homines vitæ prȩſentis cupidos in rationibus & mediis illius ad multos annos prorogandæ hallucinari: item eoſdem mortem horrentes id tamẽ agere, quo vita eorum contrarior ſit.

Timor Dei quid ſit vide prius: hoc loco ſynecd. ponitur pro religione & vero Dei cultu, cujus præcipua pars exiſtit. nam, ut Deum amare, quòd pater eſt, ſic timere, quòd dominus eſt, tenemur, Mal. 1. unde Pſal. 2.11. conjunguntur in vero Dei cultu. exultate ei in tremore, amore Dei erga nos à deſperatione; timore à præſumptione vindicamur. Quamobrem hîc inſiſtendum tantò magis, quia difficile eſt ſenſum amoris divini cum timore Dei conjungere; quod tamen faciendum eſt. Eſt igitur timor Dei virtus animi quâ, ex venerandâ de Deo perſuaſione eum omnium quæ agimur conſcium eſſe, & nihil impunitum iri in quo delinquimus, à peccando conſervamur, &ad officium faciendum impellimur. nam ſi hominum aſpectus, quos reveremur, nos à peccato continet quamdiu præſentes ſunt; nedum Dei omnipræſentis. cujus puri oculi iniquitatem intueri non ſuſtinent.

Vbi duo ſunt
- *Prius indubitata perſuaſio de Deo omnia ſciente Pſal. 16. 8. (contra impij, Deum non vident, Ezec. 8. 12.) & remunerante Iſa. 6 & Apocal. 4. in throno conſidente.*
- *Poſterius, quòd ex illa perſuaſione fructum affert; timens Deum & recedens à malo, Iob. 1. Proverb. 8, 13.*

Tum igitur verè Deum nos timere cõpertum eſt ex ſenſu præſentiæ divinæ, cum plus ponderis habet Dei timor ad nos à peccato cohibendum, quàm ullius mali timor, paupertatis, probri, mortis denique ipſius.

Deinde cum ad recte faciendum magis Dei timore impellimur, quam ullo præmio honoris, divitiarum voluptatis &c. Contrà cum demum à timore Dei deficimus, cum aut præſentiæ divinæ obliviſcimur; aut nobis ipſis adulamur fore ut Deus non tam ſeverè nobiſcum acturus ſit, tametſi ab officio diſcedamus: aut denique memores cum juſtitiæ, tum prȩſentiæ divinȩ, tamen probris paupertatis, aut mortis metu ab officio diſcedimus.

Diſtinguitur à metu impiorum, quòd hi ita metuunt ſibi à Deo, ut eum extinctum cupiant, aut exarmatum: hi metuunt, quem oderunt; iſti, quem amant: hi ita metuunt, ut à peccato non recedant; pij ſecus.

Hujus autem loci duplex uſus. Primum quidem ut pravitatis noſtræ anteactæ ex hac parte, conſcientiâ ad humilitatem erudiamur; Deinde ut deinceps noſmet ad officium timoris divini exuſcitemus.

Timor Dei ſuadetur ab adjunct, præmio, vitæ præſentis diuturnitate, quæ ſynecdoch. ponitur pro omni hujus vitȩ proſperitate, vide Pſal. 34. 10, 11. vide Math. 10. 28. Eum timete qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. Hîc igitur Dei ſingularis clementiæ ſpecimen editur, qui cũ pro nutu ſuo, & merâ voluntate nobis, quod noſtri officij eſt imperare poſſit; tamen illud propoſito præmio facit, cum futuræ vitæ, tum præſentis, 1. Tim. 4. Quod noſtram pervicaciam & in peccando obfirmatum animum arguit, qui nec Dei authoritate in imperando; nec ejus bonitate in remunerando in officio contineri poſſumus Homines 2. Sã. 13. 28. ſibi in ſuos eam authoritatem vendicant, ut vel

ut vel ob ſolum eorum nutum in rebus & iniquiſſ. & periculi pleniſſ. ſibi obtemperari velint; tametſi nullum præmium proponant jubentque ut ſuâ authoritate freti à nullâ re timeant, quod ſcil. regis filij eſſent; Quantò autem magis ſatis nobis eſſe debet, ſi Deus nos jubeat ut neminē timeamus, Ioſ. 1. 9. Iam vero cum non jubet ſolum, ſed præmium ampliſſimum proponit, quod illi non faciunt aut facientes præſtare nequeunt, magnam animi noſtri duritiem coarguit. Si illi nobis eadem præſtare poſſent quæ Deus pollicetur & præſtat; tamen illa ab his accipere, præteritâ Dei liberalitate & imperio, magnæ nequitiæ duceretur: Iam vero penes illos non eſt hæc præſtare quæ Deus firmiſſimè præſtabit; ideoque inſignem impietatem arguit. Maxima vero impietas perſpicua eſt, & incredibilis perverſitas, quod non tantum non Dei timore bona quæ pollicetur Deus conſectemur; ſed eadem excuſſo Dei timore nobis obventura arbitremur: ac ſi non tantum in lucro non ſit Deum timere; ſed damno etiam cederet: vide exemplum 2. Reg. 20.

Hoc quod ſuperius propoſuit, poſteriore hemiſtychio confirmat ab adverſis: quemadmodum etiam mutuam operam præſtat prius poſteriori. Ubi obſervandū eſt quod loco eorum qui Deum non timent, ſubſtituuntur impij: ut ſit idem eſſe impium, & Deum non timentem vero & religioſo timore. Sic Rom. 3. omnis improbitatis fontem deſignat Dei timoris abſentiam. Ex quo facile liquet quàm multi ſint inter nos improbi; ſcil. quanto numero ſint, qui plus ſibi ab hominibus, à principibus timent, quàm à Deo; plus ſibi metuunt ab humanarum legum violatione, quam à legis divinæ; plus â gladio & carcere hominis, quàm à Dei gladio ingenti, oblongo, acutiſſ. ejuſque carceribus.

Deinde quod dicat defectum timoris Dei vitæ contractione, & aliorum vitæ commodorū privatione puniri; major adhuc pervicacia apparet & obſtinacia in abjectione Dei timoris non quā tantum non authoritate, & beneficiis; ſed nec pœnis in officio continemur, tametſi acerbiſſ. & graviſſ. Hîc opportunè quæritur an tempus à Deo præſtituatur vitæ humanæ, quod nec præterire, nec non attingere poſſit. Huc adfer illud Pſalmi, tempora mea in manu tuâ. Item Deum numerare dies noſtros. Hora mea nondum venit.

V. 28. *Spes iſtorum [eſt] lætitiæ, expectatio verò improborum perit.*

Duo hîc conſiderantur in priore parte hujus verſus: prius eſt juſtos à Deo expectare bona; poſterius eſt hanc expect. non eſſe irritam: quandoquidem juſti acceptis bonis quæ expectant, exhilarantur. In priore diſcimus piorum eſſe ita timore Dei perfundi, ut interim omnia bona ab illo expectent. Cum enim Deus bona fidelibus promittit, æquum eſt nos ejus promiſſo acquieſcere; vel tum cum Deus omnium interitum & vaſtitatem minatur; vel in morte vitam in inferis cœlum præſtolari; in tenebris lucem; in rerum omnium confuſione, & tumultuatione ordinatum Eccleſiæ ſtatum. Sic David rebus omnibus deploratis, ſe in domino expectatione melioris conditionis confirmavit, 2. Sam. 30. ſic Ieho ſhaphat, 2. Chr. 20. Contra Achas, Iſa. 7. & Iſraëlitæ in deſerto ſæpe.

Alterum eſt quod acceptis beneficiis exhilarantur. Qui enim ſperant in Deo nunquam confundentur. Deinde quod precantur ut fiant quæ expectant; exhilarati vero cantant domino Iac. 5. 13. Cōtrâ impij expectant & deſiderantquę nullo Dei verbo promittuntur: & quæ deſi-

derant ex verbo, tamē preces nullas fundunt, ut illis potiantur, vide Jacob. 4. 2. hîc excipitur quod Pſal. 73. 7. dicitur improbos plura bona accipere quam cogitare poſſint.

V. 29. *Robori* [*eſt*] *cuique integro via Iehovæ, contritioni verò operam dantibus iniquitati.*

In מחתה *(contritio,)* & מעז *(robur,)* eſt metonym. effect. quia viâ domini prout eâ rectè aut perperam utuntur homines, aut fortes, aut animis fracti redduntur. In דרך *(via)* eſt metaph. pervulgata, Summa eſt eum qui integrè & rotundè vitam agit, ex verbi divini præſcripto excluſo dolo, ſimulatione, diſſimulatione: animo forti eſſe, & intrepidè agere: cum aſſidua in peccatis commoratio animū frangat, & timorem incutiat, quo improbus penitus quaſſatur & conteritur. Cujus cauſa eſt quod Dei adminiſtratio erga hos formidabilis; erga illos amica & benevola exiſtit. Sic enim in Proverbiis quæ nullo nexu nec ſyrmate continuationis proponuntur, quo verba ad unū & ſingularem ſenſum alligantur, ſine vi Prophetæ illatâ interpretari conceſſum exiſtimarē; maximè cum ſit proverbij encomium quā pauciſſimis verbis multa complecti.

Hominum animis altè inſedit tutiſſimè illum hanc vitam agere, eoque maximè intrepidè & confidenter, qui novit ſimulare, diſſimulare, in omnes formas inſtar Protei aut Chameleontis, ſe convertere. ſeque ad arbitrium & voluntatem eorum, quibuſcum converſatur, conformare, cum Euangelicis Euangelicum, cum Pontificiis Pontificiū, cum blaſphemis blaſphemum fingi. Quod quidem ut hi faciunt, ut periculum declinent; ſic illi ut commodum conſequantur; Quod quidem hominum genus peſſimum eſt. Pauci admodum reperiuntur, quibus ſimplicitas columbina, quam Chriſtus ſuis commendat, cordi eſt; aut quibus deſipere aut inſanire non videantur, qui, quod revera ſint, præ ſe ferunt, & quorum vultu exterius cernitur, quod intus in mente concluſum tenetur. Hunc errorem ſpiritus Sanctus per Prophetam refellit, qui ex omnibus qui unquam fuerunt, jam ſunt, aut deinceps futuri ſunt, mortalibus potuit, ſi voluiſſet, maximo ad fucandum artificio uti, quo quod volebat diſſimularet, aut quod nolebat ſimularet. Docet etenim viam domini, nempe pietatem erga Deum, & juſtitiam erga homines, utcunque hominum judicio miſera & contempta ſit, ut cunque odiosè ab illis inſectata, probris & contumeliis excepta; non opprimi tamen, ſed invictam evadere, neque aciem ejus his injuriis retundi, aut ſtudium & conatus frangi, ſed porro, ſuperadditis à Deo novis ſubinde ſubſidiis, fortiorem & fidentiorem fieri. Fugiente enim improbo, cùm nemo perſequitur; juſtus ut juvenis leo confidit intrepidus, Prov. 28. Neque hoc tantùm, ſed ex eodem ipſo bono opere, quod periculum & timorem ex periculo creare videbatur, ſpiritus ſumit. Cum enim quod à Deo in mandatis erat, opere exequitur, quid ni confidat? Vide Ioſ. 1. 9. qui locus à comparat. minoris illuſtratur, 2. Sam. 13. 19. Ecquis mortalis, in quo aliquod veſtigium & ſignificatio humanitatis apparet, ſervum ſuum ſtrenuà in herili opere ſudantem, eoque nomine periclitatem, non (ſi potis eſt) tueatur & defendat? Duplici igitur ratione integer corroboratur: intus conſcientiæ teſtimonio; foras Dei providentia pro ſalute ejus veluti excubante. Hîc refelluntur Machiavelli noſtri, qui pietate imbutos, ignavos & tremulos ad pericula ſubeunda cauſantur; cum nullum hominum genus magis intrepidum ſit ad pericula ſuſtinendum. verum quidem eſt pietatem

tatem a temerariis cæptis homines abſterrere; ſed in juſtâ pugna ad gloriam Dei & Eccleſiæ Emolumentum indictâ, ſe viros præſtant, & ut leones confidunt. Quantum enim alacritatis ad manus conſerendum addit, quod novit religioſus miles ne capillum capitis ſine providentiâ cœleſtis patris periturum? quem contemptum mortis parit, cùm certo perſuaſus ſit ſe mortuum in cœlo cum Chriſto & Apoſt. in æternum victurum. Itâ ut natura ſuâ confidenti fiduciã magnam addit, naturâ timidis & pavidis animum & ſpiritus creat. Hinc eſt illud Moſis, unum ex his, qui Dei mandatis inſiſtunt, centum fugaturos, & 100, 1000. quandoquidem Deus illis adeſt, & eorum manus inſtruit prælio.

Eadem via domini, ſive quâ nos inſiſtimus, ſive quâ Deus erga nos inſiſtit iniquitatis operariis, qui viam domini neglectui habent contritioni cedit. Nam & intus ſtimulis malæ conſcientiæ utuntur, & Dei ulciſcens manus illis imminet. Huic ergo Proverbio reſpondet illud Apoſt. 2. Corint. 2. 15, 16. Item illud Luc. 2. 34.

Quid? Num quicunque peccat conteritur? Nihil minus: ſed qui iniquitatem tanquam artem exercent, & ſe patrandis peccatis devovent.

Excipiat porro quis homines ſuâ naturâ mortis æternæ reos: quorſum igitur via domini opus ſit ut illis exitium attrahat? Reſp. gravius & cumulatius plectendos, quod tam claræ luci in obſequentes ſint.

V. 30. *Iuſtus nunquam dimovetur, improbi vero non inhabitabunt terram.*

Scopus idem, qui & prioris proverbii, ut ad vitæ ſanctitatem, improbitate declinata animum addat. Ad pleniorem hujus rei explicationem & illuſtrationem, videndum quid & qualis ſit homo nondùm ſpiritu ſancto regenitus ex Iſa. 40. & 1. Pet. 1. Omnes natura & ratione ducti eam vitæ rationem inſtituunt, ut illam commodè ſemel conſtitutam, quàm firmiſſimam reddant, & mutationis expertem. Quod ut efficiant amicitias ineunt, affinitates contrahunt, clientelas adſciſcunt, nullum non movent lapidem, quo hanc ſtabilitatem conſequantur. Sed in hac molitione & magno conatu; quod caput eſt, & ſine quo cætera ſunt irrita, comtemptim prætereunt, & tanquam reliculum quid, parvi. aut nihili potiùs ducunt.

Quamobrem ſpiritus ſanctus nullũ aut certius aut compendioſius iter ad omnem æternitatem eſſe docet, quàm ſi quis animum ſuum ad pietatis ſtudium adjungat.

Sed hîc manum nobis injicit communis conditio piorum & impiorum, in morbis & morte, quæ via totius mundi: deinde inſurgunt calamitatum variæ tempeſtates, quibus juſtus magis obnoxius eſt, quam improbus: ut in paradoxis ſit, majorem juſtis durationem, quam improbis, nedum æternitatem attribui.

Hæc ergo piorum duratio conſideratur in { *præſenti* / *futura,* } *vitâ.*

In præſenti etiam conſideratur in { *Perſonâ ſuâ,* / *Poſteris in quibus vivit.* }

In ſua perſona, quod quamvis multis malis imperatur; non tamen illis obruitur, ſed ex illis eripitur, Pſal. 34. 20, 21. Prov. 24. 16. cujus exempla extant in Jacobo, Joſepho, Paulo, &c. cum unico malo pereat improbus, Pſal. 34. 22. unde pij comparantur arboribus ad ripam conſitis; Pſal. 1. & monti Sionis qui non movetur, Pſal. 125. Impij vero pulveri & glumæ, Pſal. 1. Ier. 17.

In

In poſteris ſtabiliuntur & vivunt, vide Pſal. 102. ult. cujus exempla, vide in Davide, Pſal. 89. 29. Item in Rechab, &c. Contrà poſteros improborum excindi, vide Job. 19. 89, 16, 17, 18, 19. Iſ. 14. 22. hùc accerſe hiſtoriam Achabi, qui cum 70 filios habuerit; tamen poſteritate caruit.

Quod ad futuram vitam attinet, nunquam mori juſtum, vide Ioh. 3. 15: & 5. 24. Sicut improborum ſtipendium mortem æternam eſſe paſſim ſcripturæ teſtantur. Ex quibus omnibus veritas Proverbij Salomonis elucet, 12, 26, juſtum potiorem eſſe ſuo proximo.

V. 31. *Os juſti abunde profert ſapientiam [à] lingua vero perverſitatum reſciſa eſt.*

In לשון (*os*) & פי (*lingua* & *os*) eſt metonym. efficient: vel potius ſynecd. partis in לשון. In ינוב (*abundè profert*) eſt metaphora à feraci arbore multum fructum proferente. In תהפכות pluralis numerus pro conſuetudine prava & perverſa loquendi.

In metaphora arboris frugiferæ elegans eſt deſcriptio puri & caſti ſermonis, qua acuitur & excitatur hominum ſtudium & diligentia, ut hanc ſermonis excellentem virtutem comparent. Quis enim non magno prætio & labore conquirit frugiferam arborem, quæ copioſum fructum quotannis, ſine omni intermiſſione producat? atque talis poſſeſſio eſt ſermo probus & incortuptus. Imo vero eſt inter illas arbores, de quibus Apocal. 20. quæ fructum ferunt ſingulis menſibus, quid? quod ſingulis diebus ac horis. Cum ergo tanto redimimus frugiferam arborē; pudeat nos noſtræ ſtultitiæ, qui in corrupti ſermonis merces non acquirimus; præſertim cum gratis ſine pretio illum à Deo accipiamus.

Quod dicit os juſti abundè, &c. docet non ex uno aut altero benedicto æſtimādam hominis juſtitiam; ſed ex continuo uſu & uſitato modo loquendi. Fit enim ſæpè ut quis benè & ſanctè loquatur. quod res ei ſit cum his qui ſermonis currupte-lam averſantur, quorum ad voluntatem ſe conformat: nonnunquam linguam Canaan ſimulat, ut aut aliquid boni accipiat, aut mali declinet; qui non idcirco juſtus habendus erit, niſi ex amore, & ſtudio veritatis, ſermonis puritatem colat. Bonus enim ex theſauro cordis bono multa bona verba profert Sicut enim creſcit in animo ſapientia; ita ejus teſtificatio bonis verbis uberior evadit. Huc refertur quod Apoſt. Eph. 4. 29. præcipit ut totus ſermo noſter ſit expers putredinis: & ut talis ſit, qui gratiam afferat auditoribus, & Coloſſ. 3. monet ut ſit conditus ſale, ut quiſque norat cuivis reſpondēre. Quamobrem qui ex uno aut altero cōgreſſus colloquio de viri bonitate pronunciare velit: tanquam ex una hirundine ver concludet.

Hîc occurritur, in multiloquio non defore peccatum, oportere nos eſſe tardos ad loquendum; promptos ad audiendum. Reſp. priore ſententia longam ad Deum orationem intelligi, quæ pluribus repetitionibus conſtat, (quam Chriſtus Matt. 6. damnat:) damnari etiam ſtudium & cupiditatem loquendi, quæ à vitio abeſſe nequit. Sed ſtudium multa beneloquendi in Dei gloriam & fratrum ædificationem à pruritu loquendi multum differt. Poſterior ex Iacobo perſtringit illos, qui utilia, quamvis aſperiora docentes, ſua impatientia abrumpunt, & piis doctoribus, ſaltem animo, obganniunt & oblatrant.

Altero hemiſtychio docet improbos linguis ſuis abuti. ubi notandum linguæ improbitatem non definiri uno aut altero verbo perperam prolato; ſed pluribus, &

& cum ſe quis corruptis ſermonibus addicit, cum linguam ſuam ad fallendum, ad ſimulandum, & diſſimulandum cum Deo & hominibus componit: Alioquin viro juſto aliquando maledicta excidunt. vide exemplum Davidis, Pſal. 119.11.1. Sam. 25. 13. & 2. 16. 4.

Arguitur hæc ſermonis corruptela ab adjunctâ pœnâ, nempè quod excindentur. Quibus verbis planè ſubinnuit perverſam linguã eſſe inſtar arboris infrugiferæ & ſterilis, quæ fructus aut nullos, aut putres & venenatos profert. Hujus enim finis eſt ut excindatur. Atque qui linguis abutuntur, hoc ferè conſilio faciunt, ut ſe incolumes, & à mortis periculo tutos conſervent: ſed falli & fruſtrari illos docet propheta ut qui hac linguæ corruptelâ; iter ad exitium ineunt. Hinc illud Davidis Pſal. 64. 91. Pſal. 12 . dehortatur à linguæ perverſitate ab adjunct. ejus inutilitate. Hoc autem loco fortiùs argumentum adhibet, nempe quòd domino ſuo exitium ſtruit. Quo dicto ab adverſis non obſcurè indicat, juſtum ſermone incorrupto utentem firmiorem & durantiorem vitæ conditionem ſibi comparare; utcunque hominum perverſo, & depravato judicio periculum ſibi accerſere exiſtimetur.

V. 32. Labia juſti experientur benevolentiam, os verò improborum pœnam perverſitatum.

Hoc Prover. affine eſt ſuperiori; ſed habet etiam aliquid amplius, quo ſermo incorruptus dirigatur: nempè quòd curare ſuſcipiat ut rectè loquatur; eoque illorum ſcientiã comparet, quibus ſermonem Deo & hominibus probent. Neque enim quòd juſtus eſt, ideo bona verba & purus ſermo illi ad manum promptus & paratus eſt. Maximo enim in pietatis profectu, propter inhærens in nobis peccatum, juſto excidunt (ut dictum eſt) inſulſa dicta, niſi cautio adhibeatur: unde Pſ. 37. os juſti meditatur ſapientiam. Neque hoc ſolum; ſed Deum etiam precatur, ut ori cuſtodiam apponat, ne in ſermone impingat. Juſtus igitur ſua verba appendit, & expendit in lancibus divinę legis, antequã illa profert. Non igitur ſatis eſt apud ſe ſtatuere, lingua incorrupta uti, niſi ratio ineatur quo illud effectum detur: improbi etiam tametſi vitioſa eorum natura illis abundè ſuggerat omne maleficij genus; tamen, ac ſi non ſatis ſua ſponte inſanirent, & ad maleficia patrandum edocti eſſent, improbitati porro addiſcendæ ſe diſcipulos tradunt; linguas ſuas natura ad vulnerandum acutas, porro acuunt; ut oleum igni veluti affundant. Quamobrem vel ipſa nocte, cum quieſcere debēt, malum meditantur.

CAPUT XI.

Verſ. 1. Lances doloſæ abominationi [ſunt] Iehovæ: pondus verò integrum acceptum [eſt] ei.

LAnces doli (*ſeu doloſæ*) ſunt abominatio *ſeu ſummè abominandæ* domino: at lapis integer (eſt), voluntas ejus, (*ſeu quod ille ſummè vult, expetitque.*)

Senſus eſt, ſummè diſplicere Deo, ſi quæ commodè ad jus & juſtitiam inter homines exercenda inſtrumenta à Deo hominũ induſtria inſtituta ſunt, per fraudem inverſa eorundem incommodo cedant: contrà vero rem Deo gratiſſimam facere, qui illis probè & legitimè utuntur. Ubi voce lancium & lapidis ſynecd. intelligit non tantum pondera; ſed menſuras omne genus, ſive liquidorum ſive ari-

dorum, ſive ſit in rebus continuæ, ſive diſcretæ quantitatis : neque vero pondera tantum intelliguntur ; ſed & illa ipſa quę appenduntur, ut ſcilicet ejus pretij, & bonitatis ſint, quo in commerciis exercēdis ntrinque æſtimantur. In hanc enim regulam peccatur, non tantum cum hominibus ponderum & menſurarum inæqualitate imponitur; ſed cum etiam merces aut vitioſæ ſint, aut perditæ, aut modo quopiam deteriores, quàm à contrahentibus æſtimantur, ſimul, & venditantur. Nec tantum illa continet quæ non niſi menſuris, aut ponderibus inter homines tranſiguntur; ſed quæ etiam non ponderibus, ſed typis & impreſſione tranſeunt, utpote nummo, qui olim appendebatur; nūc vero majoris expeditionis cauſa imagine certa percutitur. Quod autem priore hemiſtichio de lancibus affirmatut, itidem de lapide in poſteriore hemiſtichio ſubintelligi debet: ſicut contra quod in poſteriore hemiſtichio de lapide integro prædicatur, de lance integra ſubintelligendum.

Singulare Dei beneficium eſt hoc hominum tam utile & tam neceſſarium inventum, quo homines mutuo ſuo & reciproco commodo commercia inter ſe exercent; ſic ut utraque pars contrahentium id, quo deſtituitur, ſuppleat, neutra impoſturæ, aut fraudis periculo exponatur. Cum enim mercium cum mercibus, & operarum cum operis commutatio propter rerum inter ſe inæqualitatem, incommoda admodum eſſet, huic invētus eſt nummus qui inæqualitatem ex rerum diſpari pretio natam tollens, æqualitatem ſimul cum ęquitate ſtatueret. Iſthinc vero pondera & menſuræ, quæ tantundem ex quæſita & expetita merce admetirentur, quātum nummus, quocum merx commutatur, valere apud eos, apud quos commercia habentur, æſtimari conſuevit. Quo vero majus & divinius hoc Dei, bonorum omnium largitoris, beneficium exiſtit: eo gravius & atrocius facinus cenſetur, quod homines in communi vitæ uſu tam inſigni Dei beneficentia privat; nec privat tantum, ſed porro gravi incommodo afficit.

Quod autem dicit lances eſſe תועבת abominationes metonym. eſt adjunct. pro ſubjecto. nec enim aut lances aut lapis abominationi ſunt Iehovæ, utpote bonæ Dei creaturæ; ſed homines intelligit, & hominum actiones omnes quæ proximū in fraudem impellunt. Nam ſi Deus inter homines illos tantum ulciſcitur, qui in illum peccant, ut Moſi reſpondet, qui pœnam peccati populi ſui in ſe transferri præoptavit; nedum Deus iram ſuam à delinquētibus hominibus in res inanimes traducit. Sed hac loquendi formula utitur, cum ut quam maximam hujus doli deteſtationem declararet, tum ut hujuſmodi pondera & menſuras confringendas & è medio tollendas eſſe ſubindicaret. Notandum verò homines &c. non tantum hoc nomine Deo exoſos eſſe : ſed etiam abominandos. Nec vero hoc prophetæ ſatis fuit, niſi hujuſmodi homines ipſam abominationem id eſt ſummè abominandos affirmaret. Nam cum his fraudibus communem vitæ ſocietatem dirimant, idque per ſpeciem juſtitiæ, efficitur ut gravius in Deum, & in humanę vitæ ſocietatem peccent, quam qui aut clandeſtinis artibus, aut vi hominum facultates diripiunt. Sicut enim injuria ſeu avaritia, quæ per ſpeciem religionis admittitur, execratior cenſetur, ut cum tēplum ſpeluncam latronum factam quæritur Deus; ſic etiam fit, cum per nomen juris & juſtitia prætextu proximus violatur, ut locus juris & juſtitiæ latibulum ſit in quo ſe abdant rapaces & prædatores. Huc accedit quod hæc injuſtitia ferè non ſine vanitate & mendacio admittatur. Adde quod cum alij fures unum aut alterum deripiant; hi infinitos ſpoliant; cumq;

ab

ab aliis ſpoliari ſuam calamitatem intellectam ſarcire conantur; hîc ſpoliantes ſecuri ſunt. Huc accedit, quod pauperes (quorum imprimis ratio habenda erat) vel maximè expilantur, ut qui ſuâ egeſtate cogantur omnia minutim emere; cum contrà divites omnia ſimul & ſemel commodiſſime & loco & animi tempore emant.

Præterea notandum eſt hoc loco tacitam ſubinnui anthitheſin Dei & hominũ. Perinde ac ſi propheta diceret, leve quidem hoc peccatum inter homines cenſetur, vel ludibrium potius,qui fraudes in iſtis commerciis adhibitas ſolertiam quãdam & ſagacitatem ducant,quique in delinquentes hoc genere non animadvertunt. Imò verò tanta ferè impunitas ubique hîc graſſatur, ut non dubitent homines de ſuis technis gloriari. Nam quod Sal. de emptore prædicat, eum inter emendum merces extenuare, & vituperio in contemptum vocare; poſtquam vero re emptâ domum redierit, ſuam fortunam laudare,& in fallendo venditore ſolertiam; Prov. 20. 6. idem de venditore intelligendum, qui dum vendit merces ſuas ſummis laudibus effert, poſt autem apud ſervos aut uxorem non dubitabit ſuam vanitatem in mentiendo confiteri. Sed meminerimus hominum judicio non hic eſſe ſtandum; ſed judicio Dei, eoque non oportere minore odio ferri in has fraudes,quod homines parum in has impoſturas exardeſcere ſolent.

Pro menſurâ vero abominationis, quâ Deus in iſtiuſmodi homines fertur, pœna à juſto judice infligetur. Sicut enim homines ea acerbo ſupplicio plectent, quæ illis exoſa admodum & infenſa ſunt: ſic Deus quæ ſibi. Hinc Apoſtolus *ob hæc venit ira Dei in filios inobedientiæ.* Coll. 3. maximè vero Theſ. 1 4. 6. Ulciſcitur autem Deus hanc improbitatem paupertate: Prov. 10. 2. 4. idque non tantum male dicendo partis; ſed porro aliorum animos ad ſimilem in illum fraudem exercendam juſto ſuo judicio inflectendo. Sicut Chriſtus Matth. 7. confirmat; quâ enim menſurâ &c. Sed & exitio æterno hujuſmodi impoſtores plectit: tantoque hoc fit magis, quanto homines in iſtis peccatis puniendis remiſſi magis aut diſſoluti comperiuntur.

Peccatur autem gravius cum judicium in portis, muneribus, aut aliis depravationibus corrumpitur,cum lances judicij in alteram partem propendent magis. nam cum jus & judicium non ſit hominis inventum;ſed quod Deus hominum animis inſculpſit, fit ut ab eo declinatio tanto ſit tetrior. Omnium vero teterrimũ eſt cum miniſtri verbi juſta pondera nõ exercent; ſed in docendo aut hortando acceptionẽ perſonarum ſequuntur; neque perinde principis, ut ſubditi, domini ut ſervi &c. munera, aut ab officio diſceſſionem perſequantur. Quod ſi qui ſint qui ſtudio juſtitiæ ducti iſtas fraudes odio habent, quorum odium nos ad hujus injuſtitiæ odium perpellat; quanto hoc magis faciendum erit,cum Deo prępotenti hac diſplicere intelligamus. Neque enim profecto ſatis virium eſt in mortalium odio, ut nos in hujus injuſtitiæ deteſtatione confirmet, niſi Deum huic injuſtitiæ generi infenſiſſimum hoſtem fore animo concipiamus.

In proverbiis plæriſque fit,ubi adverſæ uno eodemque verſu comprehenduntur, ut utræque verſus partes mutuam, & reciprocam probationem ſibi invicem præbeant. Quod quidem à ſpiritu ſancto propterea fit, ut veritatem in uno ex adverſis ægrè à nobis depræhenſam facilius comprehendamus, cum veritatem in altero adverſo magis obviam & expoſitam intuemur Exemplo ſit quod dicitur, impium morte eximere non tam nobis atrox & grave facinus videtur; ſed inno-

centem morte plectere, aut bene merentem, omnibus inviſum & odioſum exiſtit, unde etiam alterum adverſum perinde odio haberi comprobatur.

V. 2. *Advenienti ſuperbiæ evenit ignominia: apud modeſtos autem [eſt] ſapientia.*

Quam animi ſubmiſſionem honor & gloria excipit; ſicut ſuperbiam ſtultitia præceſſit. Nam ut in poſteriore verſus parte ſub auditur honos ignominiæ adverſus tanquam ſubmiſſionis effectum: ſic ex priore parte verſus ſubauditur ſtultitia ſapientiæ adverſa tanquam ſuperbię ſemen & cauſa.

Superbia eſt animi vitium, quo majus aliquid de nobis ipſis, quam veritas fert, ſentimus. In priore parte verſus proſopopœia adhiberi videtur, quæ porrò interrogatione exornatur. Superbiæ enim & ignominiæ viatorum perſonam attribuit, vel curſorum potius, qui curſu contendunt, uter celeritate vincat. Ubi tametſi ſuperbia prior ſe in viam det; ignominia tamen illam ſubſequens ita ſuum iter accelerat: ut illam aſſequatur & attingat, vid. Ieһoſ. 22. 21. hodie peccabitis, cras plectemini. Nam utcunque ſuperbia ex depravatâ naturâ noſtrâ, tanquam ab inferis excitata contentiſſimo & maxime citato gradu feratur; ignominia tamen *cœlitus emiſſa*. Rom. 1. 18. illi celeritate non cedit; nec mirum cum ſcriptura affirmet *Deum ſuperbis reſiſtere* 1. Pet. 5. 5. quod quidem καθ' ὑπεροχὴν καὶ καθ' ἐξοχὴν dicitur Deus enim omnibus peccatoribus reſiſtit; maximè ſuperbis. vid. Iſ. 2. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. ubi etiam finis hujus depreſſ. notatur. Eſt quidem ignominia quæ cum ipſa ſuperbiâ tanquam gemella naſcitur, quæ piorum & angelorum oculis conſpicua eſt, cum peccatum ipſum de quo gloriantur Phil. 3. 9. ab ignominiâ & dedecore abeſſe nequit: ſed propheta hoc loco de illâ ignominiâ ſermonem facit, quam improbi agnoſcunt, & ipſe, qui ſuperbiâ elatus eſt, perſentiſcit: de quâ ſervator. Luc. 14. Qui ſe effert, deprimetur, quæ quidem depreſſio hîc in terris initium ſumens, poſt in ipſo inferorum imo barathro abſolvetur. Hîc ignominiæ curſus tametſi ſemper celer & expeditus ſit; tamen gradus celeritatis admittit. nam Deus pro inſcrutabili ſuo judicio & ſapientiâ incomparabili nunc tardiùs, nunc celerius pœnam & ultionem infligit. Hammonem aliquandiu tulit; Sed Nebuchad: in ipſo momento in agrum cum feris & brutis animalibus exturbavit, quo ſeipſum magnificè efferebat. Dan. 4. 27. Et idem ſentiendum de Herode Act. 12.

Superbia autē nulla capitalior aut magis exoſa Deo exiſtit, quàm cum homines in Deum ipſum, ſui juſtificatione, inſurgunt. cujus generis eſt illud Phariſæi quod ſcribitur Luc. 18. quod idem à Pontificiis noſtris præſtatur, quorum elatio Phariſæi gloriatione nequior eſt; ut qui ſibi gloriam liberi arbitrij attribuunt, quā Phariſæus ad Deum refert: Item quod falſum cultum illi affingunt, relicto germano; adverſus quos quam maximè accelerari ignominiam liquet. Iehoſ. 22. Hujus ſuperbiæ fontem & ſcaturiginem notat Sal. ſtultitiam; quod ex adverſo colligitur, ſicut ſupra dictum eſt. nam inſcientiâ ſui ipſius, & ignoratione Dei animū & ſpiritus ſumit. Ubi notandum eſt illi Salomonem, vel maximè ſtultitiam impingere, qui omnium maximè ſeipſum ſapientiſſ. ducit. Huic Salomonis dicto ſuccinit, quod noſtro ſermone vulgo dicitur. *He is a proud foole.* Hujus peccati ſeu ſtultitiæ medicina petenda Rom. 12. ubi Apoſt. monet μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν· ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν,

ſcil.

ſcil. ne quis plura ſibi arroget, quam res ipſa fert, aut quantum ipſe accepit. Deinde illud quod eſt 1. Cor. 4. 7. ne in acceptis, tanquam ſuis, glorietur, aut ſe efferat. Prætereà quod collata in ſe dona perſpecta habens, ad ſuos cum defectus, tum vitia cæcutit. Denique quod aliorum virtutibus præteritis, nævos eorum aut ſtrumas attentiùs conſiderat.

Humilis animo eſt, qui moderatè pro acceptorum à Deo donorum ratione de ſe ſentit, &c. quæ ſuperiori adverſa ſunt, Atque hęc pręcipua quędam ſapientia eſt cælitùs data; utcunque homines hanc tam inſignem virtutem in vituperio ponunt. neque vero virtus tantùm eſt; ſed virtutum veluti baſis; & quæ virtutum aliarum veluti mater, Eph. 4. 1. 2. Pet. 5. 5. Jac. 4. & 3. 13. 17. quam comitatur honos & gloria. Adeò ut Chriſtus proverbio celebravit, *qui ſe humiliat exaltabitur*. Prætereà cùm ſit cum humilitate conjuncta ſapientia, quæ hominis vultum (referente Salom.) ſplendere facit, efficitur, ut, qui animo ſubmiſſo eſt, eundem honore & gloriâ affectum iri exiſtimare debeamus. Vide parabolam Luc. 14. Exemplum proponitur in Davide Pſ. 131. in Abigaile, quæ ſe indignam lavandis Davidis pedibus ducens, ad regis in thoro conſortium evecta eſt. Sed omnium clariſſ. exemplum in Chriſto extat. Phil. 2. quod etiam nobis adimit excuſationem, proponitur ibid. & Math. 11.

V. 3. *Integritas rectorum deducit eos: at perverſitas perfidioſorum deuaſtat eos.*

Obtinuit apud omnes hæc opinio; atq; adeo nobis, depravatæque noſtræ, penitus infixa hæret; hominum integrè converſantem (qui idem eſt intus & foris, in animo & ore, qui illud loquitur quod ex animo ſentit, qui non ſimulat aut diſſimulat) medium in malorum omnium diſcrimen ſe conijcere: & nuſquam tutius agi quam ſi vitę noſtrę rationem non ad pręcepti divini præſtitum exigamus; ſed pro morum & temporum & locorum ratione vitam & mores comformemus. Hunc errorē omnis impietatis & improbitatis parentem nobis hoc Proverb. Salomon eximit eripitq́; dum planâ & ſimplici agendi ratione exoptatam vitæ conditionem nos conſequi; tortuoſâ vero, flexuoſâ & inſidioſâ vitæ inſtitutione in interitum præcipitari nos condocefaciat.

Atque hæc opinio quæ omnium mentes ſubiit, altaſq́ue in animis radices egit, ſcripturæ etiam teſtimonio vires acquirere videatur. Iſ. cap. 59. 15. hoc ipſum confirmante cum dicit, [qui recedit à malo, ſpolio & direptioni ſemetipſum exponit.] Sed intelligendum populum ibi deſcribi portentoſæ improbitatis, qui nullis nec humanitatis nec pietatis clauſtris, aut cancellis contineatur; ſed malorum illuvie, tanquam fluctibus, omnes juris & honeſtatis ripas exundaret; eoq́ue tam prodigioſam improbitatem hanc doctrinam non labefactare, quo minùs ſarta tectaq́ue ſit. Maximè verò advertendum eſt ibi, quid hominum flagitioſorum ſtudio fieri tentetur; hîc verò, quid ſingulari Dei erga pios curâ & charitate pręſtetur, indicari: quę utraque probè ſibi conſtant. Hinc etiam alia difficultas ſupullulat. Quæri enim jure poteſt, cur non potius dicat Propheta Deum piorum integritate eos ſervare, & impiorum perverſitate Deum itidem illos obruere. Videtur enim hac formâ, quâ utitur, pluſculum hominum probitati ad ſervandum, aut improbitati ad perdendum tribuere. Occurritur, hoc certo conſilio fieri, ſcil. ut intelligamus ſola hominis integritate; ut ut nulla adſint præſidia ſervandi, perdendi vero adſint 1000 machinæ, Deum pi-

os tutos & incolumes ſervare:impios autem frangere, ut ut eorum vita multis præſidiis munita ſit, nec ulla, vel minima ill s nocendi nubecula appareat : hæc agendi via à Jacobo aſſimilatur viæ regiæ.

Proverb. hoc univerſè confirmat quod dicitur Math. 7. qua menſura metimini &c. Hujus loci priorem partem Apoſtolus Petrus 1. Pet. 3. 10. inſignitur cum confirmat, tum etiam illuſtrat ex Pſal. 34. 10. 11. 12. maximè vero 23. verſ, ubi tanquam rem inſuetam & incredibilem proponit, ſi quis ſit tam ab omni ſenſu humanitatis alienus, ut homini placido & manſueto ingenio nocere velit. Contra quam homines ſtatuunt, qui inter lupos ſe tutos eſſe poſſe diffidunt, (cui non abſimile quid noſtro diverbio jactatur, *it is better to be à shrew then â sheepe.* (niſi cum illis ululent. Vide quomodo Iacobi ſimplicitas Eſavum, & Davidis integritas Saulem lachrymas ſolvebant. Sed ſi uſque eò ſe hominum improbitas extulerit, ut immerentibus, aut etiam bene merentibus noceant; tamen beati eſtis ſi propter juſtitiam &c. Hoc ut fiat, coram Deo ſemper & continenter ambulandum. Gen. 17,

Improbum ſuis ſinuoſis agendi rationibus non proficere, niſi ad proprium interitum, confirmat quod eſt apud Iobum, quis [Deum irritavit, cui poſt ſucceſſit, aut cui poſt in pace eſſe licuit;] Cùm igitur improbè & vafrè vivendo Dei ira accerſatur, ut ut bene illis fraus cedat, fruſtrà attenditur: hoc communi prov. teritur κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Deus aſtutos ſuis propriis conſiliis tanquam laqueis intercipit. Iob. & 1. Cor. 3. Cujus rei veritatem confirmant, non tantum infinita exempla verſipellium hominum, qui propriis artibus perierunt, cujuſmodi ſunt Saulis in quem callida adverſus Davidem inita conſilia reciderunt, dum Davidi aut conſervando aut nobilitando inſervierunt &c. ſed & piorum Deique timentium, qui ſibi obliquis ſuis conſiliis indulgētes exitium conſciviſſent, niſi Deus illud amolitus fuiſſet; ſicuti in Abrahami mendacio videre eſt, quo uxoris ſuæ caſtitatem proſtituiſſet, & in Davidis apud Achaſum Philiſtæum ſimulatione, qua ægrè ſe ferre prætulit, quod ad pugnam contra Iſraëlitas admiſſus non ſit, niſi Deus utrumque mirificè à difficultatibus quibus ſe obſtrinxerāt, expediviſſet. Quod non eſt ita intelligendum, ac ſi ſapientia, & prudentia in rebus gerendis abiicienda ſit. Quāobrem ut totum hunc locum concludamus, nobis ſemper in pretio ſit præceptū ſervatoris, *eſtote ſimplices ſicut columbæ.* contra pedibus proteremus, quod proverbio Machiav. celebratur, *leonis exuviis vulpinam pellem aſſuendam.*

V. 4. *Non prodeſt ſubſtantia die furoris: juſtitia autem eripit à morte.*

Huic Proverbio ſimile habetur cap. 10 v. 2. Quamobrem prætermiſſis his in quibus conſentiunt, illa duntaxat attingemus quæ propria ſunt hujus loci. Eſt autem hoc, quod cum prius dixerat theſauros improbitatis non prodeſſe omnino: hîc confirmat in univerſum divitias, nec bene nec ſecus comparatas, prodeſſe tēpore exundantis fervoris. Ne igitur quis ex ſuperiore proverbio ſpem arripiat fore, ut tametſi divitiæ malè partæ in fumū abeant, tamen honeſtè acquiſitas inſtar arcis cujuſdam eſſe, ubi tuto ſe rebus afflictis recipiat quiſpiam; occurritur non omnino profuturas tempore exundantis iræ. Perinde ac ſi dicat, prodeſſe poſſe rebus pacatis, aut leviter turbatis: ſed tēpeſtate exorta fruſtra opem & ſubſidium expectari. Quod cujuſmodi ſit diſpiciamus. Si quis alterius uxorem violans marito

marito probè affecto ingentem aut infinitam vim pecuniæ offerat, ut marito conciliato pœnam adulterio juſtam & debitam declinet; eam tamen repudiabit proverb. 6. 35. idem in homicidio de vindice. Si rex in aliquem excanduerit, nullo pretio ira principis redimitur. de militibus Chaldæis dicitur Iſ. 13. 7. eos aurum aut argentum ad vitę redempturam contemptui habituros. Vide eximium exemplũ, 2. Reg. 24. ubi apparet divitias velut ineſcationis loco fuiſſe; quâ in captivitatem attracti ſunt Hieroſolymitani, cum pauperibus domi in patrio ſolo conſidere cõceſſum ſit. Quod cum verum ſit, quid fiet cum Deus omnipotens irâ efferbuerit? Homini enim qualis tu es, divitiæ uſui eſſe poſſunt, etiam regi, alioqui opulentiſſimo: Dei vero, cujus eſt auri & argenti quicquid eſt, uſui eſſe nequeunt. Dies autem exundantis iræ divinæ multiplex eſt: ut cum Deus tanquam in ſpeculo conſcientiæ omnia hominis peccata ordinatè, & veluti in certas claſſes deſcluſa ob oculos propoſuerit; & ſimul debitum illis ſupplicium vivis coloribus depictum, cõtemplandum ſubjecerit: maximè vero generalis, & formidandus pariter dies exundantis iræ divinæ eſt dies mortis, quem Sal. exempli cauſa appoſuit. nam improbis nullus in hoc ſæculo dies magis terribilis exiſtit. vid. pſ. 49. 8. 9. 10. Hinc efficitur quod pſal. hortatur, ne, ſi divitiæ affluunt; animum illis adjiciamus. & quod Apoſt. 1. Tim. 9, ne ſpem in incertis divitiis collocemus: quâ in re peccare proclive eſt. Item cavendum eſſe (Chriſto authore) ne mundi diuitias avidè inſectantes, interim curam in Deo diteſcendi abjiciamus.

Verſ 5. Iuſtitia integri dirigit viam ejus, at improbitate ſua concidit improbus.

Non abſimile eſt hoc Proverbium illi quod in 30. verſu hujus capitis præmiſſum eſt. & verbis quidem aliis atque aliis variatum eundem prorſum ſenſum habere videtur. Quâ in re ſi fortè quæratur, qui fit ut Spiritus ſancti brevitati & compendio ubique, maximè vero in proverbiis ſtudens, unum idemq; ſæpius repetat. Reſp. hîc, ſi alibi uſpiam verum eſſe quod poëta cecinit, *repetita placebunt*. Nam ut paſſim in totâ ſcripturarum univerſitate dogmata ſæpiùs iterantur, & reponuntur, quæ ſingularem præ aliis uſum & momentum habent ad ſalutem: ſic in ſingulis prophetarum libris idem Dei conſilium relucet: atque ob eam ipſam cauſam in proverbiis. Sicut enim ſtylus in durum & refractarium metallum ſæpiùs adhibetur ut impreſſio non leviter evaneſcens inſculpatur; & ut aratrum ſæpius in terram duriorem reducitur, ut ſulcus ſemini excipiendo profundior aptetur: ſic Spiritus ſanctus compertâ noſtrâ hac in parte perverſitate, & animi duritiâ, hanc doctrinam ſæpiùs iterat, quo doctrinæ ingeminatione tandem hæc hypocriſeos malitia ſubigatur. Verùm enimvero non ſine uſurâ & lucro hæc repetitio exiſtit, ſi quis penitus hæc introſpiciat. Primum enim docet non quamlibet juſtitiam eripere; ſed illã quæ ex ſincero animo manat. Deinde quod dicit iuſtitiam integri rectam facere viam ejus; cum prius integritatem quaſi viæ ducem conſtituit: colligitur tantum abeſſe: ut ſincerâ agendi ratione aliquid homini decederet, aut depereat, ut ſi priùs hominis injuſtitia & inſcitia via tortuoſa fuerit; tamen ſimplici & ſincera converſatione viam prius obliquam & ſinuoſam rectam effici. Unde etiam illud colligitur, viam ſinceræ converſationis facilem & expeditam fieri: ut recta, & ad rectam lineam delineata, via, ſine ullo negotio aut hæſitatione conficitur: non

ſecus

ſecus fit in eo qui integrè incedit; cui arcanum Dei conſilium patefit. Cum qui contra vitam inſtituit, partim continua ſimulatione ſibi ipſi oculos configit, dum quod prius conſcientia ex veritatis notitia repugnante fecit, poſt veluti licitum & conceſſum verbo Dei admittat; partim Dei juſtiſſimo judicio occæcatur, [qui non habenti id etiam quod habet, adimit.]

V. 6. *Iuſtitia juſtorum eripit ipſos, at ærumnâ* [*ſuâ*] *perfidioſi capiuntur.*

Ejuſdem fere generis eſt cum v. tertio & quinto: quanquam in eo videtur diſcrimen extare, quòd ſuperiora proverbia ſinceritatis tantum, virtutis videlicet particularis laudem continebant: hoc vero juſtitiam commendat veluti virtutum omnium univerſitatem. Deinde quod ſuperiora proverbia commoda deſignant, quæ ſinceritatis dominis obveniunt: hoc autem incommoda à quibus juſtitia eruit. Iuſtitiæ cum multiplex acceptio ſit; una, cauſa, & veluti arbor, juſtitia ſcil. Chriſti nobis per fidem imputata; altera vero effectus, & veluti fructus; de poſteriore hîc ferè in Proverbiis ſermo habetur, Atq; illi veluti vindex & aſſertor introducitur è malis, quibus hoc ſeculo obnoxij ſumus. Cùm enim hominum, maximè juſtorum vita multis miſeriis, expoſita ſit: operæpretium eſt in promptu ſemper remediũ habere & curationem. Plerique hominum hoc remedium quærunt in divitiis; alij in honoribus & authoritate; alij in amicis; alij in his omnibus vitæ noſtrę prę ſidiis: pauci admodum in vitâ inculpatè actâ; quę tamen una ut in multa nos pericula conjicit, ſic ex illis omnibus eripit atque eruit. Contra vero divitiæ, &c. nos in multa & animi & corporis mala impellunt; ſed ex illis nos eripere nequeunt. Ne igitur formidemus, ne juſtitia nobis οἰκοφθόρος ſit: nam non tam certo ærumnam accerſit, quàm ab ærumnis, quę importantur, ſeu juſtitiæ, ſeu rei alterius gratiâ nos eximet.

Notandum porro juſtitiam cujuſque ipſum liberare; aliquando etiam alios, ut Noachi, Samuelis, Jobi 22. 30. Danielis: ſed hoc tamen reſtringi oportet ad huius ſæculi liberationes, non ad futuras, quod pontificij volunt. Nam ut nemo niſi ſuâ fide juſtus eſt; ſic niſi propria juſtitiâ Dei judicium, quod altero ſæculo exercebitur, effugiat.

V. 7. *Quum moritur homo improbus, perit exſpectatio, etiam ſpes valentiſſima perit.*

Spei & expectationis vocibus metonymicè intelligitur id quod ſperatur & expectatur; alioqui hoc dicto non ſecernitur in probum & improbum cum vitâ definiatur; cumque fides & ſpes hujus modo vitæ anguſtiis teneantur; charitas, vero futuræ etiam comes ſit. [Spes enim quæ videtur non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?] Rom. 8.

Hujus proverbij veritas tum liquido apparebit, ſi, quod ſit ſubjectum ſpei improborum, conſideremus. eſt autem fere in his quæ caduca ſunt, & corruptioni obnoxia; In quo genere ſunt divitiæ, honos, vitæ diuturnitas, delitiæ, &c. Quæ omnia cum hujus duntaxat vitæ ſpatio definiantur, vita defunctos ſua ſpe ilico excidere neceſſe eſt; nam ſi pii interventu mortis priventur hujus ſæculi bonis, Iob. 7. 7. improbi illis poſt mortem frui nequeunt.

Quæ ſperant improbi non aſſequuntur ſæpiùs; ſed oculi eorum expectatione conficiuntur, & veluti configuntur, Quod ſi

ſi ſpes extracta & prorogata animo ægritudo ſit, Prov. 13. 12. nedùm ea penitùs fruſtrari, Iob. 11. 20. Sic Judæi, qui regnum cum magna pompa&apparatu expectant. Nonnunquam non tantum ſpe ſua excidunt; ſed porro in adverſa his, quę ſperant, mala recidunt, ut in Abſalom & Adoniah uſuvênit. Item uxori Siſerę, Iud. .Quod ſi rebus ſperatis potiuntur; tamen mortis acceſſu perit eorum ſpes, in animę vel afflatus expiratione, Iob. 11. vide Luc. 12. 10. etiam valentiſſima ſpes illis quandoque morte intercipitur, ut Iſraëlitis, qui jam ad oras terrę Canaan adducti, atque adeo eas contingerent, 40. annorum in deſerto peregrinationi adjudicati ſunt, unde etiam ejus poſſeſſione privati ſunt, & penitus extirpati. Quid? quod coturnices, quas jam inter dentes mandebant, & quas valentiſſimâ ſpe devorarāt, morte ereptę ſunt. Contrà pij quia non tam facilè ſpem fovent de caducis his bonis; ſed ad utramque fortunam, prout Dei voluntas fert, parati ſint, ſua ſpe non fruſtrantur, eoque ipſo non ringuntur animis. Sed inveniuntur ex improbis quamplurimi qui non tantum in hac vita omnia ſibi ſecunda & optata pollicentur, ſed porro futuræ in cœlis fœlicitatis ſpe & exſpectatione ſe ipſos recreant. Quinetiam pleroſque videas qui majori in ſpeciem fiducia regni cœlorum ſe munitos dictitabunt, & profitebuntur, quam qui verè fideles ſunt: atque adeo ſpem hujuſmodi in ſinu fovere leviculum eſſe prædicant. Sed hæc ſpes nullis Dei promiſſionibus ſuſtentata ſaltem cum morte evaneſcit. Si enim unde hanc ſpem concipiant, interroges, reſpondebunt, quod Deus miſericors ſit, parum attenti quod ejus miſericordia ſit erga timentes ipſum. Quo in genere ut divites ſibi imponunt; ſic inopes fiduciam & ſpem habent, ſe; quod in terra extorres ſint, in cœlis cives fore, utcunque vitam impudicam & incontinentem agant. Alii inde ſpem concipiunt, quod Deus illos terrenis commodis cumulat: perinde ac ſi cœleſtis hæreditas terreſtrem æquaret. Magnam item ſpem ponunt in reſipiſcentiâ ſuâ in ipſo mortis momento; immemores reſipiſcentiam eſſe Dei donum, nec eſſe poteſtatis aut arbitrii noſtri. Quidam etiam ſuis operibus ſe vitam promerituros ſibi in animum inducunt, alij aliorum operibus poſt obitum in ſuam gratiam ſubeundis atque præſtandis ſe morte æternâ eximi poſſe exiſtimant. Qui omnes non tantum ſuâ ſpe mortis adventû excidunt; ſed his, quæ expectant, contraria prorſus accipient. Hinc colligit Pſal. 49. 17. 18. non turbari aut commoveri nos oportere, cum impiis omnia ad voluntatem fluant.

Pii igitur ſpei anchoram non in terrâ, ſed ſurſum in cœlum jaciunt, Heb. 6. 19. 19. Nec verò illud temerè, aut fortuito, aut prout humana fert ratio, faciunt; ſed certo ſpiritus in verbo indicio: dum illa ſperare nobis permittamus, quæ Deus ſacris ſcripturæ teſtimoniis nobis præſtanda confirmavit: ſic enim fiet ut nunquam ſpes noſtra nos pudefaciat.

Verſ. 8. Iuſtus ex anguſtia liberatur, & devenit improbus in locum ejus.

Juſti nomine intelligitur (ut ſupra dictum eſt) is qui imputatione juſtus factus, dignos pœnitentiâ fructus edit. Contra improbi appellatione deſignatur is qui ingenitæ noſtræ pervicaciæ à Deo relictus, ejus etiam amaros & putridos fructus profert. Atque ut juſtus Dei cum pietate, tum patientia ex anguſtia eripitur: ſic improbus juſto Dei judicio & admirabili potentia juſti in locum ſubſtituitur; non autem ſponte accedit, ſed veluti

collo obtorto raptatur. Cum autem dicitur impium in juſti locum ſuffectum & ſurrogatum eſſe, non eſt in eam ſententiam accipiendum, ac ſi impius lueret pœnas piorum ſceleri debitas; ſed quod quam pœnam pius immerito ſubiiſſet, eam improbus merito ſuo perferet, & pius è malis liber erit. Eſſet enim prorſus contra jus humanum ut unus alterius improbitati debitas pœnas perſolveret; nedum divinæ juſtitię adverſum eſſe neceſſe eſt. Hoc proverbio docetur quam curæ Deo eſt piorum vita & quam illi pretioſa, Pſal. 116. 15. quam eorum mors pretioſa ſit, declaratur. Hoc autem loco quam eſt chara illorum vita, quæ improbis tam vilis & abjecta eſt, ut majorem canis, quam vitæ piorum rationem ferè habituri ſint. Vide quomodo Aſſuerus ad unicam Hamanis petitionem totam Iudæorum nationem indictâ cauſâ morti & internecioni adjudicavit; idque nullo pretio accepto, aut ſpe pretii inductus. Pij etiam ipſi timore Dei prohibentur nimis magnam vitæ ſuæ rationem habere, ut illam vel Dei gloriæ vel etiam proximorum ſaluti præferendam ducant. Sed Deus illos à mundo ſpretos, Pſal. 79. 4. à ſeipſis non tantopere adamatos, ſingulari curâ & ſollicitudine complectitur. Quo igitur magis piorum vita improbis vilis, & ſibi ipſis non nimium cara eſt; eo magis illam Deus curat. Contra qui amat vitam ſuam (referente Chriſto) amittet illam. Atque cum lachrymas ſuorum colligens in lagenâ reponit; atque adeo pili capitum numerati ſunt, ut illa ulciſcatur; nedum vitæ curam agit.

Quod autem hoc loco docetur, multis exemplis tum ex communis vitæ experientia, tum ex ſcripturæ teſtimoniis confirmatur. Sic enim legimus crucem Mardochæo paratam, Hamanis ſuſpendio deſtinatam fuiſſe; & Iudæorum paſſim per omnes provincias pręſtitutos carnifices eodem & tempore & modo periiſſe, quo Iudæos interimere cogitarant. Sic Deus Ezechiæ & Iudæorum vitam Æthiopum, Ægyptiorum, & Sabæorum clade redemit. Quò ſpectat quod à Propheta celebratur, Iſai. 43. 3. ubi etiam illud liquet Deum ſuos non uni tantum nationi, ſed pluribus, atque adeo univerſo mundo præferre. Quid? quod ad unum Davidem à morte & periculo vindicandum, multos & Philiſtæos & Iſraëlitas ſubſtituit, 1. Sam. 23. 27. 28. Sic etiam in unius Mardochæi locum ſubſtituti ſunt Haman & omnes ejus filii. Sic pro Daniele uno multi nobiles unà cum familiis, Dan. 6. Vide Act. 12. de cuſtodibus, & Herode rege, qui in locum Petri ſucceſſere.

Hujus verò tanti diſcriminis cauſa non in piis aut juſtis eorumve operibus collocatur; ſed in puro Dei amore, tanquam in fonte unde hoc beneficium manat, Iſa. 43. 4. Qui porrò Dei amor inde in nos derivatur, quod Chriſtus juſtus pro nobis impiis ſemel mortuus noſtram vicem ſubivit. Cavendum tamen ne hoc in univerſum præſens expectemus. Sed quoties ex Dei gloriâ & Eccleſiæ uſu hoc eſſe Deo viſum fuerit. Certè ſæpiùs hoc evenire ſtatuere licet: ſed ut in omnibus aliis hujus vitæ promiſſionibus, eandem perpetuam & conſtantem divinæ in piis eripiendis bonitatis rationem ſervari, nemo in animum ſuum inducat. Deinde etiam hæc Dei cura tum viget & declaratur maximè, cum juſti in viis domini conſtanter & ſollicitè inſiſtunt. Aliquando Deus fidei ſuorum experimentum capturus, vel potiùs aliis præbiturus, eos dicitur nullo pretio accepto vendere, Pſal. 44. & Rom. 8. 36.

Verſ. 9 Ore hypocrita corrumpit proximum ſuum: at ſcientiâ, juſti liberantur.

Ore

Ore metonym. ſubj. pro adjunctis verbis ſeu oratione.

Pſal. 69. gladio & ſagittæ comparantur verba improborum alibi novaculæ. Pſal. 120. ſagittis potentis viri & prunis juniperi vehementius ardentibus, & ignem diutiùs retinentibus. Quod autem valdè noceant animo,corpori,aut utrique ſimul, ex pleriſque & ſententiis ſcripturæ & exemplis confirmatur, ut in Siba qui Mephiboſethum accuſavit apud Davidem. Deinde (Paulo teſtante) [bonos mores corrumpunt colloquia prava. Sed omnium linguæ aut oris peſtium nulla capitalior eſt, quam cum homines per ſpeciem pietatis aut amoris aliis nocent: quos potiſſimum hoc Proverb. Sal. deſignat. nec enim aut ab aperto hoſte,aut à manifeſte improbis tantum periculum incumbit. In his qui vitam præſentem petunt, & ei inſidiantur, exemplum ſit Doeg, qui univerſam familiam ſacerdotum ſua calumnia evertit, dum ſe Sauli fidelem ſubditũ probare conatur, 1.Sam. 22. Haman verò ferè totam gentem, & illam ſanctam ſuis calumniis perdidiſſet; dum,ut ſe vindicaret, regis ſecuritatem & regni pacem præ ſe tulit. Heſt. 3. Quod autem ad linguæ venenata tela attinet, quibus ęterna hominis ſalus petitur, tametſi illa ſine ſingulari impietate torqueri non poſſunt, tamen Satan illud agit ut ſi non à pietate, tamen non ſine pietate cæpta aut geſta eſſe videantur. Vide Prov. . meretricis impudiciſſimam orationem: in qua tamen votorum à ſe perſolutorum mentionem idcirco facit, ne à pietate aliena,aut abhorrens eſſe videatur. Idem in hęreſi ſentiendũ, 1.Tim. 4.2. 2.Pet. 2. 2. 3. Cujus vivum & expreſſum exemplar in monachis & ſacrificulis proponitur, atque adeò in Pontificiis omnibus, qui ſcripturam, concilia, patres obtendunt rebus turpiſſimis.

Iuſti vero ſcientiâ liberantur, Ex quo liquet impiis hujuſmodi ſagittas lethales & mortiferas eſſe: & juſtos tantùm eripi. Ubi ſi quæras quæ tandem illa ſcientia eſt, cujus peritiâ juſti ex periculo emergunt: Reſpond. Salom. Prov. 2. 12. & Prov. 5. E quibus utriſque conjunctis cõſtat verum Dei timorem (quem ſapientiam & ſcientiam Sal. nuncupat) hominem eripere à depravatâ tùm viri, tùm fœminæ linguâ. Sic Mardochæus & Heſt. & ſe & gentem ſcientia veritatis & vera pietate conjuncta cum prudentia, & circumſpecta agendi ratione, exitio, quod ſibi & ſuis paratum erat, eripiebant. Sic Joſephi pietas impoſitas ſibi ab hera accuſationes tandem excuſſit. Hinc liquet juſtis comparandam ſcientiam unde 2. Pet. 1. 5. virtuti ſcientiam addendam ſuadet. nam homines minimè mali, inſcientia & imperitia divini verbi ſeducuntur, Rom. 16. 18. Quamobrem vafro & doloſo ori medicinam proponit, cor conſultum & intelligens. Tametſi vero aliquando fit ut pii hujuſmodi falſis criminationibus vita aut opibus evertantur; tamen huic proverbio ſua veritas conſtat. Primùm quidem quod maxima parte ſecus fit. Deinde quod Deus eorum obſcuratam innocentiam, tandem ut meridiem lucere faciet. Denique quod hanc vitam cum meliore commutantes ex illis malis, quibus eos implicari Satan cupiebat, eripiuntur.

V. 10. *De bono juſtorum exſultat urbs, & quum pereunt improbi, cantus [exercetur.]*

In voce civitas eſt meton. ſubj. in voce cantus eſt ſynecdoch. ſpeciei,

In hoc proverbio, ut in pleriſque aliis membra proverbii mutuam ſibi ipſis fidem aſtruunt. Nam ſi de bono juſtorum exultat civitas, certè de interitu impiorum

rum cantabit. Cùm juſti bono divitiarũ, πολυπαιδίας numeroſæ familiæ, honoris, authoritatis ornantur, civitas juſtam materiam & argumentum, non tantum intus animo lætandi, ſed & exultandi, ſeu intus incluſum in animo gaudium, externis ſignis, & corporis geſtu declarandi accipient. Primum enim bono accepto non, ut improbi, ad aliorum incommodum abutuntur. 2. ad urbis etiam emolumentum& decus idem illud, quicquid eſt, bonum conferunt. nec enim ſe duntaxat & ſuos; ſed Eccleſiam quamprimum, & remp. reſpiciunt, & illis quàm optimum eſſe non tantum diſcupiunt; ſed niſu & conatu ſuo ut hoc conficiatur operam dant. 3. quod vel maximum eſt, quod Deus ex fœdere non tantũ in illos benignus eſt; ſed omnibus his quibuſcũ communione & vitę ſocietate conjuncti ſunt. idque cum mala advertendo, quæ alioqui civitatem premerent; tum bonis cumulando? Hujus exemplum eſt in Ioſephi ad principatum promotione, cujus ſapientia magna fames à multis & Ægyptiis, & aliis vicinis gentibus depulſa eſt. Illuſtriſſ. hujus doctrinæ exemplum exiſtit in Heſtere & Mardochæo. Et primum quidem in Heſtere, cujus cum rege nuptiis nobilitandis, omnibus provinciis canonis ſeu tributi remiſſio & relaxatio conceſſa eſt. Deinde in Heſtere & Mardochæo qui de populi liberatione eorum opera confecta, populo in ſingulos annos duo feſta inſtituerunt, quibus omnia lætitiæ& exultationis ſigna ederent. Imprimis autem Deus hujus beneficij author laudandus, ut & in impiorum perditione. Hujus etenim ſeu exultationis ſeu cantus primitiæ Deo laudibus, & gratiarum actione perſolvendæ ſunt. Huc accedit. quod de Sodomorum urbe narratur, Gen. 18. quæ 10. juſtorum cauſa incendio eripienda fuerat, & quod eſt Ier. 5. 1. ubi dominus peperciſſet, ſi unum tantũ bonum virum offendiſſet. Ioſiæ etiam cauſa malum Iudæis inferendum, dum ipſe in vivis eſſet, ſuſpenſum & cohibitum eſt. Quod ſi vir juſtus tantum emolumenti affert univerſę aut urbi, aut regno; quid faciet uni tantum familiæ, qua cum arctius quàm cum tota aut civitate aut regno conjungitur. Hoc nos doceat quam ardenter precandum nobis eſt, ut juſti nobis in familia, in Eccleſia, in rep. præficiantur. Quàm itidem contendendum apud Deum, ut juſtos nobis à Deo datos retineamns.

Altera pars ſententiæ ex contrariis improborũ effectis, & Dei maledictione in eos&omnia quę ſuſcipiunt. Hujus illuſtre exemplum eſt inHamane& impiis populi Dei hoſtibus, qui ad 3. diem 22. menſis in vitam populiDei conjurarant. Quid igitur hîc dicamus deDavide quiSaulis mortem ſingulari carmine celebravit. Reſp. eum luxiſſe non mortem tyranni, ſed mortis genus. quod à proprio milite interfectus ſit. nam ut tyrannorum mortem expetere debemus; ſic eorum illlcitam interemtionem proditione aut civili tumultu averſari oportet. Deinde reſp. domeſticum affinitatis officium præſtitiſſe, quod gener ejus extitit; nec enim alioqui hoc facturus videtur. Tametſi hîc circumſpectè cavendum eſt ne cantus noſter nos-ipſos, aut privatum commodum, aut vindictam reſpiciat qui præcipuè Dei ad gloriam referri opportet; deinde ad Eccleſiæ & reipub. emolumentum.

V. 11. *Benedictione rectorum effertur urbs: ore autem improborum deſtruitur.*

In vocibus civitatis&oris eſt metonym. ſubject. vel potius in civitatis voce eſt ſynecdoch. partis ut ex poſteriore parte verſus apparet, ubi ipſam civitatem demolitum iri confirmatur. Eſt etiam in vocabulo benedictionis ſynecd. ſpeciei pro omni

omni genere pii & probi ſermonis, ut ex poſteriore parte verſus, ubi benedictioni opponuntur putres ſermones. voce igitur benedictionis præcipuè intelliguntur προσευχαὶ, ſive petitoriæ ſint, ſive εὐχαριςικαὶ Deinde juramentorum parcus & licitus uſus. item votorum poſtremo ſermo cum hominibus familiaris & conſuetus, ſi verus, honeſtus, opportunus ſit.

Hoc Proverb. Sal. inveteratum, & hominum animis altè infixum errorem refellit, quo parvum momentũ ſibi & animo ſuo affingunt verbis ineſſe, ſeu ad rēp. & Eccleſiam beandam, ſeu ad eam miſeram & infœlicem conſtituendum: eoq; ipſo nec præmium bene dictorum, nec pœnam improbi aut impij ſermonis legibus cavent. Nec enim de verbis ſive laudatis ſive illaudatis ſecus ſtatuunt, quam de flatu aut levi aura quę ſine magno aut commodo aut damno evaneſcit; aut de fumo, quem ventus levis penitus diſſipat, cum tamen ſcriptura verba aut ſermonem tanti faciat, ut aut venti purgantis, & ad ventilandum apti loco habeat; aut turbinis omnia pervaſtantis & perfringentis. neque fumi loco habet; ſed ignis potius aut excoquentis & defæcantis; aut conſumentis & perimentis omnia: eoq́; ipſo Eccleſiæ ſimul & reip. de præmio, pœnave male & bene dictorum cogitandum eſſe. Quanta vis ſit in precibus pij, viri, ex Abrahami pro Sodoma petitione liquet. Gen. 18. Item ex Iacobo. 3. 16. 17. 18. quod etiam in legitimo uſu juramenti conſtat. Ier. 4. 2.

Quomodo verò civitas ore diruitur ex contrariis benedictionis colligitur. ejus porrò probatio peti poſſit ex ritu populi Dei, qui, ad blaſphemiam in Deum & regem expiandam, ſolent totam urbem ubi ſcelus illud admiſſum erat ad jejunij ſanctificationem convocare. 1. Reg. 21. Hoc vel maximè conſideratur in pſeudodoctoribus. vide Deut. 13.

Hæc doctrina nobis ſtimulos addat ad ſermones pios & honeſtos ſectandum, cùm non nobis tantùm proſint; ſed ad totius urbis aut oppidi. quod incolimus, utilitatem redundent: cumq́ue cohibere nos debet, & veluti frænum nobis injicere, ſeu lupato os noſtrum cõſtringere, quod impio aut improbo ſermone proprias animas conficimus; tum multò magis nobis à malis ſermonibus temperandum, cum vitium ſermonis ad multorum perniciem ſerpere & manare intellexerimus. Videtur enim major quędam vis ineſſe, ad nocendum, linguæ virulentæ, quam manui ſanguinolentæ: nam manu unum tantum virum uno momento interficias; cum unico perverſo dicto plurimos trucides. Deinde cum videmus improbos tãto numero perverſis ſermonibus civitatem Dei oppugnare, contendamus & nos piis & probis ſermonibus urbem Dei veluti ſtatuminare, ne concidat aut collabatur. Quod ſi urbs petulanti & blaſphemâ linguâ evertatur, quid de familiâ fiet? Quãobrem David domo ſuâ calumniatores & detractores ejicit atque exturbat. Pſ. 101 Utriuſque hujus vel elationis, vel demolitionis præcipua cauſa eſt Dei benedictio piorum benedictionem, vel maledictio impiorum maledictionem ſubſequens.

V. 12. *Spernente proximum ſuum demente vir prudentiſſimus ſurdum agit.*

In voce contemptus eſt meton cauſæ, notat enim verba aut facta contumelioſa, quibus aliquis proximum ſuum onerat, ut ex verbo ſilendi apparet, quod huic contemptui opponit: cum ſi contemptus in animo incluſus teneretur, nulla futura fuiſſet ejus laus, qui contemptum patitur: proximi nomine intelligitur quivis ejuſdem naturę humanę particeps, cujus eſt is

qui alium contemptui habet; cordis nomine intelligitur ſyn. intelligentia, ut apparet ex oppoſito membro prudentiæ denique in voce ſilendi eſt ſyn. generis, nec enim ſilentium in univerſum intelligit, ſed duntaxat nullam eſſe calumniarũ aut contumeliarum compenſationem, aut retributionem. Poteſt enim aliquis ſalvâ hujus proverbij veritate conjectis & intortis illi contumeliis reſpondere, dummodo maledictum maledicto non rependat.

Duo autem ſunt quæ hoc proverbio inſtituuntur: prius ut nemo, memor ſuæ tenuitatis,&paris cum proximo conditionis alium aſpernetur, alterum verò ut talionem in contumeliis illatis declinemus. Et quidem, quod ad prius interdictum attinet, rationem annexam habet in voce proximi, quâ voce declarat tantam eſſe ſimilitudinem hominis cum homine, conjunctionem, & communitatem tantam, ut ſuimetipſius oblivionem capere neceſſum ſit, qui alterum, utcunque contemptnm & abjectum aſpernatur. Quid enim ſi hic pauper, ille dives; hic honore cumulatus, ille humilis; hic authoritate præditus ille privatus; hic literatus, ille indoctus? tanta tamen eſt conjunctio, primo creationis ex una eademque materia, nativitatis, mortis, æterni aut præmij aut pœnæ (quorum ſumma eſt quòd noſtra caro ſit, Iſ. 58. 7.) quæ proximum meritò à contemptu vindicet. Primum enim plura ſunt quibus conveniunt, quam quibus diſparantur. Deinde antiquiora ſunt iis illa 3. firmiora ſunt illa quibus, quaſi vinculis conjungimur, quam ſunt iſta quibus diſjungimur. Huc accedit quod qua in re alij aliis ſuperiores ſunt & eminentiores, id non ſuo merito, ſed gratuito Dei dono acceperunt. 1. Cor. 4. 7. Deinde quod prov. 22. 2. dicitur de divite & paupere, quod ſingulari bono Eecleſiæ & reip. occurrunt, ita diſponente Dei ſagaci providentiâ: idem de cæteris, quæ prædicta ſunt, intelligendum eſt. Quod ſi non tantum humanæ naturæ vinculo, & communione conjungantur; ſed porrò Spiritus ſancti nexu in Chriſto conſocientur: tum quidem arctioribus & pluribus ligamentis conſtringuntur, quæ Eph. 4. enumerantur. Deinde notandum Spiritum ſanctum illius rei opinionem contemptori adimere, cujus fiduciâ vel maximè proximum contemnit. Cum enim contemptus hic ex propriæ prudentiæ opinione pullulet, ejus vel minimam tincturam illi negat, vel veſtigium leviſſimum, cum dicat eum vel maximè vecordem eſſe. Exceptionem habet, quod dicitur Pſ. 15. 4. cujus exemplum exſtat in Mardochæo, qui Hamanam noluit honore afficere. Altera pars proverbij patientiam nobis proponit, placidè contemptum ferendo ut David. Pſ. 38. 13. 14. 15. Quod ſervator Chriſtus amplificavit, dum non tantum convitium convitio reddendum vetat; ſed porro ut maledicentibus, & in nos debacchantibus bene precemur. Hujus autem ſilentii cauſa petitur ex conſideratione peccatorum, quorum rei ſumus apud Deum; utcunque apud homines hæc promeriti non ſimus. Deinde quod contumelioſus citiùs & faciliùs ſilentio placatur; irritatur talione: ut latrans canis citiùs ſilentio, quam occlamatione, latrandi finem facit: & ut cænum veſti aſperſum citiùs deletur, ſi illud non attigeris, ſed deſiccari patiaris, ut ſua vaneſcat ſponte.

Verſ. 13. Ambulans [cum] detractione revelat arcanum: at fidus animo, tegit rem.

In fideli Spiritu, ſynec. videtur eſſe generis; accipitur enim non pro fidelitate in re

in re qualibet (ſic enim proverbii acumen retunderetur, ſed pro fidelitate in verbis,quæ opponitur detractioni. in voce verbi eſt etiam ſyn. partis, verbi ſcil. pro integra ſententia, vel adjuncti verbi ſcil. pro re ſubjectâ;cui ſignificandæ verbum adjungitur.

Cum magnum ſit hujus vitæ adminiculum, ſibi amicum fidelem adjungere, quo cum conſilia & animi ſenſus communicet,hoc proverbio docemur,quæ in amici delectu cautio habenda ſit. Nam cum amicitiæ propria quædam virtus ſit arcana credita reticere; ſit autem detractor aut calumniator blatero, qui veluti rimarum plenus huc atque illuc perfluat; cavendum eſſe docetur hoc proverbio ne quidqnam quod tacitum velles calumniatori committas. Nam qui proximi ſui lapſus vel intempeſtivè prodit, & evulgat; aut vero etiam falſa confingit & concinnat, quæ in vulgus ſpargat; is ut arcana celet nulla veriſimilitudine exiſtimari debet. Qui enim alterius lapſus geſtit propalare, ne amici quidem erratum aut delictum tacere exiſtimandus eſt: maximè vero ſi, ut aliis placeat, mendacia & commenta excogitat; vera & res geſtas multo magis effutiet.

Deinde ubicunque detractoris in ſcripturis mentio fit, Levit. 19. Ier. 6. & 9. Ezek. 22. ibi (ut & hoc loco) circumforanei notâ maculatur& inuritur.Fit enim ut qui rebus gerendis operam non navet, is huc, illuc pervagetur.Quo ſpectat etymon. vocis, quæ à mercatoribus ſive inſtitoribus ducta docet detractores huc illuc circumcurſitare: ut illi merces emunt quas aliis vendant: ſic iſti rumores colligunt, quos hinc inde diſſipent. atque ut illi merces ſuas commiſcent: ſic iſti veris falſa; & ab aliis audita ſuis commentis deteriora reddunt. Cum enim otioſum multa peccata comitentur, ut eſt Prov.6; ex illa vitiorum caterva detractionem eſſe liquet pleniſſimè verò&planiſſ. 1.Tim. 5.13.ubi otioſas mulierculas ſimul & circumforaneas, ſeu errones, & linguæ petulantia laborare confirmatur. Omnino enim ita comparatum eſt, ut qui manus ſuas in opere aliquo utili faciundo non occupant, iidem linguas falſa & noxia comminiſcendo exercent. Ubi etiam alia cauſa emergit.cur detractores arcana retegant. nam quum per otium neceſſario vitæ cultu, victu & veſtitu deſtituantur, quo abundant, qui labore manuum eum quærunt, hanc cultus vitæ inediam aliundè ſupplere coguntur. Ob eamqne cauſam, ſi quem norint aut etiam ſuſpicētur, in alterum malè affectum&animatum eſſe, eoque de illo, malè audire cupere,aliquid de illo aut temerè effutiunt, aut falſum, quod narrent,excogitant;ut ſuis calumniis & malevolè dictis menſam promereantur. vid. exemplum Dalilæ. Iud. 16.Ut igitur firma & ſuavi amicitia vitam hanc muniamus, cavendum nobis eſt à detractoribus.Atque ut ab illis tuti ſimus, fugiendi ſunt qui aut penitus otioſi ſunt, aut ſuam operam in rebus inutilibus collocant.Interim illud meminerimus de arcano tacito hoc intelligi. nam Ionatham Davidi patris ſecreta narravit.Sic Ieremię conſiliū in ipſum &Baruchum initum aliqui ex regio ſenatu,ni fallor,detegerunt. Contrà qui in verbis & promiſſis fidem ſervat, is datam fidem de arcano celando ſervabit; præcipuè cum illam fidem amico dederit. Nam ſi omnibus in rebus linguam ſuam veritati narandę aſſuevit;multo hoc faciet magis, cum illud ab amico legitimè exigitur.

V. 14. *Vbi non [ſunt] prudentia conſilia, corruit populus, ſalus autem [eſt] in amplitudine conſiliarij.*

In ſocietate&conjunctione multorum, qui

qui ſe in unum corpus reipub. colligarunt ad mutuum cum commodum, tum utilitatem tuendam; Satan humanæ ſocietatis hoſtis multa comminiſcitur,quibus eorum inter ſe communionem & vinculum labefactet. Hinc eſt quod omnibus ferè ſæculis extiterunt Nimrodi, Nebuchad. Alexandri, & noſtra hac ætate Turcæ, Hiſpani qui libidine dominandi prurientes in ſervitutem compellere enixi ſunt. Deinde tametſi,natura duce, homines ad ſui conſervationem libenter ſe ſocietate invicem devinciunt: tamen rei communis curam ſinguli ferè à ſe in alios transferētes, ſibi & ſuis privatis commodis ſe dedunt; obliti commodorum reipublicæ:ad eum modum,ut ipſi ſibiipſis exitium conſciſcant; utut nullis externorum hoſtium, aut inſidiis, aut incurſionibus infeſtentur. Naſcuntur & pullulant ſæpè inter paucos cives diſſenſionum ſemina& igniculi,quæ niſi maturè extinguantur, vires accipiunt, & ad totius populi diremptum & diſtractionē manant:unde cives inter ſe commiſſi propriis ictibus concidunt:tanquam lagenæ teſtacæ mutuo inter ſe attritæ, contuſæ, & comminutæ.

Quod ſi qui ſint (qui ſanè pauci ſunt,) qui ſuas cogitationes & conſilia ad communem utilitatem conferunt, hi tamen plus voluntate,quàm viribus valentes quā ſibi proponunt utilitatem non afferunt: eſt etiam ubi incogitantiâ obſunt plurimum. Sunt bruta animantia quæ abſque duce ſuam communitatem tuentur & ſuſtentant prov. 30. ſed humana ſocietas tot inſidiis,&impreſſionibus expetita eſt, ut non, niſi ſub duce, & quidem conſiliis bene inſtructo,tuta & incolumis eſſe poteſt.Ex quibus omnibus illud liquet quod hoc loco docetur, ruere populum qui ſanis conſiliis non gubernatur. Hujus rei documentum firmiſſ. & clariſſ.extat Iſ.3. Qui Eccleſiæ & reip. ruinam & internecionem denuncians, ſenatoris conſulti ſubtractionem minatur: idem confirmatur. Eccleſ. 10. 16. *Væ tibi terra,cujus rex eſt puer.*Item Reboami exemplo, qui temerariis juvenum conſiliariorum præcipitiis, maximam regni ſui partem amiſit univerſam amiſſurus, niſi Deus inſolita providentia duas tribus illi reſervaſſet; ut fides Davidi data, & per Prophetam Achiam dicta conſtaret. Vide porro juvenile conſilium, quod Aſſuero prebitum eſt, quo regnum ejus peſſundediſſet, Eſth. 3.

Cum enim res domeſticæ diſſipatæ pereunt,niſi conſilio,&certâ quadam ratione adminiſtrentur, nedum reſp. ſine conſiliariorum adminiculo ſtare poterit. Sunt qui quod numero ſint quam plurimi, ſe adverſus omnes tempeſtatum caſus munitos eſſe arbitrantur; cum arma pararant, nihil proficiant ſine conſilio. Alii ut periculis occurrant fraudes excogitant, quibus malis inferendis obviam ire confidunt. Cum Salomon non niſi conſilio & ſolidâ ſapientiâ rem bene geri poſſe confirmat. Quamobrem videndum ut conſilia noſtra ex Dei verbo depromantur, aut ad illud tanquam ad amuſſim adigantur; obtineatq; quod David Pſal. 119. de ſe profitetur, [ſtatuta Dei illi à conſiliis fuiſſe:quorum præſidio ſe magiſtris & hoſtibus ſuis,præterea ſenibus & longâ experientiâ edoctis ſapientiorem fuiſſe affirmat.] Vide quomodo Ieroboam ſuis artibus & conſiliis quę caro dictavit, unà cum tota domo periit. 1. Reg. 15. 29.

Obſervandum porro conſilii inopes reſpublicas non tantum labefactari, ſed convelli & radicitus extirpari; non tantum imminui,ſed comminui; nec decreſcere & defloreſcere modo,ſed funditus interire. Quamobrē cum videmus quanti momenti ſit deſtitui rempub. conſilio & fidelibus conſiliariis,operæpretium eſt precibus in eam partem incumbere, ut nobis

nobis ſapientes conſiliarios Deus largiatur; eosque ſanis & ſalutaribus conſiliis imbutos, quàm diutiſſimè nobis conſervet: avertatque à vafris, & callidis corruptæ noſtræ naturæ inventis, & figmentis, quantumvis in ſpeciem ingenioſis. Denique precandum ut principes ſimul & populus ſanis & ſalutaribus conſiliis acquieſcant, eiſque pareant, aliàs reſpub. tanquam inops conſilii peribit.

[Sed ſalus eſt in multis conſiliariis.] hoc hemiſtichium arguitur ex adverſis. nam ſi conſilii inòpiâ pereunt reſpublicæ; ejuſdem copiâ & amplitudine reſp. conſervari neceſſum eſt. Cujus rei eximium exemplum exiſtit in Salomone, qui, cùm ex ſe ſapientiſſ. exiſteret, & ſapientiâ omnes qui unquam fuerunt, aut futuri ſunt longè ſuperavit; tamen ad fœlicem reip. conſtitutionem, ſenatum porrò ex ſapiẽtiſſimis delectum ſibi aſcivit: unde factum eſt ut populus ſub eo ſumma & pace & fœlicitate frueretur. De lectiſſimo ejus ſenatu conſtat ex hiſtoriâ filij ſui Rehoboami.

V. 15. *Omnino confringitur, qui ſpondet pro extraneo: qui autem odit complodentes, ſecurus* [*eſt.*]

In voce רע (*frangendo*) eſt metaphora ſumpta à figulino vaſe, vel re quapiam aliâ quę fruſtatim & in particulas comminuta, non poteſt inſtaurari; quaſi dicas, perinde peribis ut perit confractum vas, idque non tantum opum & facultatum diſſipatione, ſed etiam libertatis, & valetudinis, atque adeò etiam vitæ diſpendio.

In voce זר (*extraneus*) eſt ſynecd. ſpeciei. Nec enim ſolum eum ſignificat qui mihi ignotus eſt; ſed eum cujus conditio ignota eſt, vel potiùs quemvis pro quo fide jubere non eſt tutum aut conſultum. nam ut alienam dicitur ſibi adjungere qui aliam admittit præter uxorem; ſic pro alieno ſpondere, qui pro eo cui officii nomine non obligatur ſpondet. Prætereà in verbo שׂנא (*odit*) eſt meton. cauſe, id eſt, qui fugiendo comploſionem manum declarat ſe illam odio habere. In תקעים (*vadimonium*) eſt metonym. adjunct, pro fidejuſſoribus, qui ſolent adjunctâ comploſione fidejubere.

Fidejuſſione & vadimoniis tanquàm ad ſcopulum reip. multi impingunt, & rei familiaris naufragium facientes remp. ipſam labefactant. unde Sal. hîc & alibi, tanquam ſublato ſigno nos commonefacit, ut Petram hanc præternavigantes ſalvi, & incolumes in portum provehamur.

Quod quidem eò facit magis, quo plerique inveniuntur, qui minimè mali his caſſibus illaqueantur. Videtur enim humanitatis eſſe ſponſorem me ſiſtere pro eo qui me ſponſorem adhibere cupit, Nã cùm me adit & ſponſorem appellat, hoc ipſum humanitatis meæ & facilitatis cujuſdam perſuaſione feciſſe videtur: cui te difficilem & in exorabilem prębere moroſum & prædurum videtur. Hinc eſt quòd ſint qui dicunt ſe non poſſe niſi inverecundè eorum petitionem abnuere; maximè ſi importuni inſiſtant. Quid? quòd charitatis Chriſtianæ pigmento hãc ab officio declinationem infucant: ac ſi à dilectione alienus foret, qui pro altero fidejubere recuſat. Sed quænam humanitas eſt humanam ſocietatem violare, & iſtâ facilitate in teipſum, & in eos, quos te maximè curare decet, crudelitatem exercere; dum his vinculis conſtrictus eos deſerere cogaris quos Deus tuæ fidei cõmiſit? Deinde quæ illa charitas eſt quæ alius commoda ſic curat, ut ſe & ſuos negligat? Quæve illa charitas, quæ in decoctoribus & nepotibus, qui omnia exhauriunt, juvandis oſtenditur; quæ in fovendo deſidioſos & otio torpentes conſumi-

ſumitur. Nam hujuſmodi ferè ſunt qui ſponſores in hoc genere quærunt, ut ex cap. 6. hujus libri liquet? Denique quęnam illa charitas eſt teipſum ſpoliare, & bonis omnibus exuere, ut alteri medicinā pares qui immedicabilis eſt; vel quod tanto in ære ſit, unde nec tuis nec ſuis opibus emergere poſſit; vel quod tanquam hirudo omnia quæ undecunque corradere poteſt exugat? Deinde Apoſtolus ad Rom. 13. 8. *Docet nemini quidquam debere nos oportere, quoad datur, niſi ut mutuò diligamus.* Iuſtus equidem munificus eſt & multa largitur: ſed (ut eſt Pſal. 112.) *rem ſuam prudenter*, & *cum judicio moderatur & diſpenſat* nam plerique inveniuntur quibus cordi eſt aliorum bona haſtæ exponere, ut ſocios miſeriæ ſibi adjungant. Alij ſuos amicos in diſcrimen conjiciunt, tantùm ſi hoc pacto tempus extrahant & diem fallant; etiamſi ſe ære alieno extricare planè deſperent.

Cumque in eam partem peccantes faciliùs in hanc fraudem inducantur, quod blanditiis allecti & deliniti arbitrantur ſe hoc pacto rem facturos, dum ſibi amicos comparant quorum operâ ad ſua negotia conficienda utantur. Alij vero aliquanto illis cautiores, rem à periculo non penitus abeſſe exiſtimantes; tamen quod ſecus cadere poſſit fortunam experiri ſtatuunt, His ſapiens occurrit, cum dicit illos penitùs confringendos & conquaſſandos eſſe. Perinde ac ſi dicat, tu quidem leve eſſe ducis manum complodere: leve ſyngrapham ſubſcribere, ſigillum apponere; vel ſi periculum ſubeſſe fortè ſuſpiceris; tamen illud aut ſecùs accidere poſſe, aut ſi accidat, tamen leviuſculum fore; Exiſtimas enim eum, pro quo ſponſorem te interponis, non eſſe ita ab omni humanitate alienum, ut tuam erga ſe voluntatem tui proditione remunerare velit; illum porrò, cui te debitorem conſtituiſti, reris, non tam durum exactorem fore, ut abſte, cujus hoc nomen & debitum non eſt, & qui nullam vel minimam compenſationem, vel gelidæ aquæ calicem unquam ab illo accepiſti, æs alienum tam ſeverè exigat: ſed res longè aliter eſt. Nec enim ſolùm ex eo non proficies, aut dubium aut anceps periculum adibis; ſed te in indubitatum diſcrimen conjicies. Quamobrem non tantùm hîc valet quod Apollinis oraculo olim decantatum eſt, *ſponde: propè damnum eſt*; ſed illud memoriâ & animadverſione dignum, quod ſapienter quidam præcipiunt, ut totam illam pecuniam, pro quâ fidejubes ex arcâ extractum ſeponas, & ſemper in numerato habeas; non minùs quàm ſi tuum proprium nomen foret. Sed contrarium videtur apud Luc. 6: *Omni petenti dato, & ab eo qui mutuò accipere velit, ne avertas faciem.* Non ergo hæc ita dicta ſunt, ac ſi omnē fidejuſſionem illicitam eſſe ſtatuendum ſit. nam cùm pro alieno præcipit non eſſe ſpondendum, ubi hoc juſtum & conceſſum ſit, non obſtare indicat, ut ſi quis religionis causâ damnum perferens æs alienum contraxit; aut ſi quis diligenter, & circumſpectè vocationi honeſtæ addictus, aliquâ ſubitâ tempeſtate, quæ aut declinari non potuit, aut non facilè averti, opprimitur. Ubi tamen cautio habenda eſt, ne ultra vires, aut ſupra quod pręſtari commodè poteſt ſine propriæ conditionis labefactione quid tentemus. non ergo hic abſolutè prohibemur aut Luc. 6. jubemur: ſed tantum monemur caute nos aliis dare; non alienis ſed fidei domeſticis, iiſque oppreſſis; ad eoſque potius ab extremis ſublevandos quam elevandos; idque libenter.

In poſteriore parte proverbij docet ex adjunct. fiduciâ quàm meritò cavenda ſit temeraria ſponſio, ex quo illud porrò liquet eum qui pro altero temere ſpopōdit, unà cum rei familiaris jacturâ libertatem amittere, & in latebras & tenebras com-

compingi: nec tantùm hominum ſocietate exulare;ſed à Dei etiam in Eccleſiâ & cœtu ſanctorum præſentiâ&vultu ſereno exigi&exterminari:metumq́;creditorum illi perpetuo tanquam lictorem aut apparitorem imminere; ut ubicunque hominem aſpexerit, ilico timore percellatur, ne idem creditor ſit qui illum ad carcerē quærat. Quam rem experientia communis ſatis docet.

Ex his omnibus conſtat opum & facultatum noſtrarum diſtrahendarum legem nobis eſſe àDeo poſitam,ut non minus nobis liceat eas temerè profundere, quam avarè & mordicùs retinere: ſed prudenter eas adminiſtrare ad Dei gloriam & proximorum commodum; maximè eorum qui noſtrę curę commiſſi ſunt. Quod ſi fas non ſit aliorum miſeriis ſublevandis noſtras facultates prodigere:næ illi multo magis damnandi erunt,qui omnia ſuæ & propriæ cuti curandę impendunt; qui crapulæ & ebrietati ſuas opes adminiſtras adhibent; quibus non modo alios non recreant, & refocillant,ſed etiam ſeipſos conficiunt, aut certè valetudinem & vires labefactant.

V. 16. *Mulier gratioſa continet honorem, ut potentiores continent divitias.*

Hoc loco voce gratiæ alterutrum intelligitur, aut corporis, aut animi gratia. Prior non intelligitur, videlicet venuſtas aut pulchritudo quæ à naturâ hominibus obveniunt:ergò animi pulchritudo &decor, quæ dona ſunt cœlitùs à ſpiritu Sancto dimiſſa, Pleraſque enim fœminas videas infames & ignorantiâ oppletas,quæ pulchritudine & venuſtate corporis excellunt. Deinde ex illis ſunt quæ primo ex pulchritudine, & venuſtate pretio habitæ, poſt, eâdem vel proſtitutâ, vel ſenio aut morbo amiſſâ, nullo in honore manent. eſt enim *venuſtas fallax & pulchritudo vana*: Proverb. 31. 30. Cum tamen hoc loco dicitur fœminam gratioſam honorem retinere mordicus,nec pati ut ſemel partus, vel cœlitus potius datus è manibus ſuis elabatur

per fœminam igitnr gratioſam, intellige eam quæ cum Dei vero cultu eas virtutes tuetur & fovet, quæ fominæ maximè propriæ ſunt, ſcil.pudicitiæ, verecundiæ & manſuetudinis; unde cum Deo, tum hominibus grata exiſtit, & in pretio eſt. has virtutes colit, harum ſemina cœlitus infuſa fovet, &, ne extinguantur aut opprimantur, cavet; his ſe virtutibus tanquàm virginali cingulo aut zonâ circundat, & tanquam torque, monilibus, annulis, inauribus, amuletis exornat: In his excolendis eam operam ponit, quâ virtutes has confirmet, & indies auctiores faciat; denique has ut retineat ſibi tanquam præpoſitam metam & ſcopum ob oculos ponit, atque ob eam rem vias & rationes init, quæ ad harum conſervationem maximè perviæ ſunt. Corporis ornatum adhibet, qui illi propter honeſtatem & modeſtiam ad hæc facienda convenientiſſimns ſit. De quo 1. Tim. 2. 1. Petr. 3. Comites deligit quæ illam in hoc ſtudio juvent. Laboribus & operi faciundo invigilat, quo ſe in harum virtutum cultu confirmet. nec in cibo aut remiſſione ab occupationibus, aut etiam ſomno, harum virtutum curam aut ſollicitudinem præterit. Corporis enim cultus aut nimis exquiſitus, aut parum modeſtus &animi humilitatem,&lenitatem, &pudicitiam excutiunt. Otium porro & ſuperbiam parit &libidini ſtimulos addit; ut quæ alioqui propter naturæ & deformitatem & impotentiam ad congreſſus ineptæ ſint, vocatione ab opere gerendo cupidinibus pruriunt. Idem de reliquis ſtatuendum eſt.Hæc in cœlibatu operam dat

dat ut corpore, & animo ſe Deo caſtam præſtet: in matrimonio, primo ut thorus incorruptus maneat, deinde ut ſe marito per omnia morigeram, placidam, quietamque præbeat. Hujus autem fœminæ, virtus eluceſcet magis, ſi quæ ſint plerumque fæminarum ſtudia exquiramus. Pleræque ſunt quæ dies noctesque in eo ſunt, ut aut conceſſam à Deo pulchritudinem, & venuſtatem quacunque ratione tueantur; aut ut fucatam & falſam inducant. Quâ in re vix credibile eſt quantas moleſtias perferent: partim ab illis abſtinendo, quibus vel maximè delectantur; partim illa ſubeundo quę illis negotium vel maximũ, & moleſtiam faceſſent. & tamen quod cupiunt non aſſequuntur, nec aſſequi poſſunt, ut aut pręſentem pulchritudinem ab incorruptione vindicent, aut, quam non habent naturâ, arte acquirant. Quanto præſtabilius eſt ut in illis virtutibus operam & ſtudium ponerent, quę & cum iis non ſint, acquiri poſſunt, & acquiſitę ſemel in omne ævum inviolatę & incorruptę ſervari poſſunt? Atq; quorsùm tantoperè in illis caducis laborant, ſi fortè ab illis requiratur, alterutum reſpondebunt: vel ut aliis placeant, quod pudendum fuerit, vel ut maritis ſe probent, quod unicum honeſtatis quadam veriſimilitudine perfunditur. Atque utut ex hac parte ratio nonnulla habenda eſt, ut viris ſe & ſua probent; tamen aut omnem aut pręcipuam partẽ in his rebus ponere, non eſt fœminarum quę *in Deo ſperantes*, 1. Pet. 3.5. non dubitant, quin ipſe illas ſuis viris ſatis gratas & acceptas reddet, ut in his rebus minimum curioſæ non fuerint.

Alię ſunt quę honoribus & divitiis ſtudent, & noctes dieſque animis ſuis agitant, quomodò opulentę evadant, &c. De quibus omnibus verè dici poteſt, illas ab iſta quę hîc laudatur fœmina plurimũ abeſſe. Nam illud certè ſtatuendum, fieri non poſſe ut honorem hunc, & illa momentanea mordicus retineant.

Hac voce continendi vel mordicus retinendi ſubindicat ſpiritus Sanctus non defore qui hunc illi honorem eripere conantur, & ſatagunt: unde etiam illâ tanto fortius illum premit. Notum enim eſt Satanam fœminis tanquàm vaſis infirmioribus ad inſidiandum promptum eſſe. Nam cum ſpiritus immundus ſit & vocetur, næ ille omnem lapidem movebit ut caſtitatem & pudicitiam modeſtis fœminis extorqueat: eoque inſidias illis collocat, & tanquam obſeſſam urbem illas variis tentationũ generibus circundat; hinc precibus, iſtinc præmio, ſæpè ſermonis incantamentis, aliquando ſpecie virtutis, & pietatis, aut religionis: perindè ac ſi eas non tam formę amore, quam quod pietate decoræ ſint, adamarent. Hinc eſt quod Salom. affirmet honorem ab illâ fortiter teneri. Quod & ſimilitudine illuſtrat effractorum & violentorum, qui tanta rei ſuæ augendæ cupiditate incenduntur, ut ſuis & propriis facultatibus non contenti, violentas & rapaces manus in aliorum opes injiciunt: ut quamvis fœmina ſit & ſexus infirmioris; tamen in tuenda caſtitate, pudicitia & modeſtia non minus ſe ſtrenuam prębeat, quàm vir, nec minus ſtrenuam operam in honore ſuo tuendo adhibeat, quàm effractores vim, vel in ſuis divitiis tuendis, vel aliorum opibus occupandis.

Hinc porro liquet piorum eſſe ſe ad pietatis exercitia, propoſita improborum in ſcelere perficiundo induſtria. indefatigabilius acuere. ut Luc. 16. injuſti œconomi proſpicientia & conſulta agendi ratio laudatur.

V. 17. *Beneficus* [*eſt*] *ſibi ipſi vir benignus, turbat autem carnem ſuam crudelis.*

Ubi

Ubi ſynecd. eſt in vocibus animæ & carnis : ita ut in utriſque hemiſtichiis utræque voces animæ & carnis intelligendæ ſint.

Hominum naturæ penitùs inſitum ſibipſis proſpicere, eoq́ue operam dare, ut omnium quæ gerunt, fructus certè aliquis ad ſe redeat, & tanquam rivuli in mare, refluat. cujus rei ſpiritus Sanctus probè conſcius, ut nos ad benignitatem exercendam erudiat, eam rem noſtro commodo ceſſuram confirmat.

Cum Homines erogandi aliquid pauperibus & ærumnoſis vel cum ſeipſis vel cum aliis rationem ineant, ilicò ſubit eorum animos illis deperire & decidere, quicquid in alios conferunt. Quamobrem ad illius tentationis aciem retundendam, perquàm utile fuerit hoc Salomonis Proverbium animo verſare, quo Deus nos per Prophetam certos reddit, non tantum nihil nobis largitione & ſubventione indigorum decedere; ſed plurimum etiam accedere. Quamobrem ſi nihil nos Dei gloria, nihil proximorum ſalus moveat, ut viſcera miſericordiæ in fratres indigos referemus; valeat tamen quod hoc loco docetur, beneficentiâ in alios nobiſmetipſis nos profuturos. Hûc ſpectat quod alibi dicitur, fœnerari Deo, qui in pauperes benefici extiterint & liberales.

Quod ſi hujus dicti rationem indagaverimus, primum occurrit animus boni operis conſcius, quo mirificè recreamur & reficimur. Deinde quòd divinę in nos largitionis fontem aperimus, qui tùm pręſentis, tùm futurę vitę bonis nos proluet. Opportuna enim eleemoſynæ erogatio clamorem ad cœlum & Dei aures tranſmittit, quem exaudire Deum neceſſum eſt; tametſi qui illam accipient, per ingratitudinem non minùs quàm piſces muti fuerint. Denique ſi quando fit ut nos deſtituamur, aut verò etiam hi qui à nobis prognati & proſeminati ſint, Deus juſtus eſt & fidedelis ad aliorum animos excitandum, ut eadem menſurâ, eâque confertâ & exundante nobis remetiantur, quâ aliis emenſi ſumus.

In antitheſi prioris hemiſtychij contraria omnia intelligenda ſunt: ubi porrò notandum eſt, pro crudeli haberi non eũ modo qui alios opprimit & bonis ſpoliat; ſed eum porro qui nihil ex ſuo confert. ut qui (teſte Apoſt Joh.) claudit viſcera ſua &c. unde & fratrem odiſſe coarguitur. 1. Ioh. 3. 17. Matt. 25. 41. 42. &c.

V. 18. *Improbus comparat præmium falſum, ſerentis verò juſtitiam merces* [*eſt*] *fida.*

Hoc proverbio confirmatur quod ſuperiore propoſitum eſt: ſimul etiam tacitæ piorum objectioni occurritur, quorum oculos perſtringit ſplendor & abundantia improborum: ſicut contrà illos offendit piorum exilis & tenuis plerumq; conditio. Senſus igitur eſt improbos uſque eo proficere, ut, quod quærunt opum & facultatum, ferè aſſequantur, tametſi illud per injuriam congerant & coacervant, ſive vi ſive fraude illud acquirant, ſive arida parſimonia & nimia in dando reſtrictione, ſive denique utraque: ratione illud faciant, aliorum deprædatione, aut cohibitione ab his qui rebus deſtituuntur/quibus illi abundant. Referunt enim laborum & fatigationis ſuæ præmium: ſed quod falſum & fucatum nihil firmi nihil ſolidi in ſe contineat. Nec enim quem ſibi in corrogandis, & coacervandis divitiis ſcopum & finem propoſuerant, aſſequuntur. Primum enim eas ad vitæ diuturnitatem quærunt; cùm veluti crudeles & ſanguinarij media ætate ſua immatura morte abripiuntur; vide Pſal. 37. 2. 10: & 55. 24. Deinde ad vitæ commoditatem & delicias; quas tamen

men aut aufert, aut plurimum diluit conſcientiæ vermis, quo ſubinde de malè aut partis, aut ſervatis punguntur, nullum ut ſit linguæ guſtui condimentum tam gratum, quàm eſt acris cogitatio injuſtitiæ qua dapes conquiſitæ ſunt. Tertio cumprimis ſtatuunt ad omnem poſteritatem tranſmittere; cùm tamen de malè partis tertius hæres vix unquàm quærendo (lucerna accenſa) inveniri poteſt. Denique divitiarum accumulatione ſibi in omne ævum nomen comparare ſtatuunt; quod tamen aut nullum eſt, aut putridum ſicuti prius accepimus. Ex quo conſequitur eum non tantum fine & ſcopo, quem apud ſe deſignavit, excidere; ſed contra omnia illi ex adverſo quàm propoſuit evenire: tantumque abeſſe, ut opinione ſibi conficta fœlicitatem nanciſcatur, ut ſint illi referente Propheta Hab. 2. lutum quo penitus obruatur. Pij igitur quod commoventur zelo in impios, & eorũ proſperitati invident, eo fit, quod ad congeſtionem divitiarum reſpiciant, & ad earum poſſeſſionem. Quod ſi oculos defigerent in fructus exilitatem, quam ex divitiis percipiunt, aut in momentaneam durationem, nunquam tantoperè commoverentur. Quis invidet hominibus ad metalla damnatis, tametſi in aureis fodinis eruendis & conquirendis aut comportandis occupentur? aut quis eorum fœlicitatem admiratur qui ſemper in auro aut argento cudendo occupantur, quod mox illis ablatum ad aliorum uſum tranſfertur? Eccam ſi rem ipſe horum hominũ conditionem qui non ſine magno cruciatu congerunt conſervant, amittunt, divitias ſuas. Nam (quod poſt dicetur & experientia comprobatur) improbi divitias corradunt & corrogant, quæ poſt ad Dei timentes, ſingulari Dei providentia devolvuntur.

Altero hemiſt. docet pium ſparſim dãdo colligere mercedem, quæ, etſi non tanti ſplendoris & ſpeciei ſit, quanti eſt præmium laboribns improborum præſtitutum; tamen firmior & majoris durationis; neque aut tanquam *cera* liquet, aut *fumus* piſſipatur, aut tanquã *pinguedo agnorum* evaneſcit, utpote in improborum præmio fit. Cujus quidem rationem ſubinnuit, cùm dicat pium liberalitate ſuâ ſemen terrę committere, unde meſſis certa ſperanda eſt. Cum ſemen ſit quod in irriguos, & benè cultos agros mittitur, Eccleſ. 11. 1. Vide cap. 8. & 9. 2. Epiſt. ad Cor. Exemplo ſit mulier Sareptana, 1. Reg. 17. Item Shunamita. Ubi incredibilem Dei benedictionem conſidera, quâ fit ut hic dando & effundendo plus proficiat ad divitias, quam qui undecunque poteſt per fas nefaſve corrodit, ſimulque plus juſto ſervat & cohibet.

V. 19. *Probè adhærens juſtitiæ [ſerit [ad vitam; ſectans verò malum, ad mortem ſuam.*

Multę ſunt difficultates quæ hominem à juſtitiâ ejuſque ſtudio deterrent, in quibus vel maxima eſt, quod homines juſtitiam colendo ſe in vitâ tueri non poſſe creduntur: cum fraudibus & mendaciis pervium ſit lucrum abundè facere, quò vitæ cultum tueamur. Prætereà tanta eſt in mundo injuſtitiæ tyrannis, ut ſe ſæpius morti velut objiciat, qui juſtitiæ amicus aut patronus ſit. Nam cùm potentiores ſæpe injuſti evadant, qui vitæ neciſque poteſtatem habent, nec juſtitiæ ſplendorem in aliis ferant, quam ipſi odio habẽt; fit ut juſtitiæ cultores ſua juſtitia vitam periculo exponant. Sic Abel, 1. Ioh. 3. 12. Vide Hiſtoriam Nabothi. Hanc autem tentationem repellit Salom. dum authorem vitæ inducit, vitam promittentem, ſi juſtitiæ operam dederimus. Hinc eſt ut non tantum quinti præcepti obſequio

quio vita diuturna promiſſa ſit; ſed in univerſum omnium mandatorum obſervationi. Et 1. Tim. 4. *Pietas promiſſiones habet & vitæ præſentis, & futuræ.* Si ergo aliquando(quod minus ſæpe fit) eveniat, ut mortis metus nos ab officio deterreat; ſubeat animum quod proverbio celebratur, nos viæ inſiſtere quæ ad vitam ducit: & quidem quæ magna ex parte ducit ad præſentem vitam. Quod ſi intercipiatur; tamen illa nobis futurę vitę cumulo compenſatur. Unde vel in ipſa morte, vita nobis, fide in Dei promiſſis, expectanda erit:&ob eam rem ab officio metu mortis diſcedere, eſt rectà ad mortem pergere.

Sed requiritur etiam ut conſtanter inſiſtamus viæ juſtitiæ, quam capeſſimus & ingredimur: vid. prov. 3. 18. alioqui locum habet illud Ezek. 18. Deum obliturum totius juſtitiæ quam fecit quis, imo præſtabilius erat nunquam ad fines pietatis acceſſiſſe, aut illam ſalutaſſe. Tunc etenim illud 2. Pet. 2. locum habet & illud Iudæ de bis mortuis.

Hemiſt. poſterius priorem partem arguit, & illuſtrat, ſicut ab illa arguitur. & illuſtratur, plerique enim divitiis & honoribus avidè inhiantes putant ſe eorundem fruitione magnum adiumentum diuturnioris, & commodioris vitæ conſequutos. Nec deſunt qui ſibi in eorundem præproperâ & acceleratâ acquiſitione vitam ad vitam æternam magis perviam &compendioſam pollicentur:eoque ipſo ſe in ſtudio illa acquirendi corroborant, quod rerum ad hanc vitam tuendam neceſſariarum copia prius parta, poſt ſine diſtractione aut intermiſſ. regno cælorum quęrendo toti, quanti quanti ſunt vacent. Quos omnes errare&decipi hoc proverbio docetur, ut qui læthalem viam ineunt, & ipſis in mortis faucibus hærent.

Quod dicit eum qui malum perſequitur ad mortem tendere, non qui malum admittit, diſcrimen ſtatuit inter probos & improbos. Probi enim utut peccata admittunt; non tamen illa perſequuntur; cũ improbi tanto cupiditatis impetu ad malum feruntur, quanto canes in feras beſtias quas venantur. Summâ appetitione feruntur. Huc ſpectat quod ſuprà dictum eſt eos non dormire niſi admiſſo peccato, ſomnum ab eorum oculis fugere: item quod Apoſt. notat de peccati regno in mortali corpore.

Mirum autem videatur quomodo, cùm omnes naturæ inſtinctu, & certo conſilio vitam expetunt magnoperè, & mortem averſantur vel maximè; tamen tam pauci reperiantur qui iter ingrediuntur aut tenent, quo aut hanc declinent. aut illam adipiſcantur; ut rectè de illis dici poſſit, eos vitam odio habere & mortem amplecti. Scilicet vitam cupiunt & mortem fugiunt: ſed quæ ad vitam ſpectant, quod moleſtiam aliquam habent, declinant; quæ verò ad mortem ducunt, quia ſenſum titillant, & dulcedine quadam momentaneâ perfundunt, avidè perſequuntur. In rebus quæ ad hanc vitam ſpectant ſecus fit. Nam ut homines meſſem & vindemiam expetunt; ſic labores, quibus ad illa perveniunt, non diffugiunt, quamvis graves, & moleſtos. Atque qui in ſtadio currunt, non tantùm curſus labore & fatigatione perfunguntur; ſed porrò ſe ipſos macerant & cibum ſubducunt, & pane duriſſimo veſcuntur, ne in curſu anheli, & ſuſpirioſi defatiſcant. Homines rident planè &ſubſannant, eos qui bona hujus vitę expetentes illa aſpernantur quibus ad rem concupitam itur. Contrà verò cum neminem reprehendant qui vitam æternam expetunt, tamen eos pro ludibrio habent, qui mediis his operam dant, quib. illam aſſequantur. Dignos nos judicant qui hujus vitę cõmodis privemur niſi eiſdem acquirendis ſedulam operam navemus &c. in rebus cæleſtib. aliter fit: quod miram hominis perverſitatẽ arguit.

V. 20.

V. 20. Abominationi [ſunt] Iehovæ perverſi animo : oblectatis verò ei integrì viâ.

In vocibus abomin. & oblect. eſt metonym. adjunct. Hebræis familiaris, qua ſupremum in re aliqua gradum boni vel mali ſignificant.

In hoc Proverb. latens & recondita eſt oppoſitio judicij Dei & hominum: magno enim in pretio ſunt apud homines, ſi qui ſint qui ita vitam inſtituunt ut coram hominibus inculpati & innoxij ſint; dum virus animi ſui intus premant, & animum habeant malitia & impietate oppletum. Tantum enim abeſt ut rei apud judices peragi poſſint, ut etiam maximo honore afficiantur. Deinde ipſi de ſe magnificè ſentiunt. Nam cum ſuæ vitæ rationem exigant ad eorum exemplar qui perditè & diſſolutè vivunt, ſeſe in omne genus impietatis & improbitatis profundunt, Spiritus ſumunt & clari admodum evadunt. Sed hi coram Deo abominabiles ſunt. Quod etiam egregiè confirmatur Luc. 16. 15. ubi hæc omnia comprehenduntur, & ſe juſtificare, & ab aliis plurimi fieri; cum tamen Deo execrabiles ſint. Perindè enim ſunt ut cacabi bullientes, qui ſpumam intus & minio cacabi retinent, nec ad os ejus illam tranſmittunt, unde facilius auferatur. Vel potiùs iſtiuſmodi ſunt quales à Chriſto diſcribuntur Math. 23. cyathi ſeu paropſides exterius lotæ; intus vero fœtore & ſordibus plenæ: ſepulchra exterius dealbata; intus vero graveolentibus cadaveribus referta.

Hujus cauſa eſt quod Deus antè omnia cum Spiritus ſit, cordis & interioris hominis cultum requirit, unde illud. *Da mihi cor*, & Proverbiorum 4. 23. 1. Chr. 29. 19.

Quamobrẽ nobis incumbendum, non tantum ut nos hominum & angelorum judicio probemus; ſed ut Deo placeamus, ſine quo omnia, quantumvis ſpecie præclara, Deo exoſa ſunt. vid. 2. Cor. 10, 18. Meminerimus etiam cor hominis, utcunque ſinuoſum & plenum latebris & abditis receſſibus tamen à Deo ad ſummam ejus baſin & centrum perveſtigari. vid. Ier. 17. 9. 10. Quamobrem opus eſt nobis ipſis ut illud pernoſcamus & perſcrutemur. Nam ſæpè fit ut nos ipſos & cogitata noſtra ignoremus 1. Cor. 4. 4. Ratio quę adhibetur nos commovere debet, ut animos quaſi complanemus, quod perverſis corde abominetur. Quis non declinaret omni ſtudio illam principis indignationem qua ipſius vel aſpectum ferre nequeat. vide exemplum Amanis cujus faciem operiri juſſit Aſſuerus.

Contrà verò Deo ſummè probantur qui ſunt integri via ſua. Videtur (ut juſta foret antitheſis) dicendum fuiſſe integros corde & rectos animo ſummè Deo placere, & illi longè gratiſſimos eſſe: ſed maluit Sal. dicere integros via & vitæ conſuetudine. Nam tametſi verum ſit eos qui ſunt animo bono & recto Deo probari; tamẽ quia eſt genus hominum quod perverſitatem ſuam in vitæ conſuetudine palliare ſtudet, quòd animis bene affecti ſint; ideò utrumque Propheta exigit, ut & animo ſincero ſint, & illam animæ rotunditatem factis & vitæ conſuetudine exprimant. Sicut Iacob. 2. [oſtende mihi fidem tuam ex operibus.] Hujus generis ſunt pſeudonicodemitæ, qui coram idolis corpus ſiſtentes ſe vero Deo cor ſervare obtendunt. Item hi qui fœda verba ructantes affirmabunt tamen ſe incorrupta mente eſſe. Hinc diſcimus non tam nos ſolicitos eſſe oportere de humano die ſeu judicio, 1. Cor, 4. 5. dummodò noſtrum Deo obſequium probemus.

Ex hac antitheſi liquet תמימי דרך non eſſe perfectos in via aut immaculatos; ſed eos qui ſunt ſinceri & candidi minimeque

perverſi

perverſi verſipelles & in omnes formas, ut ajunt, ſe convertentes.

Quæri hîc poteſt annon perinde à perverſo corde malæ & perverſæ actiones manant; ſicut ex bono & ſincero animo boni operum fructus: quandoquidem in improbis Sal. animū ſpectat & interiores animi facultates; in piis vero ex nos fructus. Reſ. perinde à perverſo corde perverſas actiones, atq; ab integro ſtudioſas actiones: ſed diſcrimen eſt, quod quæ ex perverſo c rde manant, ſæpè ita ſpecie quadam virtutis tinctæ ſunt, ut difficile ſit improbitatem & fœditatem earem pervidere, in hypocritis enim vitia nonnunquam virtutibus ipſis ſpeciem & ſplendorem magis illuſtrem habent. unde etiam naſcitur hæc abominatio quâ Deus hypocritas perſequitur. Ad hanc vitæ incorruptionem nos incitat ab adverſa illius rationis quæ eſt in priore hemiſt. de qua ratione, vide Rom. 12. & ſæpè alibi.

V. 21 *Conjunctis operis non aſſequitur impunitatem malus, ſemen verò juſtorum liberat ſe.*

In voce manus eſt metonym. ſubject. pro robore quod eſt in manu, & præterea ſynecd. partis pro toto homine. In voce etiam innocens erit, eſt metonym. ſubject. pro adjuncto: impunitatem conſequendi. In voce ſeminis eſt metonym. cauſæ pro effecto proſperitatis quæ ex ſemine generatur. In voce item juſtorum eſt ſynecdoc. pluralis pro ſingulari. nam tametſi unus duntaxat parens ſit juſtus, tamen ſemen ex fœdere ſanctum eſt, ob eamque cauſam promiſſionis particeps.

Stimulus ad peccandum eſt non levis, quod homines patrato ſcelere impunes ſe fore ſperant vel etenim latitaturos ſe ſperant, vel, ſi prodantur, tamen effugium paratum eſſe arbitrantur. Hanc peccandi illecebram è medio tollit Propheta, cùm plane affirmet improbum depræhenſum daturum ſceleris ſui meritas pœnas. Si homines modò ſpectemus qui ultionis gladium geſtantes ſcelera admiſſa prætereunt, & qui ſæpe ad cognita & percepta ſatis ſcelera connivent, non ſemper opinione ſuâ fallerentur, qui immunitatem pollicentur; Homines enim nonnunquam potentiâ deſtituuntur ulciſcendi improbos, ut David olim Ioabum apud milites gratioſum non eſt auſus merito punire; Aliquando potentiâ valentibus animi fortitudo deeſt; Eſt etiam ubi, cùm hæc ſuppetunt, voluntas deeſt, propter aut amicitiam, aut affinitatem, aut munerum corruptelas: Atqui, utut unius ultionem effugiant, tamen Deus alium excitat qui pœnas ab illis ſumat, ut in Joabo viſum eſt, de quo Salomone pœnas ſumpſit: nonnunquam Deus pœnas ab illis expet t per alios maleficos, ut in Abnero & Amasâ à Ioabo interfectis liquet; & noſtrâ memoriâ ſæpè videmus unum ſicarium ab altero interemptū fuiſſe. Sed cùm Deus ſit mundi judex, qui peccatum cognitum & odio habet, & nec per fidem nec per juſtitiam admiſſum ſcelus inultū pati poſſit; ne illi vanâ ſpe ſe lactant, qui juſtam & debitam peccatis aut pœnam, aut certe caſtigationem effugere ſe poſſe in animū induxerunt. Neq; enim Deum, ſed idolum potius animo confixerunt; ut nihil dicam de propriæ conſcientiæ, primùm accuſatione, deinde vero judicio, quo tanquam ex cœleſti ſolio Deus vindictam exequitur, vide Gen. 4. 7. Item exemplum Caini, quem conſcientia plus cruciavit, quàm ſi 1000. lictores adhibiti fuiſſent. Et homines quorum eſt vindictam de maleficis ſumere, & non ſumunt tamen, non tantum injuſti ſunt, ſed crudeles ega ipſos maleficos; imò rempublicam totam: quia hoc pacto ſeveriori Dei vindictæ locum dant. Aculeos vero ad-

huc majores ad peccandum admovet, cùm homines ſociorum in ſcelere, aut aliorum amicorum fiduciâ rem ſceleſtam aggrediuntur, hac ſpe. fore ut illorum præſidio pœnâ & ſupplicio illis debito eximantur. Hanc inanem fiduciam hoc Prov. excutit Deus, cùm dicit manu ad manum, &c. Funiculus equidem triplex in re honeſtâ & licitâ plurimum momentum habet, & *non facilè rumpitur*, Eccl.4. Sed triplex aut etiam centuplex Deo in peccati patrocinio aut defenſione oppoſitus tanquam filium ſtuppæ cum ignem ſentit. Vindictæ enim Dei omnis clypeus, omnis umbo papyraceus eſt. Vide hiſtoriam diluvij & everſionis Sodomę, ubi impij ſumma conſpiratione in maleficio vincti ſunt. Quamobrem meminerimus ejus quod ſcriptum eſt, Nahum. 1.23. ubi diverſa epitheta Deo tribuuntur, quę omnia vindictæ in ſceleratos indubitatam certitudinem continent, ut quòd ultor ſit, quod dominus vel poſſeſſor iræ, quod aſſervator peccatorum ſit ne ullũ excidat, & quod innocentem non habebit ullo modo nocentem; & Hab. 2. 3. hujus Proverbij veritatem confirmat egregiè. quodque dicitur Amos 5. 19. Ier. 48.43. 44. Iſa. 24. 17. Iob. 20. 29. hujus Proverbij veritatẽ inde facilè petamus, quod Deus nec reges quidem ipſos, nec ſibi maximè caros, nec demum illos qui cum Deo dilecti ſunt, tum regno ſimul potiuntur, ſuis à pœnis & caſtigationibus liberos & intactos relinquit. Exemplo ſint potentiſſ. Babilon. & Aſſyr. reges. item David & Salomone. Quamobrem ſi nulla in terris manus eſſet quæ nos aſſequi poſſet; tamen Deum longimanum cogitemus, & peccatum fugiamus, ſi ultionem ejus fugiendam putemus.

Semen verò, &c. Sicut calcar addit ad peccatum patrandum impunitatis ſpes: ſic à virtutis & pietatis ſtudio deterret plurimùm, quod homines ſe virtutis & pietatis cultu perditum iri metuunt. Quibus Salom: occurrit poſteriore hujus Proverbij parte. Quâ non inficias it, quin qui ſe bonis operibus faciendis dedunt, ſibi afflictiones, quibus exerceantur, accerſere poſſint; ſed in iis obrutos aut oppreſſos fore tantum abeſſe, ut non ipſi modo, ſed eorum liberi & poſteri, ob fœdus cum illis ictum, ex malis eruendi & vindicandi erunt.

Ex quo illud liquet nullâ nos certâ promiſſione muniri nobis ex rebus bene geſtis non naſcituram afflictionem; ſed illud confirmari nos in malis non eſſe obruendos, vide Pſal. 34. multa ſunt mala juſti; ſed &c. Nec ipſe tantùm, ſed & ab illo oriundi eripientur & malis, etiam quibus digni ſunt, & quæ commeriti ſunt. Quod abundè declaratur in libris Regum ubi ſubinde habetur Deum propter Davidem regibus Iudæ perperciſſe.

V. 22. *Velut monile aureum ad roſtrum porci, [eſt] mulier pulchra & averſans rationem.*

In voce טעם (*ſapor*) eſt metaphora ſumpta à rebus corporeis ad animum tranſlatis; docet enim id eſſe rationem in rebus adminiſtrãdis, quod gratus ſapor in cibis.

Hoc Proverbio vellicat Salomon eos qui in corporis dotibus quantumvis præſtantibus acquieſcentes, animi virtutes neglectim prętereunt. Docet autem tantum abeſſe ut illis ornatiores reddantur, ut porrò etiam deformentur & magis turpes & ignominioſi reddantur. Præclaris enim corporis dotibus homines ad illos ſpectandos & de illis inquirendum pellecti, eâdem operâ & momento coguntur eorum in vitâ & motibus corruptelam & fœditatem contueri: ut monile aureum ad roſtrum porci appenſum omnium oculos ad porcum convertit.

Externis

Externis enim corporis dotibus(præſertim cùm inſigniores ſunt) tanquàm ſigno ſublato homines ad ſpectandum convolant. hoc in Abſalomo vel maximè cernitur cujus improbitas corporis admirabili ſpecie magis nobilitata eſt. Si numeroſâ prole aliquis inſtructus eſſet, in quibus unus aliquis præſtanti forma exiſteret, reliqui oppidò deformes eſſent, nunquid materiam gloriandi haberet aut conſultum putaret multos ſpectatum admittere?Aut ſi filiam haberet dentibus formoſam valdè, reliquo corpore Æthiopem, aut portentoſam, num hac ſua filia lætaretur aùt exultaret: ſic eſt elegantia formæ cum malis conjuncta moribus. Quid profuit Magdalenæ corporis ſpecies, & capilli molles & promiſſi, cùm illius abuſu 7.fœdiſſ. ſpirituũ facta ſit domicilium. Quod autem hoc loco de forma fœminæ dicitur, id de aliis corporis & animæ dotibus, robore, celeritate, eloquentia, eruditione,&c. cùm in viris, tùm in fœminis intelligendum eſt; niſi virtute & pietate tanquàm ſale condiantur, cùm ad improbitatem adminicula & irritamenta eſſe,tum etiam vehicula & currus quibus impoſita ſcelera (ad eorũ qui illa admittunt maximum dedecus) magis omnium oculis objecta & expoſita ſunt.

Notandum formoſas & eaſdem impudicas fœminas ſuo & amatotum judicio cum pavonibus & phœnice exæquandas à Proph.ſuibus aſſimiliari.Non equidem quod Propheta damnet pulchritudinem, quam monili, & quidem aureo comparat. Sed neque tùm quidem eſſe donum Dei deſinit, cum ad fœditatem transfertur. Nam ut monile aureum ad roſtrum porci appenſum non deſinit eſſe aureum, ne tum quidem,cùm in lutum & alia fœtida illatum, cùm & protruſum ſit: ſic neque corporis pulchritudo cum ad alienum uſum quàm ad quem datum eſt traducitur. Sed docet quam ſit hominibus petnicioſum, cùm ejus amore & ſtudio meliora ſpernantur; cumq; quæ eſſe debebat ad virtutem ſtimulus, non magis homines à vitio cohibeat, quàm aureum monile roſtro ſuis appenſum illam à luti volutabro arcet;imò ad ſcelus patrandum illecebra fit. Quamobrem rationis ſeu ſapientiæ ſtudio nos teneri decet, quo forma in ſe pulchra ſplendeſcat magis. nam *ſapientia lucere facit vultum hominis* Eccleſ. 8. 1. etiam eum qui exteriùs deformis eſt; nedum pulchrum &venuſtum illuſtrabit & illuminabit magis.

Gratior eſt pluchro veniens de corpore virtus. Ovid.

V. 23. *Deſiderio juſtorum tantummodò bonum exſpectationi improborum [obvenit] furor.*

In voce ſpei eſt metonymia adjuncti pro re ſperata. In voce furoris metonymia efficientis pro pœna ex furore profecta. Proverbio hoc docetur fœlicitas piorum vel vita hac præſenti, nedum futura; & impiorum poſt hanc vitam ſumma infœlicitas: ad retundendam tentationem illam qua piorum conditio in hac vita miſera & ærumnoſa ducitur. Annon fœlix & proſpera eorum conditio eſt,qui,quod cupiunt, aſſequuntur? conſtat enim ex verſ. 24. cap. 10. Deum deſiderium piorum perficere. item Pſal.10. 17. Tametſi vero hæc fœlicitas magna ſit, tamen major & amplior prædicatur, cum doceat tantum bonum conſequi. Quo ſubindicat deſiderium & appetitiones, quæ minus bellæ ab illis conceptæ ſunt,aut illis ſi cõcederentur nocituræ eſſent, non concedi. Aliquando enim fit ut aut per ignorationem, aut affectus intemperiem aliquid deſiderent,quod noxium illis foret, quod Deus illis abnuit, cum tantum bonum

conſequantur. unde etiam Pſal. 10. 17. affirmat Deum illa deſideria piorum exaudire quę ductu ſpiritus cor eorum dirigentis excitantur. Quo ſpectat illud Iohannis 5.14. *Quicquid petimus ex voluntate ejus, ſcimus quod illud accipiemus.* & illud Iac. 3. Aliquando etiam fit, ut quæ pii non tam commode appetunt, illis in bonum cedant, vide 2. Sam. 7.

Hinc liquet deſideria piorum bona & licita eſſe ſolere. deinde deſideria hæc non in aërem ab illis ſpargi, & fortuito temerariis quibuſdam optionibus jactari; ſed in Dei ſinu fidelis orationis in volucro deponi unde Pſal. 10.17. & 20. confirmatur deſid. piorum à Deo precum interventu concedi. Quæ res efficit ut deſideriis & votis noſtris non tàm diffluamus aut luxuriemur. Nam pudebit homines aliquâ ſaltem pietatis guttulâ imbutos illa coram Deo ſiſtere, quorum alioqui verebuntur aut apud ſe apud homines ſtudium profiteri. Piis etenim aliquando obvenit ut res illicitas & abſurdas deſideret, ut David 1. Chron. 11. 17. 2. Sam. 23. ſed quas non audent à Deo precibus petere; niſi fortè aliquid hujuſmodi per inſcitiam aut divinæ voluntatis ignorationem faciant, aut per gravis tentationis æſtum; quorum alterum fecerunt Apoſt. cum ignem de cœlo ad Samaritanos cremandos devocarunt; alterum Iona cum mortem preſentem exoptaret. Quamobrem ad cohibendum & frænandum ſtulta & noxia animorum noſtrorum deſideria, pretium operæ eſt ſimul atque naſcantur & exiliant deſideria, ilicò eadem ad divini verbi tribunal ſiſtere, & inde examen petere an ſint hujuſmodi quæ precibus in Dei conſpectum adduci & immitti queat: cujus conſpectum ſi non ferant, ea illicita ſimul, & nobis noxia, eſſe ſtatuamus. Quandoquidem nihil tam aut parvum aut magnum eſt in rebus ſeu ad præſentem, ſeu ad futuram vitam pertinentibus, quod precibus Deo cum fiducia & libertate ſumma non offeramus.

In ſecundo huius Proverbij membro videtur ἀντιθετικῶς dicendum, Deum deſideria ſua impiis abnuere; quod quidem magno eorum bono fieret; ſed contrà fit ut Deus illorum cœcas cupiditates & tumultuarias optiones concedat; imo ſæpè illorum vota ſuperat, Pſal. 37. 7. Vide Pſalm. 78. 29. 30. Item quod mortem in Ægypto expetiverunt, quæ optio illis in deſerto impleta eſt. Sed de illis omnibus rectè dici poteſt quod Hoſ. 13. 11. affirmat de Saule, illum irato Deo Iſraelitis in regem datum eſſe, & irato ſupra modum Deo illis auferri.

Sed ſpem eorum furorem ſeu excedentem iram, id eſt, bona quæ ſperant non modo non obvenire; ſed eorum loco ſubſtitui pœnas & ſupplicia à Dei furore profecta, c. 10. 24. dicit mala quæ improbus timet illi accidere, & 28. verſ. ſpes improborum peribit. & hoc luco majus quiddam & gravius pronunciat. nam bona quæ ſperant non tantum non conſequuntur; ſed mala quæ averſantur perſentiſcunt: ex quo liquet quàm cõferta & numeris omnibus abſoluta ſit improborum infœlicitas. unde etiam emergit improbos ſuas animo ſuo ſpes fovere, quibus ſe confirmare conantur & ſuſtentare adverſus conſcientiæ ſuæ aculeos. Sed quæ eos dupliciter pudefacient. Primum quod ſperatis bonis excidunt; ſicut de his dicitur Ier. 2. & Iob. 6. qui ciſternam adeuntes ut aquam petant nullam invenientes pudefacti redeunt. Deinde quod malis inexpectati onerantur: tanquam ſi aquæ loco ad ſitim reſtinguendam aptæ, venenum reportarent, quo inteſtinis accenſis multo, quàm prius, ſitirent magis

V. 24 *Eſt qui diſpergens, tamen augetur amplius, ſed qui cohibet ſe à*

recto,

recto, tantummodò ad egeſtatem [cohibet.]

Vox ſpargendi metap. eſt petita ab his qui ſemen agro committentes multiplicatum demetunt. Cum dicit eſſe qui ſpargat & ditior fit, ſatis indicat non omnes illos augeri opibus, qui conceſſas à Deo, aut acquiſitas facultates effuſè largiuntur. Nam ſunt decoctores, & heluones, & combibones, & meretricum ſectatores qui bona ſua profundunt perditè & prodigioſè, qui poſt ad ſummam miſeriam & rerum omnium inopiam rediguntur. Vide Prov. 21.17. & Luc. 15. Hi enim ſemen ſuum veluti in ſcopulos aut petras, vel deſertum, aut terram hoſtium jactant, ubi nunquam proveniet,

Sed qui ſemen facultatum ſuarum ad religionis propagationem, reip. ſuſtentationem, familiæ conſervationem, & pauperum & peregrinorum refectionem & recreationem diſſeminat, is proculdubiò rem augebit, & poſſeſſionem ſtabilem & diu duraturam efficiet.

Hic igitur duo conſiderantur: primum officij informatio, deinde promiſſio, qua in officio melius contineamur. In priore duo ſunt: unum ut non parcè aut illiberaliter demus; alterum ut promptè illud & alacri animo faciamus: nam utrumque ex metapho. ſemen jactandi liquido eruitur. Quod ad largitionis amplitudinem attinet, æquum eſt ut cùm Deus in nos liberalis & beneficus vel munificus potius fuerit, nos in fratres non ſimus aridi & reſtricti. Nam ut Chriſtus diſcipulos hortatur, *ut gratis accepta, gratis dent*: ſic non minus convenit, quin quod quam plena manu Deus in nos contulit, eadem menſura in uſus jam proſcriptos, eandem beneficentiam refundamus. Nubes plenas & gravidas aquis imitemur, quæ imbres in terrram abundè demittunt; memores ſimus ejus quod Ap. ad Gal. citat. *Qui parcè ſeminant, parcè metent*: hùc ſpectat præſens metaphor. nam ſi ſemen rarum & parcū ſit, meſſis ſementi reſpondebit.

Deinde etiam promptè & hilari animo hoc faciendum eſt. *hilarem enim datorem amat Dominus*, 2. Corint. 9. quo ſpectat præſens ſimilitudo. Nam Agricola ſeu Colonus non ſine ſingulari ſtudio & delectatione ſemen in terram jactat, & terræ porcis committit non ægrè & dolenti animo. Ad quam rem referatur pulchrè quòd pauperum & aliorum, quorum rationem habemus, petitionem antevertere convenit.

Promiſſio eſt ſemen liberalitatis auctum iri, utpote quod ſemper in illos uſus, quos dixi, diſtractum in feracem valdè, & fœcundum agrum, in eundemq́ue fidelem projicitur, vide Eccl. 11. Sinus enim pauperum terra irrigua. Maxime vero quod in religionis cultum confertur, tanquam in paradiſo Dei ſeritur, & ſecundùm rivos aquarum, vide Aggæ. 2. Huc accedit quod homines in hujuſ. hominē propenſi ſunt, & illum libenter juvant.

Poſterior Proverbij pars videtur generalis eſſe, cum prior pars ſit magis particularis. Perinde ac ſi diceret plus æquo reſtrictam cohibere pecuniam vel alias facultates, ad egeſtatem & paupertatem inducendam facere, vide Agg. præterquam autem quod maledictio Dei ejus bona diſſipat, ipſe avarus per avaritiam, & quod pecuniam tempeſtive *in loco* non exponit multas aut diteſcendi, aut parta conſervandi oportunitates amittit.

Hoc totum Proverbium ad dona animi tranſlatum veritatem continet perquam illuſtrem & perennem. Nam dona quibus nos Deus ornat ad uſum & ædificationem aliorum impenſa incrementum accipiunt amplum certumq́ue: ſicut contrà reſtinguuntur & rubiginem contrahunt, ſi torpere ſinantur.

V. 25. *Animus beneficus pinguis efficitur; & qui ubertim communicat, idem amplius profundet.*

In נפש(*anima eſt*) ſyneed. partis, conſtructum verò cum ſubſtantivo ſignificat ex more Hebræorum inſignem benedicendi voluntatem & ſtudium. In תדשן (*impinguabitur* (metaph. tranſlata à corporibus bonæ habitudinis ad hominem, quoad ejus præcipuam partem;ad notandum animi proſperitatem : ad hominem vero quoad corpus eſt ſynecdoch. partis pro integra valetudine. In מרוה (*irrigans*) metaph. eſt ab hortulanis, aut olitoribus qui in pluviæ cohibitione areolas ſeminibus conſitas pede (quod dicitur)irrigant. In (*pluvia matutina*) eſt metaph. qua indicat eum qui priùs parciùs & nonnullo ſuo incommodo largitus eſt;poſt,præ auctis Dei benedictione opibus,cum abundantiùs, tùm mulrò comodiùs daturum.

Proverbium præcedens & alia, quæ cùm præceſſerunt,tum ſubſequuntur,huc fere ſpectant & referuntur, ut homines ad beneficentiam & largitionem in alios exuſcitent. Quæ quidem ideò ſæpius iterantur & duplicantur, quod ſpiritus Sanctus, qui corda & renes cognita & perſpecta habet, hominum ad dandum & benefaciendum tarditatem,vel animi potius averſionem & abalienationem probè notet.Sed quemadmodum periti & providi medici, cum pharmaca adhibent ſuis ægrotis inviſa, curant ut eadem ſæpius, ſed longe aliâ atque aliâ formâ in cibis & potionibus reponantur; ut, quod ſemel & ſimul unâ potione efficere nequeunt, repetitis viribus & magnâ pharmacorum & ciborum varietate conſequantur ſic ſpiritus Sanctus naturæ in ſpiritualibus nauſeæ conſcius, ſtylum ſuum ita attemperavit,ut eadem ſæpius noſtro bono repetens, naturæ cum delectationi, tum vero etiam majori voluntatis ſuę notitiæ incremento proſpexit, dum, quod prius dictum eſt variatâ dicendi formâ non ſine aliquo additamento ſubinde ſuggerit.

Vide annon voce benedictionis hoc loco rectè intelligatur tam illa beneficentia quæ eſt in dictis, quàm quæ eſt in factis: maximè cum benedictio propria maximè eſt ſermonis; ne quidquam ſit quod impediat in poſteriore hemeſtich.

Primum igitur quod liberalem deſcribit eum cui eſt animus benedictionis,docet liberalitatis fontem in animo ſitum: ut niſi animus propenſus ſit & veluti expoſitus ei quem juvamus: qnicquid erogatur nobis perit. Hoc confirmatur 1. Cor. 13. 3. Contra autem, *modo prompta voluntas ſit, acceptum eſt quantulum cunq; eroges*; etiamſi nihil des, ſed commiſeratione miſeriæ tantum alienæ ducaris; ita ut reſerato prius clave caritatis animo, animus inſtar clavis ſit reſerandæ& aperiendæ manus. Animus etenim caritate accenſus, eleemoſynam veluti ignitam & aëream facit, ut cœlum petat & ſurſum ſubvolet, cæteroquin futuram plumbeam &gravem quæ deorſum fertur,&noſſecũ ad terram vel inferos potius deprimit.

☛ Deinde quoque liberalitate proficiendum eſt, hàc formulà loquendi docecemur, ſcil. donec animus noſter velut in benedictiones effuſus ſit, Pſal. 112. cujus effectus ſunt ſparſim dare, atque adeo 7. atque adeo 8. Eccleſ. 11. 2. atque adeo uſque eo proficiendum ut (ſi neceſſe ſit) parati ſumus ſimul cum opibus etiam animam ipſam effundere, & bono proximorum, fratrum præſertim, exponere. Promiſſio quæ nos in beneficentiæ officio continere & ſuſtentare vult, eſt quod bene ei futurum ſit & animo & corpore, Superiore Proverbio ſexto pollicitus eſt Deus rem noſtram & opes auctas fore quas non imminutas largitione ſuſpicamur.

mur. Hoc autem Proverbium præſtantius quiddam pollicetur, nempe nobis ipſis animo & corpore bene fore: animam ſpiritualibus Dei divitiis auctam & ornatam fore ; corpus valetudine & robore. Quâ promiſſ. tacitæ object. occurrit Sal. Nam cum toti incumbimus in hanc curam ut corpori de cultu omnis generis, cum in victu, tum in veſtitu proſpiciatur, (ut eſt Math. 6.) ſubrepit facilè hæc cogitatio tantum nobis ad bene & diu vivendum detractum iri, quantum aliis erogamus. Huic igitur object. hac tam munifica promiſſ. occurrit Deus, Ad cujus rei confirmationem primo ſubeat animum noſtrum quod in univerſum Salomon. de toto pietatis & ſapientiæ ſtudio ſcribit. Prover. 3.v. 2. 8. Specialius vero exputentur verba Mat. 10. 40, 41,42. Nam Prophetæ munus accidere eſt notitiam rerum cœleſtium accipere, & efficaciſſimis precibus commendari : ſicut juſti mercedē accipere eſt precibus juſti, quæ ἐνεργούμεναι ſunt, confirmari. Vide quàm variè & multipliciter Sunamitis adjuta eſt ex hoſpitio quod præbuit Elizæo ; & quomodo graſſante fame illi & familiæ ejus ſproſpectum eſt : vide etiam Actor. 10. de Cornelij eleemoſynis.

Poſteriore hemiſtichio duabus aliis objectis tacitis occurritur. Primùm enim liberalitatem impedit, quòd res noſtra familiaris anguſtior ſit, ex quâ, ſi quid aliis comunicemus, cùm nobis ipſis parciùs & durius videndum eſt, tum etiam aditus præcludetur futuræ liberalitati, cum major futura ſit opum & facultatum noſtrarū acceſſio: cui occurrit dandum eſſe etſi opes non adeò abundent, atque utut duriuſculè magis teipſum foveas: fore enim ut qui jam hoc parcius & difficilius facias, ſicut cum olitor hortum irrigat & parciùs & majore tædio ; tamen ut poſt inſtar pluviæ ſis ; quâ hortus cum abundè, tum nullo labore nedū fatigatione perpluitur.

Deinde utut copiâ omnium abundemus, tamen ſępè fit ut pij à largitione abſterreantur, quòd ſentiant ſe animis ſuis reſtrictiores & plus juſto invitos eſſe; atq; ob eam cauſam operam & oleum dando perdere, quòd animis ſuis non magis dilatentur, nec majorem dando alacritatem ſentiant. Quos primum doceri & inſtitui oportet, ut liberalitatem exerceant, tametſi non tam alacri animo atque exporrectâ fronte ſint: nam uſu & exercitatione in dando effectum iri, ut qui jam mœſtius quàm decet, & majori difficultate divitias ſuas pauperibus diſtrahant, poſt facilius & non ſine delectatione faciant.

V. 26. *Comprimentem triticum, exſecrabuntur populares : benedictio autem* [*incumbet*] *capiti venundātis*,

In voce יקבהו (*perſodiunt*) eſt metaphora tranſlata ab his qui gladio aut pugione aliquem tranſverberant, tanquam ſi aliquis populi execrationibustrajiceretur & penitus confoderetur. In ראש (*caput*) eſt ſynec. in משביר (*perfringens*) metaphora à rebus fractis, quod diſtractum hinc iſtinc frumentum ab acervo, in quo unum quid & continuum fuit, frangitur quaſi, & diſrumpitur.

Cum retentio & averſio omnium rerum, quæ aliis, maximè fratribus utiles & commodæ ſunt, periculoſa ſit, tum nullius rei, quæ ad humanã vitam tuendam ſpectat, averſio tam Deo & hominibus inviſa eſt, quam averſio frumenti, ſine quo non commodè vivitur ; ſed ne vivere quidem diu conceditur. Huc refertur quòd baculus pani tribuatur, Iſa. 3. 1. quòd ſine eo homines corruant in terram, niſi pane, tanquam ſcipione ſuſtententur. Hujus rei illuſtre eſt teſtimonium Eccl. 5.9. ubi omnibus aliis bonis hujus vitæ agros præponit; ſine quibus nemo, ne rex quidem,

non

non modo non commodè aut honeſtè, ſed ne vivere quidem poteſt. Nam ſi quis pecuniam immodicè coacervet, & in arcâ,ubi nulli utilis eſt, ſed ab ærugine exeditur, incluſam teneat, peccati gravis &atrocis reus eſt;ut qui æruginem ipſam teſtem &accuſatorem contra ſe habebit. Veſtium adhuc major uſus eſt; utpote ſine quibus honeſte non vivitur, aut ſalubr ter, aut commodè: & qui has retinet præter æquum, tineas contra ipſum teſtimonium dicentes habebit. Item mercatores qui ſuas merces conſervant, ut poſteà cariſſimè vendant. Sed qui frumentum cohibet gravius judicium ſibi accerſit. Quod tamen non de omni coacervatione & cohibitione intelligi debet. Nam Ioſephus infinitam vim frumenti in annos caritatis aſſervaverat.&urbes item magnam copiam reponunt, quâ obſidione (ſi quæ futura ſit)facilius tolerent.Sed hi damnantur qui,cum deſit frumentum, illud avertunt, ut poſt carius vendant.

Hîc igitur notandum eſt omnibus cavendum eſſe, ne, ut liberalitatem erga quoſdam exerceant, in totam gentē aut provinciam injurij ſint. Nec enim illa liberalitatis Deo unquam grata futura eſt; quæ tamen à pleriſque exercetur.

Sed quantum malum hoc eſt,ex pœnâ impoſitâ coarguitur, quod totius populi cohors in iſtiuſmodi homines execrationes & maledictiones vibrat. Qui tametſi impatientia hoc plerumq; faciunt; tamen Deus eorum confuſos clamores, & cæco furore projectas quærelas exaudit&vindicat. Nam ſi verum ſit(quod eſt veriſſ.) Deum exaudire clamorem unius qui opprimitur. Exod. 22. 23. & ſi meſſorum clamores exaudiat. Iac.5. Nedum totius populi clamorē exaudiet. Hinc eſt quod quidā ſibi ipſi ſæpè violentas manus injiciant,&laqueo vitam finiant,cum aut frumentumDei maledictione computreſcat, aut Deus ſubito præter eorum expectationem aliundè populo ſuo de frumento proſpiciat, ut ſpe lucri, quàm conceperant, excidant. Quod peccatum cùm ubivis grave exiſtat,tum apud nos gravius eſt & atrocius; utpote quibus frumentum non tantum pro pane eſt, ſed etiam pro potu; cum pleriſque regionibus aqua aut vino vivatur commodè, propter cœli æſtum aquas magis puras & defœcatas reddentem.

Hanc pœnæ de cohibendo frumento acerbitatem ab adverſo præmio frumentum diſtrahentium coarguit. Ubi obſervandum eſt primum antitheſin longè aliter à propheta inſtitutam eſſe, quàm quæ videbatur. Nam ratio antitheſeos poſtulabat ut Sal. diceret benedictiones populi in frumenti diſtractorem cumulandas fuiſſe;Cum tamen ex formula loquēdi ſtatuat Deum hujus benedictionis autorem & fontem. idque immediatè eſſe; non autem populi benedictiones, ut eorum maledictiones prioris.Quo facto voluit præripere quod objici potuit, populum ingratum fore cum ſemel expetitum & expectarum frumentum acceperint; maximè verò cum reputabunt hoc commercium commune beneficium eſſe, ut frumentū alius pro pecunia ſua redimant. Quamobrem SpiritusSanctus benedictionum fontem Deum eſſe affirmat, dum in caput effuſas fore confirmet. Nam cū in caput diſtrahentis recaſuras doceat has benedictiones, cœlitus deſcendere illas ſubindicat.Quod quidem tanto magis faciet quod è bonorum operum & à Deo remunerandorum numero excludi videatur, ſi quis juſtum pretium frumenti accipiat.

Qua in re ſicut pręcipue nobis à ſpiritu Sancto commendatur legitimum de frumento commercium; ſic omnis alia negotiatio quæ & legitima eſt, & legitimè exercetur ſuo apud Deum præmio & remuneratione non carere docetur.Ex quo etiam

etiam abundè refellitur quod venditor cohibitione frumenti prætexat. Hinc liquet quam ſunt homines rerum cæleſtiũ parum cupidi. Si frumentum corporibus nutriendis ſubtrahatur, ilico clamant, vociferantur, maledictionibus proſequuntur eos qui illud inhibent; ſed cum frumentum verbi divini ſubducitur, non perindè afficiuntur. Porrò ſi maledictus ſit qui cibum corporibus paſcendis idoneum detinet; nedum erit execrationi multo magis obnoxius qui pabulum animi ſuffuratur. Et ſi benedictionibus à Deo cumuletur qui pretio frumentum corpori alendo exponit venum; nedum onerabitur beneficiis à Deo, qui frumentum animi. Denique ſi tàm gratum ſit Deo, frumentum & alia hujus vitæ commoda æquo pretio vendere; nedum liberè aliquid largiri.

V. 27. *Studioſè quærens bonum [aliis] conquirit benevolentiam: quærenti verò malum ipſi eventurum eſt.*

In voce שחר eſt metaphora ab his ſumpta qui, ſi quæ vehementer expetunt, manè ſurgunt ut tempus ſuppetat rei, quã effectam cupiunt, ut ſi una via non ſuccedat, illis alia via liceat aggredi eam porrò auroram ad ea negotia potiſſim. adhibent, quia recens ſomnō recreati integris & animi & corporis viribus ſunt, ut negotia, quæ illis incumbant, commodius conficiant,

Hoc proverbio duo proponuntur, unum de officio ab omnibus præſtando; alterum de his quibus in officio contineamur, aut etiam ad illud præſtandum alacrius excitemur. In officio duo ſunt: unum ut quæramus id quod bonum eſt; alterum ut quàm primum & quàm maturè illud faciamus. In priore admonemur perverſitatis ingenitæ, qua à bono faciendo animum gerimus alienum & averſum penitus. unde toties in lege jubemur *facere bonum*, & *recedere à malo.* Pſal. 34. & 14. & Iſ. 1, &c. Nam tametſi unuſquiſq; ſpecie quadam boni ducitur in rebus omnibus ſuſceptis aut ſuſcipiendis; tamen planè conſtat totum, quidquid agimus, nil niſi malum eſſe. Quoties igitur hæ de bono quærenda præceptionis nobis occurrunt, ſubeat ilicò animos inhærens & infixa nobis ad omne malum patrandum promptitudo.

In poſteriore præcepti hujus parte de noſtrâ deſidiâ & cunctatione ad benefaciendum edocemur; idque poſt inceptam & inchoatam ſpiritus Sancti in nobis reformationem: ita ut quemadmodũ prius hujus præcepti membrum nobis noſtram averſionem à bono penitùs innatam & ingenitam non obſcurè indicat; ſic poſterius iſtud nos noſtræ in bonis operibus oſcitationis & reſtitationis immemores eſſe non ſinit. Sicut verò naturâ duce non tantum malum agimus, ſed illud etiam cupide & πλεονεκτικῶς patramus: ſic Deus à ſuis non tantùm ut benefaciant, exigit; ſed ut illud ſtudioſè & citato gradu perſequantur.

Hoc igitur proverbio monemur ut tẽpeſtivè, quod bonum eſt faciamus, ut oblatas bene agendi oportunitates è manib. elabi non ſinamus: ſed *dum opportunitatem habemus, quod bonũ eſt operemur*, Gal. 6. 10. Item *dum dies eſt operemur, quòd nox venit cum nemo operari poteſt*, Iohan. 9. 4. Nec ſtertamus æſtate aut meſſe. Hùc refer de craſtino non eſſe gloriandum, Prov. 27. 1. In quo plerique peccant qui diem ducunt, & in craſtinum omnia rejiciunt. Deinde hi qui ob minima obſtacula ab officio diſcedunt, & qui (ut Salom. loquitur) obſervant ventum; cum nubes tum pluviam demittunt, cùm aquis gravidæ ſunt. Hîc coarguuntur qui ætate tenerâ bonum non quærunt, qui cũ integris

viribus ſint, pietati ſe nō dedunt: ſed tum demum cùm exhauſti viribus, & cùm ob frequentes ſenectutis ægritudines non poſſunt, cùm dies adveniunt in quibus dici ſolet non eſt mihi ulla delectatio, ne in his quidē quæ homini animali grata ſunt; nedum in his quæ ſpiritus ſunt, cunque nubes pluvia excipit, Eccl. 12. Maximè vero omnium tenendum eſt quod Apoſtolus monet, 2. Cor. 6. 2. ut dum dies acceptus eſt id eſt. dum Evangelium viget & promulgatur noſmet Deo in omnibus approbemus.

Sequuntur rationes quibus præceptum hoc nititur: quartum prior eſt ab adjunctà promiſſione boni conſequuturi; altera ab adverſo adjuncto quod adverſis ſubjectis adveniet.

Promiſſum, quo ſuſtentantur qui huic viæ inſiſtunt, eſt quòd quærant voluntatē vel benevolentiam. ubi cùm nulla vox ſit quæ benevolentiam reſtringit ad Deum, aut illam ad homines coarctat, neque loci circumſtantiâ & περιστάσει prohibeamur quo minùs ad utrumque cùm Deum, tum hominem iſta referamus; tanquam auguſtiorem ſenſum illum amplexamur, qui utrumque cum Deum tum homines includit. Omnes ſtudio tenentur conſequendi benevolentiam hominum, nec quiſquam eſt tam immanis aut ferus quin ſe Dei conciliandi ſtudio teneri profiteatur: Sed plerique, cum viam neſciant quâ ad hæc pervenitur, ſuis ſe conſiliis, & inventis fruſtrà fatigant. Dum enim Dei benevolentiam ex ſuis commentis aut aliorum placitis quærunt, quem ſibi Deum recolligere ſtudent infenſiorem & magis averſum reddunt.

Multi etiam in hoc ſunt ut hominum auram & voluntatem conſequantur, & in eam rem nervos intendunt; ſed tamen quod ſequuntur non aſſequuntur; aut ſi quorundam benevolentiam aſſequantur, aliorum offenſionem colligunt, quorum offenſionibus tam lęduntur, quàm eorum ſtudio juvantur quorum benevolentiam captant. ut Abſalom qui cum ſubditorum animos malis artibus collegiſſet, aliorum & quidem quos maximè intereat benevolos habere, exulcerarat. Atque utut omnium hominum benevolentiam ineant; tamen fit ſæpè ut hoc ipſo, Dei voluntate & benevolentiâ excidant. unde Math. 6. Chriſtus maledictos pronunciat, cum omnes homines de illis bene loquantur. Unum hoc compendium eſt utriuſque conciliandi, Dei & hominis, ſi ſtudioſe bonum quærant. Maximè vero ſi illud bonum prius quærant quod Deum ipſis conciliat, id eſt regnum Dei & juſtitiam ejus. Sal. enim hominum ſtultitiā irridet, quod plerique omnes faciem & benevolentiam dominatoris quærunt, neglecto Deo, Proverb. 29. 26. cum tamen conciliatio regis à Deo uno pendeat. Deinde Prov. 16. 7. docetur tum demum inimicorum odium in nos extinctum iri, cū viæ noſtræ Deo acceptæ ſunt. Beneficentiâ etiam hoſtes alioqui infenſi placantur. Roman. 12. 22. ut ex exemplo Iacobi conſtat. Oportet igitur ſummam vim ineſſe in beneficentiâ, cum homines etiam infenſiſſimi poſitis inimicitiis nobis benevoli fiant. Hujus illuſtria exempla ſunt in Davide: qui Deo gratus Aulicis etiam & hominibus alioquin à pietate alienis gratus extitit. Sed præcipuè in Chriſto, Luc. 2. 52.

Hîc tamen quærat aliquis quî conveniat hoc cum eo quod dicitur; [ſi quis vult piè vivere in Chriſto perſecutionem patietur] & pleraque alia ferè infinita de mundi in nos odio propter juſtitiam? Reſp. primum, quod 1. Petr. 3. 13. monſtrum hominis eſſe ſi quis reperiatur qui faciat nobis malum ſi fuerimus æmulatores bonorum. Deinde promiſſiones hujus vitę conditione & hypotheſi implicitas eſſe, quoad Deo hoc nobis conſultum videbitur.

tur. Quamobrem hominum benevolentiam ex beneficentiâ non adeo certam & firmam eſſe : ſed damnum hoc abundè compenſari Dei in nos voluntate, quæ fidelis & firma exiſtit.

Altera ratio eſt, vel prioris potius confirmatio, quod obveniet ei malum quod quis perſequitur unde liquido ex adverſis concluditur eum, qui quærit *benevolentiam*, forſan *bonum* aut *benificentiam*, id quod in priore hemiſtichio deſideratum in hoc ſupplendum eſt.

Hîc vero excipiat quis neminem eſſe ſui tam parum amantem ut ſibi ipſi malum præoptet, nedum illud perſequatur: Cui Sal. reſpondet eum qui bonum non agit malum quærere quod illum opprimat. Nam cum ſtudioſè quærentem bonum opponit malum quærenti, palàm eſt nullum medium inter hæc duo extrema intervenire. Quamobrem vana eſt eorum jactatio qui ut ſibi in peccatis adulentur dicunt ſe nulli officere aut injuriam facere; ſe non ex rapto vivere, ſed ex paratis aut patrimonio; cum hoc ipſo malum quærere coarguuntur quod bonum non quærunt. Quod ſi etiam aliis nocere ſtudent ut ſibi proſint, nil mirum ſi in eorum caput recidat quod aliis moliebantur damni Vide ſub finem Pſal. 7.

Nec prætereundum eſt non damnari eum qui malum aliquod patrarit, hoc proverbio: ſed qui perſequitur malum & in eo aſſiduus eſt, & ſe in eodem tanquam in arte occupat.

V. 28. *Confidit in divitijs ſuis, ipſe decidet, at tanquam ramus juſti efflоreſcent.*

Ad occludendum fontes beneficentiæ nullus capitalior hoſtis exiſtit quàm eſt fiducia in divitiis, quæ avaritiam parit Dũ ſuis homines opibus tanquam propugnaculo innituntur, Prov. 10. 15. Hinc dicuntur opes diviti eſſe inſtar arcis; contrà pauperem animum abjicere quod pauper ſit: adeo ut hoc peccatum latè acceptnm, ſua capacitate divites & pauperes complectatur. Hinc frequentes exhortationes Pſalm. 62. 11. *Si divitiæ abundent ne apponito cor.* 1. Tim. 6. admonet divites *ne confidant divitiis incertis.* vide etiam Pſal. 49. quod improbi deſcribuntur ex adjunct. fiducia in opibus: & Pſalm. 52. unde Apoſtolus avaritiam *idolatriam* appellat ad odium ingenerandum. Pſal. autem 62. 12. poſtquam à fiducia opum dehortatus eſſet, docet quam neceſſaria illa adhortatio eſt. Semel Deus loquutus, & iterum audivi illud, Dei eſſe robur. Atque Pſalm. 49. vanitatem hujus fiduciæ deſignat cum doceat nulla quantacunque pecunia, aut precio redimi poſſe vitam alicujus: cum tamen in eum potiſſimè ſinem divitiæ congerantur, ut vitam hanc tueantur, & conſervent diutius. Qui igitur divitiis innititur veluti arundini Ægypti confidit aut telæ aranei, vel inſtar folij marcidi quod vento dejicitur aut ſponte decidit, nec iterum virorem aut vitam recuperat. Vide. 1. Tim. 6. Eximium in hac re teſtimonium Iac. 1. 10. 11. ex quo vanitas hominis fidentis in opibus indicatur qui ſe re tam vanâ fulciri poſſe credat. Aliquando enim flos decutitur vigente aut virente gramine ſeu pedicâ: Atq; utut illud non fiat, tamen cùm gramen areſcit, ilicò decidit. Deinde flos gramen non poteſt ab interitu & ariditate vindicare: Qui igitur divitiæ poſſeſſorem ab interitu & calamitatibus eximunt?

In poſteriore hemiſtich. opponit juſtorum confidentiam divitiis. ubi notandum eſt non eum eſſe juſtum qui alios opibus eorum non evertit, cùm ipſe nihil in pauperum ſubſidium conferat (quod avari faciunt) ſed longè majus aliquid à juſto requiri; atque illud potiſſim. ut Deo confidat;

fidat; quòd vel maximè juſti officium & opus eſt.

Deinde longe maximum diſcrimen in hujus & illius exitu ſtatuit, dum juſtum palmiti aſſimulat; confidentem divitiis folio. Nam palmes penitus arbori infixus non decidit. Atque utut hyeme amittat virorem, arboris ſucco ad radicem tranſmiſſo; tamen ineunte vere revireſcit, & veterem decorem recuperat. Non ſecùs juſtus qui ad tempus advētante hyeme afflictionis, ſplendorem exteriùs amittat; tamen pòſt ad priſtinum dècus aut etiam priore ſplendidius redit. Vide Pſal. 92.

V. 29. *Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventum, & ſtultus ſervus [efficietur] ſapienti animo.*

In voce ביתו (*domus*) eſt meton. ſubject. pro domeſticis. Item eſt metaph. in רוח quâ notat eum non plus proficere domus perturbatione, quàm qui ventum hæreditate poſſidere cupit, cujus nullus eſt uſus, & quem premere & conſtringere nullus poteſt.

Apoſt. 1. Tim. 5.8. docet *Ethnicis deteriores eſſe qui ſuis familiis non proſpiciunt.* Qui igitur non tantum illis non proſpcit, ſed porrò illos aut ſævitià aut bonorum profuſione conturbat, eum oportet Ethnico duplo eſſe deteriorem. Rixationibus etenim, jurgiis, & clandeſtinis conflictibus, ad res utiles meditandum ſtudia refrigent, labores intermittuntur, affectus animi & voluntates diſtrahuntur, ita ut non tantùm ſtudia & conatus rem faciendi labaſcat; ſed porrò illa animorum acerbitas & abalienatio, ſævitiâ & inclementiâ naſcitur, ut patrifamiliæ in commoda præoptent; tantum abeſt ut illi prodeſſe vellent cum poſſent. Huc accedit quòd pacis voce in utroq; teſtamento (meton. cauſæ) deſcribitur proſperitas, & rerum ad animum affluentia. unde etiam illuſtris Pſal. 133. pacem inter fratres ab adjunct. rerum omnium abundantiâ celebrat, dum illam rori aſſimulat quo circumjacentes & circumfuſi agri madefiunt, & ad fœcunditatem irrigantur. Contra verò ſi omne regnum & civitas in ſe diviſa deſolabitur; nedum familiam, quæ contentionis & impreſſionis irruptioni ſuſtinendæ non tam ut civitas & regnum valens & robuſta eſt, diſſipatum iri neceſſe eſt. Eodem redit quod Apoſt. admonet, mutuò conſumendos eſſe qui ſe invieem mordent, Gal. 5. 15. Experientia ſatis indicat mariti & uxoris diſtractione & ſimultatibus rem familiarem diſſipari: quantò id fiet magis cum paterfam. inſtar leonis ſuo ad rixas ſtudio totam familiam exulceraverit.

Conturbat etiam domum ſuam qui domi aut foris (in quo genere ſæpius peccatur (facultates aut patrimonium ſibi à Deo & parentum largitione conceſſum concoxerit & inſtar hirudinis exhauſerit, unde quo familiam heneſtè alat deeſt: aut verò etiam cum opes abundè ſuppetant, per avaritiam tamen & animi anguſtiam, quo minus quod juſtum eſt & dimenſum in domeſticos inſumat, impeditur Prov. 15. 17. Præterea cum domeſticos continuis, irrequietis & nunquam ferè intermiſſis laboribus fatigat, nec ullam à gravioribus occupationibus relaxationem & animi recreationem concedit. Aut etiam juſtam peccatis caſtigationem inhibet ut Eli 1. Sam. 2. Quibus omnibus opponitur procuratio familiæ à Iobo deſcripta, & in praxi adhibita, quod ne ſervo aut infimo in familia mancipio, nedum uxori aut liberis jus negaret cauſam ſuam liberè dicendi & cum ipſo diſceptandi.

Denique familiam conturbat qui illam in timore Dei non inſtruit & informat, nec

nec id agit, nec adigit ut diem dominicum rite&religioſè obſervent. Nam cum Achan verè dicitur Iſraelem conturbaſſe, quod illud facinus patrarat unde Dei excandeſcentia in Iſraelem exarſit; quid ni etiam pro ſuæ domus conturbatore jure habeatur qui cultus divini in familiâ neglectu aut contemptu divinæ iræ irrumpendæ viam & aditum patefacit. Sic enim Achab dicitur perturbare Iſraelem quòd Idololatriam & falſum Dei cultum tutatus eſſet 1. Reg. 18. 18.

Hæreditate poſſidere ventum. Pœna proponitur hujus peccati, quòd nihil inde lucrabitur, ad nihilum deducetur. Tametſi enim pleraque ex iſtis iſtiuſmodi ſunt, ut ſpem lucri permagnam faciant; tamen quod ſectantur lucrum non magis aſſequentur, quam ventum tenere poſſunt: aut ſi quid improbo labore conſequuntur, tamen illud quicquid eſt perinde habet ut uterus inflatus, qui tametſi ſpem prolis intuentibus faciat, tamen in ventum ſine fœtu abit, nec tantum poſſeſſori non prodeſt, ſed ut flatus iu ventre tormina excitat. Huic affine eſt Græcorum proverbium ἀνέμους γεωργεῖν

Altera pœna eſt quòd in ſervitutem redigetur & ſapienti mancipabitur, illi præſertim qui ſuam familiam pacificè & quietè regere novit. Ubi primò notandum occurrit quòd domus ſuæ turbatorem ſtultum vocet. ſic Prov. 18.6. [Stulti labia ineunt litem & os ejus confuſionem advocat.] Deinde docet eum eò deventurum ut cogatur operâ ſuâ ſe in ſervitutem illi tradere qui familiæ regendæ peritus, propriâ inſcitiâ ad hoc faciendum adactus. Vide quid Deus poſteris Eli comminatur, vide Parab. Luc. 15.

V. 30. Fructus juſti [eſt fructus arboris vitæ, quum diſciplina imbuit animas ſapiens.

Hic verſus totus ferè quantus quantus eſt allegoria eſt, ſed quæ metaphoris cōſtat familiaribus admodum & omnibus expoſitis. Prior ducitur ab arboris ſimilitudine, ejus præſertim quæ in paradiſo nomen arboris vitæ accepit. Altera videtur à vènatoribus, piſcatoribus vel aucupibus deſumpta: cujus Proverbij ſumma hùc recidit ut diſcant homines quo pretio virum juſtum (qui apud homines leviſſimè habetur & inſtar ſtercoris & ejectamenti) æſtimare convenit.

In priore parte juſtus componitur & aſſimilatur arbori vitæ à Deo in horto paradiſi plantatæ; ejus autem opera, dicta & facta, ſermones & vitæ converſatio fructui illius arboris. Ubi primùm cauſa juſti expendenda venit, plantatio videl. Dei. Nam cùm terrę partes reliquę ſponte edebāt herbas, arbores, &c. de arboribus paradiſi pręcisè & diſertè ſcriptura attexit, illas à Deo conſitas & plantatas fuiſſe, Gen. 2. 8. Quâ loquendi formul: Deus innuere videtur præcipuam quandam operam & curam ad ejus conſitionem adhibitam fuiſſe, neque ut reliquæ arbores, proveniſſe. Unde colligitur primùm excellentia juſti, non tantùm quòd cum arboribus paradiſi, ſed cum præſtantiſſimâ inter eos comparatur. Dein juſtos non naſci, ſed creari ſecundâ quadam creatione: non eſſe à parentibus ſatos nos juſtos; ſed Dei manu conſitos & inſitos Hinc eſt illud Pſalm. 1. juſtos ſecus rivos aquarum plantatos eſſe. Math. 15. plantatio patris, & Iohan. 15. 15. Dei agricultura. Quemadmodum enim paradiſi arbores non communi & generali cæterarum arborum ritu ratione ſuccreverunt: ita nec juſti pervulgatæ naturæ curſu & tenore generantur; ſed manum Dei medicam in illis reſtituendis experiuntur. Quod nos merito admoneat ne in primâ illâ luce, in quam à parentibus æditi ſumus, acquieſcamus; quoad nobis in Evan-

Evangelio affulgeat ſplendor ſolis juſtitiæ qui eſt in Chriſto.

Deinde inſpiciendum in fructus ſeu affecta juſti quæ illuſtrantur à comparat. ex eò quod paribus ponderibus cum fructu arboris vitæ appendantur. Tametſi in ipſa horum comparatorum viſcera perſcrutantes fructus arboris vitæ fructibus juſti minores & inferiores eſſe deprehendemus. Quo enim excellentior eſt vita ſecundi Adami quàm fuit illa prioris; tantò præſtantior eſt fructus qui vitam hanc fovet, quàm qui illam conſervabat. Huc accedit quòd illa arbor in juſtitiâ perſiſtentem & pietate à morte vindicare potuit; hæc in peccatis mortuum reviviſcere facit: Illi arbori detracti & decerpti fructus fecerunt ut tanto minus fructuum ſupereſſet, quanto major copia illi adempta & ad hominum uſum accommodata fuit; hæc contrà eo magis fructibus pietatis & juſtitiæ oneratur, quo pluribus ad uſum hominum nudatur: ad eum modũ, ut quod aliis communicat, ipſum adhuc etiã auctâ ejus bonitate & virtute retineat.

Unde pretium juſti planè inæſtimabile aliquouſque æſtimari poteſt: & quantâ curâ & ſollicitudine in hoc incumbendum ut in vivis diu conſervetur qui tam præſtanres & ſalutares fructus edit. Deut. 20. 19. præcipitur non eſſe, ne urbis capiendæ in bello causâ, arborem excindendam quæ fructus utut perituros ad hominis alimentũ profert. Quantâ igitur judicij divini ſeveritate ſe conſtringũt qui arborem juſtitiæ, quæ vitam æternam in hominibus confirmat, è medio tollunt: maximè cum illæ fructum duntaxat in anno plærumq; edant; hæc ſingulis menſibus, imò diebus & horis: illæ ſæpe importune; hæc opportune & tempeſtive. Si eſſet in orbe terrarum vel unica arbor, quæ fructus ederet, quibus caduca hæc vita ad 1000. annum prorogaretur & proferretur; bone Deus! quanta hominũ frequentia abjectis ſuis omnibus negotiis ad eam utcunque in ultimis terræ regionibus ſitam confluerent, & convolarent: qui iidem arborem hanc, quę vitam æternam ſuppeditat, contemptim & faſtidioſe prætereunt; Quanti ergo eſt ſi quis in urbe, in familia hanc arborem prope ſe plantatam habet.

In poſteriore hemeſtichio unam ſpeciem fructus juſti hominis ex toto genere deligit, eum quidem principem & primarium, tanquan in quo unò ſpecimen eximium ſtatuit edere incomparabilis pretij hujus arboris. Perindè ac ſi diceret multiplices & varios fructus fert hæc arbor juſtitiæ in ſublevandis egenis, ſuum cuique quod eſt reddendo, caſtitatem colendo, etiam pietatis in Deo invocando, &c. Sed unus hic præſtantiſſ. & lectiſſ. fructus eſt, ſi animas accipiat, ſive vitæ incorruptæ exemplo, Matt. 5. 1. Pet. 3. ſive admonitione & inſtitutione in doctrinâ veritatis prout fert uniuſcujuſque vocatio. Hoc autem præſtans venandi, piſcandi, ſeu aucupandi genus, cùm quis retibus Evangelicis concluſus, è vaſto & profundo mari ad littus educitur; ex paſſo & lato aere in caveam Eccleſiæ compingitur; ex deſerto mundi & inferorum in Dei clauſtra & Eccleſiæ ſepta colligitur, nunquam ſatis dignè laudari poteſt. Hinc eſt ut miniſterium Eccleſiæ, maximè apoſtolicum ab Ezec. 47. & à Chriſto Math. 4. piſcatio appellatur.

Demum juſtum titulo ſapientis exornat; quâ appellatione occurrit perverſorum hominum de piis & juſtis cenſuræ nequiſſimæ. Nam improbi pios & juſtos ſtultitiæ probo infamant, ac ſi communi hominum ſenſu & ratione ſpoliati eſſent. Contrà vero Spiritus ſanctus illos demũ verè & ſolidè ſapientes judicat; perinde ac ſi diceret peritiam non vulgarem in venatoribus & piſcatoribus requiri, ut inſidiis ſuis beſtiolas intercipiant; tempus & ventum,

ventum, & tenebras, & alia plæraque obſervare convenit. Sed ea demùm peritia & ſapientia eſt, is peritus & ſapiens haberi jure debet, qui retibus Evangelij novit animas hominum mille artibus ut ſe in exitium præcipites dent, inſtructas, comprehendere. Hinc eſt quod juſti & pij *ſal terræ* appellantur Matt. 5. Vide Pſ. 10. 43. & Hoſ. 14, 10. Iac. 3. 14. 15, 17.

Ex his porro colligitur quæ ſit maxima laus miniſtrorum, videlicet non ſi famam de ſe excitare poſſunt, & efficere ut multi illis applaudant, & eorum interiorem ſcientiam prædicent: ſed in eo ſapientiam veri miniſtri poſitam eſſe, ſi artem norit animas ad Deum convertendi.

V. 31. *En juſtum, in terra hac rependitur* [*ei,*] *quanto magis improbo & peccato i?*

Superiori proverbio adverſum videatur quod improbus & qui continuo peccat proſperè agat, nullis calamitatibus, interruptam & interpellatam fælicitatem habeat. Quod ut homines ad peccatum ſtimulat; ſic pios angit & torquet, & illos in pietate perſequendâ refrigerat, & manus illis in operando remiſſiores facit, aut etiam ad deficiendum à pietate ſollicitat. Huic igitur malo occurritur hoc proverbio, quo comparatis minoris firmiter concluditur impiis impunè non ceſſurū quod admittunt peccatum.

Primum, in antecedente hujus concluſionis particula הן (*hac*) nos attollit ad diligentem & ſedulam hujus propoſitionis attentionem, tanquam animadverſatione digniſſimæ. Vel potiùs deſignat rem quam teſtimonio & experientiâ oculorum noſtrorum compertam & perceptam habemus. Quod etiam ſatis declarat quod dicitur ישלם בארץ (*in terra compenſabitur.*) Quod autem docet hujuſmodi eſt: juſtum eſſe etiam in hac vitâ ut in terrâ degens cum bonorum operum mercedem aliquam accipiat, tùm defectionum ſuarum ſatis acrem caſtigationem luat. Cùm igitur bonis hîc cumuletur cujus fœlicitas anguſtis hujus vitæ finibus non continetur; & malis afficiatur, cujus defectiones in Chriſti ſanguine ſunt expiatæ & pleniſſimè compenſatæ: quanto magis improbus aut in hac aut in futurâ aut utrâque vitâ pœnas dabit, cujus peccata retinentur? Et ſi qui ſemel aut iterum crimen aliquod vel inſcitiâ, vel imprudentiâ, vel per carnis infirmitatem patrat, cujus poſt eum graviter pœnitet, non effugit Dei manum: quid fiet de peccante, id eſt, aſſiduè peccato dedito præſertim cùm toto impetu & inſtar cataphracti equi cum ſummâ animo contentione & aviditate ad peccandum feratur, vide Pſal. 3. 6, 7. Hujus argumenti prior pars non tantum quotidiana experientia confirmatur; ſed ſcripturæ ſacræ teſtimoniis. *Pietas ad omnia utilis eſt, & promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ*, 1. Timot. 4. *Quærite primùm regnum Dei & hæc adjicientur*, Math. Exemplo ſunt Abraham, Iſaac, & Iacob. alterum itidem confirmatur ex Pſal. 38. & 2. Sam. 7. 14. 15. *Si filij ejus peccaverint adverſum me ego illos viſitabo manu viri, ſed miſericordiam meam ab illis non auferam.* Hujus illuſtris exemplum eſt in Davide. Item in Moſe & Aarone qui ob peccatum excluſi ſunt è terræ Canaan poſſeſſione. Item exemplo Eli. Quid? quod Deus aliquando juſtos nullo graviore crimene illum irritantes acerbiſſ. caſtigat, ut illorum fidem probet, & exemplum patientiæ in illis ad omnem poſteritatem ſtatuatur, in Iobo liquet: quomodo ergo effugiet impius?

Hæc concluſio porro confirmatur ex Ier. 25. & 1. Pet. 4. qui etiam ad hunc locum alluſiſſe videtur v. 18. Quamobrē cùm hæc viridia ligna ignem iræ divinæ admit-

admittant, quid aridis lignis & acapnis fiet, quid ſarmentis quorum nullus eſt niſi ad cumburendum uſus. Hoc igitur capiſtro & fræno nos à peccati inſidiis conſtringamur. Nam utut minimè nos attingat Dei manus in hac vita, tamen tanto gravius feriet, quanto longius & diutiùs brachium vibravit.

CAPUT XII.

Verſ. 1. ***Qui amat eruditionem, amat ſcientiam: qui verò odit correptionem, brutus*** [*eſt*]

OMnes ſibi perſuadent, & ut aliis eandem fidem faciant, nullo negotio obtinent, ſe ſtudio diſcendi & cognoſcendi res utiles & cognitu neceſſarias duci & deſtineri: nec quenquam eſſe tam ferum aut immanem, qui rerum ptæclariſſimorum peritiâ non oblectetur. Hoc autem Salomonis Ptoverbio mendacij arguuntur, & veræ ſolidæque ſcientiæ inopes, atque adeò ſtudij recta cognoſcendi expertes convincuntur. Nam cùm ſcientiæ ſtudium non latius pateat, quàm diſciplinæ & caſtigationis amor, poſteriore hoc anguſtis finibus concluſo, prius illud ſe ad multos diſtendere & dilatare nequit. ſtultitia enim nobis innata eſt quam virga correptionis fugabit. Quod quò faciliùs percipiatur, ſingula accuratiùs examinemus. Eſt igitur hoc loco diſciplina ſeu caſtigatio coercitio vel aſperitas quâ peccandi libido impediatur.

A Deo verò immittitur.
- *Immediatè ab ipsâ majeſtate*
- *mediatè ab*
  - *Angelis*
    - *Bonis,*
    - *Malis.*
  - *Hominibus*
    - *Privatim*
      - *Familiâ,*
      - *Scholâ,*
    - *Publicè*
      - *Eccleſiâ,*
      - *Republicâ.*

Quamobrem ut nos ſcientia amantes probemus omnes has caſtigationes nos complecti oportet & amare Prov. 3.11. Iubemur ne correptionem diſpiciamus, aut nauſeâ quadam faſtidiamus. Hîc verò etiam porro exigitur ut illam amemus, ſi doctrinæ cœleſtis & ſalutaris idonei auditores & diſcipuli eſſe velimus. Videtur autem ſcriptura hoc modo gradus quoſdam profectus & progreſſus in ferendis malis conſtituere. Primo danda opera ne eam aſpernemur aut faſtidiamus: ſic fiet ut tandem eo aſcendamus ut impoſitam nobis afflictionem amare velimus: tametſi meliùs forte fuerit ſi dicamus amoris eſſe], tametſi remiſſioris correptionem non contemnere aut faſtidire.

Hîc igitur nos ipſos ad hanc Prophetæ normam & regulam exigamus, num filij aut diſcipuli ſimus ſapientiæ. Atqui alienum & abhorrens videatur à natura humana correptionem amare; ut hominum exuere prius neceſſe habeas, quàm illam in pretio habere. Verumenimvero cum reputamus primum cauſam efficientem ſcil. Deum & ejus paternum amorem: cum finem reſpicimus & effecta eximia quæ pleriſque ſcripturæ locis indicantur, Prov. 3.12. Heb. 12. non erit difficile in animum noſtrum inducere ut illam amemus. Quid ni enim caſtigationes tametſi acres, & eos qui eas adhibent amemus. cum experientia doceat homines medicos & chirurgos, & eorum remedia utcunque dolorem facientia plurimum amplecti: adeò ut inter inſanos & mente captos eos reputent, qui medico urenti aut ſecanti ſuccenſeant. Amor vero correptionis ex horũ commentatione inchoa-

tus

tus plurimum confirmabitur, ſi illa incommoda percenſuerimus quæ ex neglecta diſciplina & correptione profluunt.

Quod ſi quærat aliquis quibus indiciis cognoſcat ſe correptionis amatorem eſſe. Reſp. cupiat ſub illis tutoribus & inſpectoribus agere, in illis familiis, Scholis, Eccleſia, republ. vitam tranſigere ubi diſciplina & correptio viget. Si correctores & caſtigatores revereatur & amet, aliquando etiam luctum gaudio prǫferet, Eccleſ. 7. 3,4,5,6, hujus rei eximium exemplum vide in Davide, ubi reprehenſionem unguento precioſo comparat: quod inhiberi iniquè fert, Pſal. 141. 5.

In poſteriore hemiſt. priorem doctrinam confirmat ab adverſis. Quod cujuſmodi ſit ex contentione ſuperiorũ facilè inveſtigatur. Nã ſi quis requirat quis odio habeat diſciplinam & correpr. in promptu eſt reſpondere, eum qui præoptat his in familiis, ſcholis, Eccleſiis, repub. verſari ubi omnia pro arbitratu agat & ad libidinem: qui ægrè & iniquè fert increpari, increpantem odit. Denique ut eſt Iob. 36. 21. qui eligit vanitatem ſeu peccatum præ afflictione. Adjuncto bruti & beſtialis hominis eum notat tanquàm atro carbone, qui correptionem odio habet. Primum quidẽ quòd ſcientiâ rerum præclararum, ut brutum, deſtituitur, nec magis ſapit quàm bos & aſinus. Sicut contrà amans diſciplinam, ut eſt ſtudioſus ſcientiæ, ſic ſcientiam aſſequitur. *Corripe ſapientem & ipſe magis ſapiet*, Prov. 9. Deinde quia ut bruta animantia illos ore aut calcibus petunt qui verberibus flagellant; ſic oſores diſciplinæ eum qui caſtigare conatur. Sicut etenim bruta animalia cùm ſanguinem mittunt aut pharmacum admotum habent, quo leventur morbo, aut quo illis conſulatur, in ſuos dominos, qui illis bene cupiunt, inſiliunt: ſic hi qui correptionem odio habẽt. Huc accedit illud Prov. 9. 8.

Notandum porrò iſtos homines inanẽ ſapientiæ & virilitatis opinionem hoc ipſo captantes quod caſtigationem ferre nolunt, ob eam rem à Spiritu Sancto atro beſtialis naturæ carbone notari.

Denique notandum quo genere correptionis maximè dignoſcatur brutus qui correptionem odio habet. Nam cum priore hemiſt. de correptione in genere egiſſet, poſteriore hac correptionis ſpeciẽ unam profert in medium: quam, ſi æquè aliquis nõ ferat, videtur deploratę ſalutis eſſe. Qui enim verba increpationis nõ ſuſtinet, quomodo verba ſuſtinebit? Et hoc ipſo argumento ſervus Nabalis herum ſuum ſtultitiæ & brutæ ſtupiditatis coarguit, quod neminem vel verbo admonentem ferret, 1. Sam. 25. 17. Contra autem pii & amantes correptionem ſe ad aſperrimas quaſque caſtigationes compararent, nec rebelles aut refractarios ſe præberent; etiamſi medicus ferrum aut ignem adhiberet ad curationem.

V. 2. *Bonum provehit benevolentia à Iehova: at virum ſceleratum condemnat.*

Videtur conſiſtere non poſſe quod plerique ferè omnes interpres convertunt bonus elicuit benevol. &c. nam hæc ſignificatio verbi non reſpondet ſignif. quę eſt Pſal. 1. 40. 9. & Iſa. 58. Deinde nominativus caſus raró verbo proponitur apud Hebræos. Quod ſi præponeretur adhibendum eſſet pronomen, & convertendum eſt ad hunc modum bonus ipſe elicit vel educit, &c. Denique antitheſis poſterioris hemiſtich. declarat טוב (*bonum*) vocem accuſandi caſus eſſe ut eſt איש מזמות (*virum ſcelerum.*) Scopus autem eſt ut Dei amorem erga bonos conſtantẽ & efficacem declaret; ut contà in ſceleratos odiũ.

In priore hemiſtich. pios præ ſuâ nimiâ imbecillitate trepidantes & tremulos;

maximè, cum Satanæ furorem & mundi in ſe inimicitiam reputant, cõſolatur, dum illis bene fore atque adeò in dies illis à Deo conſultum iri, beneficiis à Deo cumulandos, animo ſimul & corpore benedicendos pronunciat. Neque enim tantùm pios à ſalute excidere non patitur; ſed illos porrò omnibus præſtantibus ſuis donis exornat augetque. Cujus rei inſigne eſt illud teſtimonium Pſ. 119. ſect. 9. ubi cauſam etiam aſſignat beninignitatis Dei erga homines nempe quod ipſe bonus eſt, eoque benefacere gaudet, maximè bonis. Nam cùm tum in nos bonus & benignus fuit, cum nos ab eo animum hoſtilem & alienum gerebamus; quid faciet conciliatis? Si cùm mali eramus nobis benedictionem contulit; quid faciet bonis & à malitiâ converſis? Rom. 5. Atque utut homines bonos non provehant, ſed deprimant magis; tamen Deus provehet. Honorantes me honorabo, 1. Sam. 2. 30.

Atque ut hic locus plenus conſolationis eſt adverſus noſtram diffidentiam; ſic admonitionem continet ut ſinguli excutiant ſe & pertentent, an progreſſus in pietate faciant. Nam ſi boni & pij ſumus, in pietate nos creſcere oportet, Rom. 1. à fide in fidem & 2. Cor. 3. 18. & Pſal. 84.

Deinde notandum eſt quam cauſam hujus provectionis propheta aſſignat, ſcil. immeritam benevolentiam. Quo docemur non tantùm primam gratiam nobis gratuito conferri, ſed ſecundam & tertiam, & quicquid in nos boni ad extremum vitæ diem confertur. Adverſus pontificios qui ſecundas Dei gratias & dona nobis noſtro ex condigno merito conferri dicunt.

Priorem partem Proverbij arguit atq; illuſtrat ab adverſis. ubi primum bono opponit virum ſcelerum ſeu ſceleſtum, id eſt, ſceleribus deditum & addictum. Vir etenim bonus ſcelus aliquando admittat; ſed tamen non eſt ſceleribus addictus ut vir ſcelerum. Deinde quod dicit dominum eum condemnaturum, eo docet dominum indies detractione & diminutione ejus quod habet (ut fit in his qui à judice ſententiâ mortis damnantur) eum exuturum bonis omnibus & illum damnatum eſſe declarabit. Atque utut homines eum attollant & omnia bona de illo prædicent, & aut nolint, aut propter mirum in occultandis ſceleribus artificium (quod voce מזמות *ſcelerum*, indicari videtur) non poſſunt; Deus tamen illum damnationis ſẽtentiâ opprimet, obruetque. vide Luc. 8. ubi improbis etiam quod non habent, aut quod videntur habere auferetur.

Hîc quære quomodo conſiſtat Pauli locus, quo affirmatur *Deum juſtificare impium*, Rom. 4. 5. cum hic contra dicatur Deum damnare ſceleratum. Reſp. hoc loco docet quid Deus facit tanquã, mundi juſtus judex; illîc vero quid facit tanquam mediator, & ſervator eorum quos ex merâ, gratâ, & gratuitâ benevolentiâ conſtituit ab acie iræ divinæ aſſerere.

V. 3. *Non ſtabilitur homo improbitate, radix autem juſtorum dimovetur.*

Radicis vox metaph. eſt ducta ab arboribus, quæ altè & profundè in terram demerſæ & defixæ non facilè moventur. Scopus proverbij eſt docere improborum proſperitatem, quæ magnã ſpeciem & veri ſimilitudinem firmitatis & durationis omnium oculis repreſentat, fluxam & caducam eſſe: contrà piorum perpetuę agitationi & turbulentiſſimis jactationibus obnoxiam conditionem fixam, & immotam eſſe.

Eſt in priore parte hujus proverbij tacita conceſſio. perinde enim eſt ac ſi dicat

cat Sal. poſſe hominem improbitate & ingenioſis inventis, nnnc fraude, nunc vi, fœlicem ſpecie, & lautam conditionem nanciſci: ſed illam ad diuturnitatem, nedum æternitatem, tueri & ſuſtinere non poſſe. Pſal. 73. & 37. docetur impio omnia ad animi voluntatem fluere & Deum illorum vota concupita aliquando ſuperare. Exempla proponuntur nobis in Aſſyrio, Perſico, Græco, Romano tyranno, quibus eorum ambitio & ambitioſę artes ita ſucceſſerunt, ut iiſdem finibus imperium eorum, quibus terrarum orbis ferè contineretur. Vide Dan. 5. 19. omnes eum populi & linguæ timebant. &c. quem volebat morte affecit, quem volebat in vita conſervavit: quem volebat extollebat, quem volebat deprimebat. Quamobrem nihilo ſe juſtiores aut Deo minus exoſos reputent, ſi illis ſua conſilia fortunata ſint: cum hucuſque Deus provehat non tantum improbos; ſed per devias rationes & diverticula lucro & honoribus inhiantes. Verùm ſi externarum rerum judicio de pietate & juſticia alicujus ſtatuere & ſententiam dicere velint, quis illius exitus & extremus eventus futurus ſit pervidendum: animum enim & oculos à rerum præſentium conditione ductos ad hujuſmodi hominum extremum & finem referre conduxerit. Nam capita & conſilia conferant, manus manibus cōjungant, copias conducant, machinas omnes adhibeant; nunquam tamen efficient ut rebus ex ſententia geſtis firmitatem adjungant, Pſal. 37. 10. [Adhuc parum & non improbus: etiamſi diligenter conſideres locum, tamen non eſt.] Eadem exempla quæ ſupra commemorata ſunt, documenta ſunt hujus quæ proponitur veritatis; Illud autem Achabi exemplum illuſtre eſt, qui cum reſponſum à Propheta vel Deo potius per Prophetam accepiſſet, fore ut radicitus & ſtirpitus evelleretur, nec filio quem hęredem ſcriberet potiretur; putavit ſuis conſiliis & excogitatis illud Dei conſilium irritum facere. Eoque primum multas uxores & concubinas adhibuit, unde 70. liberi ſuſcepti ſunt, ſperans fore ut unus ſaltem ſuperſtes eſſet qui demortuo patri ſuccederet. Deinde horum ſingulorum tutelam & educationem commiſit viris ſumma nobilitate qui in urbe Samaria munitiſſima habitabāt, qui ipſius beneficio devincti, & proprio ipſorum præſidio & urbis robore cōfirmati adverſus hoſtem pro liberorum ipſius patrocinio invicti conſiſterent Sed quanta de ſpe decidit, hiſtoria teſtis eſt, 1. Regum 10. Hinc eſt quod Pſal. 1. glumæ paleæ comparantur. Vidè Iob. 20. 4, 5, 6, 7, 8. Idque Ier, 17. in vertice montis jacenti. Nec pugnat quod [illegible] tis eſſe quæ erumpit instar arboris virenexplicat. nam priore in loco docet qui ſunt in initio; poſteriore, quid in extremo; priore loco quid ſunt Dei judicio; poſteriore quales apparent hominum judicio. Tamen illud מעט [pauliſper) Pſal. 37. v. 10. prudenter intelligendum; cum ex Pſal. 17. conſtet fœlicitatem & proſperitatem improborum ad filios tranſmitti aliquando.

In poſteriore hemiſt. firmitatem conditionis juſti indicat, quam illuſtri ſimilitudine arboris quæ altas in terra radices egit: ubi ut in priore parte tacita quædam conceſſio implicita & involuta eſt, quæ ſic exprimi evolvique poteſt: juſti quidem concuti poſſunt & agitari procellis tentationum, ventis afflictionum; ſed loco moveri, aut eradicari non poſſunt. Sive enim ſpem vitæ alienæ reputemus, ſive præſentis in hoc ſæculo fœlicitatis uſuram cogitemus, juſtus nonnunquam impetitur & pulſatur; ſed nec à priore unquam penitus excidit, & præſentis vitæ commoda amiſſa aliquouſque recuperat; maximè in benedictione poſteritas à Deo locupletatur

tur. *Iuſtus enim in hac vita vix, & ægrè ſervari.* dicitur, 1. Pet. 4. 18. Exemplo ſunt Jacob, Abraham, Iob, David. Qui tamen incredibili Dei potentia & ſapientia ab interitu aſſerti & vindicati ſunt. Quod etiam ad futuræ vitæ ſpem attinet, Satanæ illos aliquando ventilare & cribrare conceditur, Luc. 22. 31. ſed fides non deficit, ibid. 32. *neque portæ inferorum contra fideles prævalent.* Math. 16. Quamobrem veriſſimum eſt quod Pſalm. 34. 20. *Multa eſſe mala juſti ex quibus omnibus eum dominus eripit.* Vide etiam Iob. 4. 7. Hinc eſt ut arboribus comparentur ſecus decurſus aquarum plantatis, Ier. 17. Pſal. 1. Sed locus inſignis eſt Zachar. 12. 3. cùm quod de Eccleſia univerſim dicitur ſingulis ejus membris rectè accommodatur

V. 4. *Vxor ſtrenua corona* [*eſt*] *mariti ſui: ſed tanquam putredò in oſſibus ejus* [*eſt*] *ea quæ pudefacit.*

Per uxorem roboris intelligit fœminam quæ partes matrisfamilias diligenter exequitur, & quæ ob ſexus illius infirmitatem non deſerit officium, quod illi incumbit; quæ copiosè & accuratè Prov. 31. deſcribitur hic. איש חיל (*potens*) Exod. 18. 20. dicitur qui his virtutibus imbutus eſt, quibus inſtructus munus quod illi committitur ritè obire poſſit. Quare quos 21. v. deſcribit aptos ad remp. capeſſendam particulari percenſione earum virtutum, quæ ad eam procurationem adminiſtrandam ſpectant v. 25. ubi illud executioni mandatum legimus tantum אנשי חיל (*potentes*) appellat.

Nomen עטרת (*corona*) eſt metaph. pro decore & dignitate. In בעצמותיו (*oſſibus ejus*) eſt ſynecdoch. pro univerſo corpore.

Deus homini initio uxorem dedit ut illi eſſet ad omnia vitæ præſentis ſolatia adjutrix. In quibus cùm decus & dignitas viri bona pars ſit; hoc etiam fine creatam & conditam eſſe palàm eſt, ut illi honori & decori ſit. Sed hanc rem magis adhuc præcisè Apoſtolus docet cùm dicat fœminam viri *gloriam & imaginem eſſe*, 1. Cor. 11. 17. & aliquouſque gloriæ viri inſervire oportere, ut vir gloriæ Chriſti. Cujus etiam rationem prorſus deſignat, quòd ex viro deſumpta ſit, & ejus cauſâ in lucem edita. Cumque ſit viri imago, eumque repræſentet, quo illa magis piè, prudenter & juſtè ſe gerat eo majorem marito exiſtimationem adjungit: & contrà ſi ſecus faciat. Quamobrem Apoſt. docet immodeſtiam fœminæ, cùm nudo capite precatur in Eccleſiâ, ad mariti probrum redundare, 1. Cor. 11. 5. è regione modeſtiam fœminæ ad viri laudem eſſloreſcere, vide Prov. 31. 23. omnium autem coronarum quas uxores ſuis viris contexunt nulla eſt præſtantior quam cū ſuâ virtute & pietate maritos utriuſque hoſtes ad pietatis & virtutis amorem alliciunt, vel his imbutos provehunt. Quod ſi quis quærat unde fiat ut uxoris vel ſtrenuitas, vel languor, vel virtus, vel vitium mariti decus aut dedecus tam arctè complectatur: in promptu eſt reſponſum, propter ſingularem uxoris cum marito conjunctionem & nexum incomparabilem. Nam ſi ex filio vel etiam ſervo benè inſtituto honos ad parentes aut dominos redeat; quanto magis ex uxore? Unde etiam fit ut ſæpe videamus maritos ignavos & ſceleribus coopertos, in gratiam uxorum, quarum viribus reſplendent, melius & mollius quàm eorum conditio ferat, tractari.

Quod vero coronam apellet viri uxorem probam & prudentem; eo docet non tantum illam virum cohoneſtare; ſed omnium ornamentorum ſummam & maximè pretioſum eſſe. Si enim annulum tantum præſtitiſſet, magno tamen foret viro.

viro ornamento! Si torquem aureum expreſſiſſet, majorem gloriæ cumulum deſignaſſet: cum vero coronæ decus & dignitatem capiti ejus adjungit, illum honorem notat quo nullus major afferri poterit. ex quo illud etiam manat, quo loco habenda & quanti facienda uxor officioſa. Apud. 1. Petr. 3. comparatur vaſi lecto admodum & pretioſo, ſed fragili & caduco: cui ob eam rem honos quidam habendus erit, ne rudi & durâ ejus contrectatione rumpatur. Hoc autem in loco coronæ comparatur, quam plurimi faciunt, qui illa redimiti incedere poſſunt. Videmus enim quàm tutis cuſtodibus & fidis hominibus regni corona aſſervanda traditur. Quamobrem proba uxor cum corona ſit, non ex auro aut argẽto facta, aut gemmis inſitivis diſtincta; ſed ex pietate, caſtitate, prudentia quæ cœlitus ex Dei in cœlis theſauro depromuntur, tãto majorem ejus curam agere par eſt quanto poſterior hæc corona perituræ infinitis gradibus præponitur.

Huic fœminæ opponit aliam quæ marito probrum affert ſua laſcivia, inſcitia, levitate, intemperantia, ebrietate, avaritia aliiſque defectibus, quibus illius ſexus imbecillitas obnoxia eſt. Prior corona fuit; hęc maritum ſuum velut ſtigmaticum apud omnes reddit; prior honorem viri auxit; hæc honore affecto multum detrahit. Hoc tametſi grave per ſe ſit & plenum moleſtiæ, tamen mulieris improbitas in hac mariti ignominia non acquieſcit; ſed ut illum palàm pudendum reddit, ita inteſtinum in ipſis viſceribus & oſſibus malum ſecum ſubinfert. Nam partim publica infamia, partim vero domeſtica procacitate & pertinacia in maritum, ita virum cruentat, ut doloribus & angoribus oſſa deſiccentur, unde putredo & mors certa conſequitur. Hujus exemplum conſtat primo cap. Eſth. ubi Vaſthi recuſatio ad regẽ accedere regnum plus obſcurabat, quàm illi tam infiniti ſumptus, convivia, & ſympoſia ornarunt, quæ rex ad honoris ſui amplificationẽ inſtruebat; Hinc etiam ſequitur piam & prudentem fœminam non tantum foris decus & dignitatem marito adjungere; ſed inſtar jugis eſſe convivij quo intus & in animo recreetur, & ad omnia ſua munia commodius obeunda exhilaretur. Ex quibus omnibus illud porro efficitur, quanta cura & ſtudio hominibus incumbendum ſit, precibus apud Deum, cauta & circumſpecta converſatione erga homines, ut conjugis optimum delectum habeat.

V. 5. *Cogitationes juſtorum [ſunt] juſtæ, aſtuta conſilia improborum, doloſa.*

In vocibus משפט (*judicium*) & מרמה (*dolus*) eſt metonym. adjunct. quæ tamen etiam emphaſi non caret.

Hoc proverbio ut pleriſque aliis diſparantur, & diſcernuntur ab improbis juſti; ut agnito Dei in ſe amore per Spiritus ſancti in cordibus eorum operationem, conſolationem & gaudium percipiant, Deoque ex tanta largitione gratias agãt: illi vero perſpecta damnatione in qua ſepulti jacent conſternati ſolicitè remedium quærant. Quod quam utile hominibus ſit inde ſpectatur, quod pij propter adhærentem illis communem peccati labẽ, & multiplices qui inde pullulanr fructus ſæpe de ſua conditione in diſcrimen adducuntur: contrà impij ſibi peccati deceptione adulantes, damnationem, cujus in faucibus ſunt, procul opinione ſua, à ſe propellant. Diſcernuntur autem & diſcriminantur, non (ut ille præcepit) quinque pedum ſepto; ſed longè maximo intervallo. Hoc autem proverbio diſtinguuntur, ſuis interioribus & intus delireſcentibus effectis, cogitationibus ſcilicet.

Quamobrem illud comprimis obſervandum, hominum officium eſſe ſui ipſorum notitiam petere ab ipſis cogitationibus;ut quales ſint, boni aut mali, juſti aut injuſti dijudicent. Sunt etenim & cogitationes arboris fructus, ex quibus de arbore judicium legitimum feratur. Alij equidem non niſi de externis operibus, dictis aut factis qualis quis ſit cognoſcere queunt: ſed nos de nobis ipſis non tãtum ex operibus externis,ſed etiam ex inteſtinis ſtatuamus. Quinimo ex cogitationibus quæ per inſomnia exiliunt conjecturam faciamus quo animo ſimus erga Deum, quo erga proximum. Quamobrem piorum eſt cenſoria virgula ſuas per ſomnum cogitationes, ſi malæ & uitioſæ ſunt,percutere ut illis etiam ad humilitatem erudiantur: ſicut contrà ex bonis ad Dei benignitatem prædicandam erigi & excitari. Deinde notandum piorum cogitationes quæ primæ naſcuntur & exſurgunt ad judicium&juſtitiam ſpectare. Sicut enim ex depravata & inſita nobis peccati labe, priuſquam virtute ſpiritus in Evangelio renaſcamur cogitationes emanant ſuis genitoribus non abſimiles, Gen.6.5.ſic illa labe repurgata per Spiritum, omnis generis fructus analogos proferimus. Hinc refellitur eorum error qui putant cogitationes liberas eſſe, & quod dicunt) vectigal non pendere. In civili quidem & Eccleſiaſtico fore non ſiſtuntur; ſed ad tribunal Dei comparere adiguntur. Daniel & ſocii ejus cum intelligeret in menſa regis Babylonij ſibi inſidias ſtrui illico apud ſe cogitabant ſeipſos ab illa pollutione ſervare. Nec tamen hæc eo dicuntur ac ſi cogitatioues pravæ non ſubeant juſtorum mentes, ſed ut huc contendant pij, ut mundo etiam corde ſint, Math. 5.

Prudentia conſilia improborum &c. Non tantum ſubito pullulantes cogitationes, ſed quos ſolertia & meditatione adhibita concoxerunt ad dolum referuntur & ſpectant. Quaſi dicat, juſtorum primæ cogitationes vitioſæ ſint; tamen cum illas penitius conſiderant, retexunt nec pergunt: cum improborum cogitationes ſemel conceptæ confirmentur; & cum ad deliberandum de re quapiam accedunt, eo ſunt peiora eorum cogitata&conſilia. Nam cum quidquid conſilij capiunt, non aliundè petunt, quam ex depravata & corrupta ſua mente, neceſſe eſt ea quæ ex radice tam amara naſcuntur eundem ſaporem retinere quem illud habet unde ortum ducunt. Ex quibus illud etiam liquet,juſtorum deliberationes & conſilia quæ ſumpto ſpatio captant, plus reſipere & redolere judicium, quàm fortuitæ cogitationes quæ facilè declinare poſſunt.

V.6. *Verba improborum inſidiantur ſanguini, os autem rectorem eripit illos.*

In voce פי (*os*) eſt meton. ſubj. pro verbis oris Idem eſt ſcopus huic proverbio qui fuit priore ut diſcrimen ſtatuat inter juſtum & injuſtum,id;q́ rebus his ex quibus vulgus hominum diſcrimen boni &mali non petunt. Nam utquiſque ſibi magnam in cogitando libertatem vendicat, & ea ex parte ſe ἀνυπεύθυνον ducit; ſic & in verbis & ſermone magnam ſibi impunitatem promittit.Verba enim dum ſunt, quæ ventum & halitum vocant, vix adduci poſſunt ut credant, ex illis reatum naſci. Cum tamen Chriſtus ut huic errori occurrat, plane affirmat de omni verbo otioſo ponendam eſſe rationem. Hinc eſt quod cogitationes & verba his duobus proverbiis, præteritis factis quæ ab omnibus, ſi mala ſint, damnantur, reprimat & conſtringat. Hujus autem rei judicium petit non ex primæ tabulæ violatione; quod omnes fere verbis & lingua Deo appropinquare videri volunt,ut difficilius

ex

ex ſermone eorum impietas deprehendatur. Cùr verò ex ſerto mandato hujus rei judicium quærat potiùs, quam ex aliis ſecundæ tabulæ mandatis; cum tamen ſæpiùs in alia mandata ab hominibus in ſermone impingatur, maximè vanitate & mendacio: Reſp. diſcrimen aptiſſimè hic ſumi quod nuſquam ſe magis prodit impius, quam in ſuam linguam adverſus juſtum & pium ſtringendo; idq́ue non ut bonis aut famâ eum evertat, ſed ut vitam ei eripiat. Equidem alios, perinde ut ipſe eſt, improbos linguâ impetet: ſed pios & juſtos ſingulari quadam ratione odit. Vide teſtimonia ex ſcrip. Rom. 3. Vide etiam Pſal. 37. 12. quomodo improbi dentibus frendeant.

Inſidiantur autem ſanguini ore ſuo, dupliciter: ſc. vel ut vitam tollant
- *diviſim*
  - *præſentem*
  - *futuram.*
- *conjunctim utramque.*

Nam inſidiatur improbus vitæ juſtorũ & ſanguini animarum, dum illum conatur ad ſuæ improbitatis ſocietatem adjungere; quod periculi plenum eſt. Quod ſi non efficiat tum præſentem vitam adoritur impatiens morum & converſationis illius quæ in ſummo etiam ſilentio nequitiam ejus coarguit, & omnibus odioſam reddit, Vide Ioh. 1. 3. 12. Eſt ubi unâ eademq́ue operâ utrique inſidiatur, nempè cùm illum ad hujuſmodi ſcelus pellicit, cujus perpetratione capitis apud magiſtratum, & animæ apud Deum reus agatur. Prioris exemplum eſt in Phariſæis, qui primo omnibus modis id agebãt ut Baptiſtam ab officio ergaChriſtum abducerent. Cum illud efficere non potuerunt vitæ ejus inſidias ſtruebant, ſicut ex Chriſti teſtimonio Math. 17. conſtat. Poſtremarum inſidiarum exemplum eſt. Prov. 1. 11, 12, 13, 14.

Ex his liquet quid ſit juſtorum officium prioribus illis maleficiis penitus adverſum. unde priùs fons vitæ & arbor vitæ appellatur os juſti. Quorum exempla ſunt in Reubene qui fratres ſuos hortatus eſt ne fratri vim inferrent: in Daniele qui ſe & ſocios à morte exemit: Ebedmelechi qui os ſuum pro Ier. aperuit. Vide Prov. 24. 8, 9. Quamobrem danda juſtis opera ne improbi ad effundendum ſanguinem paratiores inveniantur & magis ſitientes, quàm illi ad homines periclitãtes è mortis faucibus extrahendum.

V. 7. *Evertunt ſe improbi ita ut non ſint: familia autem juſtorum ſtabit.*

In voce בית (*domus*) eſt meton. ſubject. pro adjunctis hominibus. In יעמוד (*ſtabit*) eſt ſynecd. ſpeciei, nam ſtandi vocabulo omnem firmitatem intelligit.

Everſio hæc, quam Propheta improbis denunciat, externa eſt, & quam Deus hoc præſenti ſæculo exequitur; non illa quæ poſt hanc vitam futura eſt. Quod ex adjunct. hujus everſionis liquet (*ut non ſint*) Nam interitus qui eos cùm expiraverint, ſequitur, improbos tollit.

Deinde ex altero hemiſtich. illud apertè ex adverſis confirmatur. Nam cùm pœna huic prœmio adverſa, & adverſus impios ejaculata nõ niſi hujus vitæ terminis contineatur; erga pios promiſſionem gratuitam iiſdem ſpatiis circumſcribi palam eſt. In futuro enim ſæculo nulla ratio eſt familiæ propagandæ, aut extinguendæ. Sicut enim ibi non eſt maritus aut uxor; ſic non eſt pater aut filius, avus, aut nepos, &c. Ex quo conſequitur Spiritum ſanctum in ſcripturis præſentis ſæculi fœlicitatis promiſſione pios ad pietatem colendam extimulare; & impios incommodorum in hac vitâ comminatione ab impietate ſuâ abſterrere. Quâ in re

re Dei conſilium obſcurũ non eſt. Nam cùm pii non ita ad futuram vitam aſpirent, quin & præſentis rationẽ habeant, & ut illis in terrâ bene ſit præoptant, Deus, hac præſentis vitæ commodorum promiſſione, illos in officio confirmare voluit,& eorum ſtudium exacuere: Improbi verò cum toti in præſentis vitæ fœlicitate defixi hæreant, hac Dei comminatione meritò abſterriti ad frugem, & officium revocentur. Nam utut futuræ vitæ cupiditate non ducantur, tamen ut illis hoc ipſo in ſæculo conſulatur, videndùm, ut à præſcripto Dei verbo non diſcedant. Quæ res una quantam habet vel etiam apud improbos vim eos in officio continendi, declarat ſatis Sadducæorum exemplum,qui ob eam rem duntaxat legis Moſaicæ ſtudioſi erant ut illis hoc modo,& præſenti vitâ bene foret & abundè proſpiceretur. Quâ in re Deus clementiſſ. pater parentum erga ſuos tenellos liberos prudentiam ſimul cum indulgentiâ imitatur,qui illos,ut in officio maneant,non tantùm hæreditatis promiſſione; ſed rerum leviuſcularum pollicitatione pelliciunt; earum præcipuè,quibus illos capi & oblectari intellexerunt.

Deum hoc loco ſubintelligi oportere qui improbos evertat, facilè colligitur, cùm quod omnia adminiſtrat quæ in mũdo eveniunt, tùm etiam ex adverſâ antitheſi. Nam cùm nemo familiam ſuam ſtabiliat,ne juſtiſſimus, niſi quoad à Deo firmatur, certum eſt familiarum everſionem à Deo improbitatis vindice promanare. Hùc facit quòd pœnæ pro peccatis ſumptæ Deo tanquam juſtiſſ. mundi judici tribuatur; non autem impiis ipſis,qui pœnam, quantum in ſe eſt, averſantur. Quò etiam ſpectat quod in preſſis & contractis ſcripturæ ſententiis, ubi aliquid neceſſario intelligendum ſit, ad illa præcipuè recurrẽdum eſt quæ ſint maximè obvia, & quæ minimè omnium exceptionem admittunt. Ex quo illud colligitur Deum autorem eſſe everſionis & excidii improborum in hoc mundo, id eſt, ſupplicium peccatis juſtum & debitum illi tanquam mundi judici juſtiſſimo acceptum ferendum. Quod non tantùm ex variis ſcripturæ teſtimoniis elucet (ut quod non ſit malum in civitate,quod dominus non fecit; &c.) ſed ex adverſâ conſtabilitione juſtorum: quam cum à domino profectam eſſe omnes agnoſcunt, idem in improborum everſione uſuveniat neceſſum eſt. Quamobrem in improborum interitu & in bonorum cõtinuatione,& ad multas ætates prorogatione,oculis ab his deflexis qui utriuſque inſtrumenta fuerunt, illos in Deum conjiciamus tanquam juſtitiæ hinc,iſtinc vero miſericordiæ fontem.

Cum everſionem propriam improborum deſignet, obſervandum eſt Deum tanquam fulmine tactos illos conficere: non illos levi brachio ferire; ſed exertâ manu: non uno aut altero digito talitrum; ſed pugnum illis impingere:atque aut ad illud veniamus quod hujus loci magis proprium eſt, non tantum culmen & tectum deturbare, ſed penitus totum ædificium ab ipſis fundamentis convellere. *Huc refertur locus Prophetæ ubi dicitur pios à Deo percuti veluti in ramo, aut pampino: improbos verò cædi veluti in radice.* Vide porro hoc diſcrimen Iſa. 27. 9,10. Malach. 3. 19. non relinquet ramum aut radicem. Vtcunque igitur hominum etiam ſummorum gratiâ fulciantur,amicorum præſidiis muniantur,pecuniarum vi ſtatuminentur; tamen ſe ab everſione vindicare nequeunt, & extremâ demolitione. Deus enim qui illam minitatur & efficit, potentior eſt, quàm ut illi quiſquam obſiſtat. Quamobrem utcunque hominibus, etiam piis aliquando,ita firmari & fixas radices habere videantur improborũ familiæ; tamen ſunt

re.psâ

reipſâ veluti domus aranei, & veluti tugurium quod fecit cuſtos, Iob. 27. 18. Sed quod ſequitur gravius eſt cum addit ita deturbari eorum familias ut non ſint. Nam ædes funditus diruuntur, quæ poſt denuo extruuntur & inſtaurantur. Deinde arbores radicitus extirpantur, quæ poſt tranſplantatæ fœlicius proveniunt. Sed improborum familia ita demetitur, ut nunquam Deus pulveris eorum miſereatur: ita eradicatur, ut nunquam poſt radices agat. Hujus exempla pete ex impiis Iſraelis regibus. unde Pſal. de Doego 52.8.

Mutuam operam ſibi inter ſe in ſui probatione & confirmatione præbent utraque hemiſtich. Nam quod domus & familia juſtorum permanet, argumento eſt improbos ſubvertendos: ut contra indicio eſt juſtorum familiam ſuperſtitem fore quod improborum nullæ ſint reliquiæ. Quod quidem verum eſſe docent exempla Abrahæ, Davidis, &c. Eoque magis admirabile hoc eſt quod improbornm familiis everſis, quæ nunquam à piis ferè ad interitum quæruntur: piorum tamen familia ſtet, quamvis ea ad mortis pœnam ab improbis aſſiduè depoſcatur. Magis adhuc hoc illuſtratur quod impiorum plerumque numeroſa proles, quæ ſpem faciunt futuræ poſteritatis, ſnbito è medio tollitur: cum piorum poſteritas ab unici filii tenuiſſ. filo ſuſpenſa teneatur; qui tamen ita fœcundus redditur ut ab illo ſolo gens ſæpe enaſcatur & ſuppullulet. Huc accedit quod piorum uxores grandiuſculæ ætate, & ſteriles compertæ multos annos: improborum contrà fœminæ fœcundæ ſimul & juvenes extiterunt. Vide hinc exemplum Achabi & aliorum; iſthinc Abrahæ, Iſaaci, Iacobi, Annæ matris Sampſonis, &c. Denique notandum eſt has, cum erga juſtos promiſſiones, tum erga improbæ comminationes (quod de rebus caducis ſint) non in univerſum perfici à Deo; ſed quoad gloriæ Dei, & ſaluti piorum interſit. Nam fieri poteſt ut ſtirps piorum (ut Salomonis & Ioſiæ) extirpetur: cum tamen improborum familiæ in plures ætates & ſæcula extendantur. Verum hoc ipſum, ut piorum bono fit, quorum ſteriliras aliis beneficiis compenſatur, Iſai. 56. 45. ſic impiorum malo etiam in hac vitâ fit, cum illis poſteritas propagatur ut ſint Proverbio apud omnes ob mendicitatem, ut Pſa. 109. aut turpes & fœdos morbos ut de Ioabi poſteris traditur, 2. Sam. 3.29. Aliquando etiam non tantum ſuo malo propagantur diutiùs, ſed piorum ſingulari commodo Pſal. 59.12.

Verſ. 8. Pro ratione intellectus ſui laudabitur vir: ſed perverſus animo erit contemtui.

Hoc Proverbio refellitur eorum hominum error quæ rei cujuſque bonitatem ex proſpero ſucceſſu, & bono, in ſpeciem eventu, vel opinione aliorum metiuntur: unde eos demùm collaudant quibus res ex animo ceciderunt, & illos damnant quibus pro voto res non ſuccedunt. Hunc tamen errorem redarguit quòd rerum bonitas non ex eventu ſed cauſis judicanda ſit. ut ſi ex ſano & ſalutari conſilio profectum quid ſit, illud laude dignum habeatur, & laudem tandem conſequatur, quodcunque ſeu periculum ſeu damnum inde proveniat. Contrà callida & vafra conſilia tametſi popularem auram conſequantur, & magni aliquid conſultoribus polliceri videantur, tandem tamen deſpectui & ignominiæ fore. Nec enim hoc Proverbio ſermo fit de laude & ignominiâ quæ hominibus pro merito debetur, ſed quæ tandem re etiam præſtatur; utcunque ad tempus occultetur

& deliteſcat, aut etiam contraria oſtententur. Hoc igitur in loco non quivis intellectus deſignatur, ſed quam Spiritus ſanctus verbi prædicatione interveniente in animo creavit. Quandoquidem nihil veram laudem (qualis in hoc loco intelligitur) promeretur, niſi quod à laudato illo fonte promanat. Vide Pſal. 119. ubi ſe verbo Dei prudentiorem principibus, ſenibus, inimicis affirmat. Deinde intellectus non is notatur qui intus in animo clauſus & tacitus tenetur; ſed qui certis effectis declaratus in oculos & aures aliorum erumpit. Quomodo enim ab hominibus laudem promereatur id quod ad eorum notitiam non pervenit.

Huius autem Proverbij duplex uſus exiſtit { *prior alios reſpicit* / *poſterior nos ipſos.* }

In priore conſiderandum eſt, ſi quid ab aliis geſtum ſit, quod ſuâ naturâ improbum non ſit, ne ad ejus condemnationem ſubito aſſentiamus, quod Deus illam rem non modo nulla benedictione proſequitur, ſed porro infortuniis oneret maximè verò ſi actio à Deo ſit imperata, inhibenda eſt pruriens de illa maledicendi libido quod illa actio comites habet nonnulla incommoda, quæ illam ſuâ innocentia ſpoliare videantur. Nobis ipſis plurimum profuerit, ut, cùm rectè facta in malevolorum hominum reprehenſionem incurrant, quod illa ſucceſſum non tam fauſtũ & fœlicem adepta ſint, nobiſcum reputemus illa prudenter ex Dei præſcripto ſuſcepta eſſe, eoque non dubitandum quin Deus aliquandò exitum dabit nobis preoptatum; tantoque majore laude cumulandum eſſe, quanto multorum ex ea re in nos conjecta ludibria experti ſumus. Nam cum teſte Sal. Eccl. 9. omnia nobis exterius, ut improbis obtingunt; hinc tamen noſtra omnia ab improborum factis, & ſtudiis facilè internoſcemus, ſi quæ facimus ex intelligentiâ, id eſt verbi præſcripto adminiſtrata fuerint.

Si quis de Abrahæ profectione ex patriâ ſuâ ſtatuere velit, quem fames urgebat in illa ipſa terra in qua advena erat; ſi de Iacobi à Labane in patriam reditu, qui & periculis, & incommodis circumſeptus fuit; Si Iſraelis prœlium primum adverſus cives Aj deinde adverſus Benjamitas ex illorum prœliorum initiis quis æſtimare velit, videbuntur illi ſtultitiæ & inconſiderantiæ ſimul inſimulandi & damnandi ab omnibus: ſed tandem omnes iſti, ut ſemper in ipſis profectionum & præliorum initiis laude digni; ſic in exitu & extremis laudib. cumulati fuerũt, quod ex peritia & ſcientia ſacrarum ſcripturarum, & Spiritus ſancti inſtinctu hæc ſuſcepta ſunt. Hîc Mordechai exemplum locum habet, qui quod in os reſtitit Ammoni ſumma autoritate pollenti, inſcitia damnari poſſe videatur: ſed ſi ex verbo Dei æſtimetur hoc ejus factum quod divinum honorem nemini, nedum tali hoſtui cum tota ipſius gente bellum ἄσπονδον à Judæis inferendum indixerat Deus) quid tandẽ in eodem deſideratur, quod viro ſapiente dignum ſit? Contrà ſi Aſſyriorum & Babyloniorum prœlia, qui integra regna vel ipſo adventu, & aſpectu tantum ſubjugabant, ex eventu, non autem ex conſulto in illis bellis ſuſcipiendis, & prudenti conſilio æſtimare, & cenſere, quis velit, quæ illos laudibus efferant videre ſibi videatur; qui tamen ob ſuam ambitionem & inſatiabilem avaritiam, tanquàm voragines, ab omnibus ſani judicij hominibus damnandi ſunt. Tametſi vero ſplendor eorum & imperij dignitas illos à contemptu ad tempus vindicavit; tamen illa dignitate & ſplendore exuti & abdicati omnibus contemptui habentur.

Sunt porro alij quibus hoc Proverbiũ convenit. Nam plerique inveniuntur qui illas

illas rationes ineunt, quibus tanquam inflata tuba, illorum in pauperibus reficiendis profuſio innoteſcat. & hi quidem ad tempus in pretio ſunt& ab omnibus prędicantur, cum tamen hæc in pauperes erogatio ab intelligenti animo profecta non ſit. ob eamque cauſam veniet tempus, luce Euangelij tenebras ignorationis diſſipante, cum iſtiuſmodi homines contemptui futuri ſunt. Contrà vero hi qui jubente ſcriptura, portiones ad pauperes mittunt, & illam in ſubveniendis pauperibus gloriolam non ſectantur, ſed prudenter, prout conditio fert, largitionem faciunt, tametſi aliquandiu contemptui habeantur; tamen tandem debita illis ex verbo laude afficientur. Omnes Mordocheum primo aſpectu damnant, quod Hammoni in os reſtitit; ſed quia ex ſcripturæ placito rem omnem moderatus ſit, tandem ex ea re ſingularē laudem conſequutus eſt. Quod ſi minus ab hominibus fiat, at certè à Deo; ſi non in hoc ſæculo, at certè in futuro hæc remuneratio erit: à quo demum laudari & encomiis ornari glorioſum erit; ſicut contra ab illo deſpici & vituperio notari turpe ducendum eſt, 2. Cor. 10. ult.

Poſteriore parte docetur eum qui ex verbo Dei ſua aut dicta aut facta non dirigit, utcunq; initio ab hominibus laudē conſequatur, tamen tandem contemptui fore: ut Siba qui mentiendo hærilem hęreditatem nactus eſt pro prudenti habitus; ſed poſt omni poſteriſtati exoſus eſt.

V. 9. *Melior* [*eſt*] *qui agnoſcit ſe vilem & ſervum habet, eo qui ſe extollit honore & deficitur cibo.*

In vocibus לחם (*panis*) & עבד (*ſervus*) eſt ſynecd. voce עבד intelligit res ad vitam commode & honeſtè degendam idoneas. Voce autem לחם res illas ſine quibus vita hæc nullo modo, nec incommodè tolerari poſſit. Servus enim eſt adminiculum hujus vitæ, quo quis carere, tametſi incommodè, poteſt. Panis vero ſeu victus hujuſmodi eſt ut illo deſtituti vitâ excedere neceſſe habeant.

Scopus igitur hujus Proverbij eſt, ut doceat modeſtum, & moderatè de ſe ſentientem commodiùs hanc vitam tranſigere quàm qui altos ſpiritus ſumentes ad illa aſpirant quò, cùm non pertingunt, rebus omnibus quibus vitam hanc tolerent deſtituuntur. Contrà quàm homines apud ſe cogitant qui rebus magnis, ſe ingerentes, fore ſperant, ut præcipui aliquid, & magni conſequantur.

Quod quis de ſe modeſtè ſentit& ſubmiſsè in cauſâ eſt ne ſe altiora quærat; ſed communi ſorte contentus nil proprium aut ſingulare ſectetur. Hinc fit ut, cùm non plura amplectatur, quam quæ quaſi pugno ſuo contineat atque premat, illa cùm minore difficultate aſſequatur, tùm parta aſſervet. Nam cùm vires & operæ noſtræ ad plura diſtractæ latius ſe extendunt, minus comprehendere, & ſibi acquirere dignoſcuntur. Quamobrem danda opera eſt, ne cupiditates nimis laxas & diſcinctas geramus, quibus in immenſum creſcētibus, fit ut his deficiamur, quibus bajuli potiuntur: unde cruciatus naſcitur incomparabilis, cùm quòd inexplebili cupiditati non ſatisfiat, tum vero etiam quod iſtis caremus quę naturæ neceſſitas poſtulat. Vide Iſa. 5. ubi inhiantes alienis agris & ædificiis tandem ad ſummam penuriam rediguntur; uſque eò ut etiam ſtipem petere coacti ſunt Lam. 5. Hujus autem Proverbij veritas utraq; ſuâ parte in duobus regibus illuſtratur, patre & filio, Ioſiâ & Ieconiah. Nam alter veſtitu & victu commodo & convenienti contentus iiſdem perfructus eſt; cnm filius inexplebili quadam multa habendi & conditionem ſuam ampliandi

cupiditate ductus ob eam ipſam cauſam ad ſummam inediam detruſus erat, cùm captivus Babylonem deportaretur. Vide exemplum Abſalonis & Adoniæ qui ſe efferentes magno ſervorum comitatu cõparato tandem in ſummam miſeriam inciderunt.

Hæc vanitas in noſtræ ætatis hominibus reperitur. Videas enim fœminas quæ ſe tam delicatè veſtiunt, & eo comitatu ſtipatæ utuntur quò ſe venditent, ut interim maritus atro pane & heſterno jure ſe paſcere cogatur. Viri autẽ plerique ſunt, qui, ut ſtemmata ſua & nobilitatem tueantur quam habent aut quã non habent, veditent, tantos ſumptus faciunt tum in ſatellitibus alendis, tum in veſtitu exquiſitiore comparando; ut inde gravi ære contracto in carceres conjecti per famen & inediam pereant.

V. 10. *Curat juſtus vitam jumenti ſui: miſerationes autem improborum ſunt [miſerationes] crudelis.*

In אבורי (*jumenti*) ſynecd. numeri in יורע (*agnoſcit*) metonym. adjuncti.

Aliud diſcrimen ſtatuit inter juſtum & improbum, quod petitur ex ſexti mandati explicatione quæ utramque partem obſequii & tranſgreſſionis comprehẽdit.

Et primùm mandati obſequium in eo collocat, ſi quis jumenti vitam curet, & ne quid damni accipiat, ſolicitus ſit. Peregrinum fortè videri poſſit quod mariti jumenti ſeu curam ſeu neglectum ad ſexti mandati fontem referamus, quod totum in perſonâ proximi tuendâ conſumitur, ſub cujus proximi complexu jumentum comprehendi nequit. Sed notandum erit in præceptis contineri non tantùm ea quibus illa directè ſervantur, aut violantur, ſed & illa quæ ad hanc obſervantiam ſeu tranſgreſſionem referantur. Deus enim ſua mandata certis quibuſdam ſepibus circumducit, quarum præſidio non tam facilè perrumpantur. Atque ut ſeptum & maceries quâ prædium circummunitur prædii nomine cõtinetur, & cum ipſo prædio in unum aliquid coaleſcit: itidem fit in mandatis Dei & his quæ ad mandata obliquè referuntur. Quamobrem tametſi ſævitia in bruta animalia non propriè aut proximè perſonam hominis attingat, tamen quia his initiis ad crudelitatem in homines itur, non incommodè hæc in belluas crudelitas inhumanitatis cujuſdam peragitur. Huc ſpectat illud de non accipienda matre cum pullis, & de non coquendo hœdum matris lacte. Item illud: Non alligabis os bovi, Deut. 25.4. Iumentum Balaami ſemel in omnes ætates os aperuit, ut illo ſuo ſermone damnaret omnẽ in muta jumenta ſævitiam. Hinc eſt ut Exod. 23. Deus noſtræ in proximum caritatis experimentùm conſtare vult in illâ quæ erga aſinum aut bovem in ejus præſtatur ſubventione. Deus porrò apud Ionam cum ſuam miſericordiam hominibus teſtatam relinquere voluit, inter alia ejus miſericordiæ indicià hoc allegat quòd in urbe Ninive jumenta tanto numero inventa ſunt, Ion. 4. 11. Nam, ſi quis conſcientiâ divini mandati ad cruentandum jumentum tardior fuerit, eum certè ad hominem violandum multò magis averſum & alienum habebimus.

Porrò ex hujus unius mãdati περιβόλῳ, quo circumvallatur præſtans, & eximia regula erumpit, quæ nos cautos & circumſpectos reddat in totius legis obſervatione, ſcil. ut quàm longiſſime recedamus â peccati finibus; nec illud non modò non manibus & ſinu geſtemus, ſed nec minimo digitulo attingamus. Iud. 23. *μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα.* Quamobrem juſtus dabit operam non tantùm ut craſſa & in om-

nium

nium reprehenſionem iucurrentia peccata declinet; ſed illa etiam quæ tenuiora ſunt, quam ut vulgus hominnm dignoſcat non tantùm trabes; ſed feſtucas; non tantum camelos; ſed culices: Non tantùm ut graviora legis obſervet; ſed mentham etiam decimet. Hùc accerſe quod Luc. 16. ſcribitur fidelem in minimo & maximo fidelem ſe præſtiturum. Davidis exemplum hîc iliuſtre eſt, quem conſcientiâ propria ob eam rem perculſit, quod modicum veſtimenti Saulis præſciderat.

In poſteriore hemiſtich, docetur longè aliam eſſe improborum conditionem. Nec enim in his tantùm crudelitatem exercent, quæ omnium ferè hominum judicio damnantur; ſed & his ipſis à crudelitate & ſævitiâ non recedere in quibus cum ſibi tum aliis miſericordiam exhibuiſſe putantur. Sic Pharao ſibi & aliis perquàm humanus viſus eſt, quòd tandem populum cum liberis dimittere & manumittere acquievit, exceptis modò armentis & gregibus: ſed Moſi & aliis rectè judicantibus parum ex re Iſraëlitis conſuluiſſe viſus eſt, quibus ne ungulam quidem in Ægypto relinquendum erat. Sic Gamaliel omnibus pœnè, etiam plæriſque bonis viſus eſt in apoſtolos mitis & manſuetus fuiſſe; cùm eos non morti tradi, ſed flagris cædi acquievit. Hoc in Pilato clariſſ. cernitur. Nam, ut Chriſtum morti eximeret loris cædendum tradidit; cum hoc ejus callido & crudeli conſilio utramque & flagrorum & mortis pœnam Chriſtus lueret. Hujus generis ſunt qui in pauperes cõtümelioſi eleemoſynas ſuas conferunt. Fit enim ſæpius ut plus triſtitię pauper ex cõvitiis accipiat quàm conſolationis ex erogatâ pecunia.

Verſ. 11. *Qui colit tellurem ſuam, ſatiatur cibo; qui verò ſectatur vana, [eſt] demens.*

In עבר ארכהר (*colens terram ſuam*) ſynecd. ſpeciei unius ejuſque principis vacationis legitimæ pro toto genere juſtæ & laudatæ vocationis, ut ex appoſito mẽbro conſtat, in quo agricolis otioſos & vanos generaliter opponit. In לחם (*pane*) eſt etiam ſynecd. membri pro integro.

Scopus eſt ut abſterriti ab otio & vanis occupationibus ſeſe omnes in legitima & lege Dei cõceſſa vocatione exerceant.

In priore parte duo habentur { *offitium,* / *præmium,* }

In officio primo requiritur ut ſe labori dedant. Idem omnibus ex Adami lapſu Dei mandato incumbit, Gen. 3. 19. Item 1. Theſſ. 4. 11. monet Apoſt. propriis manibus laborandum. Huc referuntur quæ adverſus otium Sal. ſcribit. Hoc mendicos & mendicorũ principes fratres mendicantes, monachos &c. convictos tenet.

Deinde illud requiritur ut non tantùm operentur; ſed operæ pretium faciant, & ſe honeſta arte & occupatione exerceãt: ob eam cauſam exemplum ſtatuit in terræ cultu, quæ occupatio omnum prima & antiquiſſima, ſimul etiam in his quæ corporis viribus gerũtur, præſtãtiſſ. Hanc πρωτίπλαςος, hanc Patriarchæ, hanc reges ampliſſ. exercuerunt. quod expreſſe de Vzziah memoratur. Huc ſpectat Apoſt. teſtimonium ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν ταῖς χερσί. Eph. 4. 28. Hac clauſulâ damnantur uſurarii, qui cùm propriis pecuniis negotiari poſſent, tamen ut ſuo cùm otio, tùm certis commodis proſpiciant, ſe totos fœnerationi dedunt. Hùc accerſantur omnes cùm mercatores, tum artifices qui in Apocal. ululantes inducuntur, quique meretricis Babyloniæ ſpirituali ſtupro & luxui, ſuis & negotiationibus & artificiis olim miniſtrarant. Hùc referuntur omnes hyſtriones & muſici errones qui hinc inde obambulant. De-

nique omnes qui earum aut voluptatum aut ludorum miniſtri exiſtunt.

Teſtium eſt in hoc hemiſt. quod ſuum & proprium agrum colere debent, ſi adnexæ promiſſionis participes eſſe velint, neque falcem in alienam meſſem immittere. Sunt enim qui ita in opere obeundo occupantur: ut etiam περιεργαζόμενοι ſunt. Plerique enim ſunt qui relictis propriis negotiis, & quæ illis peculiari quodam officio incumbunt ut aliorum negotia procurent. Hujus generis ſunt qui munera & officia in republ. captant quibus adminiſtrandis familias ſuas deſertas eſſe patiuntur. Hujus generis ſunt miniſtri nõ pauci apud nos, qui relictis propriis gregibus, ad aliorum greges paſcendum tranſvolant idque civiles; inde ſe ut verè ἀλλοτριεπισκόπους prodentes 1. Pet. 4. 15.

Quod ſi quærat aliquis quomodo ſervi hoc pręceptum ſervent, qui nullum ſuum & proprium agrum habent aut ſi habeant ei tamen colendo vacare nequeunt, quod herorum agris adſcripti ſint, quamdiu illis ex pacto inſervire tenentur. Reſp. heri agrum rectè ſervi agrum cenſeri, quòd illi ejus cultus ex Dei præſcripto incumbat.

Sequitur promiſſio cum bonis omnibus, quæ ad vitæ præſentis conſervationem neceſſaria ſunt, *ſatiandum eſſe*, id eſt, Deum ita benedicturum ſuis laboribus, ut undè commodè vivat, illi defuturum non ſit. Hoc promiſſum videtur illa comminatione comprehendi qua Adamo denunciatur illum in dolore & labore manducaturum panem ſuum: quo ſubindicat his moleſtiis obeundis eum hãc miſeram vitam toleraturum. Paulus amplius aliquid & prolixius polliceri videtur, Deum non tantum quod laborantis deeſt abundè ſuffecturum; ſed porrò quò aliis indigentibus largiatur ſuppeditaturum Eph. 4. 28. Notandum autem hoc loco Deum promiſſum hoc loco ad officij præcedentis rationem accomodare. Nam tametſi ſæpius ſub lege, præſentis vitæ commoda, futuræ etiam fœlicitatis adumbrent atqne obſignent; tamen hæc quæ hoc loco promiſſio ſit hujus vitæ commoditate definite ad inſequentem poſt vitam ſe non diffundit, Nam cum officium quod hoc verſu delineatur perinde & bonis & malis commune ſit, nec probum ab improbo, ut pleraque alia officia, diſcernat; præmium quod præſtituitur, ejuſdem generis eſſe efficitur (videndum tamen annon ſatiari pane propriũ ſit juſti viri, quòd patris acquieſcat, cum improbo nihil ſatisfaciat; (Nam ſuum agrum colit tam improbus, quàm vir probus. Magnum autem piis ſtimulum ad honeſtum laborem ſubeundum addat, quod Deus vel improbis hominibus ſe ex labore ſuo victuros pollicitus ſit. Nam ſi improbis ex ſuo labore, Dei benedictione, proſpectum fuerit; nedum piis honeſtè converſantibus providebitur. Pios igitur pudeat putidi & putridi illius ſermonis, quo dicitur ſe ex ſuo honeſto labore non poſſe vivere, niſi veris & rectis, falſa & prava miſceaut: nam ſi improbis hoc conceſſerit qui nec ab illo benedictionem petunt, nec ad illum referunt; quantò magis hoc piis præſtabit qui illum ut virium & ſucceſſus datorem, utriſque honorare ſtudent. Tametſi vero beneficium commune ſit; tamen uſu longe maximum diſcrimen eſt: nam Pſal. 128. Beatus prædicatur Deum timens, cum ex labore ſuo partis veſcatur; quod improbo obtingere & obvenire nunquam poſſit ut partorum â ſe uſura beatus ſit.

Qui autem perſequitur vanos vecors eſt. Priorem partem proverbii adverſis illuſtrat. In quo primum illud obſervatione dignum eſt, præcipuum quoddam ad otium & vanas occupationes invitamentum eſſe, quod alios id genus vitæ ſectantes vide-

videmus; undè hæ voces ſæpè aures perſonant; Quid ni mihi perindè liceat hoc atque *illi*? Quamobrem Ap. ut ſuos ab otio retrahat, cum eos monet ut ſe ſubducant ab eorum cõſortio qui otioſi ſunt, tum ſuum illis ad imitandum laborandi exemplum ob oculos proponit. Qui vero vani ſint, Vide Iud. 9.4. & 11.3. & 2. Chron. 13.7. Quod ſi qui alios ſeqnuntur ſtulti ſunt; nedum duces & antiſtites. Ideò enim potius ſectatorum meminit, quia ſe abſolutos & irreprehenſibiles putant quòd habeant quos ſequantur.

Quod autem dicat eum vecordem eſſe qui tales perſequitur, id utrinque verum eſt, ſive hujus vitæ ſapientiam, ſive futuræ proſpicientiam conſideremus. Nam tametſi prius illud colendi terram officium diſcrimen inter bonos & malos non conferat; tamen ſe adjungere otioſis & eorum inſtituta proſequi improrum à bono diſcernit. Nec enim inter fideles numerandus eſt qui infideli deterior eſt, cujuſmodi hi ſunt qui de ſuis rationem non habent, ut illis de hujus vitæ commodis conſultum ſit.

V. 12. *Deſiderat improbus præſidium malorum ſed radix juſtorum dat* [*illud.*]

Subaudi quod juſti deſiderant.

In מצוד (rete ego verterem, non præſidium: vide an radix præſidio reſpondeat) eſt metaphora retis pro rebus his quæ atrahit & implicat. Senſus autem eſt improbos non contentos his quæ honeſto ſuo labore comparata ſunt, cupiditates ſuas ad alia captanda dilatare, quibus immoderatis deſideriis multis malis implicantur: contrà verò juſtorum deſideria expleri his ipſis fructibus quos Deus illis, & eorum laboribus elargitur, alluſione facta ad terræ culturam cujus proximè antecedenti verſu mentionem fecit. Prior pars confirmatur Jac. 4. 1, 2, 3. Item. 1. Tim. 6. 8, 9, 10. hinc eſt quòd Chriſtus deſideria & cupidit. noſtras immoderatas ſpinis comparet, Math. 13.

Poſterior poſt confirmatur ex Rom. 13. 14. ubi dicitur pios non habere curam carnis ſuæ ad explendas cupiditates: ſed *habentes victum & veſtitum his eſſe contentos*, 1. Tim. 6. 8. Ex quo fit ut eorum cupiditates immenſum non ſunt dilatatæ eoque ipſo ex propriis agris quos coluerunt proventus abundè copioſus illis ſuppeditatur; ut non amplius cupiant, quàm quò Deus benedictione ſuâ eorum labores proſequitur. Sic Pſal. 103. *Satiare* dicitur *animam justi bonis*. Hinc eſt quòd hortamur rebus præſentibus contenti eſſe, Heb. 13. 5. quæ ſi humano judicio non ſatis eſſe videantur ad vitæ ſuæ ſuſtentationem; tamen fide in Dei promiſſionem recumbunt, *Non te deſeram neque unquam derelinquam.* [Dominus mihi eſt auxiliator; non timebo quid faciat mihi homo.] Hujus eximium exemplum vide Phil. 4. 18.

V. 13. *In defectione labiorum* [*eſt*] *tendicula mali, at egreditur ab anguſtia juſtus.*

In voce שפתים (*labiorum*) eſt meton. cauſæ pro effecto labiorũ pro ſermone. In מוקש (*laquens*) eſt metaph. ducta ab aucupibus. Prout quodque corporis mẽbrum inſtrumentum accommodatum eſt, vel ad pietatem aut impietatem, probitatem aut improbitatem; ſic Deus eadem præceptis imbuit, ut illis tanquàm aut frænis à malo inhibeantur; aut ſtimulis ad bonum acuantur: unde fit, ut cùm ſermo hominis ad vitam vel mortem plurimum momenti habeat, linguam ſibi Deus dili-

diligenter informandam & inſtituendam aſſumit. Vide Iac.3.7,8.unuſquiſque linguam gerit indomitam, ad eum modum ut nemo hominum illam manſuefaciat; unus Deus eſt qui illam ſubjugare novit. Qnod non aliter efficit niſi ſcripturæ pręceptis & documentis, quibus tanquam capiſtro linguam ne in nos inſiliat conſtringimus.

Primùm autem linguæ venenum & virus; poſt, ſequenti proverbio linguæ præſtantem uſum oſtendit. Ejus verò malitiam nobis laquei & tendiculæ typo cõſiderandam proponit: quâ metaphorâ inſidias nobis ſtrui in ſermone declarat. Quo dicto nos ad ſingularem curam & ſolicitudinem exuſcitat. Majus enim nobis periculum ingruit à clandeſtino & occulto malo, quàm ab eo quod apertum eſt & obvium. Præterquàm enim quòd imparati ſæpiùs ſumus, cùm latens malum nos fugit; ſubitò etiam in nos involat, & ſic percellit ut animum ad mali fugam advertere facile non ſit. Tertio quod uno momento irretiti tenemur laqueo; ut verbo unico momento illaqueamur. Denique laqueos & tendiculas collocant aucupes non in deſertis aut deſolatis locis; ſed his ad quos aves alimenti cauſâ ventitant: ſic inſidiæ in verbis celeberrimè collocantur in illâ ſtatione ſeu vocatione in quâ Deus nos collocavit ut miniſtros in miniſterio; magiſtratui in his quæ præfecturam ejus attingunt: quamobrem eâ in re vel maxime nos circumſpectos & expergefactos eſſe decet. Deinde quod non tantum laqueum vocat defectionem malorum labiorum, ſed malum laqueum; noſtras vigilias & excubias conduplicare oportet. Malum autem laqueum vocat quod artificioſè à Satana nectitur & contexitur, cum ad homines ingenioſè capiendum, tum ad illos compræhenſos fortiter retinendum, donec illos ſuffocatos interimat.

Hæc defectio labiorum vel à noſtris vel alienis labiis proficiſcitur, ob eamque cauſam ut adverſus laqueum propriorum labiorum ori noſtro cuſtodia apponenda eſt, & oſtium erigendum, Pſal.141.5. ſic adverſus alienorum labiorum laqueum aures corneas & ſurdas gerere debemus.

In poſteriore hemiſtich. docetur juſtum non eſſe ab hoc laqueo penitus immunem, ut aut ſuis, aut alienis verbis non aliquando illaqueetur; ſed tamen in anguſtias ex hoc malo redactum non deſeri, aut derelinqui à Deo; ſed ex laqueo vel extricari, vel rupto laqueo veluti evolare. Vide 2.Cor.4.8,9. Vide 1.Samuel. 21.12. quomodo David à verbis ſanguinolentis ſenatus Philiſtini ereptus eſt. Vide 1.Sam. 23. Item quomodo à propriorum labiorum defectione Deus eum ſervavit Abigailis oportuno occurſu. Atque cum juſtum affirmet exire ex afflictione, vel anguſtiâ linguæ, ſimul ſubindicat improbum cum ſuorum tum aliorum labiorum defectione perire. Sic qui Davidi indicavit ſe Saulem interfeciſſe, ſuorum labiorum defectione periit. Idem Adoniah petitione Abiſhag in uxorem. Sic Pontificii plerique ſuis inſulſis precibus ſine intellectu effutitis, & temerariis votis quotidie pereunt.

Verſ.14. Ex fructu oris [ſui] vir ſatiatur bonus, etiam retributionem operum ſuorum homo recipit ſibi.

Scil. fructus oris, qui niſi bonus ſit, etiam quæ à nobis manibus parta ſunt, liqueſcunt & diſpereunt. (Vide annon ſit ſatius poſterius hemiſtichium referre ad facta, ſicut ad dicta prius.)

In פרי (*fructu*) eſt metaph. In פה (*oris*) meton. effic. In ישבע (*ſatiabitur*) metaph. à cibis corporis ad animi pabulum. In פרי eſt ſynecdoch. cap.11.v.30. juſtus arbori aſſimi-

aſſimilatur, cujus fructus eſt vita. Hoc autem loco Propheta unum juſti hominis membrum arbori lectiſſimæ optimos fructus ferenti comparat. Quod autem hoc loco de ore dicitur, id de univerſis membris corporis & animi affirmari jure poteſt: ita tamen ut veluti vitis inter arbores fructum fert pretioſiſſimum: ſic inter membra corporis principis & pretioſiſſimæ arboris exiſtimationem os obtinet. Atque ut fructum edit optimum, ſic etiam abundantiſſimum, unde dicit virum oris fructu ſatiandum. Nam cum pedes, manus, & alia corporis membra opere faciundo cito fatigentur, unicum linguæ ſeu oris membrum non facilè defateſcit; rectoque linguæ uſu magis apti reddimur, ut eâ rectè uti pergamus.

In poſteriore hemiſt. videtur docere recto uſu linguæ, nos labore noſtro partis frui. Sicut enim clavus totam navem regit, frænum equum circumagit: ſic recto uſu linguæ cætera corporis membra veluti in officio continentur. Deinde linguæ legitimo uſu pacificam vitam agimus, Pſal. 34.13. Atque ut linguâ maledicâ atque inofficioſâ, facultates noſtræ ad alienos dominos ſæpius avertuntur: ſic debito linguæ uſu aut poſſeſſæ ſervantur, aut averſæ & abalienatæ reſtituuntur. Nam cum quis temerè pro alio ſpondeat & ſe pro alio debitorem conſtituat hac oris pravitate, parta laboribus ſuis avertit, Prov. 6. Item maledicentiâ in principem facultatibus eximitur. Vide 1. Reg. 21. ubi blaſphemũ in Deum vitâ tollendum, in regem vero maledicum facultatibus exuendum docetur. Cum igitur uberrimus fructus ex legitimo oris uſu pullulet, cumque tam multiplex fructus inde percipiatur, in hac arbore colendâ, putandâ, & diligenter aſſervandâ, operam nos ponere operæpretium fuerit: ſicut Colonus de illâ arbore excolenda & tuenda omnibus modis ſolicitus eſt, quæ cum bonum, tum copioſum fructum tempeſtivè edit; tametſi de fructu ejus certo non conſtet, & tametſi ſeptimo anno intermiſſio fiat & à fructus collectione ceſſatio.

V. 15. *Via ſtulti recta [videtur] in oculis ipſius: at qui auſcultat conſilio, ſapiens eſt.*

In voce דרך (*via*) eſt metaphor. pro converſatione & conſuetudine vitæ. Item in vocibus שמע (*auſcultat*) & בעיניו (*in oculis ejus*) tranſlata ab externis ſenſibus ad animi facultates: hæc ad voluntatis obſequium; illa ad intelligentiæ lumen.

Stulti nomine intelligitur, qui à Spiritu Sancto non eſt regenitus. Nam cum voluntas Dei perfecta ſapientia ſit, cui nos obnitimur toti quanti quanti ſumus, Rom 8.7. omni nos ſapiẽtia orbari neceſſe eſt, Prov. 30. unde etiam in ſcripturâ בער appellatur, Pſal. 73.22. & 92.6. Equo & mulo, in quibus non eſt intelligentia, comparatur, Pſal. 32.9. Neque enim ullus morio eſt tam alienus à communi hominum ſenſu, & intelligentiâ, quàm nos omnes naturâ, divinæ voluntatis cognitione deſtituimur.

Neque vero vacuitas tantùm, & privatio ſapientię nobis ineſt; ſed porro ſtoliditatis ſpiritus nobis naturâ inſeritur, quo ſicut à ſapientibus conſiliis abſtrahimur; ſic ad temerarias & futiles cogitationes abripimur. Originale etenim peccatum non tantum boni privatione, & abſentiâ, ſed porro mali impreſſione & ſculpturâ definitur. Neque enim eſt veluti raſa tabula, apta cuivis imagini accipiendæ; ſed quæ tota atramento perverſitatis non adſpergitur modò; ſed penitus obducitur. Sicut enim litura imaginis divinæ inducitur; ita diaboli effigies & figura ejus vice reponitur, Gen. 6. Ecquid amplius? imo vero, quod ſuperioribus duobus im-

probitate & virulentia non cedit, ſc. quod hac ejus infœlicitate oblectatur & acquieſcit; addo etiam exgloriatur & triumphat, Phil. 3. 19. Tanquam enim lena ſibi in ſua nequitia applaudit oppido vitiata noſtra natura: veluti ſi quis ſpecioſa forma præditus in cænum detruſus & demerſus hac deformitate lætetur.

Atque hæc eſt omnium hominum infœlix & luctuoſa conditio. Stultus autem qui hoc loco deſcribitur, adhuc nequior & magis perditus exiſtit. Nam, ſicut ex poſteriore hemiſtichio liquet, ſtultum hoc loco deſignat, qui oblatam à Deo ſapientiam repellit repudiatque *In eo* enim *mundus condemnationi obnoxius eſt, quòd lux affulſit hominibus, qui tamen tenebras præ luce dilexerunt*, Iohan. 3. 19. *& ſi non veniſſem peccata non habuiſſent*, Ioh. 9. 22. 24. Denique ea eſt vis peccati in nobis inhærentis ut lege veniente peccatum vires adhuc majores colligat, ut peccatum legis interventu ſit magis peccans. Parum enim eſt in oculis noſtris reſpuere oblatam gratiã, niſi illi nos totos opponamus. Hoc modo comprobatur quod Proverbio celebratur, Morionem pluris facere ſuas tricas ſeu flabellum, quàm turrem Londini. Et hi ſunt quos Pſal. 5. Propheta non ſtultos, ſed inſanos planè appellat.

Ex quibus illorum opinio refellitur, qui eouſque liberum hominis arbitrium ſupereſſe dicunt, ut poſſit bono propoſito & oculis objecto illud vel reſpuere, vel, ſi libuerit, amplecti: cum Propheta inſitam hominibus ſtultitiam tantam eſſe doceat, ut quod bonum eſt, ſua ſponte non admittant. Et Apoſtolus legis interventu peccatum naturæ ductu creſcere confirmet. Hic meminiſſe debemus ejus quod præcipitur Deut. 6. 18. *quod bonum & rectum eſt in oculis Iehovæ facies*, & cap. 12. v. 8. prohibemur *in cultu Dei facere quod bonum eſt in oculis noſtris*. Quamobrẽ hic ſpatioſus campus eſt dicendi contra bonam (ut ajunt) intentionem Ioh. 16. Rom. 10. Quid? quod in obſequio erga homines ſæpè falluntur, dum ſequuntur quod illis bonum videtur: ut in Amalekita qui dixit ſe Saulem interfeciſſe; in & his qui Iſhboſethum trucidarunt.

In altero hemiſt. definitur ſapiens; ut in priore deſcribitur ſtultus. Atque cum apud homines perhibeatur ſupremũ gradum ſapientiæ eſſe, ſi quis ex ſe ſapiat; in ſecundis vero conſiſtere ſi, cum ipſe non ſapiat, aliis tamen ſapientia pollentibus auſcultet; Propheta docet neminem ex ſe ſapere; ſed ſummum ſapientiæ gradum eſſe ut alterum monentem audiat.

Hic primum beneficium auris prędicatur, Quomodo credunt de quo non audierunt? Sed non ſatis eſt ſi quis audiat, niſi auſcultet, ut hoc loco disertè dicitur. Deinde videndum quid audiamus & cui rei auſcultemus, ut Chriſtus monet, nempè conſilio. Intelligit autem Dei conſilium, quod κατ' ἐξοχὴν conſilium dicitur: ut in Prov. qui contemnit verbum aut præceptum, id eſt Dei: quaſi ſi alia conſilia præcepta, &c. præ his non eſſent. Denique conſilium hoc loco hujuſmodi non eſt quod nobis & delectui noſtro relinquitur, ut in humanis conſiliis.

V. 16. *Stulti ipſius indignatio eodem die agnoſcitur, tegit vero ignominiam aſtutus.*

In יום die eſt Synecd. ſpeciei, ſcil. diei pro brevi tempore. Item in ערום eſt Syn. generis pro aſtuto qui eſt in laude. Summa proverbij; improbum eſſe qui iram ſuam omnino cohibere non poſſit: ſicut contrà pium eſſe ſtatuit qui illi imperare novit.

Quærendum primò, quis ſit quem Salomon hoc loco ſtultitiæ nota deſignat. Eſt autem is cui nihil aut juris aut poteſtatis

ſtatis eſt in reprimenda, & vinculis patientiæ conſtringenda indignatione ſua: ſed qui habenas laxat ſuis affectibus; ut quoties indignationem concipiat, toties illam eructet & effutiat, cui nullum eſt oſtium, nulla repagula, nulli vectes, cujus nulla affectibus cuſtodia apponitur, cui nullus murus circumducitur ad remorandum & retinendum animi incompoſitos & indomitos affectus, qui exilire parati ſunt. Qui ut olla fervens bullit & ſpumam ejicit. Maximè verò hunc indignationis affectum efferatum& exultantem habent homines, cui fræna difficillimè injiciuntur. Undè etiam natum eſt elegans Hebræorum proverbium hominem his præcipua quadam ratione dignoſci בכיס בכוס ובכעס in crumena, in calice, & in ira. Hîc igitur non tantùm diſcimus diſcrimen ponere inter improbos & probos; ſed porro noſtrum in pietate & probitate profectum & progreſſum excutere. Si enim conſcientia in Deum indignationem omnino non ſubjugamus, nullas pietas aut probitas eſt: ſi parum admodum illi affectui imperavimus, noſtri exilis&parvi admodum progreſſus indicium eſt.

Primum notandum eſt non in eo collocari ſtultitiam quod quis indignetur; ſed quod iram nequeat contegere, *iraſcimini & nolite peccare.* Epheſ. 4. & Math. 5. 22, damnatur qui temerè iraſcitur: Et cum docet ſtultum eſſe qui non tegit indignationem ſuam, ſatis indicat prudenti & conſulto oboriri indignationem. Deinde neque in eo modo quod quis iram ſuam nequit contegere; nam Moſes indignatus populo illam effutivit labiis, multis eorum perfidioſis facinoribus provocatus. Pſalm. 106. 32. 33. Nu. 26. 10. 11. Sed neque pro ſtulto aut improbo habendus qui ne ad diem aut horam iram ſuam non frænat: ſic enim foret ut David in numero ſtultorum aut improborum cenſeretur, qui relatione nuncij quem ejus legatià Nabale pertulerunt, ilico excanduit & ſuam indignationem temerario juramento, & apparatu armorum teſtatus eſt. Sed is demum ſtultus habendus eſt qui adverſus hunc depravatum affectum ſe& animi ſui vires non opponit, ſed illi veluti portas & valvas reſerat; nedum qui illi captum ſe reddit; imo promovet. In altera parte verſus docet, eum aſtutum eſſe qui tegit ignominiam; ubi voce aſtuti modo eum intelligit qui eſt in laude. Nam cum hæc vox ſit natura ſua μέσος & poſſit in utramque partem vel laudis vel vituperij flecti, hoc loco, ſicut in toto proverbiorum libro, non niſi in laude accipitur & לאויל opponitur. De eo autem affirmatur quod operit ignominiam. Ubi notandum quod non dicat eum contegere indignationem, ſed ignominiam. Qua re notat primum indignationem ipſam quæ injuſta eſt, ignominioſam eſſe. Deinde vultus aut pallorem aut ruboris ſuffuſionem, oris diſtortionem, aliaſque corporis partium deformitates, quas indignatio parit. Deinde verborum præcipitantiam, in juramentis blaſphemiam. Quarto facta à rationis norma aberrãtia. [Ira enim hominis Dei juſtitiam non operatur] Jac. 1.

Cum porro ignominiam dicat, non ſuam ignominiam, ut priore hemiſtichio ſuam indignationem dixit, notandum eſt eum qui ſuam indignationem cohibet ne erumpat, eandem etiam illius ignominiam operire cui indignatur. Tametſi enim peccati admiſſi admoneat eum cui indignatur; tamen eam in admonendo moderationem ſequitur qua delinquentis famæ & exiſtimationi maximè proſpicit Neque delinquentis ignominias in eo ſolum contegit, quod delictum ejus in aures omnium non evulget; ſed quod manſueta quadam erga illum converſatione & colloquio impediat ne delinquens delicto peccatum addat, aut illud ſcelere cumulet. Quod quidem cum non fiat

niſi charitate quæ operit multitudinem peccatorum, hanc indignationis cohibitionem non ex callida & vafra injuriarum diſſimulatione profectam eſſe conſtat, qua tempus vindictæ aptius quis captat & aucupatur, ut Ioab & Abſalom, quos in hoc aſtutorum cenſu non comprehendi inde liquet, quod ignominiam non tegant, ſed prodant tandem; aut ſurda aure præterit iniuriam commodi alterius cauſa ut 1. Sam. 10. Saul qui inſignem injuriam ſibi allatam diſſimulat, quod ejus ultionem illi importunam fore agnovit, cum nondum in regno confirmatus eſſet.

V. 17. *Efflat veritatem* [*qui*] *indicat quod juſtum eſt, teſtis autem falſiſſimus* [*efflat*] *Idolum.*

Ex poſteriore hemiſt. ad prius traducitur antitheſis teſtis falſi, qui eſt teſtis verus: & ex priore ad poſterius traducitur verbum efflandi aut indicandi.

Hoc verſu, cum quis ſit pro vero aut falſo diſcernendus, docetur. In יפיח eſt metaph. à flatu ad liberum ſermonem tranſlata.

Videtur hoc proverbium ita obvium & expoſitum eſſe ut indignum videatur quod à Sal. tam inſigni & tam artificioſa turba Dei proferatur. Ecquis enim eſt qui non intelligat teſtem verum vera & juſta loqui; & falſum teſtem contraria quæ ſunt, facere. Sed intelligendum eſt Deum in hoc libro non tantum per recondita & abſtruſa tradere; ſed ea etiam quæ ſunt ante pedes, & in communi hominum ſenſu & intelligentia poſita. Quod quidē hoc conſilio facit ut dum illa hoc modo θεόπνευστα faciat, homines ad illa cũ memoria retinendum, tum vita & factis exprimendum attentiores & magis alacres reddat. Deinde hoc modo promiſſum initio libri factum exolvit, fidemque ſuam liberat: cum dicat hoc libro tradi non illa tantùm quæ ſapientes & eruditi; ſed quæ etiam homines illiterati & idiotæ aſſequãtur & comprehendant.

Rem tamen attentiùs conſideranti liquebit ſatis ſubeſſe hoc loco quædam, quæ omnibus non tam facilè occurrant. Primum etenim illud requiritur in veraci teſte ut non tantum vera dicat; ſed porro etiam juſta. Nam poterit quis vera dicere perverſè & malevolo animo: ut Doeg de Davide quem apud Saulem traduxit: & falſi teſtes qui adverſus Chriſtum ſubornati & inſtructi erant.

Deinde reperiatur aliquis qui, quod lis ſit inter improbum & juſtum, putet, ſe poſſe à veritate aliquantulum deflectere, ut juſto commodet & ut juſtus cauſam obtineat. Idem etiam teſtem fortè à veritate teſtanda abducat ut homini afflicto & miſero adverſus opulentum ſubveniat. Adverſus hujuſmodi homines hoc Proverbium ſententiam fert, quo docetur teſtem veracem veritatem indicaturum, tametſi teſtimonium ejus pio aut afflictio fraudi futurum eſſet. Sicut enim judex merito admonetur ne aut juſto adverſus improbum, aut egena adverſus opulentum in foro propendeat, ſic teſtis non fruſtrà aut inopportunè edocetur ne aut in hujus detrimentum aut illius commodum injuſtè procurandum linguam ſuam conferat.

Deinde quod dicit teſtem verum efflare veritatem: eo docet veracem teſtem teſtimonium ſponte & liberè dicere ut nullo nec pretio conducatur, nec terrore ad illud faciendum impellatur. Nam qui his rebus ad teſtandam veritatẽ pellectus aut impulſus eſt veri teſtis nomẽ non promeretur. Quod idem ſi amore aut odio alicujus ex litigantibus teſtimonium verum dixerit. Prætereà ſi veritatem planè, plenè, & apertè non dicit, ſed quædam aut

aut reticet, aut aliquid veritati addat, aut veritatem dubiis & flexuoſis ſermonibus obſcuret pro teſte verace habendus non fuerit. Quibus omnibus opponetur quod dicitur Pſ. 15. [juſtum veritatem ex animo dicere.] Denique ſi veritatem dicat, ſed non ſatis perceptam &compertam ſibi. Ex his quis ſit teſtis falſus intelligitur, nempè qui aut falſum dicit aut veritatem obſcurat: neque ſponte & prompte juſtitiam veritatis promovet.

V. 18. *Eſt qui pronunciat ſimilia transfodienti gladio, at lingua ſapientum, medicinæ.*

In לשון (*lingua*) eſt meton. ſubj. pro verbis. In מרפא (*medicina*) metaph. à corporis medicina tranſlata ad animi curationem.

Singulare linguæ maleficium aut beneficium deſignat hoc Proverbio.

Particula יש in hoc libro præfixa initio Proverbiorum videtur deſignare axioma ſpeciale: ut in illo Proverb. *Eſt via quæ videtur recta, &c.* Plerique enim improbi ſibi ſuæ improbitatis conſcij ſunt: atq; in hoc Proverbio idem comprobatur. Nō enim omnes improbi verba tam virulenta proferunt, quàm hoc Proverbio indicatur. Tametſi etenim omnes depravata ſua natura ad hoc ſcelus proclives ſint, & ſub linguis eorum hæc deliteſcant, Rom. 3. 13. tamen aliud eſt hæc in ore aut ſub lingua habere, aliud verò illa effutire & *tanquam ſagittas venenatas ejaculari*, Pſal. 52. comparat *linguam doloſam novacula acuta*, Pſ. 120. *ſagittæ potentis uncinis ignitis armata, magis ardentibus quam prunæ juniperi.* Hoc loco transfixioni, vel potius transfixionibus gladij. Ex quibus emanat quàm non ſine cauſa Chriſtus ſcelus homicidij ad verba iram & vindictam ſpirantia extendat: ut vel actuale (ut ita dicam (homicidium ſit, non illud tantùm quod manibus admittitur; ſed quod lingua virulenta patratur. Sanguinolenti igitur & ſanguine fœdati hi coram Deo repræſentantur quorum linguę ſunt quovis bipenni acutiores. Nec mirum ſi talis linguæ improbæ effectus ſit, cùm ignis ſit *accenſis ab ipſis inferis*, Jac. 3. 4. unde illud efficitur nobis, ut ſumma cautione utendum ſit, ne aut nos noſtris linguis ad tanti ſceleris patrationem abutamur, aut hujuſmodi quid ab aliis nequam hominibus patiamur (maximè cum hoc non tantum malitioſè ſed per conſiderantiam fiat, ut verbi vis indicat quod Propheta ſuſurrabit, (dum patientię armis comparatis noſmet adverſus hoc flagellum muniamus. Maximè vero hujus ſententię veritas perſpicitur in Pſeudo-Doctorum impoſturis, qui unica ſententia aliquot mille animarum errorum ſagitta conficiunt. Quod ſi tanta vis ſit verborum mortalis&miſeri hominis ut audientem percutiat; quanta eſt verbi divini ex ore omnipotentis emiſſi & ejaculati?Vide Heb.4. maximè vero quàm formidabilis illa vox futura eſt, quę eſt Mat. *Ite maledicti &c.*

Altero hemiſtich. contraria bene inſtitutæ linguæ virtus indicatur, quæ non minus eſt ad ſanandum potens, quàm illa altera ad vulnerandum. Ex quo illud liquet tanto magis nobis hac ætate connitendum ut linguas & labra geramus ſalutaria; quanto improbi hoc ſæculo linguas magis quàm ante virulentas habent. Pudeat etenim nos minus ad ſanandū inſtructos eſſe, quam ad perdendum improbi edocti ſunt. Medici cum morbi aut novi enaſcantur aut vetuſti ingraveſcunt, omnem operam ponunt ut Medicamenta morbis ſuperiora comparent; & nos in hàc tam præſtanti medicandi arte, cujus tam amplum præmium extat, operam non dabimus ſedulam, ut ſauciatas animas curemus?

Conſtat etiam hoc verſu ſapientum linguam non illam definiri quæ non vulnerat aut non incendit; niſi etiam medicinam faciat. Non ſatis eſt ſi arbor linguæ, fructum non ferat noxium; niſi etiam edat ſalutarem: neque ſatis eſt ſi ſub lingua virus non ſit; niſi etiam antidotum in promptu habeat. Hoc eſt etiam quod Apoſt. notat, verba hujuſmodi eſſe oportere *quæ gratiam auditoribus conferant*, Eph. 4.29.

Deinde neq; illud ſatis eſt ſi quis bona verba proferat, niſi illa tempeſtivè adhibeat. Nam verba amicorum Iobi, vera & ſapientia erant, ſed importuna & malè collocata. Et hoc illud eſt quod Apoſt. ibidem monet πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας maximè vero Coloſſ. 3.26.

Quanta autem vis ſit utriuſque facultatis tum maledicendi tum benedicendi, videre eſt in Nabalis verbis virulentis, & ſalutifera Abigailis oratione, qua ignis ille reſtinctus eſt quam Nabal incenderat. Itē in verbis Ephraimitarum & Ierubbaalis Iud. 8. 1, 2, 3. Quod ſi verbis mordacibus tanquam gladiis alia etiam verba pugionum inſtar apponantur quantum futurum ſit incendium. Vide Iud. 12. 1, 2, 3. 4, 5, &c.

Inter omnes autem ſapientes hujus generis miniſtri excellunt qui errores corrigunt. De quibus præcipua quadam ratione verum invenitur quod Iſa. 50. dicitur *de linguâ eruditorum à Deo datâ, ut verbum in tempore norint communicare defeſſis*. Quique prout inſtructi ſunt, aliquod mille uno verbo tanquam ſagitta aut conficere aut reficere poterunt.

V. 19. *Labium verax ſtabilitur in æternum, donec momentum tranſigam, lingua falſa.*

In vocibus שפה (*labiom*) & לשון (*lingua*) eſt meton. effic. labii ſcil. & linguæ pro ſermone: deinde eſt ſynecd membri pro integro homine. Item in ארגיעה eſt ſyn. ſpeciei momenti ſc. pro brevi & anguſto temporis ſpatio. Magnâ in rerum omnium ignoratione naturâ verſamur, quâ fit ut neſcii & imprudentes ſepiùs in veritatem impingamus: poſtquàm verò tenebræ cæcitatis diſpulſæ ſunt, ilicò animi nos circumſiſtunt perturbationes, amor hujus odium illius, maximè verò formido & terror animis injicitur, quo ex notitiâ veritatis quam mendaciis corrumpimus, magis adhuc periclitamur, quàm ſi in ignoratione permanſiſſemus. Quamobrem Deus hoc Proverbio cùm ad veritatem nos animat, tum à mendacio dicendo nos terret.

Homines torquet mirificè cura & cogitatio continuationis & æternitatis, partim in ſeipſis, partim verò in ſobolis propagatione. Cùm autem animadvertant odium in veritatem irreconciliabile mūdo penitùs inſitum & innatum eſſe, metu corripiuntur ne ſibi aut ſuis veritatis teſtimonio interitum accerſant, maximè ob teſtimonium illius veritatis quæ eſt ſecundum pietatem. Adverſus hunc metum Deus nos confirmat hac promiſſione perpetuæ permanſionis. Sic Chriſtus docet eum qui vitam ſuam amittit veritatis aſſerendæ cauſâ, illam inventurum. Nam tametſi propter teſtimonium veritatis è vitâ tollendi ſint; tamen mortui vivunt, non tantùm apud Deum, ſed etiam gratiſſimâ & ſuaviſ. ſui in terris memoriâ.

Quod etenim ad Heb. 11. de Habele dicitur, *eum jam mortuum, per fidem tamen adhuc vivere & loqui*, id etiam verè affirmari poteſt de his omnibus qui veritati, Euangelii præſertim, teſtimonium ferunt. Atque in iſtum modum non incommode dici poteſt labium Danielis & trium ſociorum ſuorum adhuc vigere & durare. Tum verò vel maximè complebitur hoc dictum, cùm mortua eorum corpora noviſſimo

viſſimo die è pulvere ad vitam excitabuntur: unde etiam illud Chriſti apud Ioh. 3. *Qui credit in me non morietur.* & 6. *qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum vivet in æternum, & ego excitabo illum in noviſſimo die.* Quo dicto totius hominis, corporis & animæ vitæ æternitatem in reſurrectione ad vitam conſtituit.

In altero hemiſt. in quo affirmat ad momentum durare linguam falſitatis, docetur videri poſſe ad tempus aliquod, eos qui mentiuntur aliquid inde proficere, & conſiſtendi ſecuritatem ſibi comparare, tandem tamen omnem illam ſpem ſtabilitatis ſuæ iu fumum abire. Cujus rei exempla multa extant, ſive improborum, ſive piorum mendacia conſideremus. Abrahæ & Iſaaci mendacium quo ſuas uxores, ſorores ſuas eſſe prædicabant, illos ad tempus levare & periculo eximere videri poterat: tandem tamen veritas illuxit: quâ patefactâ rubore & ignominia coram regibus etiam profanis ſuffuſi ſunt. Petrus cùm ſe Chriſtum noviſſe pernegarat, primùm quidem inde lucrum feciſſe exiſtimari poterat, quòd illius mendacij beneficio in ædes ſacerdotis admiſſus ſit, ad focum cum cæteris ſacerdotis ſatellitibus aggregatus, ad illa omnia ſpectacula, quæ tantoperè videre diſcupiebat, admiſſus; ſed tamen ad momentum modò duravit, nam non multò poſt omnia in luctũ & lachrymas converſa ſunt.

Sic de Gehezi ſervo Elizæi dicendum erit: cum etenim conficto ſermone ſuo magnam vim argenti, & pretioſa veſtimenta domum ſuam à Naame reportaſſet, ſibi ex ſuo mendacio rem feciſſe viſus eſt; ſed ecce ad momentum tantum duravit hoc gaudium: ſimul etenim atq; ad Elizæum venerat, cognito mendacio lepra percuſſus eſt. Huc acceſſi poteſt veritas religionis quæ permanet; cum hæreſis, utut ad tempus obtineat, poſt tamen veritatis fulgentibus radiis diſpellitur.

V. 20 *Dolus [recidit] in cor fabricantium malum, in conſiliarios autem pacis lætitia.*

Cordis voce pro animâ metaphoricè utitur quia ut cor præcipuus vitæ fons eſt in corporis partibus: ſic anima totius hominis Proverbii ſcopus eſt quod Græco Proverbio celebratur κακὴ βȣλὴ ϐȣλεύσαντι κακὴ ἐςι: ſicut contrà bene his cedere qui aliorum bono & commodis proſpiciunt.

Primùm occurrit hîc ut quis ſit mali architectus diſpiciamus. Omnes ut dictũ eſt naturâ apti ſumus animo & corpore ad id quod malum eſt patrandum. Quam obrem qui communi illâ lue exempti non ſunt παλιγγενεσίᾳ, eos certè in malorum aſſiduâ patratione occupari neceſſum eſt. Neque tamen inde ſequitur omnes improbos mali artifices eſſe, quales hoc loco deſcribuntur. Sunt omnes quidem operarii iniquitatis, & qui iniquitatem ut artem & occupationem exercent: ſed quemadmodum in artibus & ſcientiis quidam tyrones ſunt qui tametſi in opere faciendo totum occupantur, tamen minus efficiunt, quàm peritiores unâ modò horâ: ſic etiam in improbis hominibus uſuvenit ut alii plus malorum uno die expediunt quàm alii menſe. Plerique etiam improbi ſunt qui de injuriis aliis inferendis non cogitant: ſed ſibi-ipſis maximè inimici & infeſti ſunt, dum ut ſuis cupiditatibus inſerviant omnia quæ habent prodigunt. Hi igitur mali architecti hoc loco dicuntur, qui ut aliis noceant, ſemper aliquid mente verſant, & manibus tractant: haud ſecus atque artifices qui aut de fabricæ formâ & figurâ apud ſe commentantur, aut illi ſemel inventæ & excogitatæ manus ilicò admovent. Hi ſunt *qui malis inferendis ſeipſos*

vendide-

vendiderunt, *qui noctu malum in cubilibus conſultant quod manè exequantur, dummodò facultas* ſit,ut eſt apud Mich. Denique hi ſunt quos Apoſt.Rom.1.30. ἐφευρετὰς κακῶν vocat. Atque ut in artibus quiſque ut peritior eſt & operoſior mercedem accipit ampliorem : ſic malorum artifices duplo plus pœnæ aliis iniquitatis operariis accipient à Satana, cui tanquàm ſummo opifici operam ſuam navarunt : ut bonorum architecti majori præmio remunerabuntur à Deo,cui illi deſervierunt.

De his malorum artificibus dicitur eos ſemper dolum & fraudem in his in animo gerere. Quo dicto nos admonitos voluit Salomon ne illis blandientibus & omnia bona cũ ſumma fidei profeſſione, atque adeò jurejurando interpoſito pollicētibus unquàm credamus : quod quicquid ore profiteantur in his tamen fallaciam, & deceptionem cogitent. Quod quidem quàm opportunè à Propheta informatur, declarat ſatis multorum piorum virorum hac parte levitas & inconſiderantia, qui cum certi hominis nequitiam compertam & certam habent, eorum tamen blandimentis & verborum lenociniis ita demulcentur, ut nihil ab illis mali extimeſcere in animum inducantur. Hoc pacto deceptus eſt David à filio ſuo Abſalomo,quem cùm egregium artificem maleficiorum eſſe noverat, ejus tamen fictis & ſimulatis obſequii ſermonibus illaqueatus eſt. Maximè vero hoc luculenter viſum eſt in rege Iſraelis qui Benhadado Syro blandiſſimè ipſum alloquenti ilico credidit, & morte ſimul & captivitate, magno ſuo malo liberavit: In hanc partem plerumque à noſtris hominibus peccatur, qui tametſi probè norint pontificios religione quadam diabolica conſtringi ne hęreticis(ut illi inſignes hæretici loquuntur) fidem præſtent; eorum tamen blanditiis abducuntur, ut fidem ab iſtiuſmodi perfidioſis ſervatum iri ſperent : parùm memores hujus dicti Salomonis illos intùs dolum alere, quicquid foris præ ſe ferant.

Poſteriore hoc hemiſt.apparet qui ſunt artifices malorum, nempe hi qui conſultant, & animo agitant quomodò malum perpetrent. Deinde quod genus mali illud eſt in quo fabricando occupent ſe, ſcil. in malis aliis inferendis, quibus pacem & quietem aliorum turbent & interrumpant; ſeu illa pax ſit animi ſeu corporis. Hoc noſtrum ſtudium in pietate,& probitate acuere debet, ut in cultu Dei,& officio erga proximos artifices evadamus. Indignum enim eſt improbos in concinnando tentorio Satanæ plus artis afferre & peritiæ, quàm pii ad texendum Dei tabernaculum : illos in excitando Satanæ ſacello magis ſolertes & induſtrios eſſe, quam nos in templo Dei extruendo : denique illos ad Babylonem ædificandam inſtructiores accedere,quàm nos ad Sionem.Non ſatis igitur erit pacem aliis non adimere, niſi etiam pacem illis afferamus. Neque ſatis eſt hoc quomodocunque & perfunctoriè facere, niſi etiam animi aciem in illam rem intendamus : unde omnibus piis præcipit ut pacem quærant, atque adeò illam fugientem perſequantur, ut ſic filii pacis vocentur & ſint, & hac nota tanquã pignore Dei filii eſſe internoſcantur.

His adjunctũ præmium proponit gaudium : quod quidem multiplex eſt.Nam & in ipſis conſiliis pacis cogitandis eſt aliquid quod laborem conſultationis levet. Deinde conſcientià rectè facti mirificè hominem recreat. Denique Dei benedictio & remuneratio in hac vitâ animum gaudio complet. Hinc etiam colligitur artifices mali comitari mœrorem & mœſtitiam animi, primùm ex ipſâ inquietudine mala excogitandi, dum in illam rem intētos, eos ſæpe nec edere nec dormire vacat. Deinde ex malæ conſcientiæ

ſcientiæ

ſcientiæ aculeo. Denique quod malum conſilium tandē conſultori ſit peſſimum.

Verſ.21. Non abjicietur juſtus in ullam moleſtiam, improbi autem pleni erunt malo.

Deus miſericorditer malorum anſas à piis avertens, improbis juſto judicio malo omnis generis objicit.

In voce אן ſignificatio cùm duplex ſit; altera culpæ, pœnæ altera, utramque ſignificationem hoc loco comprehendi, Proverbium reddit magis auguſtum. Maximè cùm non niſi ſingulari Dei ſapientiâ factum ſit ut unâ modo voce utraque ſignificatio contineatur, ut ſimul aut tolli aut poni utrumque deſignaret: contrà quàm aut profani ſtatuunt, qui pœnam culpæ comitem non fore comminiſcuntur, aut pontificii qui peccato ſublato pœnam tamen expiandam operibus & ſatisfactionibus fabulātur: quod idem de vocibus & עק חט אה & אשם affirmari poteſt.

Cum homo anima & corpore incorruptus olim extitit, tamen objectis exterius illectamentis & illecebris in barathrum perditionis impulſus eſt. Nunc igitur cum peccatum inſitum penitus & inhærens intus geſtet, tanquam fomitem quæ facilè flammam accipit, quanto in damnationis periculo verſatur, niſi peccati fraudes & decipulæ, quas partim mundus, partim diabolus compararet & inſtrueret, Dei in nos clementiâ arcerentur. Tametſi igitur ad tuendam vitæ cùm integritatem, tùm ex integritate incolumitatem, magna vis intus eſt in veteris hominis exuviis, & novi hominis indumento; interna tamen illa ſanctificatio adeò debilis eſt & languida, ut ſingularis providentiæ Dei ſubſidio aſſiduè egeat ad illas anſas & occaſiones foris depellendum, quibus inhærentes adhuc cupiditates ineſcarentur. Hoc igitur beneficium illud eſt, quod Sal. hoc loco celebrat. Hujus rei exemplum eximium & illuſtre eſt, Exod. 13. ubi dicitur Deum, cum populum educeret ex Ægypto, illum non duxiſſe viâ regionis Philiſtæorum, quæ maximè compendioſa erat, ſed viâ per deſertum plurimum deviâ; ne ſi rectâ ad terram Canaan perrexiſſent, pœnitentiâ ducti ex bello cum Philiſtæis conſerendo retroceſſiſſent, & Ægyptum, unde erepti erant, rediiſſent. 1.Reg.14.12.13. Hujus rei aliud exemplum eſt in Ieroboami filio, Abiah, & Ioſiah pio rege qui utrique immaturâ morte propterea periiſſe dicuntur, ne inſequutura mala viderent & experirentur, atque ita à pietate quam colebant abducerentur. 2. Reg. 22. 20. Tametſi enim pii à fide & ſalute acceptâ nullis unquam aut cupiditatum illecebris aut malorum metu depelli & dimoveri poſſunt, nihil impedit tamen quo minus Deus ad hanc fidem & conſtantiam in illis fovendam & tuendam mediis quibuſdam & adminiculis utatur.

Sed huic obſiſtere videtur quod Deus populum per deſertum ducens eos ſæpius aquæ & aliarum rerum inopiâ tentavit, ut diſertè notatur Deut. 8. Reſp. Primùm hoc malum ex duobus, Iſraëlitis tolerabilius fuiſſe; & ob eam cauſam potius illos deſerti difficultatibus objeciſſe, quam bello contra Philiſtæos. Deinde Deus ſuos tentat, cum ut ſuam ipſorum animi corruptelam cognitam habeant, tum ut Dei opem in illis vindicandis experirentur. Sic 2. Chron. 32. 31. providentiâ ſuâ primò Babylonios legatos Ezekiæ mittendos curat. Deinde diſertè adjungitur Deum dereliquiſſe Ezekiam, ut ſic cognitam haberet animi proprij in bono inconſtantiam. Sic porrò Davidi objecta eſt viſio Batshebæ nudæ, cujus aſpectu David irretitus tenebatur, non

Z tantùm

tantùm ut ille ſuam perverſitatem perſpectam haberet; ſed ut ex ejus cum lapſu, tum inſtauratione exemplum extaret humanæ miſeriæ, ſimul & divinæ miſericordiæ ad omnem poſteritatem tranſmittendum. Idem de Petri abnegatione cenſendum, (cujus occaſionem præbuit quod Iohannes ſummo ſacerdoti notus erat) & aliis id genus exemplis.

Cum verò Deus unus ſit qui mali & culpæ & pœnæ occaſiones & anſas avertit, tum illud non tantum per ſe ſine ullâ noſtrâ operâ, nuda ſua providentia & rerum omnium adminiſtratione, nobis ne cogitantibus quidem hoc efficit: ſed nobis miniſtris hujus gratiæ & beneficii utitur, dum excubias agimus ut quoad datur, omnes peccandi occaſiones refugiamus, nec nos periculis non neceſſariis, & quæ vocationis noſtræ ratione nobis non incumbunt, ingeramus. Hinc illud ſervatoris *vigilate & orate ne in tentationem incidatis.* Math. 26. Ut adulterium declinemus procul abeſſe debent lupanaria, meretricum familiaritas, & colloquium, otium, crapula &c. ut ebrietatem fugiamus, abſtinendum à conſuetudine ebrioſorum, à falſis potum attrahentibus &c.

Improbi verò pleni ſunt malò, intus & foris, culpa & pœnâ. Deus enim eos meritò in tentationem inducit in qua alliduntur & pereunt. Iob. 18.9. [laqueus prehendet calcaneum] & 22.10.11. *Ideò laquei te circumſtant, & pavor repentinus perturbat eo, aut tenebræ ne videas, aut agmen aquarum obteget te.* Hæc enim ab amicis Iobi illi tanquam impio attribuuntur. Et Prov. 23.5. [aculei & laquei ſunt in via perverſi.] Apud Amoſum vero alicubi & in aliis prophetis ſæpius Deum acies ſuam multiplices contra improbos inſtruere, urſum, leonem, ſerpentem, item gladium, famem, peſtem, ferrum; ut ſi unum ex his aut alterum effugiant, tamen in altero opprimantur. Hujus doctrinæ illuſtre exemplum eſt Iud. 4.6.7. ubi Barak jubetur in bellum procedere cum aliquot millibus militum, ut hoc modo Siſeram præfectum Iabinis regis Canaan ad pugnam traheret, & attractum funderet. Sic Ioſhua jubetur fugere à facie civium Ai; ut hoc artificio à ſua urbe abducti perirent cum urbe ipſa. Maximè verò inſigne eſt illud quod habetur. 1. Sam. 3. & 4. Nam ibi ut Deus Iſraelitas maximè domum & familiam Eli ulciſceretur, jubet bellum juſtum in quo Iſraelitæ ab incircumciſis fundendi erant.

V. 22. *Abominationi [ſunt] Iehovæ labia fallacia, qui autem agunt fideliter, accepti ſunt ei.*

In אמונה (veritas) & רצונו (delectatio) שקר (falſitas) תועבת (abominatio) eſt meton. adjunct. In שפתי *labia* eſt Syn. partis pro toto homine; & meton. ſubject. pro adjunct. *ſermone.* Per labia falſitatis intelligit non omnem qui falſa loquitur: ſed qui falſis efferendis aſſueſcit, & illis proferendis ſe addicit. Nemo enim eſt qui non falſum aliquando dicat aut per errorem aut per imprudentiam, aut denique per infirmitatem, aut boni conſequendi, aut mali declinandi ergo; nec tamen idcirco Deo abominandi habentur: ſed qui addicti ſunt mendacijs, tametſi per jocum mendacia effutiant, in hoc numero ritè cenſeri poſſunt. Etiam hi qui veritatem dicunt, ſed ut noceant, aut nulla veritatis conſcientia inducti hoc faciunt. De his dicitur illos eſſe Deo abominandos. Grave eſſet ſi mortali cujus gratiam & benevolentiam captamus & qui nobis uſui ſit, ſi (inquam) illi parum grati & accepti ſimus: Gravius ſi eidem exoſi fuerimus: graviſſimum ſi nos abominationi habeat, id eſt nos ſummè

ſummè abominetur & deteſtandos ducat, adeo ut noſtri aſpectum non ferat. Quanto magis nos moleſtos haberet cum immortalis Deus in aliquem ita affectus ſit? Rem vero ita eſſe ut dicitur, ex hoc liquet quod videamus homines in illos potiſſimum exulceratos eſſe qui his oblectentur, quibus ipſi maximè contriſtantur; ut ſi quis religioſè admodum matrimonium colat, & ſuâ uxore acquieſcat is in adulteros vehementiſſimè fertur: ſi quis ſobriè ſe gerens parce & moderatè bibat, is magno odio & pœnè Vatiniano ebrioſos perſequitur. Cum igitur Deus veriſſimus ſit, & ipſa veritas; eum in mendaces animum offenſum habere neceſſe eſt. Ex quo etiam illud conſequetur homines nullum Dei erga ſe amoris teſtimonium colligere poſſe, cum mendacia probent, quæ ille improbet, falſitatem ament, quam ille odit; imò verò mendacio ſe oblectent quod ille abominatur. Si enim nos ab his alienum animum gerimus qui à noſtra vivendi ratione longiſſimè abſunt; eundem Dei erga nos affectum cogitemus, cum ab ejus ingenio & veluti moribus magno intervallo diſſiti & diſiuncti ſimus. Cavendum porrò ne mentiendo hominis gratiam colligamus cum jactura & diſpendio favoris Dei.

Deinde prætereundum non eſt quod labia Deo abominationi eſſe affirmet. Tametſi etenim ad totum corpus (ut dictum eſt) Synecd. transferatur; tamen præcipuè in illam partem corporis Dei odium fertur, quo Deus irritatur, quod etiam pœnam peccato analogam luet. Una etiam notandum Deum non tantum falſitatem, ſed & falſitate utentem abominari; quod peccatores ſibi perſuaderi non ferunt. In poſteriore hemiſt. dicendum videbatur labium veritatis acceptum fore. Sed Salomon ſecus loquitur nam non qui loquuntur, ſed qui faciunt, idque ſincere & ex animo Deo in deliciis ſunt. Vnum malum ſi in nos tyrannidem obtineat, ſatis eſt ad Dei odium, atque adeo abominationem accerſendam (tametſi mala inter ſe complicata & connexa ſint;) ſed ut quis ſe gratum Deo probet, oportet in omnibus non dictis tantùm, ſed & factis integrum & incorruptum ſe præbere.

Eſt autem eximius ad bene faciendum ſtimulus quo noſtram ſocordiam excutiamus, cùm reputemus id quod facimus Deo acceptum eſſe. Hoc argumento utitur Ap. Rom. 12. 2. 1. Theſſ. 4. 3. Qui locus hic illuſtratur cum non tantùm acceptum & gratum eſſe dicat, ſed longe acceptiſſimum. Vide Ioabi exemplum, qui cum animadvertit Davidis ſtudium & voluntatem de revocando Abſalomo ſe ſtatim iſtius rei perficiendæ miniſtrum obtulit. Si igitur quandoque à recto abduci periclitemur ſtudio conciliandæ voluntatis alicujus mortalis, etiam principis, ſuccurrat ilico quanti ſit benevolentiam Dei retinere.

Notandum porro ex æquo Deum abominari improbos, atque piis oblectari, & contrà: quod ægrè mortalibus perſuadetur. Tametſi etenim induci poſſunt ut credant pios plurimi à Deo fieri; tamen ſummo odio in improbos ferri non credunt.

V. 23. *Homo callidus tegit ſcientiam, animus autem ſtolidorum proclamat ſtultitiam.*

In לב cor eſt meton. cauſæ quia animus ſtulti cauſa eſt cur ore ſuo ſtultitiam prodit. Item in verbio יקרא *clamat* eſt metaph. à præconibus ſumpta qui magnâ voce & magnis lateribus principum edicta proclamant: ſicuti ſtultus ſumma fiducia & magno niſu & aviditate ſtultitiã

ſuam promulgat. Cum ſuperiùs dictum ſit ערום hoc libro non niſi in bonam partem uſurpari; quæri poteſt quomodo ritè in bonum & pium cadat ut ſcientiam celet, quæ multis uſui eſſe poteſt. Nam ſi qui frumentum cohibet execratione dignus ſit: quanto magis execrabilis cenſendus erit, qui rerum bonarum ſcientiam apud ſe repoſitam & reconditam habet. Huic eſt ut Mat. 25. in vituperio ponatur qui talentum defodit in terra, & Luc. 19. 20. *cui in ſudario reconditum aſſervabat*. Contrà vero Iob. 32. v. 18. 19. Eliahu *ſe inſtar vaſis vinarij plenum fuiſſe*, cui niſi ſpiraculum detur, rumpi & diffringi periclitatur. Intelligendum eſt quandam occultationem in laude eſſe, ſicut eſt in vituperio alia. Ita enim occultare ſcientiam bonarum rerum, ut aliis illarum notitiam invideamus, aut nobis propriam noſtri aut honoris, aut emolumenti, aut oblectationis cauſa reſervemus, juſtam reprehenſionem meretur: ut qui avaros & malevolos artifices imitemur, qui, ſi quid in arte ſuâ ingenioſum magis norint, illud commodi ſui cauſâ uſque eò celant, ut illa myſteria artis ſuis & propriis novitiis & tyronibus, qui illis in diſciplinam traditi ſunt, vix aut ne vix quidem aperiant. Sed ſi quis ſcientiam ſuam ita celat ut illam poſt in lucem proferendam magis fructuoſam reddat, is meritò laudandus erit. Haud ſecus ac pater familias ille commendatiſſimus haberi ſolet, qui frumentum, vinum, oleum, & alia victus ſubſidia cellis & granariis recondit, ut ſuo tempore illa ad hoſpitum, & domeſticorum ſuorum uſum proferat.

Quod quidem generatim & confusè dictum fuſiùs & ſpecialiùs ediſſerendum erit. Et quidem in hoc genere primum laudandi occurrunt hi, qui tametſi præclara alicujus rei cognoſcendæ fundamenta jecerunt, tamen non prius in vulgus ſpargunt, aut cum aliis communicant, quam illam plenè cognitã & perceptam habent. Qui ſecus faciunt ſervos imitantur qui ab heris nuncii parte acceptâ ſtatim ad illam partem expediendam feſtinant, nec dum totum nuncium expoſuerit herus, præſtolantur. In his vel maximè vituperandi ſunt qui eccleſiæ miniſterium in ſe ſuſcipiunt, cum centeſimam partem illius ſcientiæ quæ miniſterio obeundo idonea eſt, nondum perceperunt.

Solers præterea ſcientiam ſuam non omni tempore profert; ſed in diligendo tempore delectum & judicium adhibet. Sic Abigail non prius Nabalem ſuæ ſtultitiæ admonuit, quàm ipſe ſuam ebrietatem exhalâſſet. Hùc etiam ſpectat quòd alterius dicentis ſermonẽ non interrumpit: cùm ſtulto ita prurit lingua ut eam continere nequeat, quoad alius dicendi finem fecerit. Nec enim minùs de inſipiente ſuo ſermone laborat, quàm parturiens fœmina ut partum enitatur. Sic Chriſtus cum Phariſæis & doctoribus diſputans, tametſi ille & eorum objectiones & reſponſa præcognita habebat; tamen illis mutuas opponendi & reſpondendi vices conceſſit. Hujus loci eſt porrò ut primas partes dicendi natu grandioribus aut doctioribus concedamus.

Sic Eliahu tametſi inſtructior ad dicendũ, quàm omnes Iobi amici, & ad dicendum tam animatus ut ægrè ſe contineret; non tamen priùs dicendi initium ſumpſit, quàm provectiores ætate finem dicendi feciſſe comperiſſet. In hanc prudentiam & ſolertiam de delectu temporis peccant graviſſimè qui ſine debitâ Eccleſiæ vocatione miniſterium ſuſcipiunt; utcunq; illi ad eam rem inſtructi & parati veniant.

Loco etiam peccatur cùm quis illud publicè effutiat quòd privatim efferendum: & contrà. Præterea ut non omni tempore; ſic nec omnibus hominibus ſcientiã ſuam proponunt; ſed his tantùm qui ejus idonei ſunt auditores. Nec enim

ſanctum

ſanctum canibus, aut margaritas porcis projiciunt. Vide Prover.9. Adverſus hanc cautionem peccant miniſtri circumforanei qui deſertis propriis gregibus, in alienis gregibus paſcendis oberrant.

Ex his facilè liquet quid altero hemiſt. docetur, quod priori adverſorum lege, opponitur; ſtultum ſcil. non ſapientiam, quam non habet; ſed ſuam ſtultitiam, quâ abundat, effutire, id eſt, res parùm ſibi compertas loqui. Quòd ſi quid certi habet, non ſuo loco aut tempore, aut apud eos illud proferre apud quos deceret. Deinde quod vaſa inania magis tinniunt, quodque ſolers & prudens cunctanter & ſuſpenſo aliquando animo profert, illud ſtultum confidenter & abſque omni hæſitatione promulgare; non ſecus atque præco principum reſcripta atque edicta promulgat. Quod voce proclamandi indicaſſe Salomon viſus eſt. Denique eo ſtultitiam ſuam efferendi ſtudio incendi, ut vel tum cum ſilentium illi ab his quorum intereſt, imponitur, & os ejus lege aut pœnâ tanquam capiſtro conſtringitur tamen animo & deſiderio pergit. Silens veluti loqui.

V. 24. *Manus ſedulorum dominabitur, doloſa autem erit tributaria.*

Per manum ſynecd. partis deſignat totum hominem, quia manus inſtrumentum eſt quo quis punit improbos & remunerat pios, item inſtrumentum quo tributum penditur. In מס (*tributum*) item ſynecd. ſpeciei pro ſervitute omnis generis & abjectâ conditione, 1. Sam.2.3. Dominus dicit, *Honorantes me honore afficiam*: hoc autem loco dicitur homines ſua in rerum ſibi commiſſarum diligenti procuratione ad honores provehi. Hîc igitur locum habet quod dicitur ſubordinata non pugnare, neque impedimento eſſe invicem. Vide Proverb.22.ult.

Hujus exempla ſunt in Iacobo & Ioſepho, qui ſua in occupatione, aſſiduitate, magni evaſerunt. Maximè vero de Mardochæo hoc verum eſt qui cum aſſiduè in porta eſſet pro muneris ſui ratione, poſt princeps effectus eſt. Eſther 2. 19. Cõtrà in Iſſacare videre licet. Ge.49.14.

Hinc diſcendum ne honores ambiamus & more infidelium illis inhiemu. Potius operam adhibeamus ut in vocatione ſolicitè ambulemus; quod reliquum eſt Deo permittamus, qui excubias agit, ut promiſſis ſuis ſtet. Cave tamen ne in his mediis ſpem ponas. Vide Eccl. 9.11. quod Deus fieri vult, ne his externis nimis addicti ſimus.

Huic opponi videatur debere manus otioſa, ſed opponit doloſam: duplici cõpendio, quod qui otioſus eſt idem fraudulentus eſt ferè. Per otium enim fraudes fabricatur, &, ut labori ſuo parcat, fraude utitur. Deinde otioſi & ſe & alios fraudant labore qui ſibi & aliis debetur, & eſt fur ſeverius aliquando puniendus, quam qui publica via latrocinia exercet.

V. 25. *Sollicita anxietas in animo viri deprimit illam, res autem bona lætificat illam.*

Kimchi in ſuo מכלול hanc generis tam ſubitam mutationem inde eſſe ait quod relativum alterius generis cõcordet cum ſynonymo antecedentis, quod ſynonymum eſt ejuſdem generis cum relativo.

In ישחנה eſt metaph. deſumpta à rebus terrenis & pondere ſuo propter gravitatem deprimentibus. Multa cum ſint quæ hominem deprimunt, & animum ejus veluti loco ſuo in inferiores corporis partes depellunt & exturbant, ut ſunt labor & occupatio Eccl.1. itẽ morbi, carceres, fames, æſtus, frigus, & alia ejus generis externa Dei flagella; tamen nihil videtur

hominis animo infeſtius eſſe quam cùm mærorem in animo intus & incluſum habet. Is enim quò propiùs adhæret animo, eò animum ferit & exedit magis, eoq; difficiliùs avellitur ab animo. Hanc diſtinctionem afflictionum extrinſecarũ & intrinſecarum. Vide 2. Cor. 11.23,24, 25.26,27,28,29; maximè.vero v.28. Nõ quòd animum non percellant extrinſecæ afflictiones, quæ ſumpto initio à corpore ad animum pertinent & pertingunt; ſed quod illi dolores & mœrores acriores & magis mordaces exiſtunt, quæ ab animo ſumpto principio, poſt languore & tabe corpus afficiunt. Vide Prov. 15. 10.

In poſteriore hemiſtichio hujus remedium præſcribit. Homines hujus vitę gaudiis & hilaritati addicti vix incidere poſſe tempora ſomniant quibus contriſtentur: aut ſi dolor eos incautos & imprudentes præhenderit, fingunt nihil facilius eſſe. quàm mœrorem profligare, & ſe illum levi momento depellere poſſe. Quòd ſi altiùs inſideat dolor, quàm ut pro eorum voto abcedat; illicò hujus vitæ oblectamenta, ludos, jocos, vinum, ſuffitum, unguenta adhibent, quibus inſitum dolorẽ procul amandent. Quæ tamen omnia aut non proſunt, aut ſi ad tempus dolorem demulceant, tamen poſt acerbior & vehementior recurrit, & tanquam obductum non perſanatum vulnus recrudeſcit. In externis quæ nobis accidunt malis hæc linimenta utiliùs adhibentur, ut famen ſedarent alimenta, ſitim potus, fatigationem à labore ceſſatio, &c. ſed in his mœroribus quæ animo infixi adhærent unicum remedium eſt quod hoc loco Salomon apponit, verbum ſc. bonum, ſeu conſolatio ex verbo Dei deprompta. Hinc David Pſal. 119. 92. profitetur ſe malis in ſuis periturum fuiſſe, niſi Dei promiſſionibus ſuſtentatus fuiſſet. Vide Job. 33. 14. ad 24. Sic enim Jerm. 29. 10. *verbum bonum* pro promiſſionibus gratioſis ponitur, ut alibi ſæpe. atq; ex hac meditatione promiſſionis divinæ, nos Deo committere & curas noſtras omnes in eũ conjicere, Pſal. 55. 23. Hæc autem jactatio noſtri in Deum fit precatione Phil. 4.6,7. His autem præmiſſis, tum demum adhibendum vinum, muſica &c. Nec enim hoc Proverbio prohibemur tertio loco ad iſta externà ſubſidia recurrere, quæ etiam (dummodò legitima ſint) imperantur, ut Prov. 31. *Da vinum mœſtis animo.* Et Elizæus muſici inſtrumenti adminiculum efflagitavit ut ſe hoc pacto, pulſa animi triſtitia, ad munus comparet, 2. Reg. 3. 15.

Hinc liquet porro in vituperio eſſe eos qui in honeſtis cauſis non optimo animo ſint, & ſpe bona quæ eos reficiat: imo vero vituperio dari ſi ob peccata ſua caſtigati modum in mœrore non ſtatuunt, aut per patientiam è malis liberationem non præſtolantur. Atq; hi in primum mandatũ graviter peccant, ubi ſpes imperatur.

V. 26. *Obſervat ex proximo ſuo juſtus, at via improborum ſeducit eos.*

Hoc Proverbium, videri poteſt nihil continere quod non ſit ante pedes poſitum, & in communi omnium ſenſu. Cujuſmodi enim quæſo, hoc eſt, juſtum excellentiorem eſſe eo qui juſtus non eſt, timentem Deum profano? Ecquis eſt, pręſertim in his qui pietatem profitentur, qui hoc neſciat? Verùm ſi paululum attendamus, ſive ad hominum mores communes & pervulgatos, ſive ad tentationes quibus maximè pij exercentur, & examinantur, non nihil eſſe quod hoc Proverbio docetur, intelligemus. Nam apud mortales, ſi quando comparatio de præſtantia hominum inſtituatur, pietas & juſtitia à tergo rejiciuntur, neque unquàm

veluti in lancem aſcendunt. Sive enim contentio fiat inter nos & alios, ſive certamen ineamus cum aliis pro his qui nos aliqua neceſſitudine contingunt, primas his deferre ſolemus, non qui virtute & pietate præſtant, ſed qui rebus alij anteeunt. Si enim de eo agitur quis ſuperior eſt & aliis præponendus, quis ad magiſtratum evehendus; illico ad divitias, ad nobilitatem, ad amicos, ad literas recurritur, & his tantum externis & adventitiis ornamentis res tota conficitur. De præſtantia duorum contenditur? Illico lis ad hoc deducitur, & revocatur. Quiſnam eorum ditior, quis nobilior, quis doctior, quis natu major? quis robuſtior inter juvenes? Quæ pulchrior aut melius dotata inter fœminas? Vide Jac. 2. 12. Adverſus hoc Salomonis ſententiam fert cum docet juſtum nobilem injuſto præſtantiorem, divitem pium impio divite, &c. Imo vero juſtum omnibus iſtis ornamentis deſtitutum, & contrariis vitæ incommodis deformatum, excellentiorem eſſe eo, qui omnibus his conjunctim & acervatim vitæ præſentis commodis inſignitur. Quinetiam ſi linguis hominum & Angelorum loqueretur; quis & montes loco moveret: gratia tamen ſalvifica deſtitutus, & juſtitia inde oriunda, haud dignus eſt qui ad juſtum conferatur. Excellentior eſt juſtus quovis injuſta nobilitate generis, ut qui Deum habet patrem, Pſal. 16. hæreditate, ut qui hæres ſit cœli & terræ, victu ut qui paſcitur cœleſti manna, veſtita ut qui Chriſti juſtitia induitur: cum injuſtus ne viri quidem nomen meretur, Jerm. 5. 1.

Hoc etiam mirificè pios in illa tentatione ſublevat, qua hinc ex ſua afflicta conditione; illinc ex improborum proſperitate, & omnium bonorum affluentia ſummè contriſtantur; uſque eo ut ad defectionem à pietate ſollicitentur, Pſ. 73. & 37. Vide Malach. 3. 14. ubi Deus queritur de impia illa voce quam Iſraëlitæ jactabant, impiis bene eſſe, & timentes Dei operam & oleum perdere. Quibus Deus illud apud Iſaiam opponit: *Dicite juſto bene ei fore*; & contra improbis malè, cap. 57. 12. ad 21. Matt. 6. 33. Succurrat etiam hoc Salomonis *juſtum excellentiorem ſuo proximo*, tametſi ſummus & philoſophus & imperator fuerit. Quamobrem juſtitia & pietas ante omnia, comparanda.

In poſteriore hemiſtichio rationem reddit hujus dicti, quia via malorum, ſive illa ſit nobilitatis, ſive divitiarum, ſive interioris ſcientiæ, illos in errorem impellit, id eſt, deteriores facit: [immundis omnia ſunt immunda.] Deinde etiam his vitæ commodis, quæ ſequuntur ſtudioſè, imponetur illis, qui fœlicitate, quam ſe conſequuturos ſperant, excidunt.

V. 27. *Non aſſabit doloſus quod venando ceperit, ſubſtantia autem hominis pretioſa ſedulus [fruitur.]*

In voce יחרך (*aſſabit*) eſt ſynecd. ſpeciei pro non fruetur. Item in צידו ubi venatio ponitur pro omni præda aut ſpoliis.

Hominis natura, ut eſt ſui ipſius lena, levi momento adducitur ut ſibi habenas peccandi remittat, quas Deus contrahit. Quod cum per juſtitiam Dei facere ſe nō poſſe ſperat, niſi id quod agit ex peccati cenſu & æſtimatione eximat, id ut faciat ſedulo conatur. Atque multa cum ſint peccatorum genera quæ velut larvata virtutes mentiantur: tum nullum videtur ferè peccatum magis dealbatum & infucatum, quàm quod dolo & aſtutia rem alienam intercipit. Vide 1. Theſſal. 4. 6. Eph. 5. Col. 3. Si enim quis dolo & callidis conſiliis alium rebus ſuis evertere queat, is quoniam lege civili non tenetur, ſibi tanquam re bena geſta applaudit; tantum abeſt ut rubore ex ea re perfunda-

fundatur. Atq; cum à dolo & aſtutia nulla in re abhorrent, tum maximè ſibi indulgent, ſi illam in venatione, & ferarum inſectatione exercuerint. Quotus enim quiſque eſt qui ſibi non omnia in aucupiis & venationibus licere putat, quod feras agreſtes omnium communes eſſe ſtatuat. Atqui utut civili lege cautum non eſſet, ut quæ ſeptis & macerie cinguntur communis juris non ſint; tamẽ alterius agrum invadere, & feræ agreſtis, vel perdicis inſectatione ſegetes conculcare, aut demũ illa exercitatione ad ſatietatem uti, quid aliud eſt quàm dolo & illegitimè prædam captare? Cum igitur prædam & venationem prohibeat Deus dolo & æſtu intercipi, & proximum ſuum circumvenienti pœnam irroget, palàm eſt eum in omni negotio & commercio hominum fraudem exoſam & ingratam habere. Hæc formula loquendi è medio petita eſt, quòd ſæpè fiat ut captam venationem canes devorent, & piſcationem catus, denique quòd aves avolent quas auceps aucupio acquirit, priuſquàm aſſentur; aut ſi igni admoveantur tamen inde ſurripiantur: ex lege petita eſt, quæ peccatoribus & legis divinæ violatoribus comminatur *eos vineam conſituros ex cujus vino non bibent, agros ſaturos cujus meſſem non percipient, domum ædificaturos in quâ non habitabunt, oleum expreſſuros quo ſe non ungent*: ex quo notandum eam pœnam unius mandati violationi irrogari, quę in lege totius legis tranſgreſſioni infligitur: ut ſi totam alioqui legem obſervaris, in uno autem penitus inofficioſus reperiaris, totius legis violatæ reus teneare.

Sed verba expẽdamus: cùm dicit יחרך, non obſcurè indicat poteſtatem injuſtis & avaris fieri ut prædam quam captant fraude, nanciſcantur, ut domum ſecum referant. ut pelle exuant, etiam igni ad torrendum admoveant: ſed priuſquàm plene torreatur per vim illis auferri. In quo obſervandum eſt hominis ſibiipſis imponere, qui, ſi quod cupiunt & affectantur, ſemel intra manus ſuas concluſum teneant, ilicò rem omnem confectam putant, & in vado eſſe: nec cogitant prædam illis aut illos prędæ priùs abripi, quàm illâ uti frui concedatur. Perinde enim uti illi, faciunt qui pecuniam acquiſitam ſacco perforato recundunt. Vide Parab. Luc. 16. quâ docet vitæ hujus prorogationem non conſiſtere in hoc, ſi quis multa poſſideat, cùm (ut eſt in Proverbio) *multa cadant inter calicem ſupremaque labra, muta inter os & offam*. Nam utut omnia convexiſſet & comportaſſet in horrea & granaria; tamen illi ne gry quidem guſtare conceſſum eſt. Vide Iob. 18. ubi dicitur *famelicum meſſem facturum alienæ ſementi*. Sic Exod. 16. 20. Quod vafrè contrà quàm illis mandatum eſt in craſtinum reſervarunt, antequàm aut coctum aut aſſatum venit computruit & vermibus ſcatebat. Nonnunquam fit ut uſq; eò ſuccedat dolus hominis, ut quòd dolo nactus ſit in os ingerat. Vide Prov. 20. 17. *Dulcis eſt panis falſitatis, ſed poſt implet os ejus ſcrupis.* Vide hujus rei exemplum. Num. 11. 33. 1. Sam. 30. 16, 17.

Notandum verò Deum tanto ſeveriùs vindictam ſumere de hominũ fraudibus, quo illos propius ad fraudi comparatarũ facultatum uſum accedere ſinit. Nam ut veteratores quo propius accedunt ad interverſarum pecuniarum fructum, & eò lætantur magis, & ſibi tutam & ſalvam earundem cuſtodiam fore reputant: ſic ſpe illâ tam propinquâ excidentes gravius & acerbius torquentur. Tolerabilius enim ei fuiſſet ſi ædificio inchoato, vinea nondum vindemiat, meſſe nondum in horreum comportata, &c. illis privatus fuiſſet. Tremant igitur ſemper vafri & veteratores, nam ut prædam capiunt non tamẽ fortè domũ ducant non torrebunt: ſi torreant, tamen dum adhuc in ore eſt,

regur-

regurgitare coguntur: Quinetiam, quod majus eſt, etiam ſi deglutierint, tamen juſto Dei judicio cogentur quod comederunt evomere, ut eſt apud Iobum.

Poſteriore hemiſt opponit doloſo ſedulum, & opes juſtè acquiſitas, his quæ fraude congeſtæ ſunt. Affirmat autem opus ſeduli eſſe pretioſas, id eſt, magni ſimul & duraturi uſus. Hinc illud Pſalm. 37.16. Quò etiam ſpectat quod ſuperiùs commemoratum eſt, Lucæ 16. *Vitam hominis non conſiſtere in eo quòd quis multa poſſidet.* Quamobrem ſi cui cordi ſit vitam in terris prorogare, & illam jucundè tranſigere, ei curæ eſſe debet non tam (quod uſu fit) ut multa accumulet quàm ut juſtè & legitimè abſque fraude parta & comparata ſint. Fraus etenim tanquam tinea veſtes, aut tanquam ærugo pecuniam erodit atque exedit. Neque profuerit foras fures abigere, cùm intùs domique tuæ atque adeò in ipſis animi tui penetralibus fraudem tanquàm furum manipulum alas, quæ una fraus tanquam ὁδηγὸς furibus & latronibus omnes & portas, & valvas, & arcas reſerabit.

V. 28. *itinere juſticiæ [eſt] vita, & via ſemitæ ejus immortalis eſt.*

In vocibus דרך ארח נתיבה eſt metaph. omnibus obvia. Deinde in vocibus חיים (*vitæ*) & מות (*mors*) eſt ſynecd. proſperitatis & adverſitatis,

Natura depravata intus, foris vero diabolus & mundus aſſiduè nobis & animis noſtris dictitant, periculum eſſe vitæ & valetudinis, ſi quis juſtitię ſe dedat, & ejus ſtudio ducatur; neminem eſſe qui vitam hanc ægrè toleret, niſi laxatis juſtitiæ habenis, fraudibus locum concedat; magnum eſſe compendium vitæ, ſi quis temporibus, & ſcenæ (quod dicitur) inſerviat. Huic tentationi occurritur cum dicitur vitam eſſe paratam his, qui in orbitâ juſtitię inſiſtunt: viatores ſe ferè omnes animati ſunt, ut illas vias conquirant, & inventas ineant terantque, in quibus nullum vitæ diſcrimen cernitur, neque aquarum inundatione, neque præcipitiis, neque latrociniis. Quum igitur iter nobis neceſſario ingrediendum ſit, neque via alia in commerciis gerendis tuta eſt & à periculo exempta præter juſtitiam; eam amplexemur, tam magno præſide, authore, ſuaſore, quàm eſt Salomon, vel potius in Salomone Deus.

Quod quidem tanto nobis magis faciendum erit, quo in viis & orbitis conficiendis operæ pretium habetur; ſi nihil dāni aut periculi afferant. Cum igitur in viâ juſtitiæ; non modo damni nihil aut periculi ſit; ſed porro etiam vita ipſa ſe nobis iter conficientibus offert, ab illâ viâ diſcedere, aut latum, quod ajunt, unguem deflectere ſingularis perverſitatis eſt.

In poſteriore hemiſtichio docetur omnes juſtitiæ actiones tanquam tractus & ſemitas tutas eſſe. Plerique enim omnes arbitrantur jus & juſtitiam eſſe colendam; & in pleriſque honeſtum & utile eſſe ſtatuunt ad juſtitiæ ſe normam & regulam conformare; ſed eſſe caſus quoſdam tanquam ſemitas, quibus non poſſunt ſine præſenti diſcrimine inſiſtere: ut ſi ad jus præſtandum in diſcrimen famæ, bonorum, atque adeo ipſius vitæ adducantur ut ſi princeps aliquid quod [injuſtum ſit], fieri mandaret, aut ſi pro fide ſervanda omnium jacturam faceret.

Deinde cùm dicit non eſſe mortem in ſemita juſtitiæ occurrit alteri difficultati. Subit enim animos noſtros cogitare, eſſe quidem in juſtitiæ cultu commodi aliquid, & quod ad vitam pertineat: ſed eſſe etiam incommodi aliquid & quod periculum damnumq; minatur. His occurrit Salom. cum dicit in ſemita juſtitiæ vitam tantum eſſe, non mortem,

non γλυκύπικρον, nil niſi quod dulce, & mellitum ſit.

CAPUT XIII.

Verſ. 1. *Filius ſapiens* [*auſcultat*] *eruditioni patris, at deriſor ne ulli* [*quidem*] *auſcultat increpationi.*

IN voce בן eſt ſynecd. ſpeciei, filij pro omnibus his qui alterius ditioni & poteſtati ſubſunt; itidem filij pro liberis utriuſque ſexus, ſicut in voce אב ſynecd. eſt ſpeciei pro omnibus his, qui authoritate œconomica, civili aut Eccleſiaſtica præſtant: ita tamen ut his vocibus vel maximè intelligantur iſta quæ vocum proprietas deſignat.

In priore hemiſtichio eſt ellipſis vocis שמע quę ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex poſteriore hemiſtic. accerſenda eſt, ut כן ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex priore hemeſtichio.

Magnos ſtimulos obędientiæ admovere ſolet laus, quæ ab hominibus habetur his qui in officio ſunt: quamobrem gloria quæ à Deo hominibus tribuitur, eos quàm maximè accendere debet, ut his quorum intereſt, obtemperent. Cum igitur Deus eos omnes pro ſapientibus habeat, qui ſuis præfectis, maximè parentibus obſequuntur; magnæ perfidiæ indicium eſt hominum inanem gloriolam captare, & veram quæ à Deo eſt exiſtimationem non amplexari. Cum vero multa epitheta eſſent quibus obſequentes filios & alios, qui alterius poteſtati ſubſunt, ornare poſſet Deus; unum tamen hoc virtutis inſigne delegit, quod præſenti cauſæ oportuniſſimum erat. Nam cum humanitus ſibi & ſuis ingeniis omnes confidant, & hunc ferè de ſe animum induunt, ut ſibi ipſis præclarè moderari poſſe videantur; Salomon tamen ut huic naturæ vitioſitati & corruptelæ occurreret, definit ſapientiam eorum qui ſubſunt, in obſequio & obedientiâ conſiſtere. Quãobrem non dicit bonum, aut benignum, aut ingenuum, aut gratum filium eſſe, qui auſcultat patri; ſed ſapientem filium eſſe, qui &c.

Voce eruditionis non tantum præcepta & documenta intelligit, ſed & caſtigationes quæ ad præcepta animus altius inſigenda accommodatę ſunt, ſicut ex antitheſi poſterioris hemiſtichij clariſſimè liquet. Senſus igitur eſt ſapientem filium caſtigationem parentis etiam duram & aſperam & cujuſcunque tandem generis ſit, admittere. Plerique enim reperiuntur qui mollem & levi brachio illatam caſtigationem æquè ferunt; paulo difficiliorũ & magis aſperam rejiciunt: Admittunt quidem illam quę verbis mitioribus & lenioribus fit; illam vero quæ acerbitatis aliquid habet renuent: eam quæ verbis fit, modo abſint verbera: placidè accipiant; illam vero quæ ad verborum & minarum acerbitatem verbera adjungit, averſantur & reſpuunt.

Ita nobis cara & grata eſſe debent documenta, præſertim illa quæ ad vitam æternam referuntur, ut vel à paribus illa imo vero vel ab inferiore loco conſiſtentibus profecta ambabus ulnis amplecti deceat; Nedum cum ab his informentur & præcipiantur qui authoritate præſunt: maximè vero cum a parentibus, qui nos quàm chariſſimos habent, & quos nos arctius complecti convenit, ingeruntur. Atque non tantum parentibus auſcultant ritè & ex verbi præſcripto corripientibus, 1. Petr. 2. 18. ſed modum excedentibus parentibus non ogganniunt, Heb. 12. 10. Neque tamen obſequium ita commendatum nobis eſt, ut finibus quibuſdam & cancellis non circumſcribatur: ſemper enim illud meminerimus Apoſtoli [in domino eſſe parendum.]

Hinc

Hinc liquet patris officium eſſe liberos admonere & corripere, atque adeò omnium qui rerum potiuntur, eos qui illis ſubſunt cùm verbis, tùm verberibus (ſi res ita poſtulat) caſtigare; ut eos in officio contineant, aut ab officio deficientes ad frugem revocent: neque vel incuriâ vel nimiâ indulengentiâ committendum ut illi vitę ſuę habenas eorũ arbitratu aut laxandas, aut contrahendas, aut remittendas aut adducendas permittant. Neque ſatis ſe feciſſe exiſtiment ſi illos præceptis & documentis pietatis & juſtitiæ imbuerint. Hoc à Davide & Eli factum abundè fuiſſe quis addubitârit? Sed tamen cùm caſtigationem aut nullam aut non juſtam & debitam adjunxerunt, illis præcipitii & interitus cùm in hoc ſæculo, tum in futuro cauſam dederunt. Parentum bona pars, maximè dominorum ſe officio ſuo præclarè defunctos putant ſi ſuis aut filiis aut ſervis de victu & veſtitu proſpiciant: quod ſi documenta ſuperaddant tum mirificè ſibi de munere expleto applaudunt: ſed amplius aliquid requiri ex hoc loco & aliis pleriſq; conſtat. In poſteriore hemiſtichio ſapienti filio opponit filium deriſorem: quis autem ille ſit breviter definit. Eſt autem is qui ne parentis quidem ſui vel verbo caſtigationi auſcultat, aut illã æquè fert: cùm ſapiens nullam non, aut verbis, aut verberibus illatam ſibi caſtigationem renuit. Documenta audiet quidem ille quę in univerſum & in genere traduntur, Iſa. 1. 5, 6. Si quid porrò ſit in quo laudetur, illud avidè ſatis arripiet: ſed cùm quæ in genere dicuntur, ad illum vituperatorie accommodantur, ilicò æſtuat, & per impatientiam omnia rejicit. Vide Actor 7. quomodo Stephanum prolixâ oratione utentem diutiùs placidè, & quiete ferebant, uſque ad verſum 51. Vide Actor. 22. ad 21, 22. Quid? quòd non tantùm æquo animo non admittunt; ſed illos adoriuntur, qui eos verbis caſtigant. Vide Prov. 9, & Math. 7. Vide Exod. 2. 13, 14. Nec tamen propterea deriſor habendus eſt & ilicò deſerendus qui ſemel atque iterum reprehenſionem aut redargutionem repudiat aut in corripientem inſurgit: Nam & Aſa 2. Chronic. 16. 7, 8, 9. qui pii regis teſtimonio ornatur in hunc lapidem ſemel impegit: ſed qui pertinaciter & obſtinatè hoc facit, nec ſine ludibrio eorum qui eum corripiunt. Vide Math. 18.

V. 2. *Fructu oris [ſui] quiſq; fruitur bonus, anima verò perfidioſorum [fructu] violentiæ.*

In יאכל (*commedit*) eſt metaphor. tranſlata à comeſtione ad fruitionem; quia quod quis comedit eo fruitur, & illud habet. In voce נפש anima eſt ſyn. partis pro hominis perſonâ, Et verbum יאכל ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum ex priore hemiſt. In בגדים prævaricantium videtur eſſe ſyn. generis: nam reſtringitur ad illam prævaricationem quæ ore & linguâ admittitur.

Apoſtolus anatomen humanæ pravitatis in corporis membris confecturus plus in uno hoc ſermonis inſtrumento inſiſtit, quàm in aliis omnibus corporis partibus. Nec enim ſatis habuit illam pravitatem ex unico ſermonis inſtrumento arguere, niſi omnia perſenſeret: [guttur ſepulchrũ patens eſt, linguis ſuis ad dolum abutuntur, venenum aſpidis ſub labiis ipſorum, os eorum plenum eſt execratione & amaritudine.] Quamobrem non mirum videri debet ſi in illo membro reformando & poliendo tantoperè laboret Spiritus ſanctus, partim adhibitis blãdis promiſſionibus erga eos præſtandis qui linguis ſuis rectè moderantur; partim minis intonando, ſi quis laxatis habenis, linguæ petulantiam non comprimat.

Et primum quidem legitimi uſus linguæ compendium notat diſſimilitudine arboris quæ non ſibi ſed aliis fructum edit; cum qui benè & legitimè lingua & ſermone utitur, fructum quem fert ipſe percipiet. Deinde quod in arborum fructibus ſæpius fit, ut alius plantet & colat hortum, alius fructum auferat: ſed qui linguę bene moderatur, fructum refert, quem nemo illi præripiat. Denique quod arbores ſemel in anno fructum agricolis reddant: cum linguæ debitus uſus aſſiduè ferax ſit bonorum, quibus gaudet ea rectè utens. Fructus autem quos ſermo purus & rectè iuſtitutus profert, cum ſint genere diverſi (contrà quam in arboribus fit, quæ ferè omnes fructum unius modo generis edunt) unus iſque primarius eſt quem Chriſtus expreſſit, *ex verbis tuis juſtificaberis.* Matth. 12. Neq; leve eſt quod Apoſtolus commendat Roman. 6.22. ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμὸν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον. Cum autem tam munifica ſit puri & incorrupti ſermonis compenſatio, nec quidquam facilius cenſeatur inter homines, quam ſermones ſerere & linguam verſare: noſtram inſignem eſſe oportet naturæ perverſitatem, qui res tanti pretij tam levi labore non comparemus. Anima perfidioſorum, ſeu perfidioſi comedent violentiam, id eſt violenter opprimentur, ut ſit eodem ſenſu quo eſt poſterius hemiſtichium verſ.6.cap.10 prov. Ac ſi dicat, quemadmodum lingua rectè utens bonis veſcetur veſcenti gratis & concupitis: ſic qui illa ad petulantiam ab utitur obruetur malis quæ illi admodum ingrata & acerba erunt, & quæ niſi coactus nunquam admitteret. vide Matt. 12. *ex verbis tuis condemnaberis.* Præterquam quod pleriq; reperiuntur qui inſulsè quæ minus dicebat effutientes, eadem adverſus vitam ſuam efflarunt. vide exemplum Adoniæ Abiſagum in matrimonium petentis, & Amalekitæ qui Saulem à ſe interfectum nunciabat.

V. 3. *Qui cuſtodit os ſuum, conſervat ſeipſum: qui divaricat labia ſua, contritio* [*evenit*] *ei.*

In verbo פשק (*diſtendens*) eſt metaphora à diſtenſione labiorum deformi ad verborum turpem redundantiam deſignandum: non diſſimilis illi quæ habetur 4. 24. ubi verborum perverſitatem diſtortione illuſtrat.

Hoc proverbium magnam cognationem habet cum proverbio quod extat 10.19. niſi quod ordo inverſus eſt, quia quod illic poſteriore hemiſt. commendatur hîc priore ponitur. Non parvam etiam cum proximè antecedenti proverbio affinitatem habet. In eo tantum videtur diſcrepare quod cum in ſuperiore proverbio purum & incorruptum ſermonem laudet & contrarium damnet, hoc loco parcum linguæ uſum commendat, & redundantem exitialem eſſe prædicat.

Verbum נצר (*aſſervans*) ſignificationem habere cohibitionis vide 7. 11. Videtur os comparare non incommodè portæ civitatis, quia ex omnibus corporis partibus portas imitatur, ut quod nunc aperitur, nunc clauditur, nunc reſeratur, mox obſeratur, ut fit in portis civitatis: atque eo ipſo reliquum hominem urbi aſſimilat. Sicut igitur in urbe ab hoſtibus obſeſſa plurimum intereſt ut portæ opportunè aut claudantur aut recludantur, & ut ſollicitè caveant ne quis dubiæ fidei ingrediatur aut exeat: ſic etiam in oris diligenti cuſtodiâ, opportunâ loquutione, aut ſilentio, ſumma & veluti caput ſalutis hominis conſtituitur: hanc partem verſus mirificè amplificat, & confirmat Iacobus 5.1. 2.3. Quamobrem opera danda eſt ut ſicut ad portæ cuſtodiam vigiles deſig-

deſignantur:ita precibus à Deo cum Davide contendamus, ut ipſe Sanctum ſuum Spiritum ori aſſervando præficiat, qui vnus ori moderando idoneus eſt. Nemo enim quantumcumque experrectus aut conſultus,ſeu naturæ quadam dexteritate, ſeu doctrinæ & literarum inſtitutione, ori ſuo ita temperare novit ut animæ ſuæ ex ſermonis pravitate & redundantiâ æternam jacturam non faciat, niſi Deus per Spiritum ſanctum ejus regendi curam accipiat. Quid? quod plærique ſecundum carnem ſapientes judicati,hominum etiam tribunali ſe obnoxios reddiderunt, quod linguam ex improviſo præcipitârunt. Quod majus eſt, non defuerunt pij & fideles qui affectibus nimium indulgentes, & neglectis Spiritus ſancti excubijs, ſe ſceleratis ſermonibus in grave vitæ periculum conjectarunt.vide exemplum Davidis in juramento quo ſe ad cædem Nabalis & totius familiæ ſuæ conſtrinxerat. 1. Sam. 25. Vide etiam Iacobi exemplum quo temerè pro totâ familiâ ſuâ ſuſcepit Labanis idolâ furto oblata non fuiſſe;eoque ipſo facto Rachelem morti obnoxiam feciſſe. Gen.31,31.

In poſteriore hemiſt. docet periculum grave qnod illos manet quibus os nimis dilatatum eſt. Nam ut civitas iila facilè ab hoſte capitur cujus portæ non aſſervantur:ſic &c. Notandum verò Salomonem in voce פשק qua diſtentionem & divaricationem labiorum notat (metaphorâ à corporeis rebus ad animum tranſlata) turpitudinem & deformitatem corrupti & perverſi, maximè redundantis ſermonis deſignare. Nam cum omnes abhorrent ab eo qui diducit & divaricat labia ſua, tanquam ab homine incivili & inurbano;nedum hoc juſtius facient erga eum qui verboſitate modum & menſuram excedit. Eſtque formula loquendi ſimilis illi quam ſuprà notavimus, cap.4. 24.4. 12.ubi ſermonis perverſitatem aſſimilat ori diſtorto & deformi. In hoc igitur voce deliteſcit argumentum ab adjuncto dedecore quod ſermonem immoderatum ſequitur. Quemadmodum enim labiorum divaricatio hominibus urbanis odioſa & turpis eſt: ſic ſermo profuſus Deo & beatis angelis; & demum hominibus bene couſultis inviſus & exoſus exiſtit.

Alterum argumentum quo tanquam lupato os nimis ſolutum conſtringit, eſt damnum quod inde ſequitur: adverſum penitus commodo quod percipit is qui ſibi in ſuis ſermonibus temperat. Nam ut inde ſalus cum in hac tum in futura vita aſſurgit:ſic ex ſermonis profuſione nõ lędimur & vulneramur tantum;ſed penitus convellimur & confringimur. Nam cum c.10.19 dicat.in verborũ copia non defuturam defectionem ſeu prȩvaricationem: mirum videri non debet ſi peccato tanquam corpore præeunte, contritio ſeu confractio tanquam membra conſequantur. Hominibus parum veriſimile fit verba quæ tam levi labore emittuntur, & efferuntur, tantam vim habere ut hominem atterant & confrigant, præſertim cum verbis nihil aut levius aut mollius videatur: ſed Salomon notat magnum pondus illis ineſſe vel ad nos in vita ſervandum vel ad more plectendum.

Quod porro dicit ſuperfluum ſermone ſibi confractionem aſciſcere non caret emphaſi. Perinde enim eſt ac ſi dicat ſæpius fieri ut noxio ſermone hi etiam pereant, quorum ille voces aures circumſonant. Sed ſi iſtud non fiat(quod aliquando fit) tamen nunquam non illi interitum conſciſcunt qui in ſermone delinquunt. Quod etiam in priore hemiſtichio intelligendum, ut ſi minus moderato ſermonis uſu aliis non proſimus, noſtras tamen animas liberabimus. vide Ezeck. 3. 19. & 18.

Denique notandum eſt pleroſque ferè omnes paulò conſultiores in eo ſedulò laborare & operam ſatis bene ſtrenuam navare, ne quid illis in ſermone excidat quod illos hominibus obnoxios reddat: paucos tamen inveniri, qui cum ad Dei colloquium ſe ſiſtant aut admittantur, ſolliciti ſint de ſuis apud ejus majeſtatem verbis prudenter & cautè moderandis: quod tamen vel maximè faciendum ſive Dei majeſtatem reputemus, ſive periculi gravitatem cogitèmus, quæ ex illâ ſermonis temeritate & inconſiderantiâ promanat. Quamobrem Sal. Eccl. 5. nos ad illam ſermonis cautionē potiſſimum excitat omninoque ſtatuendum eſt ſapientiſſ. & conſultiſſ. quoſque hominum judicio aliquando in ſermone erga homines ita peccare ut inde grave damnum ſibi accerſant, quia in precando Deum tam diſſoluti & oſcitantes extiterant.

V. 4. *Deſiderio permovetur anima ipſius pigri, ſed nihil* [*aderit:*] *anima verò ſedulorum efficietur pinguis.*

In נפש (*anima*) eſt ſyn. totius nam tota anima ponitur pro facultate animæ concupiſcibili. In verbo תדשן (*impinguabitur*) eſt metaph. à corporis obeſitate ad animæ ſaturitatem.

Ex poſteriore hemiſt. intelligitur ejus deſiderium verſari in cibis & cupediis, tametſi non alienum eſt ſi hîc ſynecdochen ſpeciei intelligamus. voce עצל (*pigri*) deſignatur is qui nulla legitima occupatione ſe exercet; ſive is nulli honeſtæ arti ſe addicat, ſive artem profeſſus illius exercitium negliget. Quamobrem non tantum hi otioſi ſunt qui nihil agentes deſident; ſed hi etiam qui circumforanei huc illuc curſitāt, & ſe aliena & πάρεργα agendo odioſos præbent. 1. Tim. 5. eædem ἀργαὶ & περίεργοι vocantur. Hoc autem hominum genus cujuſmodi eſt, ſuperius ex 6. cap. accepimus. ubi, plæraque ejus cum effecta tum adjuncta graphicè depinguntur. Hoc autem loco hunc effectum illi attribuit, ut frequens & multus ſit in appetendo ſeu cōcupiſcendo. Cujus qudem cauſæ non contemnendæ ſunt, quod labore ſoluto cupiditates laxātur, quæ opere aliquo faciendo cohiberentur & veluti in ordinem redigerentur. Nam cum homines ita comparati ſunt ut aliquid facere neceſſe habeant, fit ut laboribus abjectis ad crebras epulas proſiliant. Deinde quod, cum graviori occupatione fatigati famem contrahant qua atrum panem & viliſſima quæque cibaria grata habeant; deſidioſi otio torpentes appetentiam jacentem habent, eoque exquiſitiores cibos appetunt. Hinc eſt quod propheta Ezek. Sodomorum otio & deſidiæ panis ſaturitatem & edacitatē conjungat, Et Ap. 1. Tim. 5. *Viduas juvenes quæ otioſæ diſcurrebant laſciviæ inſimulat.* Et certè ſi ad mores deſidioſorum parum attenderimus, & quod verum eſt fateri velimus, nullos animadvertemus qui ſermonibus ſuis & ineptis optionibus hunc gulæ morbum prodant magis, quam qui otioſi ſunt. Hinc enim ſæpe erumpunt inſipida vota, O utinam hunc & illum cibum aut potum haberemus. O quam fœlices Iſraëlitæ quibus Man cælitus demittebatur quotidiè, & qui coturnicibus compluti ſunt. Optiones etiam de aliis bonis eructant, veluti ut docti aut ſcientes eſſent, periti hujus & illius artis: ſed illas tamen omnes optiones ad ventrem aut gulam referunt, ut ſcil. ſe cibo & potu tanto commodius infarciant, non quod illa præclara Dei dona per ſe expetant.

Hujus autem cupiditatis quis effectus ſit docetur, nempè quod nihil inde ſuis deſideriis boni accedat; imo vero plurimum incōmodi & cruciatus. Nam quemadmodum deſiderium expletum homini perju-

perjucundum eſt: ſic deſiderium quo quis fruſtratum ſe ſentit animum cruciatu torquet. Quod autem nihil habeat deſidioſus duplici ratione fit. Primo quidem quod neque cupiditas nuda, ut hoc loco; nec verba & ſermones tantùm, ut poſt 14. 23. magis ad victum acquirendum proficiant, quam ſi quis ex vento fœtum aut liberos, aut ex paleis ſementem expectaret. Hinc eſt quod vulgo apud nos proverbio celebretur. *Wiſhers and woulders are no good houſ-holders.* Deinde Dei mandatum huic doctrinæ ſuffragatur. *Qui non laborat non manducet.* 2. Theſſ. 3. 10. & illud Gen. 3. *In ſudore vultus hic comedes.* Denique plæriſque hominum animis inſidet ingenitũ quoddam odium deſidioſorum, ut qui in Deum amore otioſis victum non intercludunt, tamen illud facient ingenito quodam deſidioſorum odio.

Quod autem hoc loco de his dicitur qui in quotidiano victu comparando ſegnes & otioſi ſunt, id multo verius dicitur de his qui cunctantur & deſidioſi ſunt ad panem vitæ comparandum. Nemo enim eſt tam à mente ſua alienatus quin cupiat ſervari, & ad vitam cæleſtem pervenire, ad eamque rem adipiſcendam crebras, non preces, quas neſcit, ſed optiones ejaculatur. Sed ut deſidioſus alimenta avidè expetit, & tamen abhorret à mediis quibus ad illa acquirenda perveniтur: ſic etiam uſuvenit in his qui in corruptelis ſuis putreſcunt. Quibus utriſque non incõmodè quadrat quod veteri proverbio celebratur: catus lactis aut piſciũ deſiderio tenetur, nec tamen ſuſtinet ſeu lacte ſeu aqua pedes humectare.

Anima autem diligentium & ſollicitè invocatione inſiſtentium pinguis reddetur. Multa ſunt apud Salomonem quibus tanquam ſtimulis ſedulorum diligentia in opere honeſto faciundo acuatur. Quo etiam tanquam ex adverſo argumento confirmatur prior pars hujus verſus. Tametſi enim nec in cura nec ſollicitudine cujuſquam hoc conſtitutum ſit, ſed in Dei benedictione; tamen Deus, maximam partem, hominum labores hac benedictione perſequitur, etiam eorum qui à fœdere alieni ſunt; nedum ſuorum qui ejus gloriam quærunt,

In his autem qui ſeduli & ſolliciti ſunt ad quærendum regnum cælorum hoc multo magis verum comperitur. Nam diligentes & aſſiduos in parando victu, aliquando Dei benedictio deſtituit: nunquam autem illis non adeſt qui cæleſte pabulum perſequitur.

V. 5. *Rem falſam odit juſtus, improbum verò [illa] reddit fœtidum atque pudefacit.*

In voce דבר verbum eſt meton. adjuncti vocis pro re ſub voce comprehenſa. In יבאיש (*fœtidum faciet*) eſt metaph. à rebus corporeis putredinem accelerantibus traducta ad res incorporeas ſcil. falſitatem, quæ non minus homines ea utentes exoſos reddit, quam putredo alimenta. In ויחפיר (*vultus dejiciet*) eſt metaph. traducta à fodientibus ad eos qui rubore perfuſi ex peccato caput in terram demittunt, inſtar eorum qui terram defodiunt. Re falſa omnem à veritate declinationem, & aberrationem indicat, ſeu verbis ſeu factis è cogitationum tenebris in lucem elatam. Quam omnem Sal. affirmat odio haberi à viro juſto, id eſt eo, qui gratis à Deo juſtificatus juſtitiam colit & eam pro ſua tenuitate & virili parte tuetur. Quum etenim Dei charitas juſtorum cordibus infuſa ſit, fieri nequit quin divinæ erga ſe charitatis ſenſu, ilico mutuus in Deum amor animis eorum accendatur, qui eos ita conſtringit ut id omne quod Deo adverſum eſt odio perſequantur.

quantur. unde illud. *Diligentes Dominum odio habete quod malum eſt.* Pſal. 97. 10. Deum proinde cum conſtet verum eſſe & ipſam veritatem, falſitatem illi infenſam, juſtis ingratam & infeſtam eſſe neceſſariò conſequetur,

Hîc præcipuè notandum eſt juſtitiæ ſummam non in eo tantum conſiſtere, ſi quis à falſitate ſe cohibens illi operam non det, nec eam aut facto aut dicto exprimat; ſed ſi quis ita animo comparatus ſit ut illam exoſam habeat, ejuſque odio mentem, ſi non imbutam, at certè aliquouſque tinctam gerat. Sunt enim plærique qui à fraudibus ſibi temperant, quod pænam vel æternam, vel temporaneam reformident, quod falſitatis fugâ præmiũ vitæ æternæ ſperent ſibi debitum & juſtum, aut ab infamia timeant, aut auram popularem captent. Hæc autem omnia cum ab illo præſtari poſſunt qui nullo falſitatis odio adductus hoc facit, eum juſti appellatione indignum cenſeri conſequitur maximè. Quamobrem ut juſtitiæ laudem & teſtimonium verum & genuinum obtineamus, id nobis cumprimis elaborandum erit ut veritatis amore accenſi falſitatem ei contrariam & inimicam averſemur & oppugnemus. Quamobrem nos ipſos excutiamus, & ad hunc lydium lapidem nos exigamus, ut an verè juſti ſimus nos exploremus, an in larvâ tantum juſtitiæ acquieſcamus.

Dicam aliquid amplius, certius ſcil. judicium veræ juſtitiæ peti ex odio falſitatis tametſi aliquandò in illam impingas, nec illam ſemper factis exprimas; quam ſi ab illa ſemper abſtineas, nec tamẽ odio in illam feraris. David etenim qui non raro, nec leviter in hanc partem peccavit illis eſt infinitis paraſangis præponendus, qui nunquam facto deliquerunt, cum tamen ejus odio elati non ſe cohibuerunt. Hinc eſt quod Ap. teſtetur, *ſe illud malum feciſſe quod ipſum odio habebat, bonum autem quod cupiebat non præſtitiſſe.* Modò igitur odio malum habeamus & in armis & militia contra illud ſtemus, ejus ſeu inſidias ſeu incurſiones ſtudiosè deflectamus; animis nos conſternari non decet, ſi aliquando peccati & diaboli inſidiis & μεθοδείᾳ intercipiamur aut circumſcribamur: Neque noſtram proinde deteriorem ſortem reputemus, quam eſt infidelium & perditorum hominum, qui ſuis & hominum judicio ab his peccatis liberi ſunt, quibus nos per carnis infirmitatem obnoxij fuerimus.

Sed & illud notandũ porro eſt, odium hoc falſitatis non in aliena modo, ſed & in noſtra & propria peccata & flagitia ferri oportere. Videas enim aliquando qui in aliorum prolapſiones ſtatim exardeſcant, qui iidem in ſuas nimis propitij & indulgentes ſunt. vid. 2. Sam. 12. 5. vid. Iudæ cenſuram in Thamarem. Gen. 38. 24. In poſteriore hemiſt. hoc ipſum confirmat ex effectis amoris falſitatis in improbis, quos amor falſitatis veluti oletum & ſtercus putere, eoque ipſo pudefieri facit. Sicut enim muſcæ carnem perflantes putere carnem faciunt: Eccl. 10. 1. ſic peccatum ſuo olente & impuro halitu hominem in eo exercitatum *fœtidum & purulentum* reddit. Nam ut piorum virtutes aromatum areolis aſſimilantur, Cant. 4. quod gratiſſ. in Dei & beatorum Spirituum naribus odorem emittant: ſic contra vitiorum fœtor Deo & bonis omnibus ingratus, & inviſus exiſtit. Imò ſunt quædam falſitatis ſpecies quæ improbis ipſis ſcintillas honeſtatis in vitiata noſtra natura retinentibus ſuperſtites, admodum diſplicent. Quid? quod peccatum non modò ſua turpitudine figuratum & translatum fœtorem pariat, Gen. 34. 29. ſed verum planè & germanum fœtorem, dum morbos fœdos & graveolentes accerſit ut in Davide legimus pſ. 38. 6. & in Iob. 19. 17. Hinc etiam conſequitur

pudore

pudore quodam ſuffundi improbos cum vident homines à ſe abhorrentes eſſe. vide ſi hæc vox quę propriè fodere terram ſignificat per meton. adjuncti pudorem non ſignificet, quia qui verecundatur caput & faciem in terram dimittat tanquam terram defoſſurus. Sed hic pudor non eſt ſemper cum verâ reſipiſcentiâ conjunctus; imo verò ſæpè fit ut illos in præcipitiū deſperationis impellat; uti videre eſt in Saule, 1. Sam. 34. & Achitophele 2, 23. Cum verò eò homines, & quidem improbos revereamur ut eos noſtram nuditatem aſpicere nos pudefaciat; quanto magis nos ex Dei intuitu pudefieri decet, cui omnia etiam abditiſſima peccata noſtra nuda & reſupina ſunt: Ex quo etiam illud eruitur juſtorum puram & honeſtam vitæ converſationem eis gratiam & veluti gratum odorem apud homines colligere, & efficere ut ex vita ſincerè acta nunquam pudore ſuffundantur.

V. 6. *Iuſtitia cuſtodit integrū viâ, improbitas verò pervertit peccatorē.*

In צדקה (*juſtitia*) eſt met. ſubjecti. pro adjuncto. Dei præſidio & protectione quę juſtitię individuus comes exiſtit. Sic in רשעה (*iniquitas*) eſt met. ſubject. pro adjuncto. Dei vindicta & armata manu quæ improbos perſequitur.

Homines mirificè à pietatis & juſtitiæ ſtudio abſterret quod eorum integritatē multorum odio & malevolentiæ, & cum odio violentiæ expoſitam & obnoxiam eſſe animo percipiant. Qui enim ambulant in tenebris lucem piè & honeſtè inſtitutæ vitæ adverſantur, Iohan. 3. 20. 1. Ioh. 3. 12. Eph. 5. tanquam quæ eorum turpitudinem tacitè coarguat. Atque ut hæc illos opinio non fallit, cum *omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur*. 2. Tim. 3. 12: ſic in eo à pleriſque nobis omnibus graviter peccatur quod pericula & mala nobis pietatis nomine impendentia reputantes, Dei præſidiū & copias nobis adverſus improborum impreſſionem auxiliares aut non recolimus, aut certè parū attentè & oculatè expendimus. Cujus noſtræ incuriæ & ſoporis quam aliā cauſam aſſignemus, niſi quod carnis oculus quo nobis nocitura videmus, ad videndum acutior & perſpicacior eſt, quam mentis & Spiritus quo occultum in cælis nobis repoſitum præſidiū intueri debemus. Copias adverſus nos inſtructos proſpicimus; aciem vero quæ à nobis eſt cæleſtē non ſubinde cernimus.

Huic tentationi obſiſtit Salomon idq; periculum ex juſtitia natum & profluens minimè diffitendo; ſed ſimul adjungit juſtitiā non eſſe ſolam, ſed magno comitatu divini auxilij ſtipatam: imo ipſam juſtitiam veluti præſidiarias copias eſſe quę excubias agunt ne quid detrimenti capiat is, qui in omnibus vitę ſuæ inſtitutis integer & incorruptus ſit, ad eum modum ut quæ nobis & carnis noſtræ judicio læthifera & exitialis juſtitia videtur, eadem nobis ſalutaris & ſalvifica affulgeat. Pſ. 25. 21. [Integritas & rectitudo cuſtodient me, quia te expecto.] Tanquam enim principis filio è domo patris ſui emiſſo, ſatellitium bene & copioſum & munitum attribuitur; &, ut belli tempore ſuos non ſine cuſtodia ſalva extrudit. Neq; vereamur ne non ſit ſatellitiū illud ad omnem adverſariam vim fundendum & fugandū ſatis potens & inſtructum: vide 2. Reg. 6. 16. 17. Pſ. 34. 8. Pſ. 81. 11. Huc accerſe promiſſiones illas munificentiſſ. quæ extant Iob. 5. à v. 17. ad 24. Cumq; linguæ flagellum grave quiddam ſit & calumniis impetitur; juſtitia nos ab eorum morſibus vindicabit. Utcunq; etenim ad tempus nobis & famæ noſtræ caliginem offundat, tandem tamen juſtitia tanquam ſol meridianus omnes illas calumniarum nubeculas diſſipat.

Quamobrem fidenter & cordatè viam rectam ineamus, & in ea conſtanter & intrepidè ſtemus, nec ullis terroribus ab incepta ſemel & inchoata integritate, vel ad dextrã, vel ſiniſtram digrediamur: regiã viam teneamus, nec nos in diverticula & ſemitas improbitatis abduci patiamur.

Sed occurrat aliquis juſtitiæ cultu hominem in certamen cum multis malis deſcendere, cum quibus illi anxiè luctandum erit, tametſi certus ſit tandem eluctari: quamobrem animum cito ſubeat improborum vitam præſtabiliorẽ & magis exoptandam eſſe ut quæ ſit à malis illis quibus pii obnoxii ſunt, ſoluta. Huic tentationi occurrit Salom. cùm dicit improbitatem ſolam (licet multi prætereà ſint, qui improbis inſidientur) improbos penitus everſuram. Vide Pſal. 34. 22. *Facies enim domini eſt adverſus improbos.* 1. Pet. 3. 12. *Angeli etiam impellunt illos in lubricâ viâ inſiſtentes. & illos perſequuntur*, Pſalm. 35. 5, 6. Imo licet nullus manum illis injiciat, tamen propriis eorum conſcientiis ſæpè conſternantur, & ad folij caſum pertimeſcunt, Levit. 26. 36. Prov. 28. 1.

Hinc liquet improborum exitium ſibi à ſe accerſi, & illos ſibi ſuæ infœlicitatis authores & parentes eſſe. Tametſi etenim ſua mala in alios plerumque derivant, atque adeo in ipſum Deum, ſui interitus cauſam in Dei decretum & conſilium transferentes; tamen ſcriptura docet non aliunde provenire, quam à ſuis ipſorum peccatis.

V. 7. *Eſt qui divitẽ ſe jactat; quum deſint omnia: [item] qui pauperem ſe fingit; cui ſubſtantia [eſt] ampla.*

Vanitatem perſtringit Sal. hominum ſpiritu deſtitutorum, aut certè eo leviter imbutorum. Et poſterius hominum genus à pleriſque ferè laudatum, aut certè non pro merito exoſum aut inviſum, perinde Deo infeſtum & ingratum exiſtit, atque prius illud de divitiarum falſa ſimulatione. Non diſſimile huic priùs propoſuit de his qui iram diſſimulant ſuam, & vindictam aſſervant ut ubi opportunum fuerit, illam exequantur: & illis qui impotentes iræ continendæ ilico illam produnt. Quorum priorem utut plerique tanquam prudentem admirentur, Deus eum tamen non minùs odio habet, quàm qui per impatientiam ſtatim minas & convitia efflat. Ejuſdem generis eſt illud Prov. 17. 15. [Qui condemnat innocentem, & qui juſtificat impium, uterque Deo abominabilis.] Qui ſimulat divitem, cùm nihil ei ſuppetit, mentitur; quod idem facit qui paupertatem præ ſe ferr, cùm dives ſit. Prior aſſiduè mentitur in Deum, affirmando ſe à Deo accepiſſe quod Deus non dedit; alter in Deum mentitur negando ſe ab illo accepiſſe quod accepit; ambo divinæ gloriæ inimici. Pauper, quod ſuam conditionem illi à Deo attributam iniquè ferat, quem Deo vel ob paupertatem gratum eſſe decet; dives quòd Deum laudare ob hanc largitionem non poteſt, qui illam non agnoſcat. Vterque in homines eſt injurius: prior multa nomina contrahendo quæ nequit diſſolvere; alter ſæpe pauperibus, quibus aliquid eſſet erogandum, magiſtratui cui tributa ſunt pendenda, ipſi etiam Deo quem divitiis honorare & venerari convenit ſubducendo. Denique ſibiipſis nocent, ſeu hanc vitam, ſeu futuram ſpectemus. Nam uterque continuato & continenti mendacio animas ſuas perdunt. Prior verò patefacta fraude quę diu celari nequit, omnium odium & contemptionem incurrit: alter, quò faciliùs diſſimulationem tegat atq; palliet, etiam genium proprium fraudat, nec tam commodè, quàm ejus opes ferunt, aut veſtitur

aut

aut paſcitur. Vtriuſque mali fons & origo eſt amor divitiarum immoderatus, & quod divitias quæ in Dei donis minima ſunt, magni æſtimamus: Prioris, quod tantùm divitiis tribuit, ut nullam ſine his vitam vitalem eſſe conſtituat: Poſterioris, quod earum amore ab illis ſe charitatis, & humanitatis officiis abjungit, Luc. 16. quorum nomine divitiæ illi à Deo conceſſæ & elargitæ ſunt. Quamobrem minuendus eſt hic divitiarum amor, & ad moderationem revocandus. Quod tum fiet ſi veras divitias comparemus, Dei timorem qui efficiet ut divitiarum orbitas nobis gravis & moleſta non ſit futura, ut nec earundem affluentia nos ad charitatis officia ſiccos & aridos reddat, quæ nos debet ad illa promptos & alacres facere. Nam pietas eſt πορισμὸς μέγας 1.Tim. 6. 6, 7, 8, 9. Item cogitemus & imitemur illud Apoſtoli, Phil. 4. 12, 13. & 2. Corinth. 6. 10.

Hoc Proverbium latiùs patet; poteſt etenim non incommodè nec violenter ad ſpirituales opes traduci, in quibus non minor eſt, quam in terrenis ſimulatio, Deo perinde exoſa atque prior illa, de qua dictum eſt; aut etiam tantò magis infeſta quàm ſunt illæ divitiæ illis aliis longè anteponendæ.

In paupertatis ſpiritualis ſimulatione rariùs & parciùs peccatur ab hominibus. Rari etenim inveniuntur qui ſe minùs quàm reverâ ſunt locupletes profitentur. Non deſunt tamen qui hîc etiam culpæ teneantur. Et primùm quidem incidunt tempora cum homines ſibi periculum creari ex donis Dei ſpiritualibus exiſtimantes illas non modò diſſimulant, ſed quæ illis penitùs adverſa ſunt præ ſe ferant. In hoc genere reus erat David cùm in Achiſi regis aulâ mentis errorem ſimulavit. Plerique etiam ambitione elati ob eam cauſam ſuam in rebus cœleſtibus peritiam inficiantur, ut hac ſuâ inficiatione aliorum de ſe laudem & præconium pleniùs & cumulatiùs extorqueant. Reperiuntur etiam qui invidiâ diffuſi ſua dona premunt, nec in commune conferre ſuſtinent. Porrò ſunt qui per pigritiam & fugam laboris, ſua quæ acceperunt à Deo animi dona contegunt, & rubiginem contrahere ſinunt. Sunt denique qui errore decepti abjectius & magis ſubmiſſè de ſuis donis ſentiunt; idque faciunt dupliciter, aut animi quadam ſomnolentâ & ſtupore, quod nunquam Dei in ſe liberalitatem rectè & juſtis ponderibus examinârunt; aut quod tentationis tempeſtate in ὀλιγοψυχίαν præcipites acti ſint. Atque ut priores de quibus diximus magis culpandi ſunt; ſic iſti etiam reprehenſione non carent. Omnes autem adverſus illam Apoſtoli normã delinquunt quâ præcipitur φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, Rom. 12. 3. In his verò qui ſe divites ſuprà quàm ſunt prædicant, unum genus eſt eorum qui ſibi probè ſuæ egeſtatis conſcii, tamen ſuas in ſpiritualibus divitias, copias & opes oſtentant; qui infiniti ferè ſunt. Omnes enim propè pietatis laudem captant, quam tamen illi penitus abjiciunt; & quod pejus eſt, malunt ſe divites videri, quàm eſſe, ſecus quàm in terrenis operibus. Imò verò ne pii quidem ipſi ab hujus peccati labe abſunt, ut non plus de ſua pietate prædicent, quàm quantum verum ſit. Alij verò ſunt qui putant ſe divites eſſe, errore decepti, cum non ſint: neque hi ſolum qui in hæreſi aliqua demerſi jacent; ſed & hi etiam qui veram religionem profitentur. Vide Apocal. 3. 17. 18. Atque hos omnes Apoſt. Roma. 12. reos peccati peragit, cum hortatur μὴ ὑπερφρονεῖν. Omnium autem utriuſque generis, tum qui abjectius de ſe aut loquuntur, aut ſentiunt quam par eſt, cum, qui ſpiritus ſumentes ſupra modum efferuntur, curatio & medicina hęc ab Apoſt.

præſcribitur, ut quiſque de ſe ſentiat ſecundum analogiam fidei quam accepit, & dona Spiritus quæ per fidem data ſunt.

V. 8. *Redemptura vitæ viri divitiæ ſuæ: at pauper non audit increpationem.*

Tametſi in Proverbiis à cap. 10. ad 30. me ad eorum ſententiam non aggrego in perpetuum ſententiarum inter ſe nexum & continuationem conſectantur; tamen neque illis accedo qui omnia Proverbia inter ſe diſparata, nec ullâ conſecutionis affinitate & copulâ conjuncta eſſe affirmant. Nam ut in nonnullis aliis, ſic hoc loco aliquo inter ſe vinculo teneri prius Proverbium cum hoc quod in manibus jam habemus manifeſtius eſt quàm ut probationis egeat. Nam cum ſtudio & amore divitiarum uterque cum dives tum pauper in ſuam conditionem mentiantur; hoc Proverbio docetur quam æquè ferenda ſit opum abſentia & deſiderium, quæ ſæpè non ſine periculo poſſidentur & abſque diſcrimine deſiderantur. Negari non poteſt ſua habere commoda in hac vitâ divitias, & paupertatem ſua incommoda: ſed in eo peccatur quòd ad minuendum amorem divitiarum non commentamur nobiſcum incommoda divitiarum: & quòd ad æquius ferendum paupertatis onus, paupertatis commoda non reputamus; ſed toti quanti ſumus, feramur vel ad commoda divitiarum exputanda, vel ad egeſtatis damna ponderanda. Quamobrem Salom. hoc Proverbio noſtræ in hoc negotio oſcitantiæ occurrit, & divitiarum incommoda cum paupertatis compendiis exequitur; paupertatis verò incommoda non expiſcatus, quæ omnes homines ſponte ſuâ animo agitant & rimantur; ut neque divitiarum compendia, ſed harum difficultates, ſicut & paupertatis bona Proverb. perſtringit, utrorumque pleniorum commentationem piorū meditationi relinquens. Grave eſt Chriſti contra divitiarum poſſeſſionem teſtimonium, *difficile eſſe divites regnum cœlorum ingredi*, adeoque (ſi humanitus rem reputemus) ἐκ τῶν ἀδυνάτων. unde natum eſt illud Apoſtoli, *paucos divites ad regni cœleſtis ſpem pertinere*, 1. Cor. 1. 26. Quod quidem teſtimonium ardorem noſtrum in divitias merito reſtinguat, niſi ſi qui ſunt qui vitæ æternæ deſiderio non tenentur. Atque ut id non ſit, tamen ſi quis ſit qui præſentis vitæ ſtudio ducatur, eamque aut diuturnam aut placidam tranſigere expetit (quod omnibus ferè ſine exceptione cordi eſſe ſolet,) eum non multum ad eam rem conſequendam præſidii in divitiis collocare conſultum fuerit. Sæpe etenim uſu-venit ut dives in vitæ diſcrimen adductus bonis ſuis evertatur, & quę improbo labore congeſſit ad alienum poſſeſſorem transferantur: quo in diſcrimine dives ſecum bene actum putabit ſi vitam totius ſubſtantiæ ſuæ diſpendio & jacturâ redimere poterit, Ier. 41. 8. Imò verò ſæpè fit ut divitiarum nomine vitæ ejus tendiculæ collocentur, ſintque opes veluti laqueus qui vitæ divitis intercipiendæ inſidioſè poſitus ſit. Vide 2. Reg. 20. 13, & 17. & 1. Reg. 21. Hujus veritatem docemur communi experientiâ. Ex divitum enim ædibus à nocturnis furibus ſuffoſſis aut perruptis, opes & quicquid pretioſum eſt aſportantur. Neque hoc legum repagulis effractis ſed ſæpè fit ut qui opibus abundant & ſplendidis ædificiis ſe nobilitârunt, per juris & legum nomen & prætextum eorundem nomine violentur ab his qui illis hanc rerum omnium affluentiam invidēt; & non modo ſuis bonis exuuntur, ſed porro vita privantur, ne fortè in vitâ ſuperſtites arrepta opportunitate amiſſas opes

opes & domicilia recuperent. Quemadmodum etenim fures digitũ annulo aureo ornatum, cùm illum facile digito detrahere nequeunt, amputant: ſic rapaces & violenti, cum divitias juſtis dominis ſurripi non poſſe putant, niſi domino extincto & oppreſſo, de ejus pernicie & exitio cõſilia ineunt. Atque (ut brevi complectar quæ fuſiùs diſſeri poſſunt) ſi dives prolabatur, aut crimen admittat morte vindicandum, ilico in illum accuratè inquiritur: ſin à ctimine abſit, tamen confinguntur ſæpe crimina, quorum nomine ad mortem rapiuntur, niſi vitam opibus redimant. Quinetiam ne ipſis quidem divitiis ſe morte eripiunt aliquãdo divites: quod tantum violenti agant ne quando ſuperſtites ad amiſſas & interverſas opes domini revertantur. Ex his igitur liquet, non modo (quod ſervator agit) vitam hominis nõ conſiſtere in eo quod quis multum habeat; ſed plurimum habendo ſæpè vitæ finem accelerare: eoq́ue inconſideratè faciunt qui opes tanti æſtimant, ut ſine his nullam vitam vitalem eſſe putent. Et hinc ſimul emergit ut hominum cupiditates iuvicem pugnent, & conflictentur. Nam cum divitias expetunt ut vitam commodè agant, fit ut divitiarum aggeſtione & coacervatione non modo commoda vivendi ratione, ſed etiam ipſa vita excidant. Quamobrem ſi quando dominus nos divitiis caſu aliquo exuat, nonnulla conſolatio eſt præſentem vitam nobis hoc pacto aliqua veriſimilitudine prorogandam. Meminerimus vero Salomonis illud, *bonam eſſe ſapientiam cum poſſeſſione*, Eccleſ. 7. 11. alios tutos eſſe ſub umbra divitiarum; ſed potiorem umbram eſſe in ſapientia, & ſapientiam melius ſuum poſſeſſorẽ conſervare, quam divitiæ. Vide etiam Prov. 11. 4.

Sed repugnare videtur huic Proverbio quod ſcribitur, Pſal. 49. ubi Spiritus Sanctus præciſè pernegat *quempiam poſſe opibus*, tametſi infinitè auctis *vitam ſuam redimere*: cum tamen hoc loco Sal. *divitis opibus ejus vitam aſſeri poſſe* prædicet: ſed reſponſio in promptu eſt, Davidem negare quenquam ſe morte eximere, cum Deus illum ad mortem poſtulaverit; hoc autem loco illud modo indicatur, mortem declinari poſſe pretio perſoluto, eam quam homines inferre conantur: David mortem in univerſum ineluctabilem eſſe; Salom. vero mortis periculum ad tempus deflecti poſſe aſſeverat.

In altero hemiſt. docemur paupertate & rerum inopia non periculum modo vitæ non creari; ſed vel à convitiis & probro ſeu increpatione pauperes plerumque liberos & immunes eſſe. Nam primum quidem pauperes ſua tenuitate non ſunt gravioribus periculis tam obnoxii. Deinde in pauperum vitæ rationem curioſè non inquiritur. Præterea ſi quid delinquunt conſciis hominibus: tamen non magnam ejus rei rationem habent. Putant enim illos ſua modo paupertate abunde miſeros eſſe, ut nihil iis præterea damni accedat. Hinc eſt ut in ſcripturis aliiſque hiſtoriis, cum ſit catholica defectio ab officio, ut in populo duces plectãtur, reliqui ſontes impunes evadant, Num. 16. 25. Deniq; plerique perverſa quadam miſeratione adducuntur, ut illis facile crimen condonent. Atque ut præclara pauperũ facinora facile prætereuntur, Eccleſ. 9. 15. ſic in eorum ſcelera non tam ſevere ſtatuitur. Veluti enim in valle conſtituti, tuti ſunt à tempeſtatibus, quibus divites obnoxii ſunt. Hujus doctrinæ egregium documentũ eſt in captivitate Babylonica, ubi ducibus, divitibus, & artificibus in captivitatẽ abreptis, pauperes coloni in ſua patria relinquebantur; ut eorum in captivitate, melior fuerit conditio, quàm cum regnum illud in ſervitutem redactum non fuit. Quamobrem paupertatem nobis immiſſam

diſcamus moderatè & patienter ferre, cum in illâ hæc bona inſint, ut viam ſæpe nobis cum ad futuram vitam acquirendam, Matth. 11. 5. tum ap præſentem conſervandam muniat, ut ex hoc Salomonis Proverbio confirmatur.

V. 9. *Lux juſtorum clara erit, at lucerna improborū exſtinguetur.*

In hoc Proverbio eſt allegoria ſeu metaph. continuata, primum in vocibus אור (*lux*) & נר (*lucerna*) quibus adumbratur optata vitæ conditio. Deinde in ישמח (*gaudebit*) & ידעך (*extinguetur*) quarum priore continuatio & incrementum, poſteriore decretio & convulſio intelligitur. Videtur porrò in verbo ישמח eſſe meton. effecti ac ſi lætabitur poneretur pro exhilarabit juſtos: cujuſmodi eſt illa locutio *prata rident*: cujus etiam generis videntur pleraque ſub finem Pſal. 96.

Hujus Proverbij ſcopus videtur eſſe, ut doceat juſtitia tantum & innocentia vitæ firmari & ſtabiliri bonam & optatam vitę conditionem: qua juſtitia viri conditio bona utcunque tenuis initio & obſcura, ſplendeſcit & augetur magis: ſicut contrà improborum lux, tametſi alioqui illuminatiſſima in infœlicitatem & tenebras convertetur.

Lux hoc loco eſt animi colluſtratio donis Spiritus Sancti, his præſertim quæ ad æternam vitam, & gloriam, tanquam ad ſuum finem referuntur: deinde externa bona corporis & fortunæ. Hæc autem lux innocentia & vitæ incorruptione, tanquàm puriſſimo oleo fovetur, ut nec noctu nec interdiu intereat, eademque tanquàm follibus aut flabello auctior fit. Nam vitæ integritas veluti ſucculenta radix tantam vim humoris & pinguedinis tranſmittit, ut qui flores & viror cæteroquin marceſcerent, & decidui eſſent, hac copia pinguedinis tranſmiſſa, inſtar palmarum & olearum evadant, quæ folia ſua hyeme retinent, nec ſibi virorem deperire aut execuri patiuntur. Hinc eſt quod Prov. 4. 18. *Orbita juſtorum in luce ſplendente ſita* dicitur, *quæ lux creſcit & progreſſus accipit uſque ad diei meridiem*, id eſt quoad ad plenam & abſolutam perfectionem perveniat; quod tum completur cum hac vita defuncti ad beatas ſedes migrant. Et quidem quod attinet ad illa dona quæ cum ſalute æterna conjuncta ſunt, ea tantæ firmitatis ſunt ut nunquam intercidant, nec cum his qui illis præditi ſunt conſeneſcant: ſed inſtar palmarum vel in ſenectute plus fructus ferunt quotquot in domo Dei conſiti & plantati ſunt. Alia vero bona ſeu animi, ſeu corporis, ſeu fortunæ, cum innocentia vitæ majoris durationis ſunt, quam quæ ab improbis poſſidentur; tum ſublata & detracta piis ſupplementum & ſudſidium animæ lætitiæ ſibi ſuccedens habent, quo illa jactura abunde compenſatur; [quandoquidem diligentibus Deum illa omnia in bonum cooperantur.]

Contra vero improborum lux omnis generis, intus, foris, tanquàm agnorum pinguedo liqueſcit. Unde etiam fit ut deterior illorum conditio ſit, quam ſi nulla unquam luce colluſtrati fuiſſent. Nam ſicut qui noctu incedunt, lucis ſubſidio ad tempus adverſus nocturnas tenebras recreati, poſt extincta luce magis contriſtantur, ſic qui proſperitate ad vitæ incommoda lenienda aliquandiu uſi, cum poſtmodo eadem deſtituuntur. Atque utut lucem aliquam & lætitiam, quod vivunt, retineant; tamen morte tollitur: *neque enim eorum gloria cum iis deſcendit*, Pſal. 49. Vide Iob. 18. & 21. Hinc eſt quod & loco fœlicitas & lætitia juſtorum luci comparatur quæ durat lux ſolis; fœlicitas vero impiorum lucernæ quæ cito conſumitur.

Quan-

Quanquam pugnare videtur cum hoc Proverbio quod ſcribitur Prover. 4. 19. Nam ibi dicuntur omnes improbi in tenebris eſſe ; hoc autem loco lucerna illis tribuitur,tametſi non alia quàm quæ paulo momento extinguitur.Reſp. non pugnare hæc teſtimonia, nam lux quæ eſt in impiis vera lux non eſt , ſed in maxima eorum luce verſantur in tenebris. Quo de vide. 1. Ioh. 2.3. *Qui charitatem non habet is in tenebris ambulat* : contrà verò *juſtis in mediis tenebris lux exoritur*, Pſ.97.

V. *10. Mera ſuperbiâ [vir] edit jurgium , penes conſultos [eſt] ſapientia.*

Superbiam grave eſſe ſcelus in ſe cunſtat & odioſum; utpotè quòd neque honorifice de Deo ſentit , cujus in ſe dona non agnoſcit ; & in homines contumelioſè affectus eſt. Sed præter malũ quod intùs apud ſe verſat & coquit, ad injurias aliis inferendas proclivis eſt:ex quibus injuriis naſcuntur rixæ & jurgia , ex jurgiis verò & homicidia pullulant.Quamobrem ſuperbus apertè in ſextum præceptum impingit,quod ſi quis obſervare cum animo ſuo conſtituat, is animi elationem odio habere debet. Superbiam autem rixas &cædes parere liquet exZephon.2. ubi Moab & Ammon maledicta & blaſphemias in populum Dei congeſſiſſe dicuntur ex ſuperbiâ animi ſui.Et non aliundè fluxiſſe Hammanis inſatiabilem ſanguinis ſitim,quam reſtinguere non potuit niſi univerſiDei populi internecione, Heſt. 3. quàm ex ſuperbiâ liquidò conſtat.Vide etiam Pſalm.10.verſ. 2.ubi *ſuperbiæ* datur quod improbus perſequitur vel *eum qui afflictus eſt*. Hæc cauſa & ſemen fuit utriuſque cædis & homicidii, quod Ioabus cùm in Abnerum , tùm in Amaſam deſignavit. Hæc etiã cauſa crebrarum inter Apoſtolos diſceptationum ; Mathæus 18. 1, 2, 3, ut ex contrario ei pharmaco liquido conſtat, nempè animi ſubmiſſione. Cujùs rei cauſam ſi requiras,illa in promptu eſt : hinc quòd ſuperbus in peccata ſua & defectus minimè inquirens, virtutum & donorum ſuorum nimis acutus ſpeculator exiſtit ; iſthinc quòd in aliorum peccata ſeverus cenſor, donorum quibus inbuti ſunt parùm æquus æſtimator deprehenditur. Cujus , cùm ſe tùm alios perverſè judicandi.cauſa ſuperius aſſignatur,ſcilicet in verbi divini cognitione&commentatione parum diligens&aſſidua exercitatio,Deuter.17. 18.19,20.

Sed in verbulo,*modò*,videtur non parvum momentum in eſſe ad ſuperbiæ crimen exaggerandum, quod nobis expendere ex uſu futurum ſit. Eſt autem ſenſus,ſuperbiam unam & ex ſe ſine cujuſquam alius ſubſidio contentiones & lites accenſuram: Pleroſque videas qui ad lites & contentiones non proſiliant , niſi aut aculeo iræ ad illas exſtimulati fuerint,aut immodico potu oppreſſi,aut injuriâ laceſſiti, aut modo quopiam alio animis perturbati & inquietati: ſolum ſuperbum, qui nullâ occaſione præbitâ , nullo nomine aut prætextu oppoſito ad contumelias verbo aſſurgere, unde lites & cædes exiſtunt. Hujus rei clariſſimum exemplum exiſtit in tribu Ephraim quæ ſui multitudine elata &intumeſcens cum Gedeone altercantur de eâ re de quâ ei grati eſſe debebant,Iud.8.1.Sed cap.12. 1, 2, 3. hoc liquet magis, ubi vocati ad prœlium non veniebant , tamen cum Iephte litigant, quòd vocati non eſſent, qui jure cum illis expoſtulare poterat , quòd vocati non veniſſent. Tametſi igitur omnis iniqua contentio in vitio ſit , tamen illa quæ ex ſuperbiæ tumore manat graviorem reprehenſionem meretur, quod nullis incitamentis ad lites adjuta prorum-

prorumpat, & in alta pace claſſicum canat, & ad arma conclamet. Cujus rei cùm Propheta David probè conſcius eſſet rectè ſecum conſtituit *ſuperbum in ſuâ familiâ minime ferendum*, Pſal. 101.

Quamobrem ut placidam vitam & quietam tranſigamus, primum demus operam ut hoc fermentum ſuperbiæ animis noſtris pellamus: deinde conſultemus omnes procul ſedibus noſtris fugare qui ſerendis litibus apti ſunt.

Poſteriore hemiſtichio videbatur dicendum, *Atque humiles & ſubmiſſi animis contentiones averſantur*, *aut non ſe litibus ingerunt*. Sed Salomon, illud legentis intelligentiæ permittens, quam hoc ante pedes poſitum fugere facile nequit, præſertim cum prius idem docuerat cap. 11. 2. pro ſuâ ſapientiâ effectum & cauſam animi ſubmiſſi ſubſtituit, ut Proverbium ἐπιςημονικώτερον redderetur & documentis reconditioris diſcipline oneraret. Primùm igitur nobile effectum humilis & ſubmiſſi animi proponit, *animum bene conſultum*, id eſt, eum qui non ilicò oblatam diſceptandi anſam arripit, & tanquàm acapnia ligna primam quamque contendendi ſcintillam concipit objectam; ſed ſecum diſceptat & ratiocinatur, primùm an fas ſit de objectâ re contendere, deinde an expediat hoc facere. Conſiliarius autem adhibet non tantùm (quod plerique improbi præſtant) leges civiles, ſed eas quas David adhibendas ſuo exemplo docuit, nempe Dei ſtatuta, Pſalm. 119. Quâ de re eximium exemplum extat Iud. 20. ubi tametſi Iſraëlitæ juſtum bellum cum Benjamine geſturi eſſent; tamen bellum illud non ſuſcipiunt, niſi Deo prius in conſilium adhibito. Vide exemplum Ged. Iud. 8. 2. & Abrahæ Geneſ. 12.

Hinc liquet ſuperbos eoſdem temerarios eſſe & cerebroſos, & affectibus ſuis indulgere, non autem rem conſilio regere, neque à Deo, nec ab hominibus conſultis conſilium capere.

Cauſam vero humilis & ſubmiſſi animi notat ſapientiam, quæ affectus luxuriantes cohibet, & ratione, non autem cæco animi impetu res ad[m]iniſtrat ſuas: hoc modo ſuperbum non obſcurè ſtultitiæ inſimulans; ſicut etiam noſtro ſermone ſolemus illum vocare, *Aproud fo le*. Quanquam voce ſapientiæ hoc libro ſæpè intelligitur vera Dei notitia quæ mater eſt humilitatis, quæ humilitas maturam deliberationem præcipitantiæ adverſam parit.

V. 11. Subſtantia ex vanitate, diminuetur: qui autem congregat manu, augebit [eam.]

In הבל (*vanitas*) eſt meton. adjunct. venitatis pro vaniſſimâ arte, occupatione, vel exercitatione animi aut corporis aut utriuſque.

In יד eſt metaph. cauſæ pro arte & ſcientiâ utili & neceſſariâ quæ plerumque manus adminiculo perficitur. Tametſi etenim vanæ artes magnâ ex parte manu exercentur; non tamen tam aut ſæpè hoc fit, aut tanta vi & contentione manus.

Hac voce igitur הבל docetur non tantùm prohiberi furta, & latrocinia; ſed & illas artes quæ tametſi corporis labore & ſalvis legibus civilibus exercentur, tamen nec ullam ad hominum ſocietatem honeſtè tuendam, nec ad Eccleſiæ ſubſidium operam & induſtriam conferunt, imo ſæpè etiam noxiæ inveniuntur. Atque hanc occupationum diſtinctionem Apoſt. diſertè indicat Epheſ. 4. 28. ubi videri poſſit ad hunc Salomonis locum alluſiſſe. Nam non ſatis eſſe docet ſi quis non furetur, niſi etiam manibus aliquid boni operetur. Harum artium tametſi nume-

numerus propè infinitus eſt,tamen poſſūt ad certa genera revocari. Sunt autem primùm artes curioſæ,non tantum necromanticæ,ſed & judiciaria aſtrologia,philoſophici lapidis rimatio, quâ infiniti homines ſuas opes in fumum inſufflârunt. Deinde ſunt voluptuariæ & mangonicæ, quibus tanquàm abjecta mancipia,ſe explendis hominum cupiditatibus addicūt: cujuſmodi ſunt qui mulierum cycladas & adulterina capillitia contexunt, hyſtriones, paraſiti, errones muſici, & qui feras beſtias ſpectandas circumferunt, funambuli, &c. Maximè vero & præcipuum locum in his tenent qui idolorum cultui deſerviunt, imaginum pictores & ſculptores, & infiniti alij de quibus Iohannes in Apocalypſ. 18. 11. & Actor. 19. 24. His fere artibus ſe addicunt plerique. Primùm quidem quod quæſtuoſæ ferè ſunt. Homines enim ad explendum turpes & inhoneſtas ſuas cupiditates pluris ement quæ illis inſerviant adminicula, quam quæ honeſti uſus ſunt. Deinde otij amore & deſidiæ ſtudio hùc impelluntur, quod (ſicut hoc Proverbio docetur) parum moleſtiæ & laboris quem homines fugiunt in illis exercendis præſtatur.

Nec tantùm hoc loco reprehenduntur maleficæ & illegitimæ artes; ſed & illi taxantur qui honeſtas exercentes, illis ad res inhoneſtas abutuntur, ut ſutores veſtiarij qui ſe omnium voluntatibus accommodant. item pictores, ſtatuarii, &c.

Iam quòd dicitur in fumum abire quod fumo & fucis compararunt, illud Deus multifariam effectum dat. Sæpe enim fit ut verbi præconio, ut Actor. 19. & Apoc. 18. harum rerum turpitudo hominibus innoteſcat, quo fit ut quæ magna mercede redimebantur, viliſſima habita aut igne cremantur aut in ſtercorarium defodiuntur. Aliquando fit etiam ut bonarum & ſalubrium legum præſcripto inhibeantur, unde harum mercium mercatores ſuam ſortem deplorare coguntur. Potiſſimnm vero, quod & perpetuum eſt, maledictione ſua Deus bona illegitimè & obliquè congeſta diſſipat. Nam ſi legitimis artibus comparata duratura non ſunt, cùm ſpreto Dei cultu coacervantur, Agg. 1. 2. aut aliorum hominum diſpendio; nedum illa quæ illegitimè comparantur, quæ nec ad cultum ſuum conferri, nec ad hominum ſubſidium erogari patitur. Et certè ſi experientiam magiſtram hic conſulamus, illa apertè loquitur juſtius generis artifices tametſi multa minimo labore congerant, ſemper fore pauperes. ſæpe etiam egeſtate premi, atque adeò etiam opprimi.

In poſteriore hemiſt. extat inſignis promiſſio quâ propheta remiſſas & flaccidas manus ad laborem ſubeundum confirmat atque corroborat. Quod etiam ab Apoſt. ſingulari promiſſione additâ vires accipit. Nam uſque eo profecturum docet eum qui manibus ſuis honeſtè victum quærit, ut poſſit etiam aliorum inediâ laborantinm inopiæ ſubvenire. Eph. 4. Hujus generis promiſſiones prius accepimus. cap. 10. 4. 12, 24. 27. Vide etiam promiſſionem Gen. 3. *In ſudore vultus comedes panem.* Quamobrem in deligendo genere vitæ conſideremus primum an quam profiteri conſtituimus honeſta & legitima ſit. Quod quo melius fiat, ſpectemus quàm reipublicæ aut Eccleſiæ utilis ſit. Deinde excutiamus quinam artifices ad remp. & Eccleſiam tuendam rariſſimi ſint, ut quod deeſt ſuppleamus. Deinde in deliberationem veniat potiſſimùm an arti & occupationi exercendæ cum ob interna, tum ob externa Dei dona idonei ſimus.

V. 12. *Spes protracta ægrum efficit animum: arbor autem [eſt] vitæ, deſiderium adveniens.*

In תוחלת (*expectatio*) & תאוה (*deſiderium*) eſt meton. adjunct.

Hujus proverbij ſenſus in communi intelligētiâ &ante pedes poſitus eſt,ut de illo eruendo non ſit laborare neceſſe. Videndum ergo quis ejus uſus & fructus exiſtit. Primum igitur docemur ne temerè & inconſulto nobis ipſis bona polliceamur quorum conſequendorum nulla juſta cauſa aut certa ratio exiſtit nulla baſis, fundamentum nullum. Tametſi enim initio brevis & momentanea voluptatis titillatio animum ſubintret, dum rei concupitæ perfruendæ nonnullâ expectatione lactamur: tamen caducum illud & momentaneum gaudium aſſidua ſollicitudo cum dolore conjuncta ſequitur & animum cruentat; tantò indies auctior facta, quoad temporis progreſſu magis ac magis de ſpe decidentes, tandem quam concepimus ſpem penitùs abjicimus. Abſalom & Adoniah animum ad regnum Iſraëlis obtinendum adjicientes, dubio procul non mediocres animi cruciatus experti ſunt, quod ſuâ ſpe aliquoties depulſi, tandem illa fruſtrati ſunt. Quod idem de piis & religioſis Chriſti diſcipulis primatum & principatum affectantibus facilè liquet. Primùm quidem quod hac libidine dominandi elati in crebras contentiones incidebant; quæ dolorem ſecum ferunt, idque de rebus nunquam effectum ſortituris: poſt, quod hac ſpe fruſtrati eſſent, vide Luc, 24. 17. 21. Conducibile igitur fuerit nobis ab mœrorem & angorem declinandum, & ad animos noſtros ſolido gaudio & oblectatione complendum, ut earum rerum expectatione & deſiderio teneamur quæ Deus verbo ſuo pollicetur,qui quod ore pronunciat, brachio effectum dat: cujuſmodi ſunt Dei favor & divini favoris fructus, improborum exitium quæ Deus certiſſimè præſtat, & quibus præſtandis moram non nectit. vid. Luc. 18. & Abac. 2. Atque in his nullum deſiderium, nulla expectatio, quantumcunque vehemens & intenta in vituperio eſt.

Supereſt ut non tantùm nobis ipſis conſulamus & quieti noſtræ, animos à vanis aut vitioſis expectationibus cohibendo, & eoſdem ad res certas & profuturas attollendo; ſed ut non alios contriſtemus providendum erit, dum illos rebus promiſſis aut debitis fraudemus. Quamobrem in beneficentiâ collocandâ cavendum ne nubibus illis ſimiles ſimus quæ ſpem pluviæ facientes ſuâ levitate à ventis circumactæ in nihilum abeunt vid. Prover. 3. 27. 28. Maximè verò cavendum ut quæ juſta ac debita ſunt, eoque ipſo à juſtis dominis expetita & expectata, tempore præſtituto & opportuno diſſolvamus. In his verò vel maximè videndum ne mercenarij ſtipendiū apud te pernoctet; Iac. 5. 4. cujus ſi apud te mercedem retinueris, non tantùm laborem non compenſas, ſed porrò dolorem animo ejus labore ipſo retriorem injicis. In quibus omnibus ſicut in aliis quæcunque hujus generis ſunt quæ deſcripſimus, paulum momenti non habet, cum ad fræmandum vanas cupiditates, tum ad ea expectandum & appetendum quæ officij noſtri ſunt, quod propheta dicat vanis expectationibus animum labefactari; ſicut contrà juſtis & licitis deſideriis recreatur & veluti vivificatur. Ut qui vana pollicetur non tantùm in 9. præceptum, ſed & in 6. peccare deprehendatur. nam ineffrænes animi cupiditates tanquam carnifices ſunt quibus animus hominis torquetur & cruentatur.

Quod ſi deſiderium prorogatum languidum reddit hominem; nedum in inferis deſiderium impiorum illos cruciabit qui deſiderant recreationem è malis, quam nunquam accipient.

Deinde non tantùm illarum rerum deſiderio

deſiderio & expectatione teneamur quæ conſequi poſſumus: ſed una videndum ut res illæ bonæ & licitæ ſint: alioqui non tantùm rei dilatione, & procraſtinatione torquebimur; ſed illam obtinentes & aſſequuti magis ſæpè angemur quam cum nondum ea potiebamur. Conſcientiæ etenim morſus qui peccatum, tanquam umbra corpus, ſequitur. plus mœroris & angoris affert, quam momentaneæ delectationis uſura compenſare poteſt: ut nihil dicam de Dei formidabili judicio, quod illicitas & inconceſſas voluptates comitatur. Vide Amnonis hiſtoriam de compreſſa Thamare. Item quomodo Deus Iſraëlitis coturnices pro voto compluens, tamen maciem immiſit &c. Sicut enim phrenetici & febricitantes concupita obtinentis eorum uſu deteriores evadunt: ſic & hi qui res à Deo vetitas expetentes, earum cōpotes & participes facti ſibi damnum non mediocre accerſunt.

Deinde non tantùm in rebus ipſis expetitis ratio habenda eſt; ſed ut deſiderium modum ſervet, nec nimis intentum ſit. Omnis enim celeritas in deſiderio accenſo mora eſt, omniſque nimium longa properanti mora eſt.

V: 13. *Contemtor verbi, corrumpetur ille, qui autem reveretur præceptum, ipſe donatur pace.*

In vocibus דבר (*verbum*) & מצוה (*præceptum*) eſt ſyn. generis pro verbo & præcepto Dei. nam Dei verbum & præceptum hoc loco intelligi ex mercede adverſa præceptum reverentis colligitur, cum unus Deus eſt qui pace nos beat.

Hoc loco primùm notandum venit quis ſit qui verbum contemptui habere ritè & jure dicendus eſt. Eſt autem contemptor verbi divini quiſquis ab ejus obſervatione deflectit, ut ſibi & voluntati ſuæ obſequatur. Nam tametſi verbi violatione ſuis aut commodis, aut oblectationi, aut denique vitæ conſulat; tamen inter verbi ſeu præcepti contemptores habendus. vid. Luc. 14 18. 19. 20. 26. vid. etiam Gen. 25. 31. 34. ubi præciſè liquet Eſavum primogeniturā contemptui habuiſſe, tametſi illam, ut ſe in vivis ſervaret, fratri vendiderat vid. Mat. 13. 44. 45. 46. Merito igitur contemptus verbi & præcepti habentur rei qui ob levem voluptatulam aut triobolare commodum ab officio diſcedunt, & præceptum à tergo rejiciunt. A principis dicto non eſt facilè deflectendum, niſi ratione juramēti Deo præſtandi hoc fiat; quanto magis à Dei edicto deflectendum non eſt? Eccl. 8. Deinde obſervandum quod dicit verbum contemptui non eſſe habendum, & præceptum reverentia proſequendum. Nec enim is modo obnoxius eſt qui totam legem aut omnia præcepta Dei voluntati ſuæ poſtponit; ſed qui vel unicum præceptum, vel unius præcepti ramuſculum. vide Iac. 2. 10. 11. Quod illos coarguat qui ut ſe ab improborum numero eximant (cum tamen certi alicujus præcepti rationē nullam agant) plenis buccis ſuam in aliis præceptis innocentiam vendicant.

Corruptio illi erit, ideſt ſibi exitium accerſit. Nam ſi rex ſua mandata violata ulciſcitur; quantò magis Deus hoc faciet? Atque ſi rex quod vult facit; nedum rex regum hoc faciet. Et ſi ubicunque eſt regis edictum, ibi eſt dominatio, & potentia; nedum hoc verum erit in Dei verbo. vid. Eccl. 8. 3, 4. Gladio igitur principis illegitimè imperantis opponamus Dei vibrantem gladium, politum bipennem cujus reſpectu regum gladij junceæ & arundines ſunt. Commodis item quibus à regibus exuamur, opponamus emolumenta quibus nos Deus privet orbetque. Perire autem illum vid. Luc. 14.

 & Gen.

& Gen.25. Nam qui impingit ad verbũ, ad Chriſtum impingit. 1.Pet.2.8. Deinde notandum eſt illum perire ſibi. Tametſi enim verbi rejectione arbitrantur ſe contumeliam inferre Deo, aut Dei miniſtris, aut etiam verbo prædicato; tamen verum eſt quod dicitur hoc loco ſe modo perire ſibi ipſis: ut Luc. 7. 30. & Ier. 7. 19. Nam verbo Dei nihil diſcedit, neque miniſtris quos improbi contumeliis afficere cupiunt, aliquid deperit, ut qui perinde magnam ſui miniſterij mercedem accepturi ſunt, atque ſi illis fides habita fuiſſet; nedum Deo quid detrahitur: ſed in eorum perniciem omnes eorum conatus redeunt.

Quid autem ſit contemnere verbũ liquebit magis ex antitheſi reverendi præceptum Dei, ut ejus obſervantiã omnibus omnium cõminationibus; omnibus quorumcunque blanditiis & delinitionibus præponamus vid. Iſ.66.2. Eccl.9.4. Quo docemur quomodo teſtimoniũ comparemus veri & infucati timoris Dei; nempe ſi præceptum timeamus & revereamur.

Cum verò homines à verbi obſequio metu depelluntur, ne, dum verbo pareant; pace & proſperitate excidant: contrà Sal. docet, legis reverentia pacem ſtabiliri. [Impiis enim pax non eſt,] Iſ.57. 23, 24, 25. Huc etiam ſpectat quod toties in libro Deut. iteratur, obſequium mandatorum Dei idcirco Iſraëlitis imperari, ut illis bene ſit qui ea obſervant.

V. 14. *Doctrina ſapientis* [*eſt*] *ſcaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis.*

Ex cap. 10. v. 11. apparet eum juſtum appellari qui hic appellatur ſapiens; ut pro ſapiente verè habendus non ſit qui fide juſtificatus juſtitiam non colit: reliqui omnes quamcunque ſapientiæ ſeu ſpeciem, ſeu exiſtimationem apud quoſvis obtineant, in ſapientum catalogo ſeu cenſu habendi non ſunt: potius cum ſtultis & inſanis aggregandi. Quo eſt deteſtabilior noſtra perverſitas qui fucatæ ſapientiæ & à vanis hominibus prædicatæ famã ſectantes, eam quæ vera & genuina eſt & à ſapienti Deo comprobata contemptim præterimus.

Cum nemo ſit tam integri & incorrupti ſermonis, & oris circumciſi ut verbis non peccet, verba proverbij ad illam doctrinam revocanda ſunt, quæ à ſapiente & juſto, quoad ſapiens & juſtus eſt profluunt. Davidem etenim dulciſſ. Iſraëlis pſaltem aliquando inſipienter locutum & temerè quid effutiiſſe, notius eſt, quàm ut probari debeat. Neque cum à Chriſto diſceditur, invenietur mortalis quiſquam ab origine mundi qui linguâ ſæpiùs lapſus non ſit. Unde perfectus & omnibus numeris abſolutus habetur qui linguâ nõ delinquit Iac.3.

Deinde obſervatu dignum eſt, juſtum ſeu ſapientem non eſſe eum coargui, cui ſermo juſtus & incorruptus non ſuppetit. *Credidi, propterea loquutus ſum* Pſal. 116. *ut homo eſt, ita eſt ſermo* 2.Reg.9.11. Tametſi enim non ut olim credentes omnes novis linguis, id eſt variis multarum gentium idiomatis ornentur; tamen hucuſque verum eſſe comperitur, ut quicunque fide verâ à Deo imbuti ſunt, iiſdem nova lingua id eſt ſermo repurgatus, & labia defæcata cælitus delapſa immittuntur: ut non ineptè dici poſſit, *oſtende mihi fidem tuam ex verbis tuis.*

Effectum puri ſermonis metaphorâ illuſtrat ab aquis vivis ſeu perẽnibus ductâ, cujus hic ferè ſenſus. Ut ſiti & æſtu confectum aqua gelida & perennis mirificè reficit atq; recreat: ſic viri ſapientis bene inſtitutus & accõmodatus ſermo, cum loquentem conſcientiâ officii perfuncti, tum audientem ſuâ ſuavitate & ſalubri-

tate

tate conſolatur & exhilarat. Hinc non eſt difficile ſcire quanti pretij juſtus in civitate vir ſit. Omnes illius urbis amœnitatē & ſalubritatem prædicant, quæ fontibus & aquæ ductibus perennis aquæ ſcatet: nedum quæ bonis & juſtis viris abundat. Maximè verò hoc prædicabile eſt ſi locus deſertus & ſiticuloſus ſit. Quamobrem in hoc mundo tanquam deſerto & vaſtitate, operæ-pretium eſt bonos & juſtos conquirere: In locis auſtralibus multā magnamque operam ponunt, & magnis ſumptibus fontes diſquirunt & defodiunt: Quidni igitur magis deſudemus ut juſtos & ſapientes conquiramus? Agreſte & incivile aut barbarum habitum eſt cum Philiſtæi Iſaaci fontes injecto aggere obturarunt; nedum cum juſtos & ſapientes perimere conantur improbi homines.

Doctrinæ juſti ſeu ſapientis præſtantia arguitur à fine ſeu effectu ſpeciali, deflexione à laqueis mortis quos nobis tendūt mundus, caro, & diabolus, & quibus impiorū viæ conſtratæ quodammodò ſunt, ut ne veſtigium quidem ponant quod ſit à laquei periculo liberum & ſolutum. ubi, ut ſtimulum addat ad doctrinæ amplexationem, non leve aliquod damnum incumbere indicat, non captivitatem aut ſervitutem, non pedis aut brachii eluxationem aut rupturam, non capitis diminutionem; ſed ipſam mortem; eamque non momentaneam modo, cujuſmodi eſt corporis ab anima divulſio; ſed acerbiſſimā, qua in barathrū gehennæ totus quantus quantus eſt, animo & corpore præcipitatur. Nobis enim tanquā avibus tendiculæ collocantur, & inſidiæ ponuntur quotidie; idemque nobis accidit quod de turdo perhibetur *turdum ſibi malum cacare.* Nam peccatis quæ ipſi admittimus, tanquam viſco irretiti tenemur. Nec ulla ars eſt qua peccati illecebras & diaboli veteratorij aucupis technas & machinationes declinemus, niſi ad doctrinam ſapientis & juſti viri, tanquam ad fontem vitæ advolemus. Horum enim alterutrum tanquam neceſſarium nos manet, ut aut mortis laqueis pereamus aut doctrinæ ſapientis participes facti vita perfruamur. Doctrina verò ſapientis idonea eſt, non tantum ut nos à laqueis mortis tutos & incolumes ſervet; ſed ut nos illis jam indutos & arctius conſtrictos expediat & extricet.

Atq; non tantum nos à noxiis & mortuis operibus eximit; ſed & *ad omne opus bonum* probè & *inſtructos*, & animatos *reddit*. Hinc eſt quod pſ. canit juſtum doctrinæ Dei aſſidua meditatione *inſtar arboris eſſe quæ ſecus rivos & decurſus aquarum conſeritur, quæ fructum maturum & tempeſtivum affert.* Pſ. 1. Nam cum hoc loco doctrina ſapientis fonti aquæ perēnis comparetur, nō mirum eſt, ſi qui illam ſibi familiarem reddunt (tanquam illam ſibi propè admoverent) fructum abundè ferant. vid. Prov. 3. v. 12. 16. 20. ubi doctrina Dei nos cum à malis operibus eripere, tum ad bona opera adigere dicitur: eoque perfectā normā eſſe vitæ humanæ.

Verſ. 15. Succeſſum bonum dat gratia, via autem perfidioſorum [*eſt aſpera.*

Bonus intellectus quid ſit hoc loco apparet ex oppoſito membro nempè via tranſgreſſorum cui ex adverſo reſpondet ea intelligentia veritatis quæ cum praxi virtutis & pietatis conjuncta eſt, quæ ſola bona & ſalutaris habenda eſt: cum, quæ à pietate diſſociatur rerum cæleſtium cognitio, cognitori exitialis & pernicioſa evadit. Hæc autem intelligentia commendatur ab effecto quem parit, gratia ſcil. apud Deum & hominem ut ſupra cap. 3. v. 4.

Et primum quidem quod Deum attinet, non eſt ita accipiendū ac ſi Dei favor

& gratia ullo opere noſtro evocaretur, quæ ipſa omnium in nobis bonorum fons & parens exiſtit: ſed quod pietas & bona intelligentia ex gratia Dei ortum & originem ducẽs novam & cumulatiorem gratiam attrahit; vel potius(ſi propriè loqui velimus) primæ & originalis (ut ita dicam) gratiæ ampliora & uberiora teſtimonia. Quod idem eſt cum eo quod Joh. 1.dicitur *nos in Chriſto gratiam pro gratiâ accipere.* Ubi obiter, notandum eſt toto cælo errare pontificios qui primam quidem gratiam gratuitam eſſe non diffitentur; ſed quæ deinceps confertur Dei liberalitate,propter primæ gratię debitum & legitimum uſum,in nos noſtro merito conferri. Tantum enim abeſt ut hoc noſtro merito fiat, ut meton. cauſæ gratiæ nomen retinet quod ſecundo confertur.

Quanti autem ſit ut quis apud Deum gratioſus ſit ex eo liquet quod ejus inveſtigatio tantoperè in ſcripturâ, & tam inſigni, & inuſitatâ ratione commendatur Pſ.27.8.9.& 105.4.Quo loco apud pios habetur vide Pſ. 4. 7. Illuſtratur autem comparatione minoris ſcil. conquirendâ & conſectanda gratia principum, qui tamen mortales cum ſint, noſtris miſeriis ſæpiùs ſi velint,ſebvenire nequeunt.Imo vero non regum tantum gratiam ſollicitè venamur;ſed ejus qui regi ſucceſſurus ſit,ut Sal.obſervat in Eccleſiaſte, tametſi nondum rerum potitus nihil noſtra cauſa efficere queat,& qui, propter rerum humanarum caducam conditionem, aut vita fructus erit priuſquàm ſceptra tractet, aut, ſi præſenti regi ſuperſtes extiterit, in regni tamen ſolium nunquam aſcendet.

Atque ut permagni eſt Dei gratiam conſequi;ita minimè mirum eſt nos rectè vitam inſtituentesDeo acceptos eſſe qui tum favore & gratia nos complexus eſt, cum ex carne viventes ſimultates & inimicitias cum illo exercuimus; Sed gratiam apud homines inire & initam fovere; præſertim improbos qui pietatis & veræ cognitionis divinæ hoſtes exiſtunt, id demum difficile, aut potius incredibile videtur; Sed meminerimus Deum penes eſſe omnia hominum corda, & illa ut rivos aquarum huc illuc ducere,reducere. Quamobrem cum hujuſmodi promiſſionibus homines pios& intelligentes locupletaverit,nihil eſt cur magis de veritate &præſtatione promiſſi dubitemus,quam ſi illam jam in manibus teneremus; maximè cumDeus diſertè confirmet ſe hunc animnm hoſtibus inditurum, ut gratiam & miſericordiam illis præſtent Pſ. 106. 46. Dan. 1.9.idque;infinitis omnium ætatum & ſæculorum illuſtriſſimis exemplis comprobavit. In Ioſepho qui quocunque;veniret in pretio etiam apud improbiſſimos fuit. In Iſraëlitis quos Ægyptij jurati eorum hoſtes tanto favore complectebantur,ut illis ſuas gemmas & peculium ſeu aurum viceſimarium ſponte concederent; oculos porro(ut credibile eſt)quos illis darent,eruturos,ſi hoc ab illis poſtulaſſent, Huc referantur hiſtoriæ de Cyri & Darij Artax. in populum Dei munificentia, qui illis cum natione, tum religione maximè inviſus erat. vide Davidis exemplum in perdita Saulis aula. vide Actor.27. quam φιλάνθρωπος fuerit ApoſtoloJulius,quam humanitatem Paulo & comitibus ſuis barbari exhibuerunt Actor.28.

Hoc illuſtratur ex adverſis quod prævaricatorum via & vivendi ratio dura & aſpera eſt, ideſt inhumana & inclemens eſt;eoque ipſo efficit ut duriter & odioſè cum à Deo, tum ab hominibus excipiantur. vide exemplum fratrum Joſephi qui ſuum ob peccatum etiam à proprio fratre eos intime amante duriter &aſperè accepti ſunt. Vide quoties Deus impios inter ſe conjunctiſſimos ita inter ſe commiſit, ut in mutuas ſui cædes irruerint.

rint. vide exemplum Madianitarum & Syrorum. vide Iudic. 9.20.23.

V. 16. *Omnis aſtutus agit ſcientia, ſtolidus autem pandit ſtultitiã.*

In verbo יפרש *(expandit)* eſt metaph. tracta ab auleis quæ prius convoluta, penitus poſt evolvuntur, & omnium oculis videnda expanduntur.

Solers ſeu aſtutus hoc loco is eſt qui ſapienter ſe rebus ex circumſtantiarum uſu gerendis accommodat. Cum vero in hoc libro non niſi in laude (ut dictum eſt) ſumatur, homini pio fas eſſe conſequitur ut prudentiam & cautionem in rebus ſuis adminiſtrandis adhibeat; nec ita ſimplicitatem & apertam agendi rationem præhendat una manu, ut prudentiam & circumſpectam cautionem altera elabi patiatnr; ſed ſciat cum ſimplicitate columbæ ſerpentis (quæ cæteris omnibus brutis callidior eſt) prudentiam conjungere. Quod eorum inſcitiam refellit, qui nunquam ſe ſatis Chriſti oves probare poſſe putant, niſi ſua jugula in luporum gulam, & ingluviem inferant; nunquam ſe pro Chtiſti columbis jure haberi ſomniant, niſi ſe accipitrum, & aliarum rapacium avium vnguibus tradant, ſeque illis prædam faciant; tanquam ſi pietas nos brutis animantibus inferiores reddat, quibus natura dictat, ut ſe vitamque ſuam adverſus incurrentes impetus tuten-tur, ac defendant; aut quaſi pietas lumen rationis humano generi conceſſum extingueret, qua mala eventura ad fugam longè antè proſpicimus; cũ pietas potius omnẽ honeſtam, & legitimam periculorum declinationem corroboret & confirmet, Vnde Deut. 4. dicitur Dei populum ejus mandata ſervantem populo etiam infideli ſapientiæ nomen & famam conſequuturum. Vide exemplum Davidis, qui Aulicorum judicio prudenter omnia adminiſtraſſe perhibetur, & à Saule aſtutus admodum vocatur, cui tamen Deum adfuiſſe, paſſim ſcripturæ teſtimonio confirmatur. Non eſt equidem inter ludos ululandum, nec malum malo retaliare nobis permittitur. Habent igitur pii apud Moſem ſuos exploratores, habent ſua ſtratagemata, ut in hiſt. Ioſ. liquet, habent ſuos ὠτακουστάς &c.

Hujus autem ſolertis, ſeu aſtuti effectum à Sol: judicatur, res ſuas ſcienter procurare. Quæ quidem ſcientia (ut ex contrario membro colligitur) in eo potiſſ. verſatur, & vim ſuam exercet, quod non omnia ſemel & ſimul, & ubique effundat; ſed ita quædam aut dicit, aut facit, ut alia dicenda, & facienda omittat, quæ tameu lege veritatis dicere, aut facere nõ prohibetur; ut nõ tam, quid fas, aut nefas ſit, reſpiciat, quã ad illud, quod expedit, aut nõ expedit collimet; ut quędã certis loco tempore q́ue, & apud certas perſonas faciat, & dicat, quę promiſcuè nõ faceret. Hujus exempla extant in Heſtere, quæ edocta à Mard. genus & ortũ reticuit; in Nehem. 2.3. ubi pro loco cultus Dei (quod apud Regem infidelem inſipidum, & odioſum foret) repoſuit locum ſepulchri majorum ſuorum; in Eſra, 8.22. in Paulo Act, 23.6. in Chriſto vero paſſim, maximè cum coram Pilato, & ſummis ſacerd. ſiſteretur.

Contra vero ſtultus omnia neglectis temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiis, profundit. De qua re vide prius cap. 12.13. Quamdiu enim tacet aut à rebus gerendis abſtinet, tanquàm aulæum convoluta & complicata tenetur ejus inſipientia, ut hominum oculos fugiat: ſed cum ſeſe ſeu verbis ſeu factis effert, ilico prodit inſipientiã. Imo vero quamdiu in ſilentio vivit, ſæpe pro ſapienti habetur.

Verſ. 17. Nuncius improbus incidit:

dit in malum: legatis autem optimæ fidei, medicinam facit.

Nuncius eſt miniſter alterius nomine certa mandata præferens. Quamobrem improbus nuncius eſt qui illegitimè mãdata aut legitima illegitimè exequitur: fidelis legatus contrà qui legitimis inſtructus eadem ſummâ cum fide executioni mandat. Iam verò cum inveteratus ſit apud omnes ferè error, ita ut pænè in Proverbium abierit, culpam omnem, ut & rei bene geſtæ laudem, penes authorem & jubentem eſſe; nuncium verò ſemper vitio carere: Salomon hoc Proverbio illum errorem retexere & caſtigare voluit, culpæ vituperium & præclari facinoris laudem cum nuncio ſeu legato communicando. Hinc igitur ne nos miniſtros & præbitores rerum illicitarum præſtemus, deterremur: iſthinc verò ad res honeſtas noſtrâ operâ, tametſi ſervili & mediaſtinâ, promovendum incitamur.

Sed nuncius improbus duorum generum exiſtit vel reſpectu { *vocationis,* / *legationis falſæ ſeu* παραπρεσβείας.

In priote genere ſunt qui nulla legitimâ vocatione inſtructi, tanquam voluntarij magiſtratus & πολυπράγμονες ad legationem obeundam proſiliunt. In hoc genere plurimi in miniſterio verbi reperti ſunt, & ètiamnum reperiuntur: ut pſeudo-Apoſtoli & pſeudo-Prophetæ qui ſe immediate à Deo mitti oſtentant Vide Epiſt. utramque ad Corinth, Apoc. 2. Epiſt. ad Epheſ. ut hi qui ſe ab Apoſtolis miſſos perhibebant à quibus emiſſi non ſunt ut Actor. 15. ut qui vocatione ab hominibus muniti ſunt, Deo ſuo illis teſtimonio non ſuffragante. Hi omnes quem illi cumque nuncium perferunt improbi nuncij ſunt.

Deinde qui aut impia, aut injuſta referunt, aut nuncium legitimum & illis à ſuis principibus mandatum corrumpunt, additione, detractione, commutatione, in improbis nunciis habendi. Maledictio verò Dei non tantùm in malos authores & principes ſtringitur; ſed porrò in ejuſdem miniſtros. Vide Iſa. 10. 1. Hujus exempla extant 1. Sam. 22. 17, 18. conjunct. cum Pſal. 52. 2. Reg. 1. 9. &c. Actor. 22. 18, 19. & Math. 28. 4. Verum quidem eſt ſuos heros & principes magnâ voce & magnis lateribus confirmare ſe ſuos ſervos & aſſeclas illos ab omni periculo vindicaturos: ut conſtat 2. Sam. 13. 28. ſed ſuum propterea ſcelus non impunè auferunt. Quinetiam fit ut ſæpius miniſtri gravius hoc mundo ſupplicium luant, quàm ipſi authores: ut in Math. 28. 4. 2. Reg. 19. Quod ſi miniſtri pœnas luunt, qui ſub jugo aliorum ſunt, & arctiſſimo vinculo ſubjectionis ſuis dominis agglutinantur: graviores certe luent qui ſponte ſuâ ſeſe impiis flagitiis deſignandis dedunt.

Fideliſſimus verò legatus medicinam facit. Quis ſit hic legatus cùm vocatione, tùm legationis argumento, tùm formulâ exequutionis ex his quæ prius dictis adverſa ſunt ſatis clarè liquet. Cujus quidem primùm norma evidentiſſ. exponitur à Propheta *verbum tecum ne cohibeas*, Ierem. 1. 17. Ezek. 3. 17. exempla multa præclara exiſtunt apud Ierem. Vide exemplum Moſis, qui ne ungulam quidem in Ægypto relinquere voluit. Vide verba Eliæ ad Achabum, Iohannis ad Herodem, Nathanis ad Davidem.

Medicinam facere docet locus prior in Prophetâ; ubi propterea jubet ne voculam unam omittere; ſi fortè (inquit) reſipiſcant, &c. Vide quam vim habuerunt verba Gadis ad Davidem, &. Nathanis ad eundem. Vide locum Iob. 33. 23. Quod verò ſanitatem non afferant reprobis,

bis, intelligendum eſt, quòd vim ſuam obtinent in improbis ut illis omnem excuſationem adimant. Deinde ex antitheſi prioris verſus intelligendum & legatum ipſum promotum iri, & ſanitatem majorem ſibi acquirere, quam reprobis non affert. Sicut poſteriore hemiſtich. antitheticôs intelligendum eſt improbum nuncium damnum non tantùm ſibi & perniciem accerſere; ſed illis etiam afferre quibus improbum nuncium affert; niſi cautum agant, & ſe ab illis laqueis quos nuncius collocat prudenter eximant.

V. 18. *Paupertas & ignominia [erit] abſtrahenti ſe [ab eruditione: qui autem ſervat correptionem, honorabitur.*

Quam neceſſaria ſit caſtigatio omnibus quicunque ſunt qui ab Adamo originem duxerunt illuſtri in Iobo ſententiâ comprobatur, Iob. 11. 11, 12. ubi diſertè *omnes homines* dicuntur *vani*, *vacui omni intelligentiâ* adeò ut pro *onagris habeantur potius quàm hominibus*. Eodemq; loco dicitur animadverſionis divinę uſum eſſe ut ex onagris homines, id eſt manſueti reddantur. Quemadmodum igitur pulli equorum prius domitoribus traduntur ut illis poſt commodè ad itinera facienda aut ad alios vitæ uſus utamur: ſic non minùs omnes inepti ſumus ad cultum Deo præſtandum, aut cum hominibus utiliter conſueſcendum, priuſquam Dei flagellis edomiti jugo Chriſti cervices noſtras ſubjiciamus, Prov. 22. 13. affirmatur *ſtultitiam alligatam eſſe cordi pueri*, *quam virga correctionis profligabit*. Et Apoſt docet *ſpurium non filium eſſe qui caſtigationis particeps non eſt*, Heb. 12. 8. Ex quo veritas hujus Proverbij elucet eum perverſum eſſe qui ſe correctioni ſubducit; etiam puerũ aut alium quemvis qui per ętatem de caſtigatione diſcernere queat. Nam ſi puerulis in quibus peccatum radices non tam fixas & confirmatas egit, caſtigatio tam neceſſaria ſit, nedum in adultioribus, & ætate grandioribus. Et ſi ad hominem ad civilem ſocietatem inſtituendum correctione opus ſit, ad quam formãdam præclara quædam initia cujuſque menti inſita manent; quanto magis ad ſanctam ſocietatem tuendam, & colendam correptione opus eſt, cujus ne ſemen minimum, aut ſcintilla tenuiſſ. ſuperſtes relicta eſt ex illa πανολεθρία quæ genus humanum peccati labe evertit?

Legimus *Davidis* filios Abſalonem & Adoniam ob eam cauſam periiſſe, quòd liberrimè, & proprio voluntatis arbitratu abſque caſtigationis fræno vitam agebant, uſque eò, ut ne verbo quidem vulnerati ſint. Quod ſi jure pereant hi, quibus nulla parentum ſtultâ indulgentia caſtigatio adhibita eſt; quanto hi juſtiùs perituri ſunt, qui impoſitam & imperatam ab his, quorum intereſt, caſtigationem, & ſeveritatem reſpuunt & repudiant? Nam cum ad benignè caſtigationem accipiendam nos ſcriptura adhortetur, non eam modò intelligit, quæ à Deo cœlitùs imittitur, & immediatè, qualem nemo, niſi prodigioſe improbus aperte rejicit (ut hi faciunt, de quibus Ioh. in Apoc. ſcribit 16. 8. 9.) ſed illam etiam, quam Deus per familiam, Eccl. aut Remp. alicui infligit, etiamſi aliquando injuſta ſit, ſi illos reſpicias, qui virgam adhibent, 1. Pet. 2, 18, 19. 20.

Quod ſi, qui inferiore loco ſunt accipiendæ caſtigationi placideq; ferendę obſtricti ſint, non minor eſt obligatio eorum, qui præſunt, ut juſtam ſeveritatem in delinquentes exerceant.

Pœna verò eorum, qui ſe ſubducunt à diſciplina fam. Eccl. aut Reipub. eſt paupertas, & ignominia. Cujus quidem, paupertatis media, & adminiſtra ſępe ſunt ipſorum in ſibi ſubjectos indignatio, & ira, qui legitimè correctionẽ adhibent. Nã ut

benè eſt in hac vita his, qui parentibus obediunt; ſic contra malè eſt in hac vita, qui in eorum imperio non acquieſcunt. Deinde & illud aliud adminiculum eſt, quod diſciplinam ſpernentes nullam honeſtam artem diſcunt, qua vitam tolerēt.

Nec paupertatem tantum minatur, ſed ignominioſam paupertatem. Eſt enim glorioſa quædã paupertas, cujuſmodi fuit illa Chriſti, Ap. & fidelium, qui propter Chriſti nomen rei familiaris, & patrimonij jacturam fecerunt. Nec inhoneſta eſt illa eorum paupertas, qui tenuiter, ſed legitime tamen hanc vitam tolerant. Atq; hæc pœna ignominiæ ideo videtur attexi, quod improbi refractarij, & calcitrones maxima parte diſciplina ſeveriore refugiunt, quod illam ſibi dedecoroſam fore putant. Cui tentationi Sol. occurrit hoc præmio dum ignominiam attrahi doceat recuſatione correctionis, non autem illius (quod homines putent) amplexatione. Cujus rei inſignis pictura exiſtit in filio prodigo, Luc. 15. qui impatiens domeſticæ diſciplinæ, quæ in patris ædibus vigebat, ex illa ſe ſubducens ſe cum heluonib. & decoctorib. conjunxit.

Eandem pœnam luebant Eli, & David ob neglectum in caſtigandis filiis officiũ. Nam ejus poſteritas ad fruſtum panis ob eam cauſam adacta eſt; & David coactus eſt ob eam cauſam à facie Abſalomi fugam arripere, & à propriis ſubditis ad tempus ali, atque cibari.

In poſteriore hemiſtichij opponitur ſubducenti ſe à caſtigatione is, qui obſervat redargutionem. Is autem obſervare dicitur caſtigationem non tantũ qui illam placide admittit, eamq; perfert ſed qui ejus memor ab illis peccatis recedit, quorũ nomine vel ipſe flagellum ſenſit, vel alios ſenſiſſe animadvertit. Vide Ioſ. 22.20. vid, exempl. filiorum Iac. qui ex dura tractatione & exagitatione, qua Ioſephus frater illos excipiebat, ilico ad peccatorum diu ante admiſſorum memoriam & ſenſum adducti ſunt. Vide 2. Reg. 1.13, 14. cujus adverſum vide Ezek. per totum cap. 19, ubi Principes Iehudæ invicem ſibi ſuccedentes prædecceſſorum ſuorum caſtigationibus non ſunt ab iiſdem ſceleribus revocati, in quæ illi impegerunt.

Eum autem, qui obſervat redargutionem, docet veri honoris præmio ornandum eſſe, contra quam vulgo putatur, qui probro ducunt, ſiquis patienter & æque ferat impoſitam caſtigationem. Quæritur autem, cur non etiam divitiarum dono hunc cumulãdum dicat, ſicut paupertate urgendum dixit, qui ſe à caſtigatione ſubducit. Reſp. ut hac loquendi ratione doceret, divitias non ſemper in eos conferri, qui pij ſunt, ſed quoad Deo ita viſũ fuerit; eoque ipſo etiam intelligi oportere, non ſemper paupertate premi, qui caſtigationem reſpuit.

V. 19. *Deſiderium effectum ſuave erit animæ*] *hujus*,] *at abominationi* [*eſt*] *ſtolidis recedere à malo.*

In נפש *(anima)* eſt ſynecd. membri pro integra perſona. In תועבת *(abominatio)* eſt meton. adjunct.

Natura omnes lætantur, & exultant, cum, quæ animo diſcupiunt, illis ad animi ſui voluntatem obveniunt. Et hucuſque naturæ ductus nec in laude, nec in vituperio ponitur. Ob eamque cauſam ea appetentes, quæ naturæ convenientia, & accommoda ſunt (ut ſunt cibus, potus, ſomnus, &c. dummodo modum in appetẽdo, & rationem non tranſilimus, à vitio abſumus. Verumenimvero naturæ noſtræ ex peccato labe, & depravatione fit, ut cum licita ardentius, & vehementius, quam fas eſt; tum etiam illicita & divina lege vetita præoptemus. Contra Spiritu Sancto per ſemen verbi divin renati

ea

ea etiam expetimus, quæ pietatem & juſtitiam reſipiunt. De poſtremis his duabus depravatæ & reformatæ noſtræ naturę cupiditatibus hujus primo hemiſtich. intelligi videtur. Nihil enim attinet hoc loco de naturali appetitione, quę nec laudi, nec vituperio ducitur, ſermonem inſtituere. Et quanquam deſideriorum, quę ad legis divinæ normam exiguntur, vix veſtigium aliquod appareat. in hoc primum tamen deſiderium illud ex contrario improborum deſiderio (Proverbij cōtractæ & preſſæ naturæ congruenter) colligitur.

Cur autem improborum cupiditatem potius expreſſit, quàm eam, quæ eſt piorum? Ratio in promptu eſſe videtur, quod deſiderium improborum ad malum intentius & inflammatius eſt, quàm piorum ad id, quod bonum eſt, qui improbi deſiderio ad mala feruntur toto naturæ ſuæ impetu, tanquam equis & velis, aliquando etiam Satanæ impulſu incitati, cū piorum ad id, quod ſanctorum eſt, vota corruptę reliquiis retardantur, & tanquā fibris adhuc inhærentibus retinentur.

Prioris igitur hemiſtich. hic ſenſus ſit: cupiditates improborum illicitæ *& legitima piorum deſideria* expletę atque perfecta animum jucundiſſima quadam voluptate perfundunt. In cupiditate ſive deſiderio impiorum, eorum infœlicitas. & maledicta conditio elucet; utpote qui tū inferis proximi ſunt, cum illis omnia ad voluntatem affluunt: ut multo ſit illis præſtabilius tetris cruciatibus torqueri quod concupitis priventur, quàm ut in votis potiundis lætanter exultent. Hinc eſt ut nullum ſeverius & exquiſitum magis judicium Deus in hac vita illos exerceat, quàm cum illis, in eis quę improbè expetiverūt, indulget. Vide Rom. 1. 24. Pſ. 81. 13. & apud Ierem. ſumma populi improbitas deſignatur *ambulatione ex inſtinctu cordis ſui*. Atque hoc modo impletur quodammodo quod in Pſal. dicitur, *eorum menſam illis in dicipulam aut rete, quo irretiti teneantur, converti.*

Poſteriore hemiſtich. docet Propheta impios illud omne ſummè averſari & amoliri quod cupiditatis ſuæ explendæ & exaturandæ infeſtum & inimicum eſt: adeo ut illud utcunque in ſe præclarum, non tantum odio habeant, ſed etiam àbominentur. Nam inſtar urſæ ſunt ſuis catulis orbatæ, eoque in omnes incurrentes irrumpunt. Vide 1. Reg. 22. de odio Vatiniano in Michajah quod cupiditatibus ejus ſemper obſtitit, ob eam cauſam idem Eliam Prophetam *ſuum hoſtem* appellat, 1. Reg. 21. 20. Sic Saul proprium filium & quidem natu maximum interfecturus erat, quod ſe deſiderio & cupiditati Saulis de Davide perimendo opposuerat.

Contrà pij ut bona fere exoptant, quia eadem quæ cupiunt à Deo in precibus petunt, coram cujus majeſtate pudet eos futilia, nedum impia precari; ita illa omnia charè complectuntur quæ honeſtis eorum deſideriis perficiendis deſerviunt, aut adminiculum afferunt, etiamſi alioqui acerba ſunt: unde illud Pſal. 141. 5. Iuſtus me corripiat, non inhibeat, &c. Quod ſi aliquid cupidè expetant quod à ratione & lege Dei deflectit; tamen facilè inde aliorum admonitione depelluntur: ut in Davide viſum eſt, 1. Sam. 25. aut ſua ſponte illud abjiciunt ut in aqua Bethleemitica.

V. 20. *Qui ambulat cum ſapientibus, ſapientior fiet: qui verò ſe comſociat ſtolidis, efficietur pejor.*

In הלך (*ambulans*) participio præſentis temporis, indicat continuam & aſſiduam converſationem ut Gen. 4. 17. ubi Cain dicitur בנה (*ædificans*) ſic Luc. 10. 17. *erant*

edentes & bibentes, &c. Quod etiam ex oppoſito membro ſocii etiamnum liquet. Nec enim qui rem aut commercium habet cum ſtulto ilicò ſtultus eſt: tum enim (ut inquit Apoſt.) *è mundo excedendũ eſſet*, 1.Cor.5.ſed qui cum eo arctiori ſocietatis vinculo conjunctus vivit.

Quantus & quàm neceſſarius ſit uſus amici in caducâ hac vitâ. Vid. Prov. 17. 17. & 27.9, 10. Tantus autem eſt ut ne Chriſtus quidem ipſe qui ſe omnibus hujus vitæ commodis propter nos abdicavit, hoc tam neceſſario humanæ vitæ ſolatio carere voluit: ſed potiùs ſuum ſervum in amicitiæ jus & ſocietatem aſcivit, quàm amico deſtitui vellet. Cùm autem univerſum genus humanum hoc ipſo verſu in duas partes conſumatur, ſapientes ſcil. & ſtultos, i. ex ſcripturæ, maximè Davidis & Salomonis loquendi formulâ, probos & improbos: nos hac lege teneri & conſtringi palàm eſt, ut eos in amicitiæ ſocietatem & communionem adhibeamus qui pij ſunt; niſi noſtræ temeritatis in aliis diligendis pœnas dare velimus. Quod non tantum de amicis intelligi debet; ſed ſe porrò diffundit ad eos omnes quibuſcum conſueſcendi & converſandi neceſſitas nobis imponitur; cujuſmodi ſunt omnes domeſtici. In quibus conjux principem locum tenet, quòd ab eâ propter perverſitatem religionis aut morum (adulterij crimine modò excepto) corruptelam viro ſe abjungere non concedatur. Deinde ſervi hujuſmodi conquirēdi qui Dei timore imbuti, ſaltem tincti ſunt. Vide Pſal.101.Nam ut qui aſſiduè ad ſolem ambulat ejuſdem radiis coloratur; & ut Moſes ſua cum Deo conſuetudine & confabulatione ſplendorem vultus micantem contraxerat: ſic nos hominum conſuetudine aſſidua illis animo & vitæ inſtituto conformamur. Hinc eſt ut Propheta ſe in gyrum obedientiæ Dei coarcturus, ſeque obſequij divini cancellis circumſcripturus profitetur *ſe ſocium futurum eorum qui Deum timent*, Pſa.119. ſect.8. vidit enim vir prudens ſe, utcunq; in pietate provectum, & confirmatum, ſine hoc adminiculo ſocietatis & communionis piorum in cœpto pietatis curſu perſtare nequiviſſe: tantum abeſſe ut in ea incrementum abſque piorum conſuetudine acciperet. Hinc refellitur inſtitutum monaſticum præſertim Anachoritarum. Maximè verò perſtringuntur qui vitæ comitum delectum non magnum habent, parùm ſibi conſcii aut ſuæ propriæ infirmitatis, aut viriũ quas in utramque partem habet cum aliis vitæ conſuetudo. Maximum autem periculum ſi quis non tantum non deſerat; ſed etiam negligat cœtus Eccleſiaſticos, Hebr.11.25. Vide quàm gravem caſum Thomas accepit quòd die dominico uno duntaxat à ſacro conventu Eccleſiæ abfuit.

In pravo verò perverſoque conſortio major adhùc vis ad nos inficiendũ, quàm in bonorum conſuetudine ad nos eorum pietati conformandum, propter naturæ depravatæ ad omnem vitioſitatem propenſionem; & ad virtutem averſionem; quæ utut impiis hominibus aliquantulum minuta & attrita eſt; ſubacta tamen & ſubjugata certe non eſt. Jumenta & homines labe aliqua infecti ejus contagium ad alios qui ſocij ſunt tranſmittunt; ſed ſua tamen ſanitate alios non afficiunt: ſic & in ſpirituali hoc contactu bonus mali conſortio facilè pejoratur, malus boni vix aut ne vix quidem melioratur. vide 2. Reg.18.17. & 2.Reg.10.11. Quorum priore confirmatur is ſenſus Prov. qui verbo ירוע indicatur cùm ſignificat malum & improbum fieri; poſteriore verò teſtimonio alter ſenſus confirmationem accipit qui verbo ירוע indicatur ſignificante attritionem: qui utrique ſenſus cùm ſat benè huic loco conveniant, nihil impedit quo minùs utrunque amplectamur:

ut in

ut in voce זונה quæ cum cauponam, tum meretricem ſignificat.

V. 21. *Peccatores inſectatur malum, juſtos autem compenſat bonum.*

Proſopopœia eſt in hoc Proverbio. Nam ad vividius & vehementius homines afficiendum cum odio peccati, tum amore juſtitiæ, pœnæ ſimul & præmio affingitur vita & judicium diſcernendi inter bonum & malum, ut utrique, prout ſe geſſerint, obveniat. Nam cum impij impunitatis ſpe ad mala facile prolabantur, & pij ægre ſibi de fœlici piorum factorum exitu perſuadeant, utrique hoc Proverbio occurritur, & improbis indubitatum exitium; probis vero certa ſalus denunciatur, utcunque aut illis pœna, aut his præmium ad tempus differtur.

Voce חטאים (*peccatores*) intelliguntur non hi qui carnis infirmitate Dei mandata violant, in quo genere omnes quotquot ſumus peccatores ſumus; ſed eos intelligit qui peccatum tanquàm artem exercent. De quibus Ioh. 9. *Deus peccatores non exaudit*, & verſu ſequenti: & qui ſæpius operatores iniquitatis in ſcripturis appellantur. Hos ut umbra corpus, ut canis venaticus prædam ſeu venationem, ut in lege redemptor eum qui ſibi conjunctiſſimum occidit; inſectatur malum ſeu Dei vindicta: cui cùm à Deo pedes veluti cervarum, vel alæ potius aquilinæ tribuuntur, vanam & falſam ſpem eſſe oportet eam quâ ſe peccatores jactãt, fore ut pœnam peccato eorum juſtam effugiãt: Maximè cum nulla illis malitioſè peccantibus perfugij urbs, aſylum ſeu ſanctuariũ nullum à Deo attributum; ſicuti his qui per infirmitatem à viâ deflectant. Utut igitur equis fugiant impij à pœna peccatis eorum debita; dromadibus tamen Dei vindicta illos aſſequetur: ſin alas arripiãt quibus fugam accelerent corvinas; vindicta aquilinis inſtructa eos antevertet. Vide Zach. 1. 5, 6. Etiamſi cœlum ſubvolent, ad inferos deſcendant, mare trajiciant; illos tamen comitatur Dei vindicta. Quamobrem ut nullos ſatellites Principis inſectantes habeant, nullos lictores Prætoris, &c. Atque utcunque potentia valeant, & ingenioſè ſcelus tegere norint; tamẽ pœnam peccato debitam tandem auferent.

Hinc diſcimus, quàm momentaneæ ſint peccati deliciæ, & quam earum fruitionem carè emimus. Tametſi enim eiſdem ſpoliis, quibus vita, definirentur, nec niſi animæ expiratione clauderentur, tamen momentaneæ, & nullius penè durationis futuræ eſſent. Iam vero cum ſæpiſſimè in hac vita non interrumpantur ſolum, ſed acerbiſſimis flagellorum Dei condimentis miſceantur, & contemperentur, eas tam avidè, & ſitienter perſequi cujus tandem inſaniæ reputabitur?

Alterum hemiſtichium non minus certam & indubitatam veritatem complectitur, cum bonis benè actum iri & Dei benignitatem & benedictionem æquari diligentia & celeritate juſtis veluti à pedibus eſſe, & eoſdem à veſtigio inſequi. perinde atque malos malum inſectatur. Nam cum hinc vindicta, iſthinc vero benignitas & benedictio Dei quodammodo emiſſarij ſint, ab eoque ad deſtinatum iræ, & miſericordiæ opus emittantur, qui idem ad benignitatem, quàm ad ſe veritatem propendet magis, & qui ad vindictam quaſi invitus pertractus dicitur; quin bonum non minus in itinere promptum & expeditum ſit, ut bonos remuneret, ac malum ad malos ulciſcendum, dubitari certè non poteſt. Huc accedit quod improbis à malo contentiſſimè fugientibus, juſti Dei benignitatem, & benedictionem precibus attrahunt, & propè admovent. Atque cum benignitas,

& benedictio Dei improbos piorum poſteros ob parentum pietatem in hac vita beaverint, nedum pios ipſos Dei cultores bonis onerabunt. Quod majus eſt, improbi cum in ſe, tùm in ſua poſteritate Dei externis beneficiis ornati & dilati ſunt, tantùm quòd Deo obſequiũ quoddam ſpecie & hom. judicio aliquouſque probatum præſtiterunt (ut & in Iehu, & ejus poſteris;) quanto magis hoc faciet verè & ſincerè piis? Non tam à piis addubitatur, num Deus illos æternæ vitæ coronâ donabit; ſed illud demum ventilatur, an illis hoc ſæculo gratificaturus ſit. Quamobrem his nos rationibus adverſus hanc tentationem muniamus.

V. 22. *Bonus poſſeſſionem tradit nepotibus, ſuntque reconditæ juſto opes peccatoris.*

In בני בנים (*nepotes*) eſt ſynecd. part. nepotum, pro pronepotibus, abnepotibus, &c. i. totâ poſteritate.

Multos exercet & torquet vehementer cura & ſolicitudo præſentis vitæ, ut illis de his proſpiciatur, quibus vitam hanc honeſtè tolerent. Hanc autem de propria vita curam & anxietatem in immenſum auget cupiditas de patrimonio poſteris conquirendo. Nam primùm de prole & ſobole proſeminanda, in qua defuncti quodammodo reviviſcant, multum laborant; prolem verò Dei liberalitate aſſequuti mox ad divitiarum & prædiorum acquiſitionem animos attollunt. His tribus curis de propriæ vitæ cultu, prolis procreatione, & hæreditate liberis relinquendâ, tanquam fune triplicato hominum animi in rerum terrenarum ſtudio ita detinentur, ut vel cœlum ſuſpicere, aut de Deo cogitationem ſuſcipere vix, aut ne vix quidem concedatur. Hæc ut conſequantur, *manè ſurgunt, ſero cubant, panem non niſi cum mœrore & ſolicitudine comedunt*; & tamen ſæpiſſ. ſua de ſpe decidunt, & ne unum quidem horum, ſummâ animi & corporis contentione obtinent. Hoc autem loco Propheta omnia hæc conſequendi ſpem injicit his, qui juſtitiam colunt. Nam cum bonum affirmat hæreditatem tranſmittere ad nepotes, 1. affirmat, juſto ſuppetere, quo vitam ipſe tueatur. 2. non defuturam poſteritatem: poſtremò poſteris paternam hæreditatem ſuperfuturam. Quod ſiquis excipiat, iſta ſemper, & conſtanter juſto non obtingere; regerere promptum eſt, minùs ſæpe hæc aſſequi eos, qui, præteritâ juſtitiâ, omnes ad hæc vias & aditus explorant, & conſectantur ſtudioſiſſimè. Multo igitur præſtabilius eſt hoc compendium pietatis & juſtitiæ inire, quo & ſæpiùs & certiùs iſta comparantur, quam hæc ex noſtræ rationis, diſcurſationis, improbique laboris molitione atque machinatione ſuſpendere. Nam ut illud concedatur hominem ſuâ induſtriâ ſibimetipſi, dum in vivis eſt, poſſe aliquouſque de his proſpicere quibus ſe vitamque ſuam ſuſtentet; tamen penes eum non eſt liberos ſuſcipere (qui *merces* Dei dicuntur, Pſal. 127.) & mortuus quid efficiat, quo acquiſitam hæreditatem in poſterorum manum & poſſeſſionem tradat, etiamſi circumſpectiſſimè omnia teſtamento diſponat, & lege municipali undique jus hęreditatis circumvallet.

Deus autem piorum patronus in æternum vivit, qui juſtorum hominum pupillos in ſuam clientelam accipit, & illis (omnibus hominibus refragantibus) facilè proſpicit. Atque utut improbi cum ipſi opibus abundent, tùm liberos patrimonio & hæreditate locupletent; tamen rariſſimè ad pronepotes ſuam hæreditatem transferunt. Quamobrem illud firmiter teneamus quod Apoſtolos docet *pietatem ad omnia eſſe utilem, & promiſſiones*

nes

nes habere cùm præſentis, tùm futuræ vitæ, 1. Tim. 4.8. & errorem nobis naturâ inſitum & morum depravatione, & exemplorum imitatione confirmatum corrigamus, quo omnem ferè operam perire in animum induci patimur, quæ in divino cultu & pietatis exercitiis ponimus, tantumque focis detrahi, quantum aris impenditur; ac ſi frugi eſſe & cultui divino ſtudere tam eſſent inter ſe pugnantia & ἀσύςατα, ut invicem conſiſtere nequeant; uſque eò ut vel Sabbathum, ſeu diem dominicam religioſè obſervare grave pleriſque & moleſtum, quòd in eò à quæſtuariis occupationibus ceſſatio imperatur.

Momentum etiam habet quod dicitur bonum & pium virum hæreditatem poſteris tradere, quæ tamen (ut *omnē donum bonum*, Iac. 1.) à Deo ejuſque immeritâ benignitate proficiſcitur. Ad quam rem refertur quod in quinto decalogi mandato expreſsè dicitur parentes quodammodò efficere ut obſequentes filij diuturnam in hoc ſæculo vitam agant. Quod quidem ob eam cauſam à Sp. Sancto proponitur, ut parentibus ſtimulos ad pietatem addat, dum illos in hujus erga poſteros liberalitatis ſocietatem adſciſcit: non ſecùs quam miniſtris Eccleſiæ faces admovet, ut miniſterium fideliter obeant, *quòd hoc pacto cùm ſe, tùm ſuos ſervaturi ſunt*, 1. Tim. 4.

In poſteriore hemiſt. eſt prolepſis ſeu occupatio. Hic enim oritur dubitatio, quî fiat ut juſtus tantam vim opum conſequatur quâ & ſibi & poſteris ſuis tam abundè proſpiciat. Cui difficultati tametſi ex aliis ſcripturæ locis reſponderi poteſt: ut 1. ex Iob. 22, 23, 24, 25. Id ne incredibile ſit, propter infeſtum mundi in juſtos odium, & propter ſtudium juſtorum erga pietatem, quo fit ut rebus cæleſtibus addicti, minùs divitiis congerendis vacabũt. Reſp. ſecundò quòd benedictio Dei hominem divitem reddit Prov. 10. 22. tertiò, *quòd paulum ejus quod juſtus habet pluris eſt, quàm abundãtia improborum multorum*, Pſal. 37. 16. tamen occurritur ex hoc ipſo loco, nempe quod *divitiæ improborum reconditæ & repoſitæ ſint juſto*. Cui aſtipulatur vel maximè quod ſcribitur Iob. 27. 16, 17. Hunc locum Iſaiah 61. 5. mirificè amplificat, cùm dicit improbos & alienos ab Eccleſiâ piis futuros pro paſtoribus, pro colonis, & pro venitoribus; tanquam poſſeſſio terræ eſſet improborum, cùm pii tamen uſufructuarii habendi ſunt: ut de his verè dici poſſit eos greges & armenta habere, prata, fruges & vineas, cùm nihil poſſideant: congruenter dicto Apoſtoli *nihil habentes & omnia poſſidentes*.

Deinde notandum eſt quod dicat reconditas eſſe opes: quo non id tantum intelligit, improbos à theſauris illis eſſe; ſed porro ſubeſſe rationes quibus illis vitæ ſubſidiis ſuſtentetur, quæ ad vitã tuendam requiruntur: tametſi illud nec oculis videant nec rationis ratiocinatione animo complecti poſſunt.

V. 23. *Multus* [*eſt*] *cibus novellantibus pauperibus; ſed eſt qui conſumit ſe inertia.*

In ניר *ſulcatione* eſt Synecd. partis pro omni legitima occupatione.

Prioris hemiſt. vide ſenſum & tractationem cap. 12. 11. & 12. 24. Et videtur ſenſus huc redire ut ſit idem cũ eo quod omnium ore perhibetur. *Artem alere artificem.* Sed ut ſit non deeſt prioris proverb. locupletatio non contemnenda. Nam cum affirmat pauperes novatione uberrimè victum parare, docet neminem tenuitate fortunæ ſuæ impediri, quo minùs ſibi ad vitæ cultum ſufficiat, dummodo nervos ad eam rem intendat, & manum ad opus ſedulo admoveat. Quod

pauperes

pauperes vel maximè faciunt, qui, quod ager auguſtus ſit, in eo colendo & ſubigendo magis aſſiduè verſantur. Plerique enim ſunt qui paupertis ſuæ intimo & acutiſſ. ſenſu conſternati ſpem victus parandi penitùs abjicientes aut otio torpent, aut ad mendicandum ſe addicunt, aut ad fraudes & inhoneſtas captandarum divitiarum artes animos ſuos applicant. vid. proverb. 10. 15. Hujus proverbij fides & veritas de abundanti ex labore proventu cum apud eos vera comperta ſit, qui à rep. Chriſtianâ alieni ſunt; quantò id magis conſtabit in Sione & apud populum & federatos Dei, quorum pauperes ampliſſimâ promiſſione & veluti privilegio donantur? pſ. 132, 15. vid. pſa, 37. 25. Quod ſi improbo labore id non conſequantur, Deo benedictionem ſuam ſubducente, Primum ſeipſos conſcientiâ juſti laboris conſolentur. Deinde ſecum reputent Dei conſilium hac benedictionis ſuæ ſubtractione eos ad humilitatem & animi ſubmiſſionem erudire velle, dum quo ſe ſuſtentent ab aliis perere & emendicare cogantur.

Poſteriore hemiſt. alia virtus requiritur, quæ eſt prudens & cauta diſpoſitio, & diſpenſatio eorum, quæ laborioſè acquiſita ſunt; quæ niſi adſit, omnia, quanta quanta ſunt facilè dilabuntur. *Nec enim minor virtus eſt, quàm quærere, parta tueri.* Hic igitur rationes ineundæ ſunt, ne ſumptus reditibus & vectigalibus majores ſint, ne priùs ad ædificandum animos advertamus, quàm de his, quæ foris & in agris ſunt, ritè conſtituamus; ne ædificiorum aut magnificentia, aut laxitas pratis, aut arvis parùm conveniat; ut unius anni feracitas ad alterius anni ſterilitatē compenſandam adhibeatur; ut quæque tempeſtivè pro ſua natura ad uſus domeſticos accommodentur; ut peregrinis, & domeſticis pro cujuſque conditione, & dignitate menſa inſtruatur; ut prudenti perſpicientia adverſus rerum omnium, quæ domi, & foris ſunt, corruptionem, & in malum declinationem caveatur. Atque hæc ut à filiis hujus ſæculi curantur, ita vel maximè à piis præſtantur, Deo naturalem hanc prudentiam (quâ etiam in improbos confert) ſuâ gratia & ſapientia ex verbo hauſta poliente & ampliante Pſal. 112. 5. ubi eadem vox uſurpatur, quæ hoc loco habetur, ut facilius ſit intelligere, hunc eſſe hujus loci, quem ſequuti ſumus, genuinũ ſenſum, quotieſcunque alii afferantur. Huc referendum eſt, quod unuſquiſque noſtrum diſpenſator à Deo conſtituitur eorum, quæ poſſidemus, ut illis cõmode & modicè ad eorum, quorum maximè intereſt, utilitatem utamur, quandoquidē in diſp. requiritur prudentia. Hujus prudentis diſpenſationis, ſeu *οἰκονομίας* exempla ſunt in Joſepho, qui eam rationem iniit, qua 7. annorum ubertas aliorum 7. annorum ſterilitatem compenſavit; deinde in Sol. mirifice illuxit, qui totius familiæ cum in convictu, tum in veſtitu procurationem certo ordine & ratione inſtituit; denique hujus rei exemplum extat in Chriſto Domino & Servatore, qui Dei largitione adduci non potuit, ut vel minimi fragmenti, aut particulæ hordeacii panis, aut minimorum piſciculorum jactura fieret. Math. 14. 20. & Ioh. 6. 12. Cum autem judicium adhibendum doceat in facultatum & rei familiaris diſpoſitione & diſtributione, id non tam ad parſimoniam dictum intelligamus, quam ad liberalitatem, & beneficentiam qua aliis ſubveniamus; alioquin nimiâ ad rem attentione & ariditate fiet ut juſto Dei judicio in eum transferentur, qui inopum miſeratione ducetur. Idem non inepte dicatur de ſpirituali meſſe, quam tametſi copioſam invehamus & coacervemus, tamen niſi modo quodam & ratione pia meditatione digeratur & diſpenſetur, irrita nobis & inutilis redditur.

V. 24. Qui cohibet virgam ſuã, odit filium ſuum: qui autem amat eum, tempeſtivè procurat eruditionem ei.

In שחרו *aurorat eum* eſt metaph. ab aurora ad celerem & maturam agendi rationem; ubi etiam pueritia cum aurora diei comparatur, ſicut tota hominis vita diei ſpatio. In שבטו *virga* eſt ſyn. partis pro omni genere caſtigationis ſive verbis, ſive verberibus, ſive pœnam inferendo, ſive beneficia ſubtrahendo. In בנו *filio ſuo* eſt etiam ſyn. part. pro inferioribus omnis generis.

Propheta hac ſententia inferiorum penè omnium, maximè eorum, qui tenera ætate ſunt, nonnullorum etiam parentum errorem deſignat, quorum illi caſtigationem omnem averſantur, tanquam ex odio parentum manantem: hi nimia inferiorum (præſertim liberorum, indulgentia correctionem non adhibent, quod illam à parentum amantium animo alienam eſſe ſtatuant.

Caſtigationem pueris neceſſariam eſſe hujus cap. verſ. 18. dictum eſt. Quod vel ex eo clarius intelligitur, quod omnes Adami filij cum ſint eorum animis nativæ corruptionis inſidere aliquid palàm eſt. Nam ſi à Deo renati novum hominem induerint, manent tamen fibræ & reliquiæ veteris Adami, quæ debita & prudenti inſtitutione revellendæ ſunt. Quanto magis curatio hęc, quæ correctione fit, adhibenda erit, cum nondum veteris hominis exuvias abjecerint? Ut puero non convenire correptionem affirmare perinde ſit, atque illum Adami filiũ eſſe pernegare. Ecquis ager tam ferax, ut raucatione non egeat? Ecquis natura pullus tam cicur & manſuetus, ut domitare ei opus non ſit? Omnes certè aut (ut ita dicam) Ephorini, aut Theopompini ſunt, ut aut calcaribus incitari, aut frænis cohiberi neceſſe habeant. vid. Eph. 6. 4. Hebr. 12. *Quis pater eſt, qui filium non caſtigat?* Omnes ſe parentes debitores ſponte conſtituunt victum & veſtitum liberis parandi. Atqui non minor cura eſſe debet, ut juſta caſtigatione erudiantur; aut etiam eo major, quod altero ad vitam, altero verò ad piam & honeſtam vitam provehantur.

Ubi verò deſideratur hæc correptio, cauſa in parentum erga liberos amore aſſignatur, ſed falsò: veram enim hujus nimiæ in parentibus indulgentiæ cauſam & ſemen Spiritus ſanctus in parentum erga liberos odio collocat. Sua igitur, & inſipientium liberorum ſuorum opinione ſit amor, & benignitas paterna; interim Dei ſapientiſſ. judicio odium planè eſt, & inimicitia gravis. Nam cum fructus illius deliri amoris ſint noxii, & infeſti, & hoſtiles plane, qui corporis & animæ poſt hãc vitam, & plerumque etiam præſentis vitæ interitum afferant: quidni pro odio verè habeat, quod fructus & effecta edit non minus pernicioſa, quam quæ à juratiſſ. & acerrimò hoſte proficiſci queant. Nec juvat, quod benè illis cupiunt, cum voluntas in illos non ſit cum recta ratione congruens, ut nec pro Dei cultoribus & amatoribus habendi erunt, quĩ zelo quodam in Deum ardentes, toto tamen cælo à vero Dei cultu in verbo præſcripto aberrant. Atque hac voce odij Spiritus ſanctus uti maluit, ut parentes ſimul, & liberos ad correctionis debitæ & juſtæ ſtudium adigeret, niſi liberi parentes hoſtium loco, & parentes liberorum ſuorum oſores (quod prodigioſum eſt) haberi velint. Atque utcunque inſipientes parentes, & liberi hac diſſolutione ad tempus delectentur; tamen parentes à liberis calcitronibus & refractariis contempti, ſui in liberos odij fructus, magnâ mercede mutui liberorum in ſe odij experiuntur. Et liberi plerumque ad patibulũ abrepti in parentes indulgentes,

tanquam in hoſtes ſæpius declamitant, ut qui ſuam funeſtam calamitatem ad illos, tanquam (ex nimia indulgentia) authores & procreatores referunt, ut nõ minus exitij ſui, quàm perſonarum ſuarum parentes extiterint. Hinc liquet quo loco omnis turpis amor habendus ſit, ſive fornicantium, ſeu quocunque alio immunditiæ genere peccantium, eoque & oſcula, & amplexationes, & contrectationes inhoneſtas totidem eſſe virulenti odij teſtimonia.

Non eſt prætereundum quod non dicit; *qui cohibet virgam*, ſed *qui cohibet virgam ſuam*, id eſt virgam, quæ filio convenit. Nam hic videtur genuinus proverbij ſenſus: odio habere filium ſuum, qui inhibet virgam ſuam ideſt filio convenientem. Vel ſi pro nomen ad parentes referamus, perinde eſt, & ſenſus eodem recidit; caſtigandum filium quæ parentem decet. Hic igitur docentur, ut virga, non quavis, ſed ætati ingenio, & delicto, ſeu errori filii conveniente cædatur. Non igitur vultu & verbis corrigi tantum debet, qui verberibus cædendus eſt (ut 1. Sam. in exemplo Eli cernitur) nec è contra; neque flagello aut bacillo, qui ſurculo ex ſalice defracto, aut reſecto corripiendus eſt; nec pluribus, qui paucis plagis afficiendus eſt; nec aſſiduè adhibenda eſt, quæ rarius veluti medicina uſurpanda. Huc refertur, quod lege cavetur, ne ob maximum crimen, quod flagris vindicatur, & expiatur 40. plagarum numerum excedat. Nam ut contra ſanitatem peccat, ſi medicina aut lenior, aut aſperior ſit, quam morbi ratio poſtulat: ſic etiam in animæ ſalutem delinquitur, ſi correctio & pæna par culpæ non ſit. Hic autem cum primis requiritur, ut omni correptioni conjungatur (Apoſt. monitore) νουθεσία. Nec enim homines (ut belluæ) feriendi ſunt; quod tum fit, id eſt cum quis peccati admiſſi convictus non teneatur; deinde cum adhortatio non adhibeatur ad reſipiſcentiam. Atque hic homines ſunt quandoq; in canes æquiores, quam in homines. Nam cum canis ovem jugulaverit, eum coram ove cædũt, ut hac ratione (quoad datur) cani innoteſcat, quid ſit, cur vapulet. Nec tantum νουθεσία adhibenda, ſed νουθεσία κυρίου, deprompta ſcil. è doctrina ſacræ ſcripturæ. Quo in gen. à parentibus plerumque peccatur, qui ſuos liberos terriculamentis inanibus, non autem minis ex lege divina depromptis ab errore abducunt.

In poſt. hemiſt. aliam adhibet legitimæ correptionis cautionem, ut maturè fiat, atque quam primum vel ſuppullulare incipiat pueritiæ pravitas, ut illis non parcatur ob corpuſculi adhuc tenelli mollitiem, quo minus aliquam inferant modicam ſaltem erroris admiſſi pænam; ne, ſi altiores peccatum radices agat, pluribus & gravioribus plagis ad frugem non revocetur, qui paucis (ſi opportunè impactę fuiſſent) perſanari potuit. Notum eſt, ſurculum, quamdiu tenellus eſt, paulo momento huc illuc flecti & reflecti poſſe; ſed cum arboreſcit, frangi citius, quam flecti ſolere. Deinde urticæ & ſpinæ, niſi maturè extirpentur, frumentum ſuffocant. Hoc illuſtratur pullis equorum, & iuvencis, qui, niſi ante domentur & ſubigantur, quam adulti fiant, citius ſibi cervices defringi, quàm domari patiuntur. Hinc eſt, quod Jer. bonum fuiſſe profeſſus eſt, *quod jugum Domini ab ineunte ætate tulerit*. Contrà vero Eccle. 8. 10. audaciores homines ad maleficia fiunt, quia cito non puniuntur. Quanto vero præſtabilius eſt mane, & ineunte ætate moderata correptione, ſalvis liberis, vitia expurgari, quàm ut, vitiis vires ſumentibus mane juſta Dei vindicta liberi ipſi excindantur? Pſal. 101.

V. 25.

V. 25. *Iuſtus comedit ad ſatietatem animæ ſuæ, venter autem improborum eget.*

In אכל (*comedit*) eſt ſyn.part.pro rebus omnibus ad vitæ cultum ſpectantibus.

Cap.12.26. dictum eſt, juſtum hoc ipſo, quod juſtus eſt, proximo ſuo, qui juſtus non eſt, præſtare. Hoc loco potior ejus conditio declaratur vel in his rebus, quæ ad hanc vitam ſpectant; quod copioſius ei etiam de victu & veſtitu perſpicitur quàm improbis. Hoc tametſi aliis ſententiis, & nominatim v. 22. hujus cap. & 10.3. ſatis teſtatum ſit, tamen Deus, qui probe novit diffidentiæ noſtrę in his profunditatem, non ſat habet illud generatim proponere, niſi illud per partes explicet; nec ſemel tantùm, ſed ſæpiùs ad majorem, rei certitudinem ingeminat, ſicut Ioſephus iterationis unius rei uſum apertè docet.

Quam autem ſumus animis averſi ad hanc de Dei erga nos cura & procuratione perſuaſionem inhibendam, declarat ſatis Chriſti ſervatoris apud Matt.6. prolixa, & argumentis conferta concio. vid. Iſai.65.13. ubi utriuſque partis proverbij confirmatio habetur.

Hujus autem ſaturitatis, quæ juſto tribuitur, ſi cauſas inveſtigemus, non omnes in proventus, aut divitiarum abundantia concluſas & collocatas depræhendemus; ſed partim in eo, quod juſti paucioribus, & parciori cibo ſatiantur, quàm improbus, qui in edendo, & bibendo ferè nullum modum, aut rationem adhibet; deinde quod Dei benedictio largiore menſura eorum eſculenta proſequitur, quàm improborum (qua de re vid. Pſal. 37. & exemplum Danielis &c. Dan.1.) maximè verò quod Dei providentia admirabilis in illis paſcendis magis excubat, quàm in cibandis improbis. Hujus rei admirabile exemplum eſt Gen. 47. ubi Ægyptiis indigenis fame furentibus, Iſraëlitæ ad ſaturitatem comederunt. Illud etiam memorabile eſt, quod Elias per annum integrum à rapaciſſ. avibus paſcitur ſingulis manè & veſperè. 1. Reg. 17. Hanc doctrinam Chriſtus multis miraculis obſignavit vel etiam, apud eos, qui juſti non erant, ſed juſtitiam præ ſe ferebant, & regni cælorum perquiſitionem. Matth.14.15. Ioh.6. Contrà de improbis vid. Pſal. 59. 15, 16. & Mich. 6. 14. Atque improborum defectus non ſolum ex inopia & anguſtia facultatum naſcitur, ſed & ex inexplebili eorum cupiditate, deinde quod Deus ſuã benedictionem ſubducit. (Mich. 6.) poſtremò, quod Deus admirabili ſua providentia efficit, ut etiam illis deſit, quod habent. vid, 2.Reg.7.14.15.]

CAPUT XIV.

Verſ. 1. Sapientum fœminarum [quæque] ædificat domum ſuam ſtulta autem manibus ſuis deſtruit eam.

In חכמות (*ſapientes*) & אולת (*ſtulta*) eſt metony. adjunct. In בנתה (*ædificat*) eſt ſyn.part. pro omni bono, quod domui obtingit, ſive ædificando novam, ſive ædificatam conſervando, ſive collapſam reficiendo. In ביתה (*domum*) eſt etiam ſyn. part. Nec enim ſolum illam domum intelligit, quæ materiata eſt, ſed porrò liberos, qui quaſi columnæ ædificij ſunt. Sic etiam videtur accipiendum Pſal. 127. id eſt ut ex verſu 3. liquet, & 2.Sam.7.16. In בידיה eſt metony. effic. pro operibus.

Summa eſt, viros non debere ita ſuæ prudentiæ confidere, ut prudentis conjugis adminiculo ad familiæ commodam

procurationem, non indigeant. Nam cum incorrupta Adami conditio hoc vitæ ſolatio commodè carere non potuit; vitiata certè, & peccato labefactata minus ea deſtituatur.

Sapiens fœmina ex conſuetudine locutionis Spiritus ſancti in hoc libro eſt pia & Dei timens; non illa, quæ acri, acuto, & verſipelli ingenio eſt. De hac dicitur, eam domum ſuam ædificare. Primùm enim ex verbo Dei inſtituitur, quomodo in tota domus procuratione ſe gerat; quomodo erga maritum; quo pacto erga liberos; qua ratione erga ſervos & ancillas; quî denique erga domeſticos. Nam ſcriptura, quæ miniſtros & Reges ad omnes ſui muneris partes abſolutè informat, Matremfamilias in his, quæ ejus ſunt, nudam & inermem non relinquit. Quod quidem cum paſſim & ſparſim in omnibus Scripturæ libris præſtet, tum illud quam maximè ultimo hujus libri capite exequitur. Deinde multum ad eam rem confert Dei benedictio, quæ cum in liberorum partu unicè efficax ſit, tum in divitiarum acquiſitione præcipuam quandam vim obtinet. Nam cum parentes in filiabus ad matrimonium elocandis munifici eſſe ſolent, tum piam fœminam (quæ eadem Dei filia eſt) à Deo indotatam in mariti manum convenire incredibile certè eſt. Huc accedit quòd tametſi liberorum procreatio ferè piis fœminis cum impiis communis ſit, tamen ſobolem præclaram, & virtutibus nobilitatam ſuſcipere perrarò, niſi Dei timentibus ex Dei fœdere obtingit. Atque in iſtiuſmodi ſobole ſpes diuturnioris poſteritatis alitur, his ferè ad tertiam generationem extinctis, qui ab improbis parentibus proſeminantur. Et quidem luſtrantibus & percenſentibus præſtantes eximios in Eccleſia & Repub. viros, illud ſcire obvium & expoſitum erit, eos ferè omnes fœminis Deum timentibus in hanc lucem editos eſſe. Atque cum ſervus Deum timens domum hominis Ethnici ædificat, ut in Ioſephi, & Iacobi exemplis liquet, qui Potipharis, Pharaonis, & Labani familias locupletabant, quanto hoc magis præſtabit pia uxor, quæ arctiſſ. nexu viro conjuncta cumulatiorem (quam ſervus) Dei benedictionem attrahet. Quamobrem hoc proverbio admonentur homines in deligenda Conjuge, & vitæ individua comite, non formæ, non divitiarum, non ſtirpis & proſapiæ; ſed pietatis præcipuam quandam rationem habere; niſi ſuam in obſequendis animi ſui cupiditatibus inſcitiam & temeritatem magna mercede experiri velint. Hujus autem proverbij veritas multis exemplis confirmatur. In Rahab meretrice illuſtre exemplum exiſtit, quæ ſua fide & charitate in Dei ſervos non ſuam tantum, ſed totius cognationis ſuæ vitam ſervavit, & ex Ierichuntis πανωλεθρίᾳ eripuit: Deinde etiam hoc eodem obſequio Principi ex tribu Iehudæ connubio juncta eſt, unde familiam ſuam nobilitavit. Ioſ. 2. Aliud exemplum memorabile ſpectandum proponitur 2. Reg. 4. in Shunamite, quæ ob hoſpitium humanum Prophetæ Elizei primò ſterilis ſuſcepit filium, ſecundò eundem mortuum redivivum accepit, tertiò permonita de ingruente fame commigratione in aliam regionem ſe & ſuos ab interitu vindicavit. Quartò reditu in patriam ſuam & filij ſui patrimonium, & prædia unâ cum vectigalibus, quæ illi peregrinationis tempore prærepta ſunt, recuperavit. Huc non incommodè referatur quod obſtetrices Iſraëliticæ Deum timentes cauſæ extiterunt, cur Deus infinitas familias conſtitueret Exod. 1 21.

In poſteriori hemiſtichio illuſtrat prio-

rem doctrinam ab Adverſ. quod ſtulta, ſeu impia fœmina manibus ſuis diruit & dejicit domum ſuam. Nec enim ſolum collabi & corruere eam patitur (quod ſatis per ſe triſte eſt) ſed illam deturbat; nec aliis has domum diruendi partes demandat, ſed ipſa ſuis factis, tanquam utriſque in illam injectis manibus expugnat, non tantùm cum illa bona familiæ prodigit & diſſipat, ſed vel tum, cùm ad opes cumulandum animum adjungit, ut ruentem domum ſtatuminet. Nam ſua impietate Dei maledictionem arceſſit, qua una, tanquam ardenti igni omnia facilè & nullo modo negotio abſumuntur. vid. Iud. 14. & 16. de Samſonis uxoribus. vid. 2. Reg. 8. 20. Huc referri poteſt Evæ exemplum Gen, 3.

V. 2. *Qui ambulat rectè, reveretur Iehovam: præfractus verò vijs ſuis, ſpernit eum.*

In הולך *ambulat* & דרכיו *in vijs ſuis* eſt Allegoria, ſed trita admodum, & pervulgata.

Hujus proverbij caput & ſumma eſt: de ſingulorum cultu & religione ex operibus ſeu bonis, ſeu malis æſtimandum; & certiſſimum de pietate apud homines judicium ex vitæ ſuæ inſtituto petendum. Ubi primùm cautio adhibenda, ne animis noſtris naturâ rectitudinem ullam inſidere putemus, qui ab ipſis incunabulis corrupti ſumus; Sed rectitudo noſtra, quæ hoc loco commemoratur, non eſt, quam aut à parentibus naturâ hauſimus, aut labore & induſtria propriâ acquiſivimus; ſed idcircò noſtra dicitur quod nobis incumbat, & à nobis efflagitatur, & quod nobis gratis datur. Dicitur autem in rectitudine ſuâ potius, quàm ſimpliciter in rectitudine, quia pro cujuſque ratione, & vocationis conditione, ſic alia atque alia rectitudo exiſtit. Alia enim eſt rectitudo Principis, alia ſubditi; alia Miniſtri, alia ejus, cui miniſtratur; alia Patrisfamilias, alia domeſticorum. Quamobrem ut nos verè Dei timentes comprobemus, non illa modò operemur, quæ omnibus univerſim Chriſtianis communia ſunt, ſed quæ porrò ex ſingulari, ſeu propriâ vocatione incumbunt, ſtudiosè perſequenda erunt.

Deinde illud porro exigitur, ut obſequium non inchoemus modo, ſed in eo ad extremum uſque Spiritum perſtemus; quod & ambulandi voce, & præſertim temporis uſurpatione deſignatur. Non igitur à Spiritu initium capientes in carne nos deſinere oportebit, ſed cæptus obedientiæ curſus conficiendus nobis erit, ſi brabium præripi noluerimus. *Sic enim currendum eſt, ut compræhendamus.* 1. Cor. 9.

Timore Dei pietas, & Dei cultus hoc loco definitur: Qui timor non ille quidem ſervilis eſt, quo improbos, atque adeò dæmones perfuſos & imbutos eſſe conſtat; ſed timorem deſignat filialem & ingenuum, quo induti ex amore in Deum ab illis admittendis, aut omittendis ſibi metuunt, quæ Deo infeſta & ingrata eſſe norunt: ut Deum timere verè dicantur, qui ſibi à vetito juramentò timent, Eccleſ. 9. Quod idem ad omnia alia ſcelera, quæ Dei mandato interdicta ſunt, transferatur. Eàdem enim ratione juſtus habeatur, qui ſibi ab adulterio, à furto, ab homicidio patrando timet; aut ſibi ab eorum, quæ jubentur, omiſſione, aut intermiſſione metuit; cujus in animo Dei timor ita βεβαίως, ut a Deo imperata capeſſenda, vetita fugienda omni ſtudio & animi cõtentione conſtituat.

Contra præfractũ & perverſum in ſuæ vitæ inſtitutis, id eſt, cupiditatibus carnis

ſuæ obſequentem & obtemperantem, quicquid pietatis obtendit, & quamcunque ſpeciem cultus divini præ ſe ferat, ut de Deo omnia honorificè & glorioſè loquatur; eum tamen Propheta in Dei contemptorum cenſu & numero habendum pronunciat: ubi Solomon ex contemptu mandatorum Dei ipſius contemptum arguit. Hinc eſt quod (2.Sam.12.) David verſ.9, verbum Domini contemnere dictus 10. verſ. in ſequente dicitur *Deum contempſiſſe*: & 1. Sam.2. 30. Ely & filij ejus *Deum contempſiſſe* affirmantur, Sed illud liquidiſſimè conſtat Malach.1. 6, 7. ubi διαλογιστικῶς hoc tractatur. Queritur enim Deus, ſe à Sacerdotibus contemptum: Sacerdotes quærunt quo jure hoc dicat Deus: reſpondet Deus, ſe in eo contemptum eſſe, quod cultum ejus contemptui habent, & res viles in cultu divino per avaritiam admittant.

Deus verò hac voce contemptus hoc loco utitur, ut homines à maleficiis abſterreret. An enim hominem non obſtupefaceret ſecum reputare Deum omnipotentem, & plenum majeſtatis *contemptum eſſe*, qui ad mortalis Principum contemptum cohorreſceret? David Pſal. 8, in admirationem rapitur, quod Deus infinitè glorioſus hominem non aſpernetur, ſed ejus aliquam rationem habet, & in aliquo numero; idq; propter conditonem ejus humilem, & abjectam, hoc ipſo, quod ex pulvere creatus ſit. Qua de re vide Abrah. Geneſ.18,27. Quod ſi Deus nos jure contemnat, quod ex pulvere nati ſimus, quãto magis propter peccati labem? Multo vero maximè, & juſtiſſimè hoc faciat, ſi in Deum contemptuoſi ſimus. Quis ergo eſt, qui contemni ſe à Deo non jure optimo expectet, qui eum prius ſuæ majeſtatis contemptu incitavit?

V. 3. *Ori ſtulti ineſt baculus ſuperbiæ, labijs verò ſapientum conſervatio ipſorum.*

In הטר (*baculus*) eſt metaphora, qua noxij ſermones cum baculo comparantur, quo & aliis, & ſibi cum primis officit ſtultus.

Huic autem Proverbiô propoſitum eſt ſuperbæ linguæ incommoda cum domino, tum aliis indicare, niſi ubi cœleſti ſapientiâ muniti caveant.

Cum multis Proverbiis Salom. ante hac linguæ errores taxaverit, iſthinc vero virtutes prædicaverit, tum hoc loco linguæ morbum, qui ex ſuperbiâ manat, unâ cum medicina, qua ab illâ tuti ſimus, indicat. Linguæ etenim multiplices errores pro cauſarum varietate, quæ nos ad perperam loquendum impellunt: aliquando ex depravatâ conſuetudine, ex incuria & oſcitantia; aliquando vero ex ira; nonnunquam ex invidia, &c. Quod autem ſuperbis ſermonibus baculus à Propheta affigitur potiſſim. docemur, quàm Deo infeſtum, & odioſum ſit ſuperbię crimen, utpote quod Dei longanimitatem & patientiam abrumpens illi quodammodo ad arma claſſicum canit. Vide Pſal. 12. 4, 5. Cujus exquiſitiſſima exempla, Vide in Pharaone Exod. 1. Vide Rabſhacæ hiſt. 2.Reg. item Nabuchod. Dan.4. & Herodis Act.12. & Matt.11.23.

Deinde, ut quàm prompta & accelerata Dei vindicta ſit in ſuperba & ferocia verba declararet, baculum divinæ ultionis in ipſo ore, atq; verbis collocat, tanquam ſi ex ipſiſmet illis inflatis & pertumidis ſermonibus (veluti ex gemma flos, ex flore bacca) pullularet. Tanquam enim Ionæ recinus, unâ nocte germinat, efflореſcit, & maturitatem conſequitur. In ſuperbo igitur ore, tanquam in paluſtri & irriguo, ſeu præpingui ſolo creſcit Dei ultio. Nec diſſimile eſt, quod prius cap. 13. v.21, accepimus; ubi dicitur malum perſequi

perſequi peccatores, & illos veluti è veſtigio premere.

Deinde quod baculum adnectit, non virgam, indicare videtur, Deum malo nodo malum cuneum parare. Quod autem baculum, vel bacillum potius, nõ gladium, aut lanceam, aut inſtrumentum bellicum minatur ſuperbis linguis, vide an non ad perſonæ illius contemptionem & deſpicientiam pertinet ad hominum morem, & agendi rationem, qui, cum adverſarium contumelioſiſſimè tractare velint, non enſem adhibent, ſed bacillum, aut flagellum, quo eum cædant tanquam illi juſtæ pugnæ honorem dedignantes. Hæc autem agendi ratio ſuperbis ſummè convenit, qui cum ſupra omnes non homines ſolum, ſed aliquando Angelos, atq; adeo Deum ipſum ſe efferant, eorum confidentiam & effrænes animos contumelioſo ſupplicij genere retundi & refringi convenientiſſimum eſt. Vide Pſal. 123. v. 4. & verſus duas poſtremas voces. Hunc hominum morem Deus ſæpius imitatus eſt, ut cum potentiſſ. Reges Pharaonem & Herodem abjectiſſ. beſtiolis ad mortem; & auguſtiſſ. totius orbis imperatorem Nabuchod. ad jumentorum mutorum paſtum abjecit.

Cum in priore parte edocti ſumus, quę mala in ſuperbam linguam redundent, tum hac poſteriore docemur, quomodo comparati eſſe debemus, ut nec ipſimet nobis hoc damnum inferamus, nec à ſuperbis illatũ nobis periculi aliquid creet. Id autem non ſecus fiet, quàm ſapientiâ cœlitùs donata, id eſt, verâ pietate, quæ una linguæ moderari novit. Iacob. 1. 26. Tametſi etenim in hominibus non renatis ſunt quidam ita moderati, & placidi ingenii, ut ſuperbis & prætumidis ſermonibus non facilè alios laceſſant; tamen qui laceſſiti ſe conſtanter contineant, ut aliorum exemplo ad conſimile crimen non adducantur, majoris cujuſdam roboris eſt, quam quod in depravatũ noſtrum ingenium cadat.

V. 4. *Quum deſunt boves, præſepè mundum* [*eſt*;] *amplitudo autem proventuum,* [*eſt*] *viribus bovis.*

In אלפים *(boves)* & שור *(bos)* eſt ſynecd. partis pro omni inſtrumento ad victum parandum neceſſario, item in אבוס *(præſepè)* pro omni loco, ubi paſtus apponitur.

Scopus & meta, ad quam collimat hoc Proverbium, eſt, ut doceat in rebus ad vitam præſentem ſpectantibus illa cum primis quærenda, & comparanda eſſe; quæ uſum habent neceſſarium; non illa, quæ ad voluptatem, aut animi remiſſionem pertinent. Ex omnibus autem neceſſarii uſus inſtrumentis delegit bovem, per quem cætera omnia deſignaret, quòd bos longè utiliſſimè habetur ad familiæ ſuſtentationem. Unde Moſes Deut. 33. Ioſephum bovem vocat, quod familiam Iacobi patris univerſam abundè famis tempeſtate aluerat. Et Pſal. 144. proſperam Reipublicæ conditionem deſcribens bonam ejus partem in boum pinguedine & robore collocat.

Dicit igitur præſepe mundum eſſe, id eſt, non eſſe paleam in præſepi, nedum frumentum in granariis, ubi non ſunt boves: non ſuppetere jumentis pabulum, nedum cibum hominibus. Hoc autem Proverbium eorum hominum inſcitiam redarguit, qui ad captandas delicias ſtudium ſuum & omnium adjungunt, priuſquam de his proſpectum ſit, quæ ſunt ad vitæ cultum neceſſaria; prius de generoſis equis ad curſum, de numeroſo ſatellitio, ſplendido veſtitu; de canibus, & accipitribus ad venandum & aucupandum ſolliciti ſunt, quàm de inſtrumento ad agriculturam, aliaſque operas, & artes neceſſario. Nam ut hæc ſine illis facilè ſubſiſtunt:

ſiſtunt, nec diu oblectationem tueri, aut ſuſtentare poſſunt. Quid enim profuerit vultum pretioſo unguento delibutum habere, cum interim deeſt panis, quo roboremur? Ad hanc rem, & providam curam nos vocat Deus, cum vetat oppignerari, aut pro pignore accipere metam, aut catillum, Deut. 24 6. Hoc genus inſcitiæ non rarò perſpicitur in cæleſti agricultura, ubi non pauci reperiuntur, qui ſe difficillimis quæſtionibus, & alios fatigant, qui nondum Chriſtianæ religionis prima elementa deguſtârunt: qui doctrinam de fide, Reſipiſcentia, &c. quæ Heb. 6. enumerantur, neglectim prætereunt, cum interim de gradibus fœlicitatis in cœlo curioſiùs inquirunt. Hujuſmodi ſunt noſtrorum temporum ſchiſmatici, qui ita penitus in regimine Eccleſiæ omnes cogitationes & ſenſus defixos habent, ut nunquam ad religionis fundamenta addiſcenda animum adjiciant: qui perinde faciunt, atque qui unguentum conſectantur, cum interim panis, quo ſe ſuſtentent, deſit.

In poſteriore hemiſtichio priorẽ partem ab Adverſis arguit. Nempe omnia ad vitam neceſſaria abundè illis ſuppetant, qui legitimis, & à Deo conceſſis ad victum parandum adminiculis utuntur. Simul etiam videtur indicare, boves, & hujuſmodi inſtrumenta bene curanda, & paſcenda eſſe; idque non tantùm ut ad labores ruſticos exantlandos robuſti ſint, ut eſt Pſalm. 144. ſed ut ab omni vel ſpecie crudelitatis procul abſimus. Quò ſpectat, quod Lege ſancitum eſt, ne bovi trituranti os obligent.

Verſ. 5. Teſtis optimæ fidei non mentitur, efflat autem mendacia teſtis falſus.

Huic Proverbio prima ſpecie nullum ineſſe acumen videtur: quo nomine inter Proverbia Salomonis præſertim (id eſt Spiritus Sancti) referatur: ſed propiùs intuenti redolere Spiritus ſapientiam depræhendetur. Documentum etenim edit nobis apprimè ad diſcernendam hominum vanitatem opportunum. Docet etenim adhibitum teſtem ad litem componendam & vere teſtantem in communi & pervulgato ſermone vanum & mendacem non fore. Qui etenim in re magnâ fidelis eſt, eundem in rebus levioribus fidelẽ fore dubitari nemo debet; eoque fieri ut qui ſe integrum & incorruptum in rebus maximis præſtiterit, magnam ſibi apud omnes in communi vitæ commercio fidem & authoritatem conciliavit; maximè ſi teſtimonium, quod dixit, cum ſuo, aut ſuorum non nullo aut incommodo, aut periculo conjunctum ſit. Hoc confirmatur Pauli exemplo, qui à Corinthiis vanitatis accuſatur, quod ad illos non veniſſet, ſicut priori Epiſtolâ facturum receperant, hanc eorum calumniam inde refellit, quod in verbi miniſterio longè graviſſim. fidelem & conſtantem curſum ſemper tenuiſſet. Atque hæc Proverbij pars ita eſt manifeſta, ut ampliore teſtimonio non egeat. Sed quod ſequitur, videtur à vero alienius. Nec enim ſequi videtur eum, qui in communi & pervulgato ſermone fidem ſuam fallit, illicò in re graviori præſertim judidiciariâ perfidioſum fore. Neque verò Proverbio affirmatur, eum, qui ſemel aut iterũ in re parvâ mentitur, teſtẽ adhibitũ fidẽ ſuam falſurũ; ſed qui mendacia efflat in cõmuni ſermone, & mentiri cõſueverit & mentiendi ſemitã multũ triverit. Atq; hujus Proverbij veritatẽ confirmat Chriſtus, Luc. 16. eum, qui in minimo fidelis non eſt, ne in magno quidem fidelem fore. Quamobrem ſi in rebus gravioribus fidem nobis abrogari nolumus, noſmet ad verum in rebus minimis dicendum for-

formemus. Atque ut fidem Deo in religionis profeſſione datam ad finem uſque ſervemus, hominibus quam fidem dedimus, inviolatam & integram tueamur.

Quòd ſi illum ſenſum hoc loco ſequi placeat, qui eſt apertiſſimus, tamen ſub his etiam verbis aliquid continetur, quod omnibus non ita obvium & expoſitum eſt; nempe eum pro vero teſte habendum eſſe, non qui omnino non mentiatur, (quis enim mortalium eſt, in cujus linguâ aliquis dolus non eſt?) ſed eum veracem eſſe teſtem, qui mendacia non iterat atque geminat, aut illud ſtudioſè faciat, quod verbo tertiæ conjugationis indicatur: contrà falſum & mendacem eum habendum eſſe, non qui ſemel mentiatur, aut per infirmitatem falſum dicat ut Sara Gen. 17. ſed qui vanis ſermonibus aſſueſcit.

V. 6. *Quærenti deriſori ſapientiam, ea non exſtat, ſcientia autem prudenti facilis eſt.*

In נקל (*levis*) videtur eſſe metaphor. in rebus terreſtribus pondere appenſis ad cœleſtium rerum comprehenſionem tranſlata; perinde ac ſi diceret, ut res levis ponderis ab homine valente & robuſto facilè geſtantur; ſic pio & prudenti viro ſapientia cœleſtis ſine omni moleſtiâ & difficultate percipitur.

Hic quæritur, 1. quis ſit deriſor? eſt autem deriſor peccator, qui per ſuperbiam & elationem nudis documentis & verborum caſtigationibus ſe emendari & ad frugẽ adduci non ferens, id omne irriſioni habet, quod animi ſui libidini adverſatur. Vide Proverb. 9. v. 7. & 13. 1. & 15. 12.

De eo primum affirmatur, quod exquirit ſapientiam: at qui cur quærens ex Dei promiſſione non invenit? ſcil. quod non exquirit prout verbo Dei præcipitur: non quærit ſerio, & diligenter, ut aurum & gemmas, &c. Deinde non exquirit hoc conſilio, ut ſe in viam mandatorum Dei det, ſed ideo voluntatem Dei exquirit, ſi forte illam ſuis cupiditatibus ſuffragantem habeat, ut magis intrepidò & inculpatè in cæpto improbitatis curſu ſine ulla conſcientiæ reclamatione, aut ſtimulo pergat; aut ut ſuum animum dulci Miniſtrorum ſermone & dictionis elegantia oblectet. De priore genere vide Iere. 42. 1, 2, &c. item Ezek. 20. 1, 2, &c. Poſterioris generis vide exemplum Ezek. 33. 31, 32. Vide exemplum Herodis Matth. 26. qui expetivit videre Chriſtum.

Contrà vero qui exquirit voluntatem Dei hoc conſilio, ut ſe in obſequium tradat, eum Deus docebit de voluntate ſua, Ioh. 7. 17. Deinde Pſal. 25. 8, 9. docet, [Deum peccatores quidem informaturum & deducturum in viis ſuis;] ſed non omnes, ſed eos modo qui peccatorum ſuorum conſcientia humiles & manſueti fiunt; item timentes Deum eodem loco. Atque hi ſunt, quibus Salomon affirmat ſcientiam obviam & facilem eſſe. Nam hi demum prudentes exiſtimandi erunt, qui propriæ prudentiæ & rationis diſcurſui nuntium mittentes ſe Deo in doctrinam & diſciplinam tradunt; neque plus ſapiunt, quàm ex Dei eloquiis illis ſapere conceditur, vel (ut Apoſtoli verbis utar) ſuprà quàm ſcribitur, 1. Cor. 4. 6. Huic Salom. dicto convenit illud Prover. 8. 8, 9. item 2. Pet. 3. ubi docet, indoctos tantum ſcripturas ad ſuam perniciẽ contorquere. Pontificij ergo, qui dicunt ſcript. difficiles intellectu eſſe, & tenebris offuſas, hoc ipſo fatentur ſe inſipientes eſſe & imperitos, ſuperbos & Dei timoris expertes.

Verſ. 7. Abi à conſpectu viri ſtoli-

di,

di,& [quem] non [eſſe præditum] verbis ſcientiæ.

In לך eſt ſynecd. qua non corporis modo abſceſſus deſignatur, ſed & animi averſio. Nam corpore abſcedere à ſtultis non ſemper conceditur, ut cum uxori à ſuo marito. ſervo à ſuo domino, filio à ſuis parentibus diſcedere non conceditur. In שפתי (*labia*) eſt metonym. effic.

Huic Proverbio propoſitum eſt docere magnum præſidium pietatis eſſe, ſi quis improborum conſuetudinem averſetur. Priùs docuit cap. 13. verſ. 20. magnum pietatis incrementum provenire ex commercio & conſuetudine piorũ: nunc docet non parum virium eſſe ad pietatis confirmationem in declinando impiorum conſortio. Hoc igitur Proverbium occurrit eorum tergiverſationi, qui piorum ſe conſortio oblectari profitebuntur, & illud avidè ſectari; ſed tamen non ob eam rem omnem cum improbis diſtractionẽ & divortium concludendum: ſatis eſſe, ſi præcipua familiaritas nobis cum piis intercedat, ut nos penitùs ab improbis non abjungamus. Sed ex duobus his Proverbiis inter ſe compoſitis & comparatis efficitur conſuetudinem & familiaritatem cũ piis tantum colendam. Nam ſicut ex his propoſitionibus; non juſtificamur operibus, & juſtificamur fide; Deum colere debemus, & idola non debemus, rectè concluditur, nos ſola fide juſtificari, & Deum unicè colendum: Sic etiam ex his axiomatis; conſueſcendum cum piis & non conſueſcendum cum impiis tantùm conſueſcendum.

Sed hic inſurgit callidum & vafrum ingenium, nihil opus eſſe, ut ſibi timeat ab improborum conſortio: ſe poſſe cum illis conſuetudinem habere, & interim ſe ab illorum contagio illibatum & purum ſervare. Huic latebræ occurrit Salom. cum deſertè mandat, ab improborum nos conſortio ſubtrahere. [Quid enim juſtitiæ cum injuſtitiâ,] 2. Cor. 6? [Parum fermenti totam maſſam fermentat,] 1. Cor. 5. 6. *Immundum ne contingite*, 2. Cor. 6. Sicut enim in lege quæ res immunda habebatur alia omnia, immunda reddebat, quæ illius rei contactu afficiebantur; ita improborum fæx & labes ad alios manat, qui eos conſuetudine quodammodo contrectant: Sed pergunt porrò obſtrepere, ſe nihil cum illis commercij habituros in rebus fidei, ſed in his rebus modo, quæ præſentis vitæ circuitu terminantur, cum illis acturos. Atqui his ipſis commerciis non neceſſariis homines eorum improbitate irretiti tenentur, qui cum fœdera ad hujus vitæ commoda ſpectantia iniverunt. Vide Ezek 23. ubi expreſsè indicatur, Iſraelitas ad omnium quorumcunque idololatriam ſe adjunxiſſe, quibuſcum fœdera ſocietatis, & mutui auxilij pacti ſunt. Unde præclara illa profeſſio eſt apud Davidem Pſ. 26. 4. 5. 6.

Atque ut eſſent ſui juris, & ſuis ipſi voluntatibus & affectibus imperare noſcent, eſſentque ab alienis vitiis intacti & immunes; tamen cum aliorum etiam ratio habenda ſit, primum infirmorum & facilè collabentium, ne illi noſtro exemplo ſe præcipites dent: deinde improborum, ne ſuis peccatis indormiſcant, cum pios ſuam conſuetudinem expetere intelligant, qui ex religionis profeſſione celebrantur; bonorũ cum improbis conſortium & commercium (quoad commodè datur) fugiendum eſſe conficitur. Neque verò inde effugium illis patet, quod Chriſtus cum Publicanis & peccatoribus convivatus ſit. Primum enim longe alia Chriſti ac noſtra conditio eſt, ut qui ſemper fuit omni peccato ſuperior & inexpugnabilis, quod nulli unquam mortalium (cum ab illo diſceſſeris) obtigit: deinde quod non niſi ob hanc cauſam eorũ ſe

ſocietati

ſocietati adjunxit, ut illos ad ſanitatem fidei, & morum bonam frugem revocaret: quod ſi illi (atteſtante conſcientia ad Dei tribunal, & præſentiam ſubvectâ) fecerint quin equidem idem illi faciant non abnuo.

In poſteriore hemiſtichio deſcribit ſtolidum eum eſſe, cui non ſuppetere labia ſcientiæ, ſeu ſcitum ſermonem cognovimus; ut acute dixerit, qui dixit; [loquere. ut te videam qui ſis.] Hoc enim modo, id eſt, ex linguæ uſura facillime & certiſſime petitur pietatis & impietatis indicium. Hinc Chriſtus [ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.] Matth. 12. 37. & 1. Cor. 15. *Colloquia prava corrumpunt bonos mores*: ut ſi eum improbis cohabitandum ſit, hi potiſſimum deligendi ſint, quibus omnis linguæ & & ſermonis uſus præreptus eſt.

Verſ. 8. Sapientia aſtuti [eſt] advertere ad viam ſuam, ſtultitia autem ſtolidorum [ad dolum.

Proverbium hoc ad octavum mandadatum refertur, & illam particulam mandati explicat, quæ non tam otium prohibet, quam ordinatum & recte inſtitutum opus imperans contrarium vetat.

Apoſtolus 1. Corinth. 7. vult ut quiſque in ea vocatione perſtet, in qua vocatus eſt, & 1. Theſſ. 4. 11. omnes hortatur ut ſua & propria agant; & in his modo ſe occupent, quæ illis ex vocatione incumbunt. Hoc ut faciant, requiritur ut quiſq; viam & vocationem ſuam probe notam & perceptam habeat, quod hoc loco à Salomone percipitur, & ab Apoſtolo Eph. 5. 15. περιπατεῖτε ὡς σοφοὶ μὴ ὡς ἄσοφοι.

Hæc doctrina illuſtratur ſimilitudine ducta à viatoribus, qui (niſi mente forſan capti ſint) viam, quæ ducit ad locum, quem animo deſignant, & quo iter ſuum dirigunt, cognitam & perceptam habent, atque ob eam rem chartam regionis, qua itur, circumferunt & à tranſeuntibus, quę via maxime pervia eſt, percunctantur; denique adminicula omnia, quæ illos ab erroribus vindicent, ſollicite adhibent, maxime cum (peregrini) regionis, quam peragrant, flexus & mæandros ignorant. Illæ etenim tenebræ mentibus noſtris offuſæ, ut non modo quid officij nobis erga Deum incumbat, ſed & quid hominibus, atq; adeo nobis ipſis juſtum & debitum ſit, neſcii ſumus. Nam quamvis naturæ etiam depravatæ ductu videamur ſatis bene inſtructi, quomodo in rebus humanis converſandum ſit; tamen nos decipi declarat non tantum communis infirmitatis noſtræ experientia, ſed Lex Dei de officiis lata, quæ nos & alios attingunt: quam Deus non tuliſſet, ſi illa nobis ſatis comprehenſa extitiſſet.

In hoc autem genere duobus fere modis peccatur: primum quod rationis & ingenii noſtri viribus confiſi, nec rei & vocationis noſtræ magnitudinem reputantes de inquiſitione, & inveſtigatione viæ ſecuti ſumus; ad quod caput illud etiam non incommode referatur, quod conſuetudinis tyrannis nos ita captivos tenet, ut nos non patiatur ultra id, quod more receptum eſt cogitationem extendere. Alter lapis, ad quem impingimus eſt, dum aliena, & quæ nos non attingent, reſepiſcimus; quod ſcriptura ἀλλοτριεπισκοπίας nomine notare voluit, 1. Pet. 4. 15. & 1. Timoth. 5. 13. & 2. Theſſal. 3. 11. Hinc eſt, ut ſervus melius fere nôrit quid heri ſit, quam quid eſt ſui & proprii officii, & contra; ut filius quid ſibi à patre exhibendum, quàm quid patri à ſe referendum.

In poſteriori hemiſtichio docetur quomodo improbi, præteritâ inveſtigatione proprii officii atque eorum quæ, illis ex voca-

vocatione incumbunt, ſe totos ad fraudes & diverticula excogitandum conferunt, Prov. 2. 15. Quod etiam illorum in malum & exitium redit. Nam & quæ fraus hoc loco ponitur non ad illam modo refertur, quæ ab improbo excogitatur, ſed & illam complecti poteſt, qua ipſe irretitus tenetur. Vide Prov. 28. 18. Eoque docet, viro bono, qui multum operæ in eo ponit, ut viam intelligat, & pernoſcat ſuã, omnia recte caſura, & præclare ſucceſſura. Nec enim illam exquirit tantâ diligentiâ, niſi ut factis eam exprimat.

Præterea notandum eſt, Salom. ingenioſe excogitatas fraudes ſtultitiæ titulo inſignire, quarũ nomine homines ſe prolixe venditant; & juſtos, qui illa latibula exhorrent, irriſui habent.

V. 9. *Stultos conciliat reatus, inter rectos autem, quod acceptum eſt* [*conciliationem facit.*]

In אשם (*reatus*) eſt metonym. adjunct. pro peccato, unde reatus contrahitur. Item in רצון (*deliciæ*) pro re grata & accepta.

Hoc Proverb. ad totius legis obſequiũ refertur; non ad unum aliquod preceptum legis, ut pleraque, ad quæ duo, tanquam ad ſumma capita, omnia Proverb. referri poſſe videntur.

Huic Proverb. non diſſimile eſt illud, quod habetur 10. 23. ſed (ut fit in repetitionibus, quas uſurpat Script.) non ſine amplâ uſurâ. Hic autem improborum ingenium depingit, qui inde unde maximum dolorem capere debebant, nullam moleſtiam & mœrorem accipiunt. Quamdiu etenim nihil niſi reatum contrahunt, nec ob delictum ad calculos revocantur, ſupplicio afficiuntur, rident peccatum, & ſuos vituperatores irriſioni habent tum demum commoti ſolum, cum pœna irrogatur. Stultitiâ enim ſuâ illos imitantur, qui ſyngraphis infinitis ſe obligantes & obnoxios reddentes ne minimâ parte de ære contracto ſolliciti ſunt, quoad in jus vocati carceribus adjudicati ſint, unde illis exire non conceditur, quoad ultimum nummum diſſolverint. Quod ſi prudentiæ ſit curam agere, ne hominibus obnoxius fias, nedum, ne in Dei omnipotentis ære demergaris. Hominem forte decipias, Deo nunquam impones. Homine extincto, unâ forte æs perimitur, ſed Deus ad æternum permanet.

Sed hic oblatrant, injuriam illis fieri, quod ſua relaxatione, & remiſſione interdicantur: intolerabilem hanc eſſe quorundam ſeveritatem, quæ illos ſuis jocis, & oblectationibus deſtituat. Sic enim inique comparati ſunt, utut, ſi ab illicitis & illiberalibus exercitiis arceantur, illico ſe omni recreationis & relaxationis jure & libertate orbari occlament. His poſteriore hemiſtichio occurrit Salom. cum dicat, non deeſſe rectis, & integris hominibus, quo ſe reficiant & oblectent interim dum in rectâ virtutis, & pietatis viâ incedunt. Vide Pſ. 119. ſect. 2.

V. 10. *Animus agnoſcit ſuam ipſius amaritudinẽ; & in lætitia ipſius non intermiſcet ſe extraneũ* [*quicquam.*]

In מרת (*amaritudo*) & שמחה (*jucunditas*) videtur eſſe ſynecdoch. partium pro omnibus animi facultatibus.

Scopus eſt; ut utriuſque affectus (aliorumque animi perturbationum) mœroris & gaudii magnitudine proſpecta probe, nos ad rectum & prudentem eorũ uſum comparemus.

Quod hoc loco dicitur, confirmatur Apoſt. teſtimonio 1. Cor. 2. [Nemo novit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui

qui eſt in ipſo;] Quamobrem neq; mœrorem,nec gaudium. Nam præterquam quod magna eſt in homine ſimulatio,qua aliud in animo, aliud in vultu, aliud in mente, in fronte aliud gerit; eſt etiam tanta imbecillitas naturæ præſertim depravatæ, ut nec conantes & vires intendentes,quas intùs incluſas tenemus,gaudij & mœroris affectus prodere & proferre poſſumus.Hinc eſt illud, 1.Pet.1.8. & Apoc.2.17.

Ex iſto axiomate primum diſcimus, materiam nobis ſuppetere humiliationis in linguæ noſtræ impotentiâ; quæ utcunq; μεγαλυνχῆ tamen nec animi noſtri ſenſus & concepta efferre poteſt& quod eloquitur,corruptè &depravatè pronuntiat præ ut fecit antequam peccati labe infecta, aut potiùs imbuta eſt. Imò verò quod majus eſt, tantò minus animi noſtri ſenſa & concepta eloqui poſſumus,quanto plus intus vel doloris, vel gaudij concipimus & animo circumplectimur vid. 1.Sam.1.10.& 13. Ex quo illud colligitur,neminē eſſe invocandū præter unum Deum,ut qui ſolùs cordis cognitor eſt,& illa intelligit, quæ nos exprimere nequimus:Quod neque Sanctorum,nec Angelorum aliquis præſtare poteſt.

Deinde cum doloris magnitudo ex peccato, gaudium verò inexplicabile ex vitæ ſāctitate & integritate naſcatur,omnibus viribus & nervis contendendum, ut, peccato declinato, vitæ ſanctitatem perſequamur, niſi in hac etiam vita primitiis æternæ &intaminatæ fœlicitatis rejectis, pœnæ infernalis guſtum, & veluti pignus experiri velimus.

Prætereà cum tanta ſit noſtra in loquendo,& ſenſa animi noſtri exprimendo,infantia,Charitas hoc nobis dictat, ne mordicus & nimis exactè aliorum verba & ſermones accipiamus, unde ad illos damnū, aut incommodum redundet,ſed illis potius mentis ſuæ magis evolutā explicationem permittamus,preſertim cum in reliqua vitæ conſuetudine a fraude alieni & remoti comperti ſint.

Adhæc, cum præceptum ſit, ut[cum flentibus fleamus,cum gaudentibus,gaudeamus;]hec doctrina nos commonefaciat in aliorum dolore majus quiddā & gravius animo concipere, quam quantum ab illis exprimi poteſt:ſicque ad majorem commiſerationem nos ipſos excitare, & illorum impatientiam (ſiqua erumpat) æquius ferre, & quàm minimo exiſtimationis ſuæ diſpendio eam interpretari.Hac in parte peccaſſe Iobi amicos, conſtat ex illa hiſtoria. Contra etiam in alicujus gaudio noſtram ad Deum gratitudinem exacuamus.

In illicitis verò mœroribus & gaudiis nos hæc doctrina cautos reddat, ut modum illis ſtatuamus; ne ſi illis indulgeamus, nos in magnum diſcrimen præcipites agant.

V.11.*Domus improborum perdetur:tentoriū autē rectorum florebit.*

In בית(*domus*)& אהל(*habitatio*) eſt ſynecd.pro univerſo apparatu domus improborum, eorumque poſteritate; & pro curta, & anguſta ſupellectile juſtorum, eorumque poſteris.In יפריח (*florebunt*)eſt metaph. à plantis, his maximè, quę tantum pinguedinis habent, ut ne hyeme quidem,aut turbulentiſſ. tempeſtatibus, ne in diluvio quidem virorem ſuum amittant,ut olea,aut laurus.

Scopus eſt,ut cum recta,&juſta rerum externarum æſtimatione diſcrimen inter probum,& inprobum ſtatuat.

Improbi ex ædificiis magnificè exſtructis,& ſplendidè ornatis,maximè cum liberis abundant; ſolent Deo, & piis omnibus inſultare,& ſuis in opibus fiduciam ponere, &ſibi quādoque perſuadere,ſe a

Deo probari, ob eamq́ue cauſam animos ſumunt, & criſtas attollunt. vid. Job. 8. 15. Horum vanam fiduciam convellit Spiritus Sanctus cum docet, hæc omnia non tantum labefactanda, ſed pervaſtanda penitus, etiamſi ut arcium ædificia extruant, nedum eorum tentoria & tabernas, quod diſerte exprimitur. Joh. 20. 21. Nam Deus non accipit perſonas, ſed pauperes perinde ut divites, ſiquidem improbi ſint, evertit.

Atque ut hoc proverb. improborum ſuperbiam & hypocriſin retundit: ſic piorum tentationibus occurrit, qui ex hac improborum fœlicitate mirificè cruciantur, & ad defectionem penè ſolicitantur. Pſal. 73.

Improbi, cum piorum abjectam conditionem intuentur, eos miſerrimos eſſe ſtatuunt, & illis ſuperbè inſultant; pii etiam ipſi deprimuntur. Quibus utriſque malis occurrit Sol. cùm doceat & illos effloreſcere & indies virere, eoq́ue non eſſe æſtimandos ex pręſenti abjectâ conditione. Eorum enim tugurium in domum, ſeu palatium ſurrigendum eſſe, dummodò patienter Deum expectent, & præſtolentur. vid. 2. Sam. 23. 4.

Notandum tamen, has promiſſiones & minas, de rebus præſentis vitæ cum ſint, non in univerſum ſed ἐπὶ τὸ πολὺ veras eſſe. Nam Iob. 21. verſ. 28. apparet, amicos Iobi hoc argumento uſos, ut Iobum impietatis arguerent: Quibus Iob. verſ. 30. reſpondet, impios aliquando è mediis calamitatibus, in quibus pii opprimuntur, eripi & exportari.

V. 12. *Eſt via* [*quæ*] *recta* [*videtur*] *in conſpectu virorum, cujus finis* [*eſt*] *via multiplex ad mortem.*

Sunt quædam ejus generis, quæ naturæ lumen, quod è tenebris emicat, & veluti ſcintillat illicò atque cogitatione cõpræhenduntur, vitioſa & odio digna dijudicat, ut quod Deus non ſit, aut colendus non ſit, quod parentes non ſint honore perſequendi, quod mulierum & poſſeſſ. promiſcuus ſit uſus, nudum incedere, datam fidem fallere. Sunt tamen alia ejus generis, quæ cum mala ſint, ſpeciem tamen & phantaſiam habent veri, aut honeſti. Atque adeò majorem veriſimilitudinem veri & honeſti, quàm quod re ipſa verum & honeſtum, ſanctum eſt; ut in cultu divino quàm maximos ſumptus facere, tametſi Dei verbo minimè mandatos; quàm maximè corpus cruciare &c. In officiis erga proximos, Magiſtratibus Deo inobſequentibus, & ejus religionem oppugnantibus inofficioſos eſſe, malum malo rependere, uxorem inobſequentem dimittere, ſuos & à ſe parta ſuo arbitratu adminiſtrare. Hoc confirmatur à pari. Nam ut via quædam rectâ videtur in itineribus conficiendis, quæ tamen obliqua eſt; ſic in moribus, & vitæ inſtituto.

Quamobrem non eſt intelligentiæ noſtræ, tametſi naturâ acutæ, & artæ limatæ judicare ſed ſingula ad normam veritatis divinæ exigenda, ut inde judicium feratur. vid. Ioh. 7. 24. Chriſtus, cui perfectiſſ. cum ſenſus, tum animi potentiæ maximè vegetæ, noluit ex aſpectu, aut auditu ſententiam ferre. Iſai. 11. 3. Huic Chr. *Qui vult meus diſcipulus fieri, abneget &c.*

Hinc colligitur, quam frivola & inanis eſt illa defenſio Pontificiorum, & aliorum de bono ſtudio, & (quod dicunt) intentione. Vide exemplum in Levita, qui manum ad arcam ſuſtentandum admovit, & Ioh. 16.

Quod dicit extremum & finem ejus, non viam ſed vias mortis, docet, uno errore admiſſo, multiplices errores pullulare, ita ſunt inter ſe peccata concatenata.

Quod autem dicit, noviſſimum eſſe mortem, cum ipſa etiã initia malè ſuſcepta ad mortem

ad mortem ducant; hoc ideò fit, quia tum vel maximè [apparet]. Deinde quia vita malè initio ducta neminem damnat, niſi in malo præſtet.

V. 13. *Etiam ex riſu dolet animus: & tandem lætitia [fit] mœror.*

Senſus eſt: ſæpè homines intus dolore uri, cum riſum & gaudium præ ſe ferunt: atque ut gaudium ſit verum, minimeque fictum, tamen illud in mœrore deſinere. In priore parte videtur deſignari hominum ſuperbia, quæ Dei in ſe manum & plagam non agnoſcit, qui, ut ſe hominibus venditent, ſe veluti ex communi homidum ſorte eximere ſtudent; &, ut quam optimi hominibus videantur, & à peccatis liberrimi, ab omni pœnâ & maledictione immunes videri cupiunt; cum non tantum oblatas doloris occaſiones non repudiare, ſed etiam arceſcere dolorem debemus, qui pænitudinem pariat. Verum quidem eſt, tempus eſſe, ubi dolorem comprimere ex uſu ſit, ut Levit. 10. Nehem. 8. Sed illud tempus pro multiplici occaſione multò occurrit frequentiùs quo ad ſaccos & cilicia convocandi ſumus. Præterea & illud docetur, etiam à veris gaudiis non procul abeſſe dolorem, & mœrorem præ foribus eſſe, & gaudium veluti calcibus ita imminere mœrorem, & quaſi lætitiæ veſtigia premere, ut animum prius ſubire quodammodo geſtiat, quam ſe gaudium foris proripuit. Summa igitur eſt, & caput hujus partis Proverbij, mundi gaudia fluxa & caduca eſſe, quæ paulò momento evaneſcunt, & contrario dolore permutantur. Vide Joh. decimoſexto 20. & 14. 27. ubi diſcrimen confertur inter mundi gaudium & gaudium filiorum Dei. vid. Iob. 21. 10, 11, 12, 13. & Pſal. 78. vid. 1. Theſſ. 5. 3. Quod equidem non tantum improbis uſu venit, ſed piis & Dei timentibus, ut Job. 1. 18, 19. & Pſal. 30. 7. 8. non tantum in illicitis gaudiis, ſed etiam in legitimis, & permiſſis. Hinc eſt quod Sol. de *riſu* dixit, *rem inſanam eſſe*, & quæ nihil fœlicitatis afferret, Eccl. 2. 1, 2, 3, &c. ferè per totum caput; ubi etiam loquitur de licitis & ingenuis voluptatibus.

Quamobrem illud Apoſtoli tenendum eſt. 1. Cor. 7. 29, 30, 31. id eſt ut modum adhibeamus in his vitæ præſentis oblectationibus, neque animos noſtros illis perſequendis addicamus, aut eos in illis defixos teneamus; denique ne horum fruitione in vitæ Chriſtianæ curſu retardemur, aut implicati teneamur; idque propter has cauſas: Primùm quidem quod tempus contractum nos admonere debet, ne nimis magnum tempus in iſtis perfruendis inſumamus. 2. Deinde quod, utcunque nos in illis diutiùs verſari præoptaremus, tamen ejus generis ſunt, quæ citò tranſeunt, ut ſi illa dimittere minùs æquè feramus, ipſa tamen ſponte ſuo fugam arripient, & ſe à nobis ſubducent.

Deinde cum tam ſubito gaudio ſuccedat mœror, & maximorum gaudiorum maximi ferè dolores locum ſubeant, Jobi exemplum nobis imitãdum erit, qui ſummâ & altiſſ. pace non quievit; ſed, rebus ad animi voluntatem fluentibus, timoris expers non erat, ne calamitas aliqua ex peccato nata præſentem fœlicitatem abrumperet Job. 3. 25, 26. Quem timorem compendium eſſe depellendi panicũ terrorem, docet poſtrema pars v. 26. qua indicatur præter ſolitum, & inſuetè prorſus eveniſſe, ut talis & tanta calamitas homini de peccato declinando benè ſolicito obtingeret.

Denique illud obſervandum eſt, gaudium conſtans, & ſolidum nobis conſectandum, quod nemo auferat, cum hujus vitæ gaudia tam ſunt fugacia & momentanea Joh. 14. 27, &c. 16. 22. 1. Pet. 1. 8. 1. Ioh. 1.

1.Ioh.1. v.3,4. Hoc enim gaudium ne tum quidem nos deſerit, cum calamitatibus angimur. Math.5.11, 12. & Act.5. 40,41.

V. 14. *Viis ſuis ſatiabitur* [*vir*] *averſo animo,* [*abſiſtit*] *autem à conſortio ejus vir bonus.*

In ישבע *ſatiabitur* eſt metaph. tracta à cibis. Nam ut cibis, prout ſalubres, aut inſalubres ſunt, robur, aut invalitudinem acquirunt, qui illos percipiunt, idque pro menſura, qua aut parciùs aut pleniùs eos comederunt: ſic ex operibus ſeu bonis, ſeu malis quiſque compenſationem operibus, quæ fecit, convenientem accipit. In סוג לב *cor averſum* metaph. ducta à corpore ad animum. Nam ut retroceſſio in conficiendis itineribus illaudata eſt: ſic, cum animus in pejus vergit & quodammodo retrocedit.

Improbi ita animati ſunt, ut ſecum aut pro merito ſuorum operum actum iri ſibi ferè perſuadeant, ſiquidem vel ſpeciem bonorum operum habeant, quæ tamen bona opera non ſunt; aut ſi flagitioſa ſint, & hujuſmodi, quę atteſtante eorum conſcientia, & cōmuni omniū exiſtimatione damnātur, tū fingunt & cōminiſcuntur, nō pro operū merito ſe remunerandos eſſe, ſed Dei miſericordiā interventurā, quæ pœnam avertet; aut ſi juſti Dei judicij, & vindictæ ſenſum penitus excutere, & depellere à ſe nequeunt, tamen illud ſaltem ſibi in animum inducere conantur, nequaquam ſecum præcisè ex operum merito actum iri, ſed Deum juſtitiæ erga eos ſeveritatem mitigaturum. Piis vero ſæpe in mentem venit, dum præſentem conditionem ſæpe miſeram contemplantur, nullam eſſe bonorum operum mercedē. Iſtorum hominum opiniones minuendas eſſe hoc proverbio docemur. Deus enim qui inter homines, idque in hujus vitæ commercio & mercimoniis juſta pondera & juſtas lances exigit, multo magis ipſe (idque in rebus ad æternam vitam ſpectantibus) hanc juſtitiam ſervabit. Nec igitur pij benefaciendo uſque eo progredi, & provehi poſſunt, quo Dei juſtitia hos puniendo, illos munerando non pertingat. De Deo enim hanc cogitationem admittere, ut non ſit utrique cum in puniendo, tum in benefaciendo ſummè juſtus, eſt idolum loco Dei ſtatuere.

Deinde notandum eſt, malitiam operum non externa ſpecie, ſed ex cordis defectione, & veluti retroceſſu æſtimari, ut ſi omnium hominum oculis & auribus probatiſſima eſſent, Deo tamen inviſa & exoſa ſunt, niſi ab animo ritè compoſito & inſtituto manent.

Improbi ſceleribus ſuis ſe paſcentes, tanquam cibo & potu, tamen ſceleratè, & improbè agendo nunquam explentur. Unde etiam fit, ut ſenes & confecta ætate, tum, cum per vires & valetudinem operam libidinibus dare nequeunt, tamen fœdis & obſcænis ſermonibus oblectentur; & qui ſicarij & gladiatores extiterint, tum, cum per corporis imbecillitatem non amplius cædibus & ſanguini inſidiari queunt, de pugnis tamen & degladiationibus ſermonem habere geſtiunt. Sed veniet tempus (aliquando hac vitâ; ſemper futurâ) cùm illis ſuis facinoribus ad ſummum faſtidium & nauſeam ſatiabuntur. Deinde quia ſæpe fit, ut Dei vindicta ſuſpenſo & tardo gradu incedat, nullam unquam peccatorum ſuorū compenſationem futuram animo ſuo comminiſcuntur. Sed tantum abeſt, ut ex Dei longanimitate hæc concluſio nectenda ſit, ut contrà extremum judicium certiſſ. expectandum ſit, quod in hac vita ſinguli pro merito non accipiant.

Denique pii, tametſi in bona opera incumbentes nunquā ſibi in benefaciendo ſatis-

ſatisfaciunt, ſed ſemper juſtitiam eſuriunt & ſitiunt, tamen olim poſt hanc vitam uſque eò juſtè & piè vivendo explebuntur, ut quod prætereà requirant, nihil ſit. Et quamvis in hac vitâ ſæpe debitam ex promiſſo operibus mercedem non accipiant, tamen futuro ſæculo plenâ compenſatione omnium bonorum operum, quæ operati ſunt, remunerabuntur.

V. 15. *Fatuus credit omnibus rebus, aſtutus autẽ advertit ad greſſum ſuum.*

In לאשרו *(greſſus ejus)* eſt metaph. ab animantibus ad res inanimatas. Nam ut illa pedibus ſuis gradiuntur ab uno loco ad alterum: ſic res, quæ adminiſtrantur, ſua ut initia, ſic progreſſus habent, quoad veluti ad ſuos fines & exitus, tanquam ad ſedes & ſtationes veniant.

Mira eſt perverſitas naturæ noſtræ, quâ falſis & vanis rebus inhiamus, & illis penitus ablectamur vera & ſincera averſantes, & ægerrimè in illis acquieſcentes. Sicut enim Apoſt. ex Prophetâ de oris perverſitate gravem querelam inſtituit, dum illam mendaciis & dolis ſcatentem depingit; non ſecus de omnibus ſtatuendum eſt, quæ ad vana & falſa hauriendum aptæ & propenſæ ſunt.

Hujus rei grave & illuſtre teſtimonium exiſtit in Reginâ Sabæ, quæ alioqui ſapientiſſima & rerum multarum experta, iis tamen, quæ de Sol. Sapientiâ inaudiverat, non credidit. Huc pertinet exemplum Hannunis Regis Ammonitarum, qui, quod quibuſdam falſis ſenatus ſui ſuggeſtionibus aurem præbuit, iſtius & regni & gentis ſuæ internecionẽ attraxit. Quanquam verò hæc credulitatis corruptela in piis, & Spiritu Dei regenitis nonnihil ſubacta eſt, illius tamen perverſitatis veſtigia non obſcura ſuperſunt. Teſtis eſt hiſtoria de Ammonis cæde, unde omnes Regis filios ſimul & ſemel interemptos fuiſſe rumor percrebuit: quem rumorem, tametſi vanum & falſum, David illicò arripuit. Sed omnium luculentiſſimum exemplum illud eſt, quod de Iacobo narrat ſcriptura qui de morte Ioſephi delatum rumuſculum avidè illicò amplexatus eſt: ejuſdem verò vitæ nuntium, tametſi certum, & multorum teſtimonio confirmatum ægerrimè admiſit. Ex iſtis facilè liquet, quam opportuna hęc ſit Sol. admonitio; ſimplicem & incautum omni rei fidem habere. Utcunque igitur homines ſibi indulgentes in vitio non ponunt credendi levitatem, quin etiam naturæ cuidam bonitati illud attribuant; eam tamen Deus per Spiritum ſuum peccati damnat. Quantorum autem malorum hæc credendi levitas ſemen & cauſa eſſe poſſit, in uno Saulis exemplo teſtatum relinquitur. Odium enim illius in Davidem immortale, & veluti Vatinianum, quod ſeveriſſimam perſequutionem peperit, inde fluxiſſe deſignatur, quod malevolorum Davidis incertis rumoribus, inſuſurrationibus & ſuſpicionibus fidem dedit; quod quidem, ut Davidi maximas moleſtias dedit, ſic Saulum in extremæ perditionis barathrum & præcipitium jecit. Huc refer horribilem illam Iudæorum defectionem à Chriſto quòd rumori de Chriſti corpore è ſepulchro ſuffurato atque aſportato fidem adhibuerunt.

Hoc vitium tanto ſolicitiùs fugiendum eſt, quod in optimis iiſdemque prudentiſſimis viris locum habuit. Exemplo ſit David, qui Zibæ contra Mephiboſeth calumniæ aurem præbuit, unde gravi ſe ſcelere, & in Mephib. enormi injuria conſtrinxit.

Ante omnia verò cautum agamus, ne in rebus ad gloriam Dei, & noſtram ſalutem ſpectantibus fidem temere adhi-

beamus his quibus aut falſa opinione imbuamur,aut acceptam veritatem amittamus.HicPontificij mira credulitate ſunt, qui fabulis illis prodigioſis legenda(quam dicunt (aurea comprehenſis fidem adhibent,)Eoque tenendum, quod Chriſtus monet, [vt,quid audiamus, attendamus; non eſſe cuivis Spiritui auſcultandum, ſed probandos eſſe Spiritus, num à Deo ſint:]non oportere nos hac re infantibus, aut pueris eſſe ſimiles, qui quovis vento doctrinæ huc illuc circumferuntur. Quod quidem tanto circumſpectius faciendũ,quod in his rebus mira eſt naturę noſtræ levitas & propenſio vel ad novos errores imbibendũ, vel à vera, quantumvis veteri ſententia diſcedendum. Vid. 2. Theſſ. 2. ſub init. Joh. 21. 23. Galat. prim.6.7.&c.Huc refer exemplum Prophetæ ad Ieroboã miſſi, & à veteratorio Propheta decepti 1.Reg.13.

Quid autem ſit, quod in hoc loco vituperat,ex poſteriore himiſtichio intelligitur;in quo,quid illi probatur,iudica. Ubi primùm iſti;ſimplici &imperito opponit eum, qui ſolers eſt, & novit cum hominibus converſari, & prout res poſtulat,ſe accommodare. De illo autem non affirmat, eum omnibus diffidere, nec ullius ſermoni aſſenſionem præbere, quod perinde in vitio eſt,ac fidem ſuam omnibus promiſcuè proſtituere,ſed de re quaque, quæ dubitationem habeat, diligenter inquirere, & omnia momenta rationum expendere, quæ(ut)rei narratæ fidem aut adjungat, aut abroget,jurè movere poſſunt.Nec enim rumores accipit, ut quidam mercatores merces, qui illas nec numero definitas, nec pondere appenſas mercantur, ſed potius cauſas rerum, quæ dicuntur, indagant; & loci, in quo quid geſtum dicitur:temporis,quando tranſactum eſt;& perſonæ per quam confectum eſt,circnmſtantias obſervant, ut his indiciis de rei aut veritate, aut falſitate, aut demum probabilitate rectè ſtatuant.Hoc ſi feciſſetSaul,facilè calumniatores redarguiſſet. Si enim ſecum reputaſſet, quomodo David bella Domini fideliter & ſapienter geſſiſſet; Ionathani filio, &Michali filiæ charus fuiſſet;ſi menti inſidere paſſus eſſet,quàm Deo charus fuiſſet, qui illum tam mirificè & inſperato tam ſæpè è mortis faucibus eripuerat; ſi denique illud probè meditatum habuiſſet, quomodo ſe in ejus manus concluſum integrum&intactum dimiſerat;nunquam ſibi in animum induci paſſus fuiſſet,Davidem vitæ ſuæ inſidias collocaſſe. Sic David; ſi Zibæ perſonam commoda ſua quærentis, & munus afferentis ritè expendiſſet; ſi Mephibosheti impotentiam;ſi temporis incommoditatem ad aucupandum regnum cnm Davidis filius illud captabat, & ipſius Simei ex familia Mephib.oriundi teſtimonium reputaſſet, quo regnum in proprij filij Abſalom manus devolutum iri dictum erat, nunquam calumniam illam admiſiſſet, ſaltem ut in re omnino vera&certa tam iniquam ſententiam non tuliſſet.In diſcernendis verò & dijudicandis de regno Dei rumoribus & doctrinis non alio recurrendum eſt,quam ad ſacras ſcripturas maximè ad illud axioma, quo Chriſtus peregrinas doctrinas à genuinis internoſci docet; nempe ſi Spiritus, qui loquitur, Chriſti gloriam quærat. Spiritus enim Dei ſemper Chriſtum, & ejus meritum glorificat

Breviter ſic ſtatuendum eſt, ut, rebus, quæ narrantur,inſpectis & penitus inveſtigatis,in his,quæ indubitatam veritatem habent,aſſenſio & fides præbenda ſit; in his, quæ certæ falſitatis ſunt, fides & aſſenſio deneganda; in his vero quæ penitus perveſtigari non poſſunt, fides inhibenda tantiſper, quoad ejus explorata veritas comprehenſa & comperta fuerit.

V.16.

V 16. Sapiens timet ac recedit à malo, ſtolidus verò infert ſe, adeò præfidens eſt.

Eſt quidam timor, quem charitas excludit 1. Ioh. 4. Sunt etiam timidi, quos Deus è regno cœli ejectos in ſtagnum ignis ſulphure ardens compingit. Sed eſt timor licitus & laudatus, idemque ad vitam piè, & beatè traducendam perneceſſarius, quo, tanquam fræno homines à peccato detinentur, & quo tanquam ſtimulo, ad officium omne genus incitantur. Vulgus hominum eos, tanquam generoſos & bene natos prædicat, qui ad res quaſque ſuſcipiendum, & ſemel ſuſceptas conficiendum parati & audaces ſunt; & contra eos fucos, ignavos, & generoſitatis expertes eſſe ſtatuunt, qui cunctantur, & pericula ſibi ante oculos proponunt. Huic ergo vulgi errori Spiritus Sanctus obviam it; & timorem ad præſentis vitæ incommoda declinandum neceſſarium præſidium conſtituit. Quod quo liquidius conſtet, videndum primò, quis hic timor à propheta deſignetur.

Eſt autem timor hoc loco affectus animi, quo quis ſibi pravitatis ſuę conſcius, & divinæ, quę illi merito incūbit, ultionis adverſus culpæ & pœnæ malum, non ſine ſenſu divinæ miſericordiæ cautus & ſolicitus incedit. Exculduntur igitur hoc proverbio, qui, ut malum pœnæ declinent, mali culpæ ſe reos conſtituunt: item illi, qui peccata refugiunt tantum quod judicium Dei extimeſcunt. Vera enim ſapientia timorem peccati præcipuè ingenerat. Nam quod pius hac notâ & indicio deſignatur quod à juramento ſibi timet Eccl. 9. (cujus egregium exemplum in Eleaz. Abr. ſervo, & in ſpeculatoribus) id latius patet, & ad omne peccati genus diffunditur. Nam qui à pœna modo abhorret, nec à culpa animum alienum gerit, illum exprimit, qui arborem veneno ſuo jumentis infeſtam tollere cupiens ejus folia & fructus carpit, aut, ramos & flagella defringit, unde poſt abundantius majore copia repullulat; cum arboris trunco, aut radici potius ſecuris admovenda eſſet.

Deinde ut nullius ſingularis, aut inſoliti peccati ſibi conſcius ſit, tamen communis omnium mortalium reatus ſatis argumenti nobis adminiſtrat, cur nobis à malis, non tantum ſcintillantibus, & ſui adventus veriſimilitudinem præbentibus; ſed vel occultis, & nulla ſui ſpeciem oſtentantibus metuamus. Atque ut correctionis divinæ metus nos ſollicitos non teneret, tamen cum Deus aliquando ſuis crucem immittit, ut illorum fidei periculum faceret, & documentum apud alios ederet, nos adverſus mala ſecuros eſſe non convenit. Hunc timorem Spiritus ſanctus in Iobo cap. 1. fuiſſe memorat, quod Deum ſacrificiis & precibus, venerabatur pro filiis & filiabus, ne quid fortè illis convivium agitantibus per imprudentiam & incogitantiam excideret, quod Dei in eos iram accenderet. Cap. vero tertio diſertè hoc pronunciat. Quod autem illud ei parum ad malum inſequutum declinandum profuit, illud extraordinaria quadam ratione (ut ſupra dictum) factum eſt. Profuit tamen toti Eccleſiæ, quæ ex ejus perpeſſionibus ſingulare patientiæ exemplū nacta eſt: profuit & Iobo, qui ſua incomparabili tolerantia apud omnem poſteritatem nobilitatus eſt. Hujus rei exemplū proponitur in Iacobo, Geneſ. 32. Qui, cum nuntium de fratre Eſauo cum 400. adventante accepiſſet, tametſi ſuæ inimicitiæ nullum verbum feciſſet, tamen ſibi ab illo metuit, eoque ſe adverſus ejus impreſſionem (ſi ulla futura foret) munivit precibus ad Deum, inſtructo & adornato ad fratrem munere, turmarum ſuarum ordina-

tione & conmoda diſtributione ; ubi etiam indicatur, quibus artibus & inſtrumentis homines malum declinent.

Atque ut res quæque, quas tractamus, graviores ſunt, & majoris ponderis, ita timoris pleniores eſſe decet, quod multa in iſtiuſmodi res ferè incidunt, quæ earum exoptatum ſucceſſum aut evertant, aut certè impediant. Hinc eſt quod Apoſt. 2.Cor.6.5. timores ſuos inter cruces numerat, quæ illum premebant, 2.Corinth. 11. 28. Cujus exemplum vide 1. Theſſ. 5.5. & Actor.15.36.

Nec tamen cura & ſollicitudo de rebus levioribus abjicienda eſt viro ſapienti, ſeu pio, utpote de fontibus & puteis operiendis, de igne cineribus obducendo, de pinnis, ſeu loricis domiciliis adnectendis, de cornupeta domi includenda.

Stultus pertranſit & confidit] Ille plerumque ſtultæ cujuſdam timiditatis æſtimat, pericula ſibi, & diſcrimina ob oculos proponere ; maximè verò ab ira Dei propter delicta & leviora peccata trepidare. Unde illi hæc verba ferè excidunt; fore ut ad paleæ unius agitationem expaveſcamus ; ſi ſingula velimus ad normam verbi divini exigere ; & ſi nihil præter verbi præſcriptum ſuſcipere velimus. Quod autem fiducia hîc vitio datur, quæ alibi plurimum prædicatur, intelligendum id fiduciæ hoc loco deſignari, quo quis in ſeipſo, propriaque virtute acquieſcit, aut in Deo abſque verbo & promiſſione, atque adeò ſæpè contra Dei verbum. Hujus rei vide exemplum in Goliath, qui ſibi & armis ſuis confiſus ſe in exitium præcipitavit. item hiſtoriam Azahelis, 2.Sam.2.20, 21, 22, 23. Vide hiſtoriam Balaami, qui multis indiciis à ſuo ad Regem Moab. itinere deterritus animum tamen obfirmans pergere in ſuſcepto conſilio voluit. Vide etiam hiſtoriam Regis Ahaziah & Quinquagenariorum ſuorum, 2.Reg.1.

Quibus omnibus adverſum obvenit ejus, quod ſapientibus obtingit. Nam cum illi ſuo timore malum declinant; his accidit ut in mala & exitium proruant imprudentes. Quorum omnium cauſa videtur à Pſal. aſſignari; *improbum per ſuperbiam animi ſui nolle de Deo inquirere.* Huc referantur plerique noſtrâ ætate, qui divinę miſericordiæ præfidentes quęvis mala ferè patrare audent.

V. 17. *Præceps ira efficit ſtultitiam, ſed viro circumſpectiſſimo [eſt] odio.*

In אפים (*nares*) eſt metonym. ſubject. quia in naribus, ſeu narium pallore ſimul & flatu ira deprehenditur. In אולת (*ſtultitias*) eſt metonymia adjūct. qua notat inſignem improbitatem. Idem tropus eſt in מזמות (*ſcelerum*) pro viro cogitabundo.

In hoc Proverb. non virtus vitio, ut plerunque; ſed peccatum peccato, ut aliquando fit, opponitur, & quidem leviori gravius.

Animi affectus & perturbationes à Deo hominibus utiliter dati ſunt ; & rerum præclarè gerendarum adminicula & ſubſidia afferunt, modò Dei timore, tanquam fræno, in mediocritate contineantur, neque pro naturæ noſtræ vitioſitate modum tranſire ſinantur. Quamobrem ira non vitio datur, ſed ſiquis ſit ad iram proclivis, aut levi momento accendi ſe patiatur, ut tanquam fomes ignem facile concipit, & inſtar ollæ (potius quam aheni) quæ parvo igne ſubjecto calet. Hoc eſt, quod Chriſtus damnat, Matth.5. Atque hi ferè ſunt, de quibus Prov. dicitur, dicto colaphum rependunt. Cujus egregium exemplum vide in Lamecho Gen.4.

Hæc ira cùm in ſe peccatum, tùm alia peccata eaque grandia parit. Hoc Jacobi Apoſtoli teſtimonio confirmatur ; *ira hominis*

minis Dei juſtitiam non operatur. Vide Geneſ. 49. de irâ Levi & Sim. Quanta mala dediſſet ira Davidis in Nabalem, niſi prudenti & commodâ oratione Abigail, ſedata fuiſſet, ex illâ ipsâ oratione facilè intelligi poteſt. Ex quo cujuſmodi monſtrum ira effrænis eſt, facilè intelligitur, niſi Dei timore, quaſi vinculis, conſtringatur, & magna cautione coërceatur, cum in piis & regenitis tam formidabiles fructus edat. Nemo igitur pietate fretus, & Spiritu Dei quo imbuitur habenas huic tam inſanæ beſtiæ remittat, cùm, qui tam largiter ex aquâ vitæ biberant, hunc ignem per incuriam rumpere, & incendio ſuo ſuas & proximorum veluti ædes vaſtare paſſi ſint.

Peccati atrocitas ex eo etiam liquet, quia plenè & ſummè opponitur proprietati, quæ eſt in Deo, qui אורך אפים dicitur; ad cujus exemplar nos ipſos conformari oportet; ſicut ad ſanctitatis, & miſericordiæ imitationem invitamur.

In poſteriore hemiſtichio perſtringit Salom. eum, qui, acceptâ injuria vel reipſa, vel opinione ſuâ, illam ita diſſimulat, & ſilentio tranſit, ut interim altâ mente recondet opportunitatẽ captans, quãdo, quo loco, quibus modis ſe probe ulciſcatur.

Hoc autem peccatum priore arocius eſt, id eſt, quia difficilius ſanatur, ut quod intùs premitur & coquitur, cum prior ille ſuam bilem effundens citius placatur, 2. quod ebulliens ira ſenſum & judicium homini adimit, ut veluti mentis parum compos in eum, à quo ſe læſum ſentit, ruat. 3. quod ab eo, qui iram ſuam vultu & voce profitetur, facilius cavetur, & inſtrumenta propellendæ violentiæ parantur, cum adverſus hunc nullis armis præmunimur, cum prior ſibi ipſi ferè plùs noceat, quam aliis quod imparatus hoſtem invadat ſæpè. Denique quòd hic certam magis & indubitatam cædem infert, ut qui ferè nunquam hoſtem aggreditur niſi cum certa ſpe eum perdendi. Hujus expreſſum exemplum eſt in Caine Geneſ. 4. & in Abſal. qui inſignem injuriam in ſorore violata acceptam aliquot annos diſſimulavit. Hinc eſt quod Salom poſteriorem hunc odio habendum dicat, ut qui malitia deliberata ultionem ſumat; cum prior, qui ſubita ira accenſus malum infert, cõmiſeratione potius dignus ſit.

V. 18. *Poſſident fatui ſtultitiam, aſtuti autem coronamentum texunt ſcientiæ.*

In כחלו (*poſſidebunt*) eſt metaph. quod ut hæreditas hæredi, ſic ſtultitia fatuo: item in יכתירו (*coronabuntur*) eſt metaph. quia ut coronamentum capiti, ſic ſcientia prudenti ornamento eſt. In אולת (*ſtultitiam*) & רעת (*ſcientiâ*) metaphor. ſubjecti pro adjuncto fructu.

פתאים (*ſimplices*) ſunt (ut ex cap. 9. conſtat) omnes quotquot ab Adami lumbis attractam & derivatam inſcitiam retinentes, Spiritu Dei regeniti & renati non ſunt. unde quam miſeram & infœlicem conditionem nacti ſumus, liquidò conſtat. Non tantum filij Adami, ſed & hæredes omnes ſumus. At quam luctuoſæ & calamitoſæ hæreditatis! Ejus ſcilicet quæ extrema paupertate damnoſior eſt. Minima enim pars noſtræ infœlicitatis eſt, quam Apoſtolus 1. Timoth. 7. 6. ex Iobo commemorat: nos nudos in hunc mundum editos, & nudos exituros & è mundo emigraturos. Nam hac hæreditate ſtultitiæ primùm juſtitiæ & regni cœleſtis, adeoque omni jure, & legitima poſſeſſione terræ, maris, & reliquarum creaturarum exhæredes conſtituimur. Deinde hac hæreditate ſtultitiæ filii & hęredes iræ divinæ, eadẽque opera inferni evadimus. Quo miſerior cõditio noſtra eſt, qui iſtam

ſtultitiam, tanquam hæreditatem perſequimur, & illi adhæremus.

Deinde hæc ſtultitiæ hæreditas perquam ferax & fœcunda eſt. Nam non annuos tantùm, aut menſtruos (ut quędam arbores) fructus, ſed diurnos, imo horarios, atque adeò momentaneos fructus, eoſque mortiferos profert. Nam tametſi copioſa ejus meſſis ſeu vindemia ad diem mortis, aut potiùs extremi judicii rejicitur, & reſervatur, interim tamen, dum in hac vita ſumus, continenter cordis obdurationem, & à Deo majorem ab alienationem parit, & ſubinde diverſis, & variis flagellis aliquam vitæ noſtræ partem aſpergit. Non ſunt equidem omnes ejus fructus noſtro corrupto guſtui acres & acerbi, nec ejus omnes morſus ſtatim ſentiuntur, aut pungunt aculei.

Nam ſicut in corporis morbis ſemen morbi alicujus, & fundamentum diu ante jactum eſt, quàm dolore afficiat: ſic etiam in animi corruptelis fit, ut nō protinus dolore urgeamur, cum aliquid adverſus Dei gloriam & ſalutem noſtram admittitur. Accedit porro ad hujus hæreditatis acerbitatem & miſeriam, quod ſummæ durationis ſit, & quam abjicere nequimus, cum volumus. Patrimonium à parentibus acceptum facilè & abligurire & decoquere, aut ad alium transferre poſſumus: atque ut illam in vitâ tueamur & retineamus, tamen in morte deperditur: Hæc autem hæreditas infœlix nos in morte ipſa comitatur, nec à ſepulchro excluditur.

Diſcamus igitur quàm acerbum & amarum peccatum, ſeu ſtultitia eſt. Si ejus amarorem in radice non percipimus, ſaltem in fructu ejus acerbitatem, & acrimoniam comprehendamus: ſi in cauſa illam non agnoſcimus, quod ſapientum eſt; in effectu tamen, illam cognitam habeamus, quod vel ſtulti aſſequuntur. *Quemadmodum enim in herbis & plantis perit radicum in viſceribus terræ altè demerſarum inſalubritatem & acerbitatem nôrunt; quam imperiti non niſi ex fructuum amaritudine intelligunt: ſic & docti ad regnum Dei*, Math. 13. 52. *& qui per habitum ingenia habent exercitata ad diſcretionem boni & mali*, Heb. 5. 14. *radicem amaritudinis* cordis humani bene notam ex ſe habent. Quum verò ejus noxiam & damnoſam naturam perceptam habeamus, demus operam, ut illam divina virtute freti excutiamus, quæ tot malorum parens eſt & procreatrix, & quæ vel in ipſis Dei filiis ſevere ſane & aſperè caſtigatur.

In altero hemiſtichio docetur, Dei veram & incorruptam notitiam coronamentum texere, quod capiti ejus imponit, qui illa imbutus exiſtit, id eſt, non minus eum coram Deo, Angelis, & piis viris acceptum & glorioſum reddit, quàm, cum alicujus caput corona redimitum gratum aliis & ſpectabile redditur. Pellit igitur primum ignominiam, quæ nobis penitus innata & inſita eſt: deinde honorem & decus adjungit. Quo referantur, quę prius initio Proverb. dicta ſunt: ubi ſapientia inſtar torquis, armillarum, & annulorum eſſe dicitur ad illos ornandum, qui ea prędit ſunt. Huc pertinet quoque, quod in Eccleſ. dicitur cap. 8. [ſapientiam hominis faciem illuſtrare,] & efficere ut luceat. Metaphora autem coronæ ſubinnuit, pios omnes reges eſſe, & hac vita coronātum geſtare ſcientiæ & notitiæ veritatis, gloriæ & ſummæ dignitatis coronam geſtaturi. Hinc eſt quod Pſal. 16. inclyti vocantur. Ex quo liquet, fructum (bonam partem) quem fatuus ex ſua fatuitate percipit, eſſe ignominiam & contemptum. Sunt enim planè improbi omnes mancipia Diaboli, & ſervi peccati.

Hujus autem coronæ fructus guſtantur in hac vita, percipiuntur futura: neque in annos & menſes, &c. ſed in ſæcula ſæculorum.

lorum, Sed nec corona florida eſt, quæ marceſcit, ſed ex auro puriſſimo quæ perpetuæ & æternæ durationis eſt, quæ in morte nos nō deſerit. Stultitiæ verò ut radix ſuavis hominib. corrupti guſtus, & grata, fructus vero amariſſimus; ſic ſcientiæ radix quidem amara, fructus autem dulciſſimus. Quamobrem ex fructuum dulcedine diſcamus ſcientiam amare, & ea nos oblectare, tanquam coronamento.

Verſ. 19. Incurvant ſe mali coram bonis, & improbi ad portas juſti.

In ישחו (*incurvant*) eſt ſynecdoch. ſpeciei incurvationis pro omnis generis reverentia & honore; eſt etiam ſynecdoch. in שערי pro omni abjecta & humili ſubmiſſione, ſeu deditione.

Pſal. 10. docet Propheta, improbos ſeſe incurvare & proſternere coram piis hoc tantum conſilio, ut pios incautos intercipiant, non ſecus atque Leo, qui ſe in vepreto, aut dumeto incurvus abdit, donec præda tranſierit, quam unguibus correptam dilaniet. Sed de illa incurvatione non loquitur hoc loco Propheta, ſed de ſubmiſſione, qua ad decus, & dignitatem pij afficiuntur.

Hic primùm cauſæ diſquirendæ veniunt, quibus improbi, qui natura ſuperbi ſunt iidemque bonorum oſores teterrimi ad ſe coram piis abjiciendum impellantur. Sunt autem cauſæ duorum generum: Dei in pios dona eximia, & Deus ipſe, qui etiam gratiam illis conciliat citra donorum eminentiam.

In donis nonnulla eſt diverſitas.

Sunt enim { *interna* / *externa* } *&* *eadem* { *ſimplicia,* / *compoſita.* }

In internis, iiſdemque minime compoſitis, aut duplicibus, præcipuum & primum eſt pietas & vitæ innocentia, quæ radios lucis emittit ſic in oculos improborum incurrentes, ut pietatis nomine cogantur illos vereri & revereri. Hinc eſt illud Eccleſiaſtis capite 8. & verſu 1. ſapientiam reſplendere facere faciem hominis. Quo ſpectat quod prius allatum eſt Proverb. 3.16. divitias & honorem ad ſiniſtram ſapientiæ conſiſtere. Ad iſtum modum Herodes coactus eſt Iohannem Baptiſtam alioqui cum veſtitu, tum victus ratione abjectum & deſpicabilem revereri. Hoc modo honore affecit Balaam Iſraelitas, dum mortem illorum ſimilem exoptat. Et Saul, tametſi rex, Davidem ſubditum honore afficit, cum illum ſe meliorem confiteatur, & rogat, ut ejus filiis & nepotibus propitius ſit.

Hic igitur diſcamus pietati operam dare, & errorem noſtrum corrigere, qui nihil virium in pietate collocamus ad gratiam & honorem acquirendum: imo (quod deteſtabilius eſt) pietatem dignitati & honori adverſum ſtatuimus, uſque eo, ut eum honori longum vale dare reputemus, qui virtutem amplectitur. Satis nobis & plus ſatis ad nos in pietatis ſtudiis confirmandum, quod Deus pios honore afficit; quod Angeli, & homines electi pios honore perſequantur, ut omnes impij in faciem noſtram conſpuerent, & nos tanquam lutum platearum conculcarent. Iam vero cum non hi tantum ſponte ſua & nos honore perſequuntur, & laudibus onerant, ſed improbi etiam tam longo intervallo à piis remoti hoc ſæpe faciunt, væ noſtræ infidelitati, qui tam iniquè de pietate & vitæ integritate ſentimus, ut illam cum honore & dignitate perpetuas & irrecōciliabiles inimicitias exercere in animum noſtrum inducamus.

Quod ſi improbi ſæpe amore pietatis capiuntur, quomodo nobis & animis noſtris perſuadebimus, nos inter vere pios

cenſeri

cenſeri, qui pios malè odimus, quod ſcil. in nos offenſiores ſint, & nos levi aliqua injuria affecerint! nedum ſi nobis non alia cauſa exoſi & ingrati ſint, quàm quod pietatem colant, & juſtitiæ operam dent.

Hactenus de honore actum eſt, qui profluit ex mera, nuda, ſeu ſimplici pietate; ſequitur de eo, qui promanat ex pietate aliis etiam Dei donis cumulata & conjuncta.

Compoſita eſt, quæ pietati ſibi alias etiam animi præſtantes dotes adjunctas habet; ut cum Deus dona linguarum, ſanitatis, aut aliorum miraculorum edendorum facultatem confert; aut pietati honorem magiſtratus aut Eccleſiaſtici miniſterij adnectit. In priore genere fuit Ioſephus, cui fratres natu majores ſupplicare coacti ſunt, & coram illo genu flectere: qui ut prorſus improbi non erant, tamen ſe in fratrem Ioſephum improbè geſſerant, Geneſ. 50. & alibi. Huc ſpectat honos, qui habitus eſt Moſi ab omnibus Ægyptiis, quos tamen multis ſignis & portentis afflixerat. Item honos, qui habitus eſt Danieli & ſociis ejus ſupra alios regni nativos ſubditos, & proceres Chaldæos. Quo docemur, Deum ſæpe illa dona conferre in ſuos & ſe timentes, quorum improbi tanto deſiderio tenentur, ut eorum gratiam & voluntatem captare, & aucupari cogantur. Simul etiam nos confirmet de honoribus conſequendis inter populares noſtros & Dei populum, ſi è re noſtra ſit, cum apud Barbaros & impios honor piis habitus ſit. Imo nonnunquam fit, ut non tantum ſe coram bonis incurvent, ſed ſubmiſſiſſimi, & veluti ad portam excubantes eorum auxilium & ſubventionem quærant. Cujus genus eſt illud Naamanis, cum improbus eſſet; qui cum magno equorum ſtrepitu & curruum pompa ad Elizæi (ſpecie externa abjecti & pauperis, & qui ad hordeaceum panem per penuriam adactus eſt) portam acceſſit, 2. Reg. 5. Item. 2. Reges impij Edomi & Iſraëlis 2. Reg. 3. 12. & Joaſ. 2. Reg. 13.

Hoc noſtrum dolorem levet, & patientiam confirmet, ſi quando cogamur ad portam improborum conſiſtere, quod improbi etiam ſæpius coram piis ſe proſternunt, & quod viciſſitudo olim futura eſt.

Denique admirabiles amores ſui pietas & Dei dona concitant, ut improbi adorabundi ſe ad piorum pedes advolvant, ut illos inſtar Deorum colant. Vide exemplum Nebuchod. Dan. 4. Actor. 14. Nam utcunque improbè hoc faciant, & invitis piis, tamen nihil eſt quod hujus Proverbij veritatem confirmet magis. Hæc benedictio in hac vita inchoatur, idque non in omnibus improbis, ſed aliquot modo, quorum animos Deus ad pietati & integritati favendum inflectit: extremo vero judicio, & beato illo manè ab omnibus impiis fiet, quibus juſti dominabuntur Pſal. 49. & quos judicabunt, etiam reprobos Angelos, 1. Cor. 6.

Alterum membrum cauſarum eſt Deus, qui etiam ut nulla pietas ſit aut dona exigua, tamen impiorum animos inflectit, ut honorem habeant ſuo populo: ut Ægyptiorum Iſraëlitis, licet eorum idololatriæ infeſtis. Pij vero improbos contemnunt, Pſalm. 15. 4. Nam ut illis honorem habeant, quod in eminentia conſtituti ſunt, tamen ex improbitate illos nunquam laudant, aut honore afficiunt.

V. 20. *Etiam proximo ipſius odio eſt pauper, amici autem divitis multi* [*ſunt.*]

ורעהו hoc loco pro amico ſumitur, non pro proximo, ut ex ſequenti conſtat אהבי (*amantes.*)

Ut qui odio habeat carnem ſuam, aut ullum,

ullum, qui uſpiam eſt, hominem, contra officium eſt Iſa.58.7. Atqui ut amicum, & amore ſibi conjunctum odio perſequatur, quid ab humanitate alienius eſt? Sed illud demum ad immanitatem accedit propius, ſi quo nomine charitatis officia magis exercere convenit, eo ſe minus benevolum & amantem probet. Quod etiam magis adhuc ferum & barbarum eſt, quoad in illum iniquiores ſunt homines, qui ſagittâ è Dei manu emiſsâ ſaucius & transfixus eſt. Siquis enim à mortali vulneretur, in eum plerumque homines bonæ indolis commiſeratione utuntur: Quantò hoc magis fieri debet, cum quis Dei ferula percuſſus ſit? Ex quo illud liquet, ſæpè homines ſibi ipſis imponere, dum qui amant, ſe hominum amantes eſſe exiſtiment, & qui amantur, ſe charos aliis eſſe ſtatuant. Quod ſecus eſſe comprobatur, cum divitias, non homines in amoribus eſſe fortunæ mutatio declaret liquidiſſimè. Quare fit, ut amantium latens hypocriſis, & amatorum ſtultus error coarguatur: dum illi, ſe homines, aut pios homines amare, ſibi in animum inducunt; hi verò ſe, quod homines ſint, aut quod pii, quod docti, &c. amari & in deliciis eſſe ſecum conſtituant.

Hæc autem hypocriſis tantò eſt deteſtabilior, quòd homines ita ſeipſos amant & φίλαυτοι ſunt, ut ſe & ſuas perſonas divitiis & aliis Dei donis præferant, ut omnium potiùs jacturam facere præoptent, quam vitæ ſuæ diſpendium pati: At verò in ſuo erga alios amore divitias & alia dona, quæ illis commodo eſſe poſſint ita hominib. ipſi præponunt, ut, illis remotis & abjunctis, amor non evaneſcat modo, ſed porro in odium convertatur.

Quo de amantes admonemur, ut animos & renes noſtros exploremus, an amor ritè & ſincerè fundatus ſit: utrum hominem propter Deum, an propter nos complectimur; utrum ſe an ſua potiùs charitate perſequimur: utrum Dei in eo adumbratam imaginem, an mundi potiùs fallacem ſpeciem & pompam diligimus: utrum denique animam, potiorem longè partem quantumvis inconſpicuam, an corpus, & quæ ſenſibus obvia ſunt, chara ducimus. Amati vero docemur, ne nimium hominibus nondum exploratis & perſpectis confidamus; nec in hominum erga nos benevolentia acquieſcamus, ſed in maximâ amicorum frequentiâ in Dei unius præſidio & protectione recumbere. Vide Iobi exemplum, qui à propriis ſervis & uxore deſertus eſt. Vide Iſraëlitarum everſam Rempubl. lament. Jer. 1. In Chriſtum potiſſimum hoc factum, Math.26.

Pauperes hic admonentur opportunè Deum adire & illi adhæreſcere tanto firmius, quoad ab hominibus deſerti ſunt.

Poſteriore hemiſt. prius confirmatur, ſicut poſterius priore arguitur: ubi non tantum corroboratur, quod Chriſtus Proverbio docet, *habenti dabitur*, hoc ſcilicet conſilio, ut plus accipiat: ſed ſimul etiam ingenii humani pravitas detegitur, quod divitias, quas Chriſtus minimi facit Luc. 16. pluris æſtimat, quam vel hominem ipſum, qui divitiis oneratur, aut ulla ejus, quantumvis præſtantiſſ. Dei dona, quibus exornatur. Nam, ſi verè judicare velimus, plures divitiis conciliari, quam ullo vel lectiſſ. & longè pretioſiſſimo Dei dono depræhendemus.

V. 21. *Qui contemnit proximum ſuum, futurus eſt peccator: qui autem gratiam facit pauperibus, ô beatum illum.*

In חוטא eſt ſynecdoch. gen. pro graviter peccat. Nam alioqui peccat, qui vel minimum deflectit ab amore & charitate in lege imperatâ.

In ſuperiore Proverb. damnatur odium alterius: hoc verò etiam contemptus, utcunque ad odium veluti informatum & abſolutum non pertingat. Deinde priore Proverbio damnatur, qui in amicum pauperem inofficioſus exiſtit: hoc loco is, qui in proximum, tametſi amicus non ſit. Denique ſuperiore Proverb. damnatur, qui in pauperem iniquus eſt, & inclemens: hoc autem Proverbio, qui in pauperem, ægrotum, ignobilem, indoctum inofficioſus eſt, dummodo (quod de quovis verum eſt) proximi nomen ei obtingat. Nam quibuſcunq; miſeriis & calamitatibus circumdatur, tamen non deſinit eſſe proximus tuus, id eſt, tibi arctis vinculis conjunctus. Nam primum easdem reliquias divinæ imaginis, quas tu geſtas, ipſe circumfert, quo uno nomine amore complectendus eſt, ut alia omnia abeſſent. Siquis occurreret, qui vultu, & còrporis ſtatura te plurimùm exprimeret, in eum certè benevola quadam voluntate præ cæteris propenderes. Qui igitur te anima, præſtanti tua parte, exprimit, nedum illum complecti debes; maximè cùm, qua tui ſimilis eſt, Dei patris noſtri imaginem refert: deinde deformitate & turpi Adami effigie te ad vivum repræſentet. Quæ res, ut amorem non conciliet, contemptum ſanè cohibere & fugare debet, & te ad miſerationem inflectere. Quòd ſi fide Chriſto inſitus ejus etiam imaginem induerit, novo & fortiſſimo propinquitatis nexu tibi cōjunctum eum interiùs & ardentiùs amare debes; niſi, ut Deum in ſua imagine, ſic Chriſtum in ſuâ effigie contemptui habere placuerit. Quod ſi, te ad Chriſti imaginem conformato, ipſe ab ea alienus ſit, quis tamen (obſecro) te diſcrevit? Num tu hoc feceris, an Deus? & quamobrem diſcrevit, & diſcrimen contulit? Num tuo merito & operum dignitate; aut mera & gratuita gratia? Gratia certe, & liberrima voluntate ſua hoc fecit, 1. Corinth. 4. Summa huc redit, neminem eo miſeriarum, & peccatorum devolvi poſſe, quin impreſſa habeat illa gloriæ divinę veſtigia, quę eũ apud homines merito â contemptu vindicent. Vide Iſa. 58. 7.

חוטא (*peccat*) quod nec proximi nobilitatem & excellentiam, nec propriam utilitatem & deformitatem reputat: quod oblitus ſit communis miſeriæ, cui ipſe obnoxius eſt, qui in proximi miſeriā facilè, & uno veluti momento devolvi & impelli poterit; ſicut etiam proximus in ejus fortunatam conditionem (ſiqua ipſe utitur) ſubitò & repente attolli poteſt. Neq; verò in proximum modo ſuperbus & inſolens eſt, ſed porro in Deum contumelioſus exiſtit. Nam qui proximum quod miſer & afflictus ſit, contēnit, Deū, qui miſeriā intulit, contemptui habet Prov. 17. 5.

In poſteriore hemiſtichio contrarium ſtatuit ejus aberrationis ab officio, quam prius indicavit, & ſimul prioris partis ſenſum luculenter illuſtrat. Primum igitur contemptui proximi opponit gratiæ præſtationem: Vnde, quis ſit proximi contemptor, eluceſcit magis. Neque enim is modo proximi contemptor habendus eſt, qui illum pedibus proculcat, aut calcibus proterit; aut in faciem ejus conſpuit; aut aliqua inſigniori contumelia eum afficit: ſed qui gratiam non facit, & favore eum non complectitur. Sic Levita, & poſt Sacerdos, qui tranſeuntes & iter facientes per ſemimortuum, illum contemnebant, tametſi nihil illi mali intulerunt ne verbis quidem aut vultu; unus Samaritanus, qui opem præſtitit, à contemptu immunis erat.

Quod addit (*afflictis*) apertè indicat, qualem proximum priore parte hujus Proverbii intellexit, nempe eum, qui miſeriis & calamitatibus obruitur. Simul docemur, quid ſit, quod contemptum & deſpectum in fratres & proxi-

proximos in animis noſtris ingenerat; non peccata, aut ſcelera, quæ revera mala ſunt ſimpliciter & purè, ſed ærumnæ, quæ ſua natura, mala & exoſa non ſunt, ut ſuperius proverb. affirmavit: non peccata, quibus ipſi ſe conſtringunt, ſed calamitates, quas Dei manus illis imponit: non mala, quæ ex inferis & diabolo manant, ſed quę cælitus immiſſa ſunt, & quorum Deus author exiſtit.

De ejuſmodi. n. malis verè dicitur; [non eſſe malum in civitate, quod non fecit Dominus.] Hic igitur diſcamus judicii noſtri perverſitatem corrigere: ſcilicet malè odimus fructus, & arborem exoſam non habemus: inviſæ nobis ſunt propagines & rami; interim, dum radix unde omnis amaritudo provenit, ſatis nobis amica, & grata eſt.

Quod autem dicit, beatum eſſe, qui gratiam præſtat afflictis, ſubindicat, infœlices eſſe, qui proximos contemptui habent. Vtcunque enim ſe beatos judicant, & pro fœlicitate ſua alios miſeriis onuſtos contemnunt, tanquam infœlices, tamen ipſi re ſunt miſerrimi & infœliciſſ. homunciones.

Hic vero quæri poteſt; quomodo fœlicitatem operibus tribuit, atque adeo uni eleemoſynæ? Reſp. non tribui fœlicitatem operibus, tanquam cauſis fœlicitatis, ſed tanquam fructibus beati viri. Quod autem uni operi bono hoc tribuit, ideo facit, quod virtutes Theologiæ inter ſe connexæ & devinctæ ſunt. Sed quæritur porro, quomodo beatus vere dicatur qui gratiam præſtat afflictis, quando quidem Pontificij, & Turcæ, aliique infideles hoc faciant, qui tamen execrabiles Deo ſunt. Reſp. illos largiri & erogare aliquid in afflictorum ſubventionem; Sed illud non facere obſequio in Deum, ſed potius, ut aut famam aucupentur, aut metu inferorum. Neque hoc charitate in proximum faciunt, ſed quod ſuiipſorum amantes ſunt, dum his rebus ſe ſalutẽ promerituros ſibi in animũ inducunt.

V. 22. *Nonne errant qui fabricant malum? benignitas verò & fides [eſt] fabricantium bonum.*

In חרשי (*aratores*) eſt metaph. ab aratoribus, & à rebus corporeis ad animum tranſlata, quæ videtur continuari in verbo יתעו (*deviant:*) Sicut enim qui agrum arant, ſæpe liras, & porcas, tortuoſas & devias ducunt: ſic qui malum fabricantur, & machinantur, ſua ſpe fruſtrantur.

Nihil ferè eſt, quod homines improbi ſuis artibus & technis non ſe conſequi poſſe ſpetant. Sic qui turrem Babilonicam extruere conati ſunt, de effectu nihil dubitabant Gen. 11. & Pſ. 12. ſe linguis ſuis omnia confecturos ſibi pollicentur, & Proverb. 1. 11. 12. 13. Sic Iſai. 7. impii de expugnatione Ieruſ. certò apud ſe conſtituebant, atque adeò quem regem Iudaico regno adhuc integro præfecturi erant, nominatim deſignârunt. Et. Pſ. 2. de Chriſto ipſo regno ſuo abjudicando.

Sed Propheta, eos ſua ſpe falſos fore declarat, & illorum vanæ fiduciæ, quam de rebus ſuis metis ad exitum perducendis concipiunt, certiſſimam, & omnes hæſitationis expertem Dei ſententiam opponit. Ob quam cauſam ſententiã per interrogationem effert. Quod etiam ſimilitudine videtur confirmare. Quemadmodum enim qui arando tortuoſas porcas, liras & ſulcos ducit, ſementem ſperatam non accipit, ſed ſæpe meſſis excidit: ſic mala machinantes ſuo, quẽ expectãt, eventu carent. Iſai. 8. [Conſilium inite, ſententiam decernite; non fiet, ſed Immanuelis conſilium.] Huc accerſe Proverb. 1 28. *Fxpectatio improborum peribit.* Nã tametſi aliquando fit, ut impii votis & cupiditatibus ſuis potiãtur, tamen quẽ fi-

nem perſequuntur, non attingunt. Nam neque illis commodum & vtile eſt,quod aſſequantur,ſed majori & graviori eorum exitio cedit; nec pios(ſicut præoptant) damno afficiunt, nedum extinguunt, cum piorum calamitates illis ad majorem in hac vita ſanctitatem,in futura gloriam redundant, & ex piorum cineribus numeroſior Eccleſiæ proles proſeminatur. Deinde quicquid eſt, quod impij pro animi ſui libidine aſſequuntur,omnes tamen eorum ſeu gaudium, ſeu expectatio, morte definitur. Proverb. 11.7.

In altero hemiſtichio docetur eorum, qui rebus bonis & à Deo imperatis ſedulam operam dant, nunquam jucundo & optabili fructu carere. Dicite juſto benè illi fore Iſai. 3. Heb. 6. 10. Act. 10. 4. Mat. 10.42.

Quod autem dicit benignitatem ſeu beneficentiam eos manere, eo indicat, non deberi compenſationem ex operis merito,ſed gratuita Dei voluntate & beneplacito. Cum autem adjungit veritatem benignitati,rei certitudinem,quę fallere nequit, declarat; & diſertè opponit ei, quod dictum eſt de artificibus improbitatis, quos certiſſimè errare & ſua ſpe excidere,prius affirmavit. Fit non raro ut piis juſtorum conatibus multa impedimenta objecta ſint;ſæpe etiam fit,ut mœrores corporis, ſimul & animi crux piorum incepta excipiant: denique, ut nihil adverſi obveniant, tamen bonum, quod ſectantur,& cui ſtrenuè incumbunt,in lõgum tempus reijcitur & certo Dei conſilio tardatur, tamen exitus & cataſtrophe comici & jucundi ſunt. Vide quot annos Abr. benedictum ſemẽ expectavit. Quot Iſaacus ſuum Jacobum; quot Zach. Johannem; quot annos David regnum &c. Sed tandem Deus veniendo veniet Abac. 3. & ſuam ſecum mercedem manibus fert. Iſai Qui ſtipendio ſerviunt, condictum diẽ habent, quo mercedem laboribus debitam & juſtam accipiant, videlicet ſimul ac præſtitutum, de quo inter eos convenit,opus abſolverint; ſed qui mercedem gratuitam largiuntur, nolunt eam anguſtis dierum aut annorum circũſcribi terminis: ſed ſuo arbitratui & voluntati liberrimè relinqui. Quamobrem Deus,qui omnia benignè,&nobis immerentibus ſua dona & præmia confert, non vult certis temporum periodis&cancellis circumcludi. Servi etiam in ſingulos annos,aut ſemiannos ſalarium accipiunt; mercenarij in ſingulos dies ſuam mercedem.

Quamobrem ſi legem exactè& explete perfeciſti,potes tu quidem audacter& præciſè debitam mercedem illicò poſcere, filij autem non item, ut qui nullum tempus liberalitatis paternæ accipiendæ præſcriptum habent, & qui plerumque ante parentum obitum paternam beneficentiam non experiuntur. Nec tamen ſequetur propterea, filiorum ſortem deteriorem eſſe ſervorum, aut mercenariorum. Atque ob eam rem filios modeſte petitio decet, qua ita petitiones inſtituant, ut rem totam patris voluntati permittant. Quicquid accidit, illud certè ſtatuendum eſt, [Deum eſſe bonum & benignum Iſrëli, & his, qui ſunt integro corde.] Atque ut improbis ſpes omnes ſaltem in morte pereunt; ſic contra piorum opera illos ſaltem in morte ſequuntur. Multa enim Deus piorum opera in diem mortis compenſanda reſervare ſolet.

V. 23. *In omni labore[eſt]emolumentum; at in verbo labiorum tantum egeſtas eſt.*

Vox מותר quandoque reſiduum, quandoq; abundantiã vel excellentiam ſignificat: hoc loco pro abundantia ſumi arguitur ex oppoſita voce מחסור (*penuria*)

Sen-

Senſus eſt; improbo labore abundè parari, quæ ad hujus vitæ cultum ſpectant; vano autem, futili, & inefficaci de victu quærendo ſermone nil niſi egeſtatem conſequi.

Et primùm quidem quod ad priorem hujus Proverbij partem attinet, ejus veritas videtur ex promiſſione Adamo facta derivari. Nam utcunq; verba illa (*in ſudore vultus tui comedes panem tuum*) comminationem complectantur illigatam, tamen & implicitam habent promiſſionem: quondam fore ſcilicet ut ſi gnaviter & ſtrenuè laborent, omnia ad vitam tuendã neceſſaria affatim ſuppeditanda ſint. Ubi etiam, ut hoc in loco moleſtus labor, ſic illic durus & fatigationis plenus à domino præcipitur: utcunque labor ille vel corporis viribus, vel animi facultatibus, vel utriſque conjunctis exantletur. Huc accedit Apoſt. teſtimonium. 2. Theſſ. 3. 10.

Hinc diſcimus, omnem illum quæſtum, qui ex chartis pictis, alea, ſcena, ſeu hiſtrionia & id genus illiberalibus ludis in ventum abire; nec ullum ſolidum fructum illos conſequi, qui inde lucrum aucupantur. Nec hi tantum, ſed & illi, qui honeſtis & ingenuis luſibus (ut ſunt ſagittarii, & qui globulis ludunt &c.) omnem operam & ſtudium ponunt, & inde victum querunt, aut vitam tuentur. Non me miſcebo quæſtioni; an fas ſit pecunia ludere, & certo pretio ludendo certare; ſed hoc extra controverſiam eſt, nemini licere ullo ludendi quantumvis liberatiſſ. genere ſe, aut ſuos alere. Cujus rei graviſſ. teſtis eſt Sal. Prov. 13. 11. ubi in hunc modum fatur: *opes ex vanitate* (ſc. contractæ) *minnentur: qui autem colligit manu, augebit* (ſc. opes.)

Veritatem hujus ſententiæ in ſpeciem labefacta re videtur, quod ſcribitur Pſ. 17. ubi *in vanum* dicuntur *laborare manè ſurgere, ſero cubitum ire, tenuiter ſe paſcere, niſi Diminus hominum conatibus & laboribus aſpiraverit.* Deinde. 1. 6. Mercenarius, qui operam ſuã locans pretium laboris accipit, dicitur in pertuſos & perforatos loculos idem conijcere. Hoc autem proverbio Spiritus ſanctus omnia penes laborantẽ collocare videtur, ut nemo victu deſtituatur qui in opere faciundo aſſiduus eſt. Sed meminiſſe debemus, ſententias iſtas & promiſſiones, quæ ad præſentem vitam referuntur, ἐπὶ τὸ πολὺ veras eſſe, & hanc exceptionem ſemper implcitam habere; *ſi Deo ſapientiſſ. ita viſum fuerit.* Adeò enim hujus ſententiæ veritas clarè elucet, ut pleroſque ferè omnes etiam improbos & à Deo alienos, dummodò ſedulo laborantes, Dei benedictio proſequatur. Sin autem (quod fit) Deus benedictionẽ ſuam ſubtrahit, tametſi res ad voluntatẽ non affluant, nec abundè ſuppetant, commiſeratione tamen permoti illis ferè ſubvenire ſolẽt homines, quos laborioſos & ſedulos in opere deprehẽderint.

In poſt. hemiſt. videtur Spiritus Sanctus multorum hominum ſtultam vanitatem vellicare, quibus ſolemne eſt multos ſermones de laboribus & occupationibus ſerere; & interim tamen manum operi non admovere. Sæpius enim invenias, qui de ſuis cæptis & conatibus, quos aggredi ſecum conſtituunt, multa verba faciunt; cum tamen ne pedem quidem ad opus deſignatum moveant. Huic Sal. ſententiæ non abſimile eſt, quod dicitur Iſ. 36. 5. ubi Rabsh. *bellum non verbis, non ſermone labiorum, ſed viribus & potentia conſici.* Hoc videtur illuſtrari poſſe exemplo filiorum Iacobi, qui perſtringuntur, quod de profectione in Ægyptum multum ultra, citraque verbis diſceptarent, tantumque temporis in diſceptatione conſumpſerint, quantum itineri abſolvendo ſatis eſſe potuiſſet Gen. 42. 1. & 43. 10.

Docemur porro utrarumque oppoſitionum in hoc prover. comparatione ho-

mines loquaces & verboſos ſemper in opere faciundo cunctari, & deſidioſos eſſe. Nam improbum laborem, & laborioſam induſtriam Sal. opponit verboſitati & multiloquio. Quod non tantum communi experientia comprobatur, ſed liquidiſſimo Pauli teſtimonio 1. Timoth. 5. 13.

Quod tamen non eſt ita accipiendum, ac ſi fas non eſſet, aut verò non etiam expediret de rebus his priùs ſermonem cõferre, quas re & opere aggreſſuri ſumus. Hic enim potiùs ad imitationem proponi debet, quod à Levita prudenter Iudic. 19.30. proponitur.

Hoc Proverb. non incommodè ad ea, quæ ſunt vitæ futuræ, transferri poſſit. Non enim qui verbis profitentur fidem; ſed qui fidem factis exprimit, ſalvus erit, & deliciis regni Dei ſaturabitur Matt. 7. *non omnis, qui dicit, Domine, Domine* &c.

V. 24. *Corona ſapientum* [*ſunt*] *divitiæ ipſorum*, *ſtultitia ſtolidorum ſtultitia* [*manet*.]

In עטרת (*corona*) eſt metaph. à rebus corporeis ad incorporeas traducta. Sicut enim corona capitis decus & ornamentum eſt: ſic divitiæ ſapientum illorum ſapientiam commendant, & ſpectabilem magis reddunt. In ſecundo hemiſt. אולת (*ſtultitia*) eſt ſynecd. generis, ſtultitiæ vid. pro inſigni & notabili ſtultitia.

Summa hujus Proverbij eſt, divitias perinde eſſe, ut quis illis utitur. Si in hominem pium & ſapientem incidunt, illi ad omnia opportunas & accommodas eſſe: contrà fieri ſi ſtulto & impio obtingant: ex ſtulto enim divitiarum acceſſione rabioſum aliquem & furentem evadere. Quod non ita accipiendum eſt, ac ſi divitiæ, quæ Dei donum ſunt, earum abuſu boni naturam amitterent, aut in malum commutarentur; ſed earum abuſum abutentibus infeſtum, & damnoſum eſſe.

Quamobrem utcunque divitiæ hominem nec bonum, nec malum; nec ſapientem, nec inſipientem faciunt, tamen hanc vim habent, ut bonitatem, aut malitiam; ſapientiam aut ſtultitiam prodant, & in umbra deliteſcentem, veluti in ſolem & apricum educant. Quemadmodum enim gladius in manum hominis inditus illum nec ſobrium, nec furentem reddit; ſed, uter ſit, ejus uſu declarat: ſic divitiæ cum idonea ſint inſtrumenta quibus internus animi affectus factis externis ſe exerceat, ex earundem ad externum opus applicatione palàm faciunt quis ſit internus animi affectus. Atque ut de magiſtratu dicitur, eo virum argui: ſic de divitiis perinde enuntiari poteſt. Unde illud Eccleſ. 7. 11. *Bona eſt ſapientia cum poſſeſſione* &c. Bona quidem eſt ſine poſſ. ſed intelligit, tum magis ſplendere cum adjunctam ſibi habeat poſſeſſionem. Quod autem dicitur, facile exemplorum appoſitione liquebit. Et primum quidem beneficentiam & animi benignitatem intus incluſam patefacit, dum peregrinos & hoſpites liberaliter accipiant. Quo nomine Abr. & Lotus, tanquam corona redimiti celebres & nominati in ſcript. perhibentur. Maximè verò cum in Dei cultum largitione utuntur, ut qui ad ſtructuram tabernaculi Exod. 35. & deinceps templi, munera pretioſiſſ. attulerunt 1. Chr. 29. Sed omnium, quæ uſpiam exempla conquiri poſſunt, longè auguſtiſſimum in Sal. habetur. Quomodo enim ſapientia illa incomparabilis unquam vel minima ſui parte illuxiſſet, ſive in naturæ rerum perveſtigatione, ſive in Regiæ, aut templi ædificatione, ſive in ſervorum apta & decenti ordinatione, ſive denique in Cibariorum οἰκονομία, & Regni totius politia, niſi Deus eum divitiarum amplitudine

dine cnmulaſſet? Ut divitiæ ipſius capiti majus ornamentum adjunxerint, quam diadema illud,quod mater Bathsh.artificioſè in diem nuptiarum ejus comparari & concinnari fecerat.

Sicut in divitiarum poſſeſſione ſapientum ſapientia ſplendeſcit: ſic & in earundem amiſſione eorum virtus mirificos radios emittit: Quod Sal: teſtimonio confirmatur egregiè Eccl.7.12.Neque enim Abrahami manſuetus & mitis animus (dum Loto conceſſit) unquam ita nobilitatus fuiſſet,niſi divitiis & opibus omnis generis onuſtus fuiſſet. Nam cæteroquin imparitate quadam cum Loto contendendi de ſuo jure diſceſſiſſe videri poterat. Sed illud in Iobo præcipuè conſpicitur, cujus æquanimitas & patientia ex lautarum opum jacturâ & amiſſione celeberrimâ & nominatiſſ. cognita eſt: quod tamen,niſi opum maximarum antegreſſa poſſeſſio nunquam futurum fuiſſet. Cap. 1.

Hoc ſi in ſe non eluceſcit,ex contraria tamen ſtultorum in utendis divitiis perverſitate dignoſci poteſt. Nam præterquam quod hîc locum habet, quod Proverbio jactatur; *ſimiam eſſe ſimiam, etiamſi aurea inſignia geſtet*; ſtultitiam eorum augeri,aut certè manifeſtari magis, primum quidem ex eo conſtat, quod divitiæ & opes ſtultis inſtar arcis ſunt,cui confidant & innitantur,ut Sal. prius docuit.Deinde quod illarum fiducia ſuperbi ſint, & in Deum inſoleſcant,ut de Nebuch. & Alexandro ſcriptura memoriæ tradit.Dan. 4.7.10. Porrò divitiarum præfidentiâ in homines etiam præſtantiſſ. contumelioſi exiſtunt,ut Nabal inDavidem 1.Sam.25. Denique ad omnia omnis generis ſcelera adminiſtræ ſunt divitiæ,& illis explendis & perficiendis inſerviunt: ut ſiquis libidinoſus ſit & turpitudini addictus; ſiqui in gulam & ebrietatem animo propendeant; ſi luxum in veſtitu aut ædificiis perſequantur, opum adminiculo in ſcelerum præcipitia ruunt, ſeque in peccatis,ad quæ animo propendent,profundiſſimè demergunt.

Hinc diſcimus,divitias non tantum expetendas non eſſe,ſed omni ratione averſandas,niſi unà cum divitiarum uſuraDei gratiam precibus emendicemus, qua juſtam & legitimam earum diſtractionem & collocationem conſequamur. Eòque intelligimus quam craſsè hallucinantur, qui magnam partem beatitatis in hoc collocat,ſiquis opibus affluat,utcunque de legitimo earum uſu minime aut laboret, aut ſolicitus ſit. Qua dementia non hi ſolum corripiuntur, qui ipſi ſunt divites, quod minus mirum eſſet;ſed vel hi etiam, qui opibus nudi ſunt,& alienarum opum modò otioſi ſpectatores.

Deinde &illud animadvertendum eſt, magnam eſſe in his hominibus perverſitatem, qui ſuos vel filios, vel nepotes, quantumvis ſtultos & impios, amplis patrimoniis,ſeu hæreditatum, ſeu donorum onerant, quibus & ſe & alios in exitium præcipites conjiciunt.

Verſ. 25. Liberat animas teſtis verax; conflat autem mendacia doloſus.

In יפיח (*efflat*) eſt metaph. qua inflammatum ſtudium mentiendi deſignatur, ſicut qui Spiritum efflat, nonnulla vi & contentione hoc facit. In נפשים (*animas*) eſt ſynecd. membri pro integro homine.

Summa & caput hujus Proverbij eſt, nos docere, quantæ vires in lingua ſunt, ſive ad ſervandum, ſive ad perdendum: maximè verò in veriloquio,& illi oppoſito mendacio.

Vox עד (*teſtis*) aliquando ſtrictim pro eo ſumitur, qui publicè ſive civiliter, ſive eccleſiaſticè ſententiam ſuam de re aliqua

qua

qua profert. In quo genere hujus Proverbij veritas præcipua quadam ratione cernitur. Nam ſive judex pro tribunali ſedens, ſive teſtis ad rem aliquam controverſam confirmandam, aut refellendam productus; ſive denique Miniſter pro concione dicens fuerit, magnum ſinguli momentum afferunt ad homines à malis omnibus, atque adeò à morte ipſa præſenti, aut æternâ eximendum, ſi ad veritatis normam ſuam ſententiam exegerint; aut eoſdem in mortis & malorum faucibus concludendum. Aliquando etiam largius ſumitur pro eo, qui privatim aliquid vel verum, vel falſum proximo dicit. Atque hoc ſenſu verum eſt, quod Proverb. hoc affirmatur. Præterquam enim quod qui mentitur, animam ſuam occidit, aliorum etiam animas perdit, qui ſe prava imitatione corrumpunt: ſicut contrà ſervat cum ſe, tum alios, qui ex conſcientia bona vera loquitur.

Hinc diſcimus, vitæ & necis poteſtatem in linguæ uſu eſſe, idque non unius modo hominis, qui verè, aut ſecus linguâ utitur, ſed aliorum: unde etiam *arbori vitæ* comparatur & *aquis dulcibus* lingua ritè informata: ſicut & arbor mortis, & aqua amara rectè cenſeri poteſt, quæ eſt doloſa. Sed quia de hac re ſæpius dictum eſt & pluribus, hoc loco plura accumulare ſuper ſedebimus.

V. 26. ***In reverentia Iehovæ [eſt] fiducia valida, qui filijs ſuis eſſe ſolet receptui.***

V. 27. ***Reverentia Iehovæ [eſt] ſcaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis.***

In יראת (*timor*) utriuſque verſus eſt ſynecd. partis pro univerſo vero Dei cultu. In בנים (*filiis*) eſt duplex ſynecd. partis & ſpeciei, filiorum ſcil. pro filiis, nepotibus, pro nepotibus &c. & marium pro maribus ſimul & fœminis. In מחסה (*perfugium*) eſt metaph. traducta à vulgari, & corporali militia ad milit. ſpirit. & cæleſtem.

In מקור (*fons*) eſt met. à rebus item corporeis ad incorporeas, quod idem intelligitur in מוקשי (*laqueis*) ubi peccata & graves tentationes retibus & naſſis aſſimilantur, quibus beſtiolæ implicatæ & conſtrictæ tenentur, ut inde ſe expedire nequeant.

Primum in vocibus *timoris Domini* eſt homonym. quæ diſtinguenda eſt. Nam eſt timor ſervilis, qualis fuit in Adamo, qui illum adegit, ut à Dei præſentiâ fugeret. Gen. 3. 11. qui etiam in improbis eſt, atque adeò in ipſis dæmonibus Iac. 2. Eſt etiam in ipſis belluis metus quidam à Deo injectus, quo tanquam fræno Deus illos cohibet maximâ ex parte, ut nihil in hominem tentare audeant Gen. 9. 2. Sed eſt filialis quidam timor, qui in improbis non eſt Gen. 20. 10. ſed tantum in piis & fidelibus, quo præ amore in Deum, & grato animi affectu metuunt ſibi à Dei offenſione.

Deinde timor *Iehovæ* hic requiritur, ut hominum timorem excludat, qui Dei timori contrarius eſt, aut ullo modo obſiſtat, Math. 10. item Idolorum 2. Reg. 17. 35, 36.

Hinc eſt ut Deut. 10. 16. dicatur, *Deus maximus, fortiſſimus* & *reverendus, ſeu formidabilis.* & vehementiùs illud exprimitur, Pſal. 76. 8.

Hujus autem fructus ſeu effectus eſt, ut quis à malo recedat, Iob. 1. 1. eademque opera bonum faciat: quæ, utcunque diſtincta ſunt, nunquam tamen diſſociantur. Quamobrem intelligendum eſt, nihil nos boni aggredi, neque diſceſſionem, à malo meditari, quin illicò exiliat vel intùs in animis noſtris, vel foris in mundo

vel

vel utrobique obſtaculum aliquid, quo à boni executione, vel mali fuga abſterreamur; nunquam ut deſit Dei timori antagoniſta qui cum illo congredi, & in prœlium deſcendere paratus ſit. In hoc igitur verus Dei timor non conſiſtit, ſi nulla ſit adverſus pios motus, & conatus noſtros pugna & manuum veluti conſertio (illud enim nobis in hac caduca vita ne expectandum quidem erit;) ſed in hoc verſatur & verus comprobatur, ſi in lucta ſuperior contravenientes adverſarios proſternat aut in fugam vertat; ſi in domicilio & veluti arce corporis & animæ noſtræ Imperator & præfectus prætorio(apud nos *controllor*)refractarios & adverſus Dei obſequium commoventes ſe affectus & cogitationes compreſſerit & veluti in ordinem coëgerit; ſi quod Apoſtol. Coloſſ. 3. 15. de pace Dei pronuntiat, illam in animis noſtris βραβεύειν, in Dei etiam timorem animis noſtris infixum competat. Quod tamen non ita accipiendum, ac ſi Dei timor ſemper triumpharet, atq; rebelles animi motus ſubigeret; nec unquã inſurgentibus in ſe corruptis motibus locum cederet; ſed quod fugatus & ſtationem ſuam deſerens illicò ad priſtinam ſtationem redit, hoſtibus majori, quàm antè, vi & virtute ſubactis, & foras pulſis.

Poſtquam quid & cujuſmodi ſit Dei timor, intelleximus; quod ſit ejus præmium, & quæ à Deo remuneratio, diſpiciamus.

Eſt autem duplex {
- *Prior ad ipſos Dei timentes,*
- *Altera ad eorum poſteros*

In priore dicitur, Dei timorem eſſe robuſtum propugnaculum, cui quis ſecurè cònfidat. [Pietas enim ad omnia utilis eſt & promiſſiones habet pręſentis & futuræ vitæ,] 1. Timoth. 4. & Pſal. 34. *timentes Dei* nulla re bona deſtituentur Leones &c. Vnica etiam invocatione divini nominis munita arx eſt, ad quam ſe recipiens ſalvus erit, quibuſcunque calamitatibus premitur, Actor. 2, & Proverb. 18. 10. ubi expreſſe opponitur fiduciæ, quam falſò collocant homines in divitiis: Et videtur hoc Proverbium priori ſubnecti, ne nimium divitiis tribuiſſe videri poſſet, cum corona inſigni illas ornavit. Perinde ac ſi diceret; ſæpe divitiæ laborantibus piis adminiculo eſſe poſſint; ſed firmum & ſolidum nullum præſidium eſt adverſus adventantes & incurſantes calamitates, niſi in Dei vero timore & legitima invocatione: non in divitiis, non in ſcientia, robore, amicis &c. Vide Eccl. 9. 11. Vide Geneſ. 35. ubi Iacob à vicinis nationibus & urbibus omni veriſimilitudine devorandus ob cædem horrendam à filiis admiſſam jubetur ad Bethlehem confugere, & ibi vota ſua perſolvere. Vide Iſai. 4. duobus ult. verſ.

Altera promiſſio ad poſteros ſpectat, prout etiam in Decal. promiſſione continetur. Vide Pſal. 86. 16. Sed ejus ſpectatiſſ. exemplum extat in Iehu; qui, quoniam deturbavit cultum Baalis ex Dei mandato, tametſi verum non inſtituit, à Deo tamen cum ipſe, tum ab illo proſeminati ad quartam generationem à multis ingruentibus periculis ereptus eſt. Homines natura duce de poſteris curam ſuſcipiunt, & ut defuncti hac vita patrimonium ad illos tranſmittant vehementer ſoliciti ſunt: qui interim de pietate ne per ſomnium cogitant. Ab his quærerem, an Dei promiſſis fidem non adjungant? cui apertè refragari non audent. Deinde quæro an putent illud, quod apud ſe occluſum & congeſtum tenent, certioris poſſeſſionis, & durationis eſſe, quàm quod Dei promiſſione nobis in ejus veluti arcula ſervatur.

Verſ. 27. Hoc Proverbio Dei erga ſui timentes munificentia ampliari magis adhuc videtur, præut in ſuperiori Prover. expreſſum eſt. Nam cum iſthic Dei timorem fulcro firmiſſ. aſſimilârit, quod tamen foris extrinſecum eſt; hic vitæ ſcaturigini comparat, unde quiſquis bibit, aquam vitæ in ipſa viſcera, & initimas animæ partes intromittit. Atque cum ſuperiore Proverb. Dei timorem Salom. propoſuiſſet, tanquam vindicem & propulſatorem malorum, quæ nodis in hac vita obveniunt; hoc Proverb. hanc vim & energiam illi atribuit, ut nos, ne in periculum dilabamur, & malorum fraudibus & inſidiis circumveniamur, eripiat. Quamobrem ex conjuncta utriuſque Proverb. conſideratione liquidò conſtat, quo in pretio pietas & Dei timor apud omnes eſſe debet: cujus præſidio cum mala pelluntur, tum bona accerſuntur, pax & tranquillitas procuratur, bellum excitatum ſopitur, vita intromittitur, & mors foras ejicitur, denique cælum aperitur, & inferorum portæ occluduntur & obſerantur.

Quantum autem & quam eximium hoc beneficium ſit, quod comparetur ſcaturigini vitæ, primum inde apparet, quod omnes ſumus ſitibundi, & ſiti ſpirituali, niſi nobis proſpiciatur, perituri. Iſai. 55. 1. & Ioh. 7. 37. ut nec iterra ſitientiſſ. nec dracones igniti plus aquarum egeant, quam nos aquarum vitæ, quæ hic proponuntur. Deinde meditandum nobis eſt nos in regione auſtrali verſari, ubi difficilis eſt aquarum acquiſitio. Vid. Gen. 21, & ab. 18. &c. & Pſal. 126. 4. Quid quod in mundo, tanquam in deſerto verſamur, ubi difficilis eſt aquarum invẽtio? Nec enim deſertum deſolatiſſ. aquis magis deſtitutum eſt, quam homines aqua vivente. Ex quo colligere non eſt difficile, quantum nobis beneficium hoc in loco proponitur.

Deinde quod timorẽ fonti, ſeu ſcaturigini comparet, in eo videtur abundantiam & divitias vitæ deſignare, & copioſam ſalutem. Joh. 10. 10. 2. Pet. 1. 11. Quod quidem tanto nobis charius eſſe debet, quod fœminæ illi in Euangelio ſimiles ſumus, quæ ſanguinis fluxu & ſcaturigine laborabat: ad quem ſanguinem eluendum expurgandumque opus eſt magnâ aquarum copia, qua & juſtificemur ab omnibus peccatis, qua & ſãctificemur ab inhærente nobis peccatorum lue. Hujus autem copioſæ in Chriſto redemptionis effectus in poſteriore hemiſtichio indicatur, cum docetur, hujus fontis beneficio recedere, homines non ab uno, aut altero laqueo, ſed ab omnibus laqueis & naſſis mortis.

Deinde quòd non tantum fontem eſſe doceat, ſed perennis etiam aquæ, plenum conſolationis eſt, dum eo certiores reddimur, hanc vitam ſemel in nobis inchoatam in omne ævum duraturam, Joh. 4. Hac enim re plurimum diſcrepat ab omnibus corporis & præſentis vitæ potionibus. Nam nullus eſt potus tam ſalutifer, qui nos adverſus venenatas potiones munire poteſt, quin eo interimamur, ſi in illas inciderimus. Atqui hæc aqua ejus generis eſt, ut qui illam ſemel biberit, nunquam ſit ex hauſto poſt veneno interiturus.

Illud in utriſque Proverb. alienum videri poſſit, quod pietati, & cultui divino, ſeu primæ tabulæ operibus tribuitur, quod Chriſto, ſeu juſtificationi per fidem debetur modo. Chriſtus enim ſpes & fiducia noſtra eſt; ille perfugium, ſeu umbraculum, ad quod nos tuto recipiamus Iſai. 32. 23. denique ipſe eſt fons aquæ vitæ, Ier. 17. & Pſal. 36. 10. Reſpondeo; in timore Dei non excludi fidem in Chriſtum, & propterea in illius merito, tanquã ſalutis cauſâ has promiſſ. conſiſtere; & Chriſto, tanquam fundamento & baſi niti: operibus autem & pietati in Deum non

aliter hæc competere quam quoad fructus ſunt ex pura&mera Dei gratia provenientes;nec quicquam ex ſe àDeo promerentes, ſed primum ex gratuita Dei voluntate accipientes. Quod ſi nullo noſtro merito bona conferuntur, nedum in poſteros majorum merito, quod Pontificij colligunt ex ſuperiori verſu.

V.28. *In multitudine populi* [*eſt*] *decor regis, at defectu nationis contritio dominatoris* [*advenit.*]

In מחתת (*conſternatio*) eſt metaph à rebus corporeis,quæ in partes & fruſta diſſiliunt,ad res incorporeas,quæ perinde ut corporeæ, diffluunt, niſi debitis & juſtis præſidiis fulciantur.

Docetur hoc Proverb.quod ſitRegum & Principum officium:deinde argumenta ſubnectuntur. quibus ad munus ſuum obeundum adducantur.

Officium Magiſtratus eſt procurare, ut qui illis ſubſunt, magno numero ſint; obeamq́: cauſam illam gubernandi rationem inire,qua gens populoſa& numeroſa ſit.Ad quam rem operam ponant oportet,ut pax in ditionibus ſuis colatur, quæ ad populi multiplicationem quam aptiſſ. eſt. Quamobrem prima cura eſſe debet, ut populum ab externis hoſtium incurſionibus tutum & tectum conſervent: deinde ne domeſticis injuriis premantur: eoq́ue ſibi ipſis temperandum eſſe, ne in corpora eorum ſæviant. Hinc coarguuntur Regni judices illi, qui iniquè ferunt, ſiquis captivi, & ad judicium capitis pertracti innocentiam exponit; ac ſi adverſus principem cauſam diceret: quum is vel maximè Principis cauſam agat, qui ſubditum de vita periclitantem juſtè eripit.Videndum etiam,ne ſubditorum bona invadant; nec ut invicem ſe concutiant, ſive in alterius poſſeſſiones manus injiciendo, ſive noxio & infeſto propriorum bonorum uſu. Huc referuntur, cum pro communibus non habentur, quæ aut ſua natura, aut uſu & occupatione communia ſunt; cum in paſcua convertuntur novalia & ſementi deſtinata;cum ager agro ædes ædibus accumulantur. Iſaiæ 5. Cujus hic effectus deformis à Propheta notatur. Regum igitur & principum ſtudia hic taxantur, qui proferendis regni ſui finibus operam dantes, ſubditos belligerando amittant: qui ut theſauros coacervent, & divitiis inhient, aut ſplendidis ædificiis extruendis, equis & canibus alendis animum appellant,populi ſui incrementum negligunt. Deinde procurandum porro non tantum ut in pace, ſed ut religioſè & honeſtè vivant ſubditi. Si ſecus fecerint, ut homines moleſtiam non afferant, tamen Deus famem & peſtem inferet, quibus populus abſumetur. Vide eximium exemplum in Moſe,Deut.1.&Salomonis 1.Reg.Nam ſub horum gubernatione populus auctus eſt in immenſum.

Argumentum prius eſt,quod populi ex provida & ſolicita Regis procuratione multiplicatio dignitati Regiæ futura ſit; eiq́ue plus decoris adjunget,quam ullius, quantumvis glorioſæ coronæ geſtatio: ut nunquam corona illi defutura ſit, quamdiu illius procurationis memoria manſerit. Nam ut liberorum numerus gloria eſt parentum; ut gregis multitudo paſtoris eſt laus: ſic ſubditorum Regis.Hic quæritur quid ſit, quod Deus in Davidem ita exarſerit,quod in populo tantoperè aucto gloriatus ſit, 2.Samu. quandoquidem Deus ipſe velit, ut Regibus, hoc in decus cedant? Reſp. decus & dignitatē huic adminiſtrationi ita adnecti ut interim homines illud captare, aut illi inhiare non debant.

Alterum argumentum eſt ab adjuncta contritione,quæ contrariā adminiſtrat ei,

quæ ſuprà deſcripta eſt, ſequitur. Contritio verò illa dupliciter aſſurget. Nam periculoſis temporibus, deſiderabit ſubditos, qui illum adverſus hoſtium impreſſiones juvent; & qui pauci ex illius tyrannide, & perverſa gubernatione reliqui fiant, parum illi fideles futuri ſunt.

Deinde ex hoc hemiſtichio poſteriore, liquet, auctum & numeroſum populum Regi non tantum dignitati, ſed robore fore; ſicut ex primo hemiſtichio colligitur: tyranno ſuam tyrannidem non tantum contritioni ſed & dedecori fore.

Ex his liquet, qualis ſit populus & quales ſubditi, quos Salom. intelligit, id eſt, fideles & obſequentes. Quandoquidem ſi rebelles & refractarii ſunt, tanto magis dedecori erant, quanto fuerint multiplicati magis: & eò minorem contritionem Regi ex ſubditis imminere, quò fuerint numero pauciores.

Hinc etiam diducitur, piis dandum operam eſſe, ut ſubditi regni Dei & Chriſti numeroſiores indies evadant, ſiquidem Dei gloriam & decus procurare velimus: Et ob eam cauſam illos adhuc magis intolerabiles eſſe, qui, quæ conſuetudo communia fecit, ad privatum uſum in his locis convertunt, ubi Euangelium viget. Quandoquidem hoc facto non tantum terreni Regis, ſed Chriſti domini regnum arctioribus finibus circumſcribitur.

V. 29. *Tardus ad iram abundat intelligentia: præceps autem excitat ſtultitiam.*

In מרים *(elevat)* eſt metaphora, ducta à rebus corporeis ad incorporeas ſignificandum. Nam ut res in altum elata ab omnibus conſpicitur: ſic ejus inſcitia multis ſpectanda objicitur, qui ſpiritum ſuum continere nequit. Videtur etiam eſſe ſynecdoch. in אפים, ubi ira pro omni perturbatione animi ponitur, ſicut ex adverſo oppoſitionis membro conſtare videri poſſit.

Longus irarum non eſt, qui diu iraſcitur, & iram conceptam non facilè dimittit. Quandoquidem hoc vituperio datur Proverb. 27. 3. ſicut contrà laudi ducitur, ſiquis iram conceptam animo ante ſolis occaſum deponat. Is ergo longus ira dicitur, qui ad accipiendam offenſionem tardus eſt, & (ſecundum tropum dictum) ſuis affectibus ita imperat & moderatur, ut intempeſtivè non erumpant, & veluti animi fores non effringant. Animi enim affectus, qui natura & prima creatione moderati & ordinati erant, peccati labe infecti violenti turbulentique facti ſunt ſe & ſuos dominos in mortis & inferni præcipitia agentes, quoad ſpiritus regeneratione, tanquam ſecunda quadam creatione refingantur, & reformentur. Omnium autem perturbationum nulla impotentior irâ, quæ, tanquam Iobi Rhinoceros nullis humanis viribus aut vinculis domari, aut manſuefieri poteſt. Unius Dei Spir. illi frænum in os injicere, & capiſtro comprimere & cohibere novit. Hoc cum ſapientiſſ. Deus perceptum haberet, qui omnium corda pernovit, ad hanc perturbationem ſubigendam operam & ſtudium cum primis contulit; ſicut ex Proverb. multitudine ad hanc rem directa & accommodata liquido conſtare poteſt; qua veluti multiplici fræno & capiſtro conſtrictam teneat; non tantum ne temere, & nulla occaſione oblata, excurrat, ſed ne tum quidem cum gravis iraſcendi anſa illis præbetur; ut cum Sichemi filius Iacobi filiam compreſſiſſet: & Nabal in Davidem indigniſſ. convitia cumulaſſet. Hujus verò moderandi ſcientiam & peritiam ad ſingularem intelligentiam tanquam ad fontem refert, unde profluit & promanat. Cujus quidem intelligentiæ, cum omnes

famam

ſamam & laudem tantoperè expetant, tamen quàm pauci reperiuntur, qui fræ-nandæ iræ (qua hanc laudem conſequantur) operam dant? Contra quam multi ſunt, qui id agunt, ut illam quam longiſſ. à ſe, & finibus ſuis arceant; & laudi ducunt, ſi leviſſ. offenſa tanquam aura commoveri ſe patiantur; inde gloriam aucupantes, unde eos pudore operiri, & obrui ex officio foret.

Deinde & illud animadverſione digniſſimum eſt, Spir. Sanctum hoc loco perverſæ hominum opinioni rectiſſ. judicium ſuum opponere, & eorum tenebricoſum ſenſum ſuæ ſententiæ luce redarguere. Nam ad unum ferè omnes ſtultitiæ tribuunt, ſiquis, accepta injuria, non illico excandeſcat, & eam ſumma ultione non proſequatur: contrà Deus hoc Proverbio placidum & manſuetum animum nobilitat. Sic Chriſtus Matth. 5. *Manſuetos beatos prædicat.* Hinc etiam eſt, quod Moſes hoc manſuetudinis titulo, tanquam corona capiti ſuo impoſita ſupra omnes in orbe terrarum mortales extollitur. Sunt equidem nonnulli, qui ſtupore quodam percuſſi, aut ignorantia injuriæ ſibi illatæ ne leviſſ. quidem ſenſu mali illis impoſiti afficiuntur: his, quæ hoc loco laus tribuitur, nullo modo competit, quorum ἀναισθησία in vituperio cenſeri debet. Sed is demum prædicandus eſt, qui juſto illatæ injuriæ ſenſu attactus illam tamen placidè & æquè fert.

Hæc autem intelligentia non eſt humana, ſed cœlitùs delapſa à patre luminum de qua Iacob. 1. & Proverb. 3. Ex quo etiam illud liquet, quanti ſit pietas, quæ tam feram, immanem, & truculentam beſtiam domare novit, & tam placidam, quam agna eſt, reddere.

Brevem ſpiritu dicit eum, cujus brevi ſpatio erumpunt ex animo mentis perturbationes, quæ premendæ erunt & intùs cohibendæ; qui ſimulac aliquid animo conceptum habet, illico prodit; cujus affectus in ipſa ora & ſuperficie animi ſedẽ habent, non in imum depreſſi, unde cito exſiliunt; qui inſtar domus eſt, cui nullæ fores, aut vectes; inſtar urbis, quæ nullis muris cincta eſt; nulla cuſtodia aut excubiis aſſervata; tanquam pratum nulla aut ſæpe, aut maceria circumductum, in quod beſtiæ omnis generis irruunt, & erumpunt; tanquam navis, quæ gubernatore & clavo deſtituta quovis venti & fluctus momento impellitur; cujus animus facilè admittit perturbationum argumenta, quas ſemel admiſſas illico extrudit.

De hujuſmodi vero pronuntiat Propheta, eum ſtultitiam extollere, & omnium oculis ſpectandum proponere, quæ alioqui intus delituiſſet, niſi hac affectuum impotentia, tanquam præcone ſtultitiam promulgante emerſiſſet, & evulgata fuiſſet: ut quemadmodum alibi dictum eſt, ſtultum, quamdiu tacet, ſapientem videri; ſic & hoc loco affirmari poſſit; ſtultum, niſi iracundus, aut aliis perturbationibus obnoxius eſſet, pro ſapiente vendicari poſſe. Quemadmodum enim longanimis intelligentiam cæteroquin in animo abditam & occultam ſua patientia & tolerantiâ palàm facit: ſic perturbationibus ſuccumbens ſtultitiam apertè prodit. Quod autem dicitur, illum attollere ſtultitiam, illud non tantum ad eum refertur, qui alium irritat, ſed illum ipſum ſuo ambitu complectitur, qui ab eo ſine cauſa irritatur. Nec in eo tantum ſuam ſtultitiam prodit, quod ad iram facilè concitatur; ſed quod eadẽ opera cùm ipſe præceps & inconſideratus ad ſtulta remedia ſe recipit, tum ut alii hoc faciant, excitat, quos ſua inſcitia irritavit.

V. 30. *Vita carnium [eſt] animus ſanans; putredo verò oſſium, invidentia.*

In בשרים (*carnium*) eſt ſynec.partis pro toto corpore; quod etiam intelligendum eſt in voce עצמות *oſſium*.

Animus ſanans, ſeu beneficus, qui aliorum miſerias miſertus illis medicinam, quoad datur & pro facultate facit, dum illis ex his, quæ Deus in illum contulit, ſubſidium affert vide Prov. 17. 22. ipſe ſibi cum vitam prorogat, tum verò etiam valetudinem conſervat.

Hujus rei cauſa multiplex aſſignatur, primò, quòd hoc facto gaudium & lætitia animi naſcitur, quæ non minus vitam & valetudinem conſervant, quam mœror & triſtitia utcumque labefactat, Proverb. 17. 22. Gaudium autem hoc dupliciter naſcitur, primò, quidem ex mente ſibi bene conſcia, quod omnibus prodeſſe cupiat, quæ juge convivium cenſetur: deinde quod qui animi promptitudine ad alios juvandum alacriter accurrit, ſibi ipſi in legitimis hujus vitæ præſidiis non deerit, ſed illis moderatè ad ſuam ipſius recreationem utetur; cum ſæpe fiat, ut qui in alios reſtrictus eſt, in ſeipſum etiam parcus & tenax exiſtat.

Præterea qui ad aliis ſuccurrendum promptus eſt, Dei promiſſionibus munitur; illi neceſſariis ſuis temporibus ſubventum iri. Nam ut ſanguinolenti media ætate rapacibus mortis manibus abripiuntur, ſic contrà aliorum vitam conſervantes ſuam hac opera prorogant. Id verò fit vel à Deo immediatè, vel mediantibus hominibus, quorum animos Deus inflectit ut nobis benignitatem aliis præſtantibus alij itidem compenſationem reddant. Vide exemplum Sunamitæ, & pauperis viduæ, quarum prior in Eliſæum, poſterior in Eliam beneficia extitit.

Notandum promiſſionem hanc animo ſananti fieri, non ori, quod beneficentiam verbis præ ſe fert: ſed neque pedi, qui ad medendum accurrit; aut manui, quæ medicinā admovet: ſed animo duntaxat. Quandoquidem ut primum ex his nubes imitatur, quæ ſiccæ & aquarum expertes ſunt; ſic poſtrema duo promiſſione deſtituuntur, niſi adſit animus beneficus, qui vel tum nobis prodeſt ad tuendam vitam & valetudinem, cum vires deſint, quibus, quod cupimus, exequi denegatur.

Denique animadverſione dignum eſt, animum munificum, & erga eos beneficum qui afflicti & calamitoſi ſunt, non tantum valetudinem intùs conſervare, ſed efficere. Porro ut vegetus & vivax quis ſit, & aſpectum non deformem habeat. Id enim notare videtur, quod dicitur animum ſanantem *carnem* vegetam & vivam reddere; quod ex oppoſ. membro poſt. hem. plenius perſpicietur: Quod etiam confirmatur Prov. 15. 13.

Putredo oſſium invidentia.] Nam cum mœrore & mœſtitia oſſa deſiccantur (ut Sal. alibi docet Prov. 17. 22;) mœror autem & animi angor perpetuus ſit invidentiæ & individuus comes, fieri nequit, quin invidentiâ deſiccentur & areſcant oſſa. Siccitatem verò neceſſario non ita multo poſt conſequitur putredo. Hic autem animi angor, quo cruentatur invidus, oritur ex animo ſibi malè conſcio; Primum quidem quod nihil eroget ad aliorum ſanitatem conſtituendam; deinde quod indignatur, quod alteri benè ſit & proſpere ſuccedat: quibus duobus, tanquam ſangui-ſugis & hirudinibus ita ſuccus corporis exhauritur, ut non modo pallor in vultu ſit, & macies carnem depaſcat & exedat; ſed porro oſſa ipſa veluti corporis fundamenta conſumantur: unde nulla ſpes reliqua eſt recuperandæ valetudinis amiſſæ, quæ tamen inſtaurari poteſt, cum vitium in carne tantum ſit.

Nulla enim buccella eſt, quam alius (cui invidet) comedit, quæ invidum non arrodit: nulla acceſſio divitiarum, cum illam

illam aut videat, aut famam de ea acceperit, quæ illum non pauperiorem reddat; nulla honoris cumulatio quæ illum quodammodo non deprimat, & minus honoratum faciat; denique nulla fœlicitas, quæ illum infœlicem non reddat.

Eſt enim invidia dolor ex alterius commodo naſcens. Ut veſtes tinea, & rubigine ferrum corrumpitur: ſic animus invidiâ: adeo ut invidus ſui ipſius carnifex exiſtat & αὐτοφονεὺς & αὐτοκτόνος. Quid quod ſibi ipſi incommodum ſponte acceſſet, ut alteri, in quem invidia perfuſus eſt, damnum afferat; atque adeo utrumque oculum ſibi erui non iniquè feret ut proximum uno tantum privari intelligat. Atque cum hic morbus pios Spiritu Sancto imbutos plurimùm infeſtet, ut in Joſephi fratribus, & Chriſti diſcipulis factũ perſpicimus, non mirum eſt, ſi impios hoc crimen admodum cruentet & tabidos reddat. Vide etiam quo in periculo David verſatus eſt æmulatione in improbos, ut facilius, quantũ ſit invidentiæ malum dignoſcatur.

Huic morbo ut occurratur, nobiſcum commentemur Deum pro infinita ſua ſapientia dona hominibus ea menſura, & varietate diſtribuiſſe, quæ optima eſt, & quæ nobis ipſis commoda & utilis eſt, dummodo ad Eccleſię corpus ſpectemus.

V. 31. *Qui opprimit tenuem, probro afficit opificem ejus: hunc autem honorat, qui gratiam facit egenti.*

In דל *(pauperem)* & אביון *(egenum)* eſt ſynecdoche ſpeci. pro omnibus afflictis, utpote viduis, pupillis, cæcis, mutis, deformibus, &c.

Summa & caput eſt, in pauperes clementia & humanitate utendum eſſe.

Deus omnem oppreſſionem & injuriam, cuicunque infertur, & à quocunque odio habet: ſed illam cumprimis, qua violantur hi, qui ſua impotentia & imbecillitate aliorum injuriis obnoxii & expoſiti ſunt.

Nemo enim in divitem, quod dives eſt, irruit, ſed plerunque ferè omnes in pauperes, & eos, quibus ad reſiſtendum vires deſunt incurrunt. Quamobrem Spiritus ſanctus hoc Proverb. propugnaculum extruit, quo homines ab injuriis pauperibus inferendis arceantur. Hoc argumentum luculenter tractatur Jacob. 2. & variis rationibus munitur. Prima eſt ab adjuncta perſonarum acceptione, à qua Deus alienus ſuos etiam ſibi conformes, & proinde ab ea longè remotos eſſe imperat. Secunda ratio eſt ducta à cauſ. effic. Dei ſcilicet amore in pauperum electione, quæ ſuos deberet ad eorundem amorem & exiſtimationem traducere. Tertia ratio ab effectis pauperum, qui illos nulla injuria afficiunt, quod arguitur ab adverſis, quod divites eos injuriis onerant. Poſtremo quod Dei nomen à pauperibus invocatur, quod amplificatur ab adverſa divitum blaſphemia. Sed hoc intereſt inter locum Iacobi, & Salom. quod ille de pauperibus piis ſtrictim loquatur; idque contentione facta cum divitibus à fide Chriſti alienis; hic vero noſter Propheta de pauperibus in univerſum ſermonem inſtituat. Ratio vero, qua hanc in pauperes contumeliam inhibere conatur, ab effectis ducitur, quod contumelia in pauperem in Deum redundet, cujus pauper eſt factura & opificium. Quod quidem opificium dupliciter intelligitur, id eſt, generaliter, quod ad Dei imaginem creatus ſit. Deinde ſpecial. quod Deus ſapienter oculatiſſima ſua rerum omnium adminiſtratione paupertatis onus his impoſuit, qui hanc paupertatis conditionem ſubeunt: quæ poſterior opificii acceptio videtur propriiſſ. huic loco convenire.

Pauper-

Paupertatem autem à domino immitti declaratur primùm generali axiomate; [non eſſe malum in civitate, quod non facit dominus, Amos 3. ſpeciali 1 Sam. 2. 7. dominus pauperem facit, & divitem reddit;] hunc deiicit, illum verò elevat. Cujus exemplum extat Job. 1. *Dominus dedit, dominus abſtulit*, &c. Et quanquam paupertas ſimul & divitiæ à domino, tanquam authore promanant profluuntque, tamẽ paupertas hoc uno videtur ad Deum magis referenda, quod in ea merè patiamur, ut ne voluntas quidem noſtra accedat: quandoquidem nemo lubens pauper efficitur: ſicut divitias nemo non expetit. Sicut igitur nemo ſine nefario ſcelere Dei creaturas creatoris ſententia & ore ſanctiſſim. collaudatas pravitatis, aut imperfectionis incuſat: ſic non minore crimine hoc opus divinæ providentiæ in vituperium trahat. Et ſicut nemo creaturam inſimulat, qui eadem opera in creatorem ipſum non aſſurgit: ſic etiam nemo pauperem inſectatur, qua pauper, qua cæcus, quin idem in Deum, qui providentia ſua hoc perfecit contumelioſus exiſtat. In mortali familia ſi cui paterfamilias humilem & abjectam conditionem attribuat, utpote ſeceſſus, aut latrinę purgationem, quis eſt, qui illi hoc probro det quin domini ſui offenſionem ilicò incurrat? quanto id fiet magis, cum Deus juſtiſſ. & ſapientiſſ. aliquem ad infimum locum detrudit? Quam autem indignè illud fiat, non facile cogitatu, nedum dictu eſt. Nam cum variæ cauſæ ſunt, cur Deus pauperem aliquem conſtituat, tum illa non eſt minima, ut te divitem ad gratiarum ei actionem excitet & acuat, qui hoc diſcrimen inter te & illum contulit. Summe ingrati animi labe non abeſt, te inde occaſionem Deum contumeliâ afficiendi arripere, ubi laudandi materiem & ſegetem amplam ſuppeditat. Huc accedit, quod ſe reum conſtituit graviſſimi criminis, dum hominem Dei manu percuſſum aliis & iteratis plagis affligit.

Quod ſi ipſe decoctione bonorum, aut ſegnitie iſtam paupertatem ſibi aſcivit, nihil impedit quo minus ſuæ improbitatis pœnas non nullas det ex probro & contumelia in eum conjecta. Nec enim tam à Deo, quam à ſeipſo contrahitur hujuſmodi paupertas: & proinde Prov. 6. 11. paupertas & defectus dicitur. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ut unicuiq; fas ſit in illum debacchari & os ſuum ſolvere; ſed iis tantum, quorum intereſt, & qui in eum authoritate aliqua præditi ſunt, aut neceſſitudine attingunt. Nam cum probro eum onerare vindictę, ſeu pœnæ quædam ſpecies ſit, id à quovis exerceri contra officium eſt.

Quemadmodum vero alii hoc Prov. ad modeſtam erga pauperes converſationem erudiuntur: ſic etiam pauper ad patientiam comparatur, dum hoc non aliunde, quam à Dei ſapienti, juſta (addo etiam miſericordi) providentia & adminiſtr. proficiſci cogitat, ob eamq; cauſam debere Deo etiam gratum ſe præbere. Quod ſi pauperi ipſi afflicto hoc officium, Dei ex ſua paupertate laudandi incumbat; quam indignum fuerit aliis, qui ejus paupertatem non ſentiunt, inde Dei blaſphemandi & contumeliis onerandi anſam arripere, unde ipſi cauſam Dei benedicendi accedit!

Prius hemiſtich. poſteriore confirmatur ab Adverſis. Nam ſi qui pauperi gratiam facit, Deum honore afficit, eum, qui illum opprimit, Deum contumelia afficere, conſequetur. In quo Spir. Sanct. nobis adverſus pauperis contemptum ſingulare remedium ſuppeditat. Nam ſi uſq; eo ſuperbia animum noſtrum inceſſit, ut pauperem indignum eſſe judicemus, qui à nobis honore aliquo afficiatur; tamen, niſi in Deum ingrati & impii eſſe velimus, neceſſe eſt, ut pauperis rati-

onem

tionem habeamus. Et inter mortales videmus infimorum, adeoq; (ut in Proverbio dicitur) canis viliſſimi curam geri, ſiquidem, cujus ſunt, honore & charitate complectimur.

Porrò notandum eſt, non dici eum honore Deum afficere, qui pauperem non opprimit, ſed qui illi gratiam facit. Nec enim ſatis eſt, ſi ab injuria & contumelia abſtineamus niſi συμπαθείᾳ quadam & commiſeratione illi laboranti opitulemur & ſubveniamus.

Verſ. 32. In malum ſuum impellit ſe improbus, recipit ſe etiam in morte ſua juſtus

Videtur in priori parte Proverbii eſſe ellipſis, במותו (*in morte ejus*) quod ſupplendum eſt ex poſteriori hemiſt. In במותו eſt ſynecdoch. pro gravi afflictione.

Caput & ſumma eſt, improbos, præſertim afflictos (atque ad hunc ſenſum doctrina, quæ ſequitur, eſt accommodanda) ſibi non neceſſaria mala accerſere: probos in malis, quæ neceſſariò obveniunt, nil damni accipere.

Improbis nihil prius & antiquius eſt quam ne malum aliquod pœnæ illos attingat, qui interim de malo culpæ ne gru quidem ſoliciti ſunt. Fit autem juſtiſſ. *Dei judicio* ut quæ pœnæ mala maximè abhorreant, illa eis obtingant, nec obtingant modò, ſed eorum peccatis tanquam propriis manibus mala in ſe attrahant, atque accelerent, Vid. Prov. 1. 31. & ſæpiſſ. in Proverb. & Pſalmis. Citius enim à corpore umbram, ab aſino ſcuticam ſepares, quam à peccandi indefeſſo ſtudio Dei vindictā. Sed hæc non eſt maxima eorum miſeria, quæ in eo verſatur, quod manu Dei percuſſi ſibi per impatientiam alia Dei punitione graviora in ſe accerſant, & ſui ipſorū carnifices ſint. Vide exemplum Nabalis ex metu incerto morientis, Saulis, qui proprio gladio incubuit, Achitoph. & Iudæ, qui ſibi mortē conſciverunt. Afflictiones enim cum ſint maledictiones ob peccatū immiſſæ, ex ſe & ſua natura mortiferæ & lethales ſunt, & aculeo ſuo homines uſque ad inferos pungunt & fodicant. Atque ſicut canes pedicis & vinculis conſtricti, dum ſe expedire conantur, arctius ſe conſtringunt & nodos duplicant: ſic improbi Dei compedibus compediti, dum excutere conantur, illas arctant, & adducunt magis. Quis ergo ſibi ab improborum machinationibus valdè metuat, qui ſibi ipſis ſuis illis artificioſè fabrefactis malis exitium & luem accerſunt? Aut quis inde animum abijciat, quod nullius Magiſtratus armatam in improbos manum perſpiciat, cum ipſi exitium parent, & ſui carnifices exiſtant? Quamobrem via ad pænam declinandum compendioſiſſ. eſt à peccato, tanquam à peſte refugere.

Improbi porrò, cum in medio malorum verſantur, ſua mala nunc in alios homines, nunc in fortunam, nunc in Deum ipſum derivant. Sed Spiritus Sanctus ſuorum malorum cauſam & ſemen in ipſis hominibus conſtituit & eos αὐτοκτόνους eſſe declarat. Aliquando enim peccata quæ admittunt, ejus generis ſunt ut acies, & mucro, quibus peccantes jugulantur, illis penitus adhæreat, ut in crapula, ebrietate, prodigioſis libidinibus &c. Nunquam vero, utcunque à periculo longiſſimè abeſſe videantur, atque adeo ſpeciem quandā præ ſe ferant præſidium aliquod & vitæ adminiculum afferendi; tamen ἔκδικον Dei ὄμμα, quod aſſiduè excubat, non patitur ſcelus illud inultum abire, ſed [cælitus ira Dei revelatur in omnem impietatem & injuſtitiam hominum.]

Juſtus peccata ſolicitè declinando eādem operâ peccati pænas effugit ad eum modum, ut quæ mala illi neceſſario ex

caduca hominis conditione obveniunt (cujuſmodi ſunt morbus & mors) nullum damnum afferant, ſed lucro potius deputentur, quod in illis afflictionibus ad Deum ſe recipiat. Quod omne fit ex ſolicito & experrecto ſtudio peccatum cui illa adjacent & circumſiſtunt, declinandi, dum per patientiam & conſolationem ſcripturarum omnem in morbis, & morte ipſa aculeum retundat. [Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.] Rom. 8. Hinc colligitur, quando potiſſ. nobis adverſus peccati inſidias excubiæ ſunt agendæ; tempore ſc licet crucis & afflictionis. Hinc etiam eſt, ut nobis hoc tempore precandi partes imperentur. Pſal. 50. & 1. Pet. 5. 8. 9. tum demum adverſarius noſter diabolus dicitur, tanquam leo rugire. Ob eamque cauſam ſobrietas mentis præſertim, & excubiæ præcipiuntur. Sicut enim beſtiolis tum maximè periculum imminet, cum leo fame confectus rugit: ſic nobis, cum adverſario noſtro nunquam non ſanguinis ſitientiſſimo annuit Deus, ut manum mittat & nos vel noſtra attingat.

V. 33. *In animo prudentis requieſcit ſapientia:* [*quod*] *autem* [*eſt*] *in ſtolidis, ſe cognoſcendum exhibet.*

In לב (*corde*) eſt meton. ſubject. quia in corde eſt ſedes affectuum. In תנוח (*quieſcit*) eſt metaph. tranſlata à rebus corporeis, qua deſignatur, prudentes, ſcientiâ animis firmiter retenta, eam non niſi opportunè & tempeſtivè proferre. In קרב (*medio*) eſt metaph. Quemadmodum enim qui in medio coronæ & cætus conſiſtens docet, is facilè exauditur & intelligitur: ſic prudens ita ſapientiã ſuam proponit, ut ab ignaris & imperitis quam commodiſſimè percipiatur.

Summa eſt, prudentem, cum ſcientiam labore paratam firmiter retineat, opportunis tempore & loco ſuam ſapientiam ad ſimpliciorum informationem expromere.

Primùm obſervandum, ſapientiam prudentis non conſiſtere in eo, quòd illam intelligat, quòd memoria illam retineat, aut etiam, quòd de illa loquatur & ſermonem habeat; ſed quòd illam amet & complectatur. Nam cor eſt ſedes affectuum. Hinc eſt quod Pſalm. 119. dicitur *verbum Dei in intimis animi ſui præcordiis reconditum & repoſitum eſſe*, tanquam ſemen bonum, quod tempeſtivè fructum fert; aut tanquam theſaurus undique circumtectus & abſconditus, ne furum & graſſatorum aut fraude, aut vi auferatur. Vid. Proverb. 10. 14. & 12. 23. Hinc etiam eſt, ut Apoſtolus 2. Theſ. 2. cauſam perfidiæ & apoſtaſiæ ab Euang. in eo ponat, quod veritatem amore complexi non ſunt. Nam ſiquis ſapientiam amet, eum illam intelligere & memoria retinere neceſſe eſt: non contrà, amare ſapientiam conſequitur eum, qui illam intelligentia & memoria comprehenſam habet.

Neque tamen ſapientiam ita reconditam aſſervat, quò minus eam opportunè in medium afferat. Nam diſertè dicitur Proverb. 10. 13. *in labiis prudentis reperiri ſapientiam.* Opportunitatem verò illam pervulgandi deſignat, ſcilicet cum incurrit in ſtultos & ſapientia deſtitutos, quibus parentis loco ex Dei mandato eſſe debet. Vid. Rom. 2. 17, 18, 19, 20. Non proſtituit margaritas ſuas porcis, qui illas pedibus proterent & proculcabunt; non canibus obijciet, qui in illum inſurgent. ſed neque his proponet, qui illo prudentiores eum accuratius inſtituere norunt; ſed illis potius aurem ad diſcendum, quam labia ad docendum accommodabit.

V. 34.

V. 34. *Iuſtitia exaltat gentem, probro autem [eſt] nationibus peccatum,*

In תרומם (*exaltat*) eſt metaph. à rebus corporeis,quæ graves pondere, vi tamen & viribus adjunctis,in altum attolluntur: ſic gens ſua natura ignominia deprimi nata, juſtitiæ tamen adminiſtratione &exercitio honorata,&velutiſupremo in loco collocata videtur.

Deut.28. 13. *Si parueris* &c.*ſtatuet te Iehova in caput non autem in caudam, ut ſis tantummodò ſuperior non inferior*; deinde v.12. *mutuo dabis, non accipies*, & Deut. 4. 6. etiam ipſis gentibus profanis populus intelligens & prudens & maximus videbitur.

Formula autem loquendi emphatica eſt,cum per proſopop. juſtitiæ veluti manus affinguntur,quibus natio plurimi fiat, & in ſublime elevetur.q. d. ut nemo hominum gentem hujuſmodi proſequatur, juſtitia tamen,quam exercet, non patietur illam neglectam & inhonoratam jacere. Tametſi enim Deus modo ſit,cujus manus hunc attollit,illum deprimit; ſintque mortales ad Deum debito ſuo honore privandum proclives, tamen ut omnibus magis innoteſcat, Deum mortalium non,niſi juſtitiæ interventu & adminiculo,quenquam honore proſequi; quod illius proprium eſt, ad juſtitiam, quæ illius duntaxat ancilla eſt,transfert, ut hac arte homines ab amore &ſtudio juſtitiæ averſos & alienos ad ejus oſcula & amplexus attrahat. Sic Deus, ut miniſterium Eccleſię à contemptu,cui perquã obnoxium eſt, vindicet, illi ſervandi homines virtutem & titulum attribuit,quæ tamen unius Dei propria eſt. Sicut enim Rex, ut filio ſuo gratiam apud populum, qui illum exoſum habent, & authoritatem conciliet, munera ſua, & beneficiorum omne genus non niſi per filium, tanquam mediatorem & advocatum confert: ſic nos Deus à juſtitia plus nimis averſos ad exaltationem illam quam cupidè ſatis ambimus, non niſi ex juſtitiæ obſervatione adſpirare voluit.

Hujus Proverbij veritas comprobatur hiſtor. Reg. & Chron. ubi quamque Rempub. Judæorum florentem videre eſt, ut quæque erat Iuſtitiæ, & æquitatis tenaciſſima. Sub Davide,ſub Sal. ſub Ezekiah &c. Quinetiam in Rebuſp.à Repub. Chriſti prorſus alienis, ubi umbra juſtitiæ & æquitatis potius,quam vera juſtitia culta eſt, tamen uſque eo juſtitiam Deus hominibus commendatiſſ. reddere voluit, ut fucatam illam & umbratilem non ſine præmio pacis, & proſperitatis externæ remuneratam abire paſſus ſit. Sicut enim Achabi jejunium, tametſi impium & ſuperſtitioſum, Deus magna mercede compenſavit,ut ad verum jejunium colendum homines invitaret: ſic Deus ut oſtendat quanto quamque ſolido honore veræ juſtitiæ ſtudium ex puro corde profectum cumulaturus ſit, ejuſdem larvam in externa aliqua executione poſitam, præmiis non contemnendis afficere ſolet.

Hujus autem doctrinæ quam neceſſarius uſus ſit, declarant ſatis mortalium animi hoc errore impliciti & irretiti penitus,ut exiſtimẽt, nullum eſſe ad honores aditum, niſi ſi mentiantur, ſimulent,diſſimulent,adulentur, & veluti ex ipſis fraudibus facti & concreti ſint. Quod quid aliud eſt, quam diabolum munerum, dignitatum, & honorum diſtributorem conſtituere; qui, cum horum vitiorum author ſit,eorundem remuneratorem eſſe neceſſe eſt?

Quod ſi juſtitia gentem in altum ſubvehat atque ſuſtollat,nedum unum hominem honore cumulabit. Si enim juſtitia gentẽ in excelſum efferat,quæ nunquam

ita perpurgata & defœcata eſt, quin multos improbos conjunctos habeat qui ſuum injuſtitiæ virus intus incluſum tenent; nedum eum, qui juſtus eſt, & æquitatis cultor. Et ſi Deus ſpecie quadam externa apparentem juſtitiam ſine corona non dimittat, nedum ſinceram & infucatam corona donabit.

Superiorem partem Proverbij ex adverſis confirmat; quod peccandi ſtudium gentem, quantumvis amplam & numeroſam, lateque dominantem probro exponit, ut vel in Proverbium abeant, & à prætereuntibus ſibilo excipiantur, aut etiam in exemplum ultionis divinæ ſtatuantur. Vide Deut. 28. *erunt in cauda, non in capite; erunt in imis, non in ſupernis; accipient mutuò, non dabunt.* Hujus exemplum vide in 5. civitatibus propter inuſitatam terræ feracitatē ſine dubio, populoſiſſ. Vid. hiſtor. inſignem de tribu Benjamin ob violatam Levitæ uxorem penè deletam. Iudic. 19. 20. Item c. 1. lament. Ier. ubi Iudaici regni latè longeque olim dominantis luctuoſum excidium deſcribitur. Vide Tit. quomodo Cretenſes probro *mendacij*, & Act. 17. Athenienſes curioſitatis nota denigrantur. Quod ſi Deus amplas gentes ob peccata exterminat, nedum familias: & ſi has, inter quas tamen boni aliqui permiſti ſunt (ut in Dā. libro liquet,) quāto minùs parcet improbo, in quo nihil boni eſt, quod Dei juſtam ultionem remoretur & retardet?

V. 35. *Benevolentia regis erga ſervum intelligentem, furor autem ejus [erit] contra pudefacientem.*

Ellipſis eſt in priore parte verſus quæ ſupplenda eſt ex contrario מביש (*pudefacientem*) quod eſt מכבד (*honorans*) ellipſis item altera eſt in poſt. hem. ex contrario משכיל (*intelligens*) quod eſt כסיל (*fatuum.*) Altera eſt in verbo ſubſtantivo, quod in poſteriore expreſſum, in priore ſubintelligitur. Denique, ל nota dativi caſus præpoſitum עבד (*ſervus*) in poſteriore intelligitur.

Summa eſt, ſervi conditionem non eſſe adeò abjectam, aut contemptam, quin benefaciendo magnam mercedem, & malefaciendo grave damnum in ſe acceſſat, attrahatque.

Cum parentis ambitu & complexu in 5. mand. comprehendantur Reges, Domini &c. ſub filiorū acceptione & comprehenſione contineri etiam ſubditos, ſervos &c. conſequitur. Quamobrem ſicut filiorum eſt parentum honorem procurare, ſic & ſervorum eſt providere ut ita ſe gerant, ut inde ad heros redeat honos. Ad quam rem præcipuè movere debet conſcientia in Deum, qui cum hoc imperat, tum verò obſequij à ſe imperati munificus remunerator exiſtit, nec ſinit eos ſine juſto præmio abire, qui in officio erga heros manent. Sed & illud eorum alacritatem exacuere, & ſegnitiem corrigere debet, quod hoc loco promittitur fore, ut in deliciis ſint hero. Deus enim qui hoc promittit, hominum corda regit, & illa pro arbitratu, flectit, reflectit; ducit, reducitque. Quod ſi Reges, quibus tanta copia & ſatietas deliciarum ſuppetit, in mancipio adeò oblectantur, ut in illo penè acquieſcant; quidni idem multo magis ab iis expectemus, quibus tanta deliciarum & delectationum abundantia non ſubeſt?

Reges & Domini admonentur etiam ſui officij, ut ſint erga ſervos ſuos animo planè paterno, ut non ita liberos arctè complectantur, ut interim ſuos ſervos ſpernant, & contemptui habeant; nec majorē ſervorū ſuorum rationē habeant, quam bovis, aut equi, quos ideò paſcunt, ut benè paſti commodiùs illis ſubſerviant. Quod enim in univerſum dicitur, Deum

Deum eligere res viles & contemptas, quarum miniſterio res magnas efficit; id hac in re verũ comperitur. Vid. exempl. ancillæ Naamani, & ſervi ejus 2. Reg. Vide etiam Ioſephi cum in Putiph. familia, tum in Phar. aula; item Dan, & ſociorum ejus, qui illud pro Rege effecerunt, quod nullus ex patria natione efficere potuit. In eiſdem illis, ſi Naamanum excipias, videre eſt, quomodo ſervi Regibus & heris ſummo & emolumento & oblectamento fuerunt. Quod quidem cum factũ ſit ab heris alienigenis & (quod magis eſt) à Deo alienis, quidni illud expectent ſervi ab heris, qui concives ſunt ex eodem populo oriundi, & Deum timentes? Hic Saulis exemplum memorabile eſt; qui, cum in Davidem ſervum bene meritum ingratus & malevolus extitit, tamen Deus ita mirificè omnia rexit, ut illis ipſis conſiliis, quibus mortem ejus machinatus eſt, illum honoratum reddidit? ut cum generum adlegebat, & toti exercitui eum præfecit. Huc referendum eſt, quod eſt in lege præceptum heris in mancipiorum ſuorum manumiſſione, ut illos inanes non dimittant; ſed eos onerent benedictionibus, quibus Deus heros locupletaverat.

Hic ſi quæratur, quis ſit ſervus intelligens, Reſpondeo, ſervum Dei timentem. Primum enim qui timore Dei imbuitur, aliis donis Dei, præſertim aliqua in rebus gerendis prudentia non deſtituitur. Vid. Pſal. 119. ſ. 13. ubi David ſe ſuis hoſtibus, ſenioribus, præceptoribus prudentiorem affirmat hoc uno, quod doctrinæ Dei amore captus aſſiduè in ea meditatus ſit. Deinde timor Dei veluti ſtimulus eſt, quo ad officium exſequendum impellitur. Denique Dei benedictio, quæ cæptis noſtris ſucceſſum optatum tribuit, piorum ſervorum conatus provehit & ſecundat. Hinc eſt ut David Pſal. 101. eos ſibi in ſervos adlegendos fore profiteatur, qui Deum timent,

Sicut autem prudens ſervus Regem honorando Regis benevolentiam colligit: ita ſtultus cum ſe, tum Regem pudefaciendo, ejus ferventem & exundantem iram incendit. In quo illud perſpicitur, quantũ damni quis ſuſtinet è ſtulto, ſeu improbo ſervo. Ejus enim perverſitas & inſcitia tanti eſt, ut poſſet non ſe tantum, ſed ipſum Regem dignitatis, & majeſtatis plenum pudore ſuffundere. Vid. Exemplum Geheſi. Hammonis. Zibæ.

CAPUT XV.

V. 1. *Reſponſio mollis avertit excandeſcentiam: verbum autem moleſtum excitat iram.*

In מענה רך (*reſponſio mitis*) eſt ſynecd. part. pro omni oratione, quæ adhibetur ad ſedandum furorem, ſeu excandeſcentiam. In דבר (*verbum*) eſt item ſyn. part. verbi pro integrâ oratione.

Summa eſt viam commonſtrare, qua præceps & temeraria ira cohibeatur.

Cum [ira hominis juſtitiam Dei non operetur.] Iacob. 1. 20. operæ-pretium eſt rationem inire, qua tam noxiæ & effreni beſtiæ lupatum injiciamus, ne in nos inſurgens ſuo nos dente mordeat. Cujus quanta vis ſit in uno Lamecho pervidetur; Gen. 4. 23. ſed in Ham. magis, qui ob offenſam ex uno Mardoch. iratus totam Judæorum nationem funditus evertere voluit. Eſt. 3. 5, 6. Multa autem cum ſint, quæ huic rei inſerviant, tum nihil eſt, cujus in hoc negotio major, aut frequentior uſus ſit, quam linguæ, quæ ad illam vel efferendam, vel cicurandam plurimùm valet. Cujus rei documentũ præbet,

quod ira, quantumvis accenſa & fumigans, molli tamen & manſueta oratione reſtinguatur. Hujus rei veritas primò ſimilitudine adumbratur. Nam tametſi alienum videatur, ut ira, quæ dura eſt Gen. 49. 7. à molli reſponſo recluderetur, tamen videas globos ſeu ferreos, ſeu lapideos à tormentis, ſi in rem duram incidunt, aut frangere, aut frangi, contra ſi in pulverem, aut lanam torqueantur, eorum ictus retunduntur, & abſque damno reflectuntur. Hujus rei exemplum extat in Davide, qui ira in totam familiam Nabalis accenſus placida & manſueta Abig. oratione ita liqueſcebat, ut agno ipſo manſuetior factus ſit. Hujus mollis reſpõſionis vis & energia magis elucet in hominibus ſuperbis, cujuſmodi erant Ephrajimitæ Iudic. 8. 1. 2. 3. Quinetiam in ipſis reprobis, tanquam ſilicibus tanti momenti eſt, ut illos etiam ira furentes ſubegerit, & tanquam in gyrum rationis compulerit.

Sunt quidem monſtra & prodigia hominum potius quam homines, qui molli oratione non manſueſcant; ut in proditore conſtat, Matt. 26. 15. quorum perdita malitia quaſi præteritione hic à Salomone notatur.

Quod ſi verbis mollioribus ira miteſcat, quanto magis beneficiis? Et primum quidem videas ira furentes hoc ipſo cum infenſiſ. hoſtibus rediiſſe in gratiam, quod malo affecti non ſint ab his, quorum in poteſtate erat, eos lædere. 1. Sam. 24. 17. & 26. 21. Quanto magis conciliabuntur, ſi etiam beneficio afficiantur? Rom. 12. 10. Gen. 32. 33.

Hoc arguitur ex poſt. hemiſtichio ubi quemadmodum ſuperiore parte Proverbij docetur iram excitatam & accenſam ſermonis dulcedine reſtingui: ſic hoc loco docetur, ibi, ubi nulla ira erat (imò verò ubi etiam conjunctio animorum obtinuit) iram accendi ſermone duriore & mœrorem afferente. Ubi notandum eſt, tantam eſſe in animis hominum ad iram proclivitatem & propenſitatem, ut vel uno vocabulo, & veluti ſyllaba una, addo etiam, ſolo nutu & vultu homines irritentur congruenter Proverbio noſtro: *A word and à blow.* Hujus rei vide exemplũ Iudic. 12. 1. 4. 6. ubi ob unum verbulum, ſeu probrum erronum 42000. interfecti ſunt, item 1. Sam. 1. 25. 10. 11. &c. Quod ſi ob verbulum, nedum ob maleficia & verbera.

V. 2. *Lingua ſapientum bonam profert ſcientiam: os autem ſtolidorum eructat ſtultitiam.*

In לשון (*lingua*) & פר (*os*) eſt metony. cauſæ. In יביע (*eructat aut ebullit*) eſt metaph. à ſcaturigine, quæ magna copia & impetu aquas ebullit. In אולת (*ſtultitiam*) eſt metonym. adjuncti pro inſipientibus verbis.

Summa eſt, longè maximum diſcrimẽ ſapientis & ſtulti eſſe in ſermonis uſu.

In ſtulti ſilentio (ut inquit Salomon) non diſcernitur ſtultus à ſapiente, ſed in ſermonis uſu mirificè differre deprehenduntur. De ſapientibus autem affirmatur, eos ſermone rem, de qua ſermonem inſtituunt, bonam facere, ſeu ornare. Nam priuſquam os aperit, prius ſecum & cum animo ſuo conſiderat, quid, & quomodo loquendum ſit. vide Exod. 3. 13. Ori enim ſuo cuſtodiam apponit, & Dei timorem veluti labiorum ſuorum janitorẽ conſtituit, qui verbis in medium proferendis veniam non facit, niſi ſe prius ad ſanæ rationis normã conformes eſſe probaverint. Expendunt enim an locus, an tempus opportunum ſit; hominum ingenium, apud quos dicunt, reputant verba etiam ſua ad lancem, vel potius ad ſanctuarij ſtateram exigunt; & an hæc, an illa

illa ad rem, quam parant, aptiora ſint, diſquirunt: rem laudaturi ita ſe, & ſermones ſuos componunt, ut virtutis dignitate nihil indignum dicatur; nec quicquam illi decedat, quod illi jure competit. Quod ſiquis excipiat, aliquando ſapienti incumbere ex vocatione de re vitioſa ſermonē habere, quam nemo bonam & laudatam reddat oratione artificioſiſſimè inſtructa; Reſpondeo, bonam illam cauſam fieri, cum rei turpitudo vivis coloribus ad ejus odium & deteſtationem depingitur. Sicut enim gnarus pictor non minorem artis ſuę laudem meretur deformitatem alicujus expreſſe, & vivis coloribus effingendo, quam alterius pulchritudinem repręſentando: ſic non minorem ſapientiam in dicendo prodit, qui vitia pro merito deprimit, quàm qui juſta & debita laude virtutem extollit. Atque in ipſis maleficiis pertractandis norunt illa vel exaggerare, ad reſipiſcentiam ingenerandam, aut prudenter modificare, ne peccatores abſorbeantur. Cujus exemplum vide eximium in Ioſepho Gen. 50. 20. &c. Huc ſpectat quod Apoſtolus tradit. Col. 4. 6.

Os autem ſtultorum eructat) effutit quicquid in buccam venerit ſine omni delectu. Sicut enim aqua ex ſcaturigine fluens magna vi & cum ſumma celeritate erumpit: ſic ſtultus abſque delectu loci, temporis, perſonarum, quicquid in mentem venit, ſine omni commentatione profundit. Bonam cauſam tractatione inſipiente malam quodammodo, malam pejorem reddit. Quod ſi quid proferat, quod bonitatis in ſe aliquid continet, tamen perſonarum, temporis, loci circumſtantia prӕterita neglectaque, bonum illud evaneſcit, & inſipidum fit.

V. 3. ***In omni loco oculi Iehovӕ [ſunt,] ſpeculantes malos & bonos.***

In עיני *(oculi)* eſt metaphor. ubi oculi ſumuntur pro ſcientia, ſeu providentia Dei. In צופות *(proſpicientes)* eſt item metaphor. tracta ab his, qui in ſpecula conſtituti ſunt, ut excubias agant, & proſpiciant, quid extra urbem fiat.

Summa eſt, nihil eſſe omnium quӕ in mundo fiant, quod providentiӕ divinӕ ambitu non comprehendatur.

Cum Angeli Dei creaturӕ pleni oculis cum à fronte, tum à tergo apud Ezeck. deſcribantur, in Deum creatorem multo id magis convenit, qui non tam plenus oculis, quam totus (quantus quantus eſt) oculus. Quod porro ſpeculari dicuntur ejus oculi, eo deſignatur, Deum, ſicut eſt oculatiſſimus ſic in hoc incumbere, ut omnia pervideat. Quanquam enim Deo opus non eſt ulla contentione virium uti ad res humanas pernoſcendum, nec loci altioris adminiculo, unde omnia & ſingula uno intuitu aſpiciat, tamen ad noſtram ſocordiam & inertiam expergefaciendā, ſcriptura illi ſpeculatoris partes attribuit, & illum in cœlis editiſſimis, tanquam in ſpecula collocat; unde etiam deſcendere dicitur ad cauſarum graviorum cognitionem, Gen, 11. 18.

Hinc eſt, quod Pſal. 121. dicitur *Deus ne dormitare quidem, nedum dormire.* Quāquam enim ſpeculatores etiam vigilantes aliquando dormiant, ſaltem dormitent, tamen in Deum hoc non cadit. Nec momento caret, quod dicitur eum in omni loco excubias agere. Speculatores enim non niſi uno loco conſiſtunt, unde aliquot miliarium ambitum ex ſpecula proſpiciunt; aut ſi in diverſis locis excubias agant, tamen illud per temporum vices faciunt. Deus autem ſemel & eodem momento omnibus in locis ſpeculatorium munus exercet. Deniq; cum ſpeculatores ſuum officium faciant, & indicium prӕbent eorum, quӕ ab ipſis aliquo locorum intervallo remota ſunt, unde acies oculorum aliquando

aliquando fallitur, præſertim ſi nubes, aut caligo intervenerit: Deus omnibus in locis præſens eſt, & rebus ab illo perceptis adeſt, cum omnia in illo ſint, & ille in omnibus; ob eamque cauſam nequaquam errare, falli, aut decipi poteſt. Præterea cum Dei providentia res omnes complectatur ſuo complexu, tamen Propheta κατὰ περιοχὴν Dei excubias quodammodo ad homines reſtringit, propter diligentē & exquiſitam, quam de illis habet inſpectionem: nec minus improbos intuetur, ut illos puniat; quam bonos, ut illos præmio afficiat. Vide Pſal. 139. à verſ. 7. ad 14.

Hujus Proverbii uſus eſt 1. adverſus eos, qui omnia fortuito & caſu fieri & evenire dicunt, aut naturæ quodam inſtinctu rebus indito inſitoque,

2. Maximè vero improborum blaſphemiis occurrit, qui dicunt *Deum non videre*, id eſt non admodum curare, quin ad illorum maleficia connivet, & reſipiſcentiam præſtolatur; nec ad ſingula eorum ſcelera fulmina ſua è cœlis vibret. vide Pſal. 10.

3. Deinde ut piorum infirmitatibus ſubveniat, quorum mentes (quod diutiùs in malis jacent) hæc cogitatio ſubit; Deū non tantam ſui curam agere, quantam verbis & promiſſis gratuitis ſe curare profitetur. Unde querelæ frequentes; Deum ſurdum agere, & faciem ſuam abſcondere oblitum eſſe miſericordiam præſtare.

4. Hoc etiam nos doceat, ne quid improbum in angulis, aut in penitiſſim. locis, abſtruſiſſimiſq; faciamus, quod in mediis plateis, & coram ſole non faceremus.

V. 4. *Curatio linguæ, arboris vitæ [eſt:] perverſitas autem ex ea, velut confractio à vento.*

In לשון (*linguâ*) eſt ſynecdoche part. & metony. ſubject. in עץ חיים (*arbor vitæ*) metaphora eſt ducta ab arbore vitæ, quæ vitæ perennis in Adamo conſervatrix futura fuiſſet, ſi in obſequio Dei manſiſſet. Item in מרפא (*ſanans*) metaphora à medicina. Item רוח (*ventus.*)

Summa eſt, penes linguam eſſe, prout affecta eſt, magnum vel commodum languenti, vel damnum valenti importare.

Magni eſt hominem corpore graviter ſauciatum veteri ſanitati reſtituere, & chirurgia, qua hoc beneficium præſtatur, merito plurimi fit: medici periti, qui corpus morbo debilitatum priſtinæ valetudini reddunt, pluris æſtimantur: nec injuriâ. Quanto igitur magis magni æſtimanda eſt lingua pii viri, qua animus vulneratus & quaſi trāsfixus perſanatur; imo qua ſimul & corpus & animus labantes ſuſtentantur? Sæpe enim fit, ut, animo icto, corporis valetudo per ſympathiam cum morbo conflictetur, unde etiam fit, ut animo recreato & corroborato, eadem opera corpus convaleſcat, & valetudinem recuperet.

Animi morbus duobus modis contrahitur, aut peccati reatu & conſcientia, qua inquietatur & irrequietus manet; aut pœna peccati & afflictione, quam Deus immittit. Vtrumcunque vero horum hominem infeſtat, ejus remedium & medicina à lingua petitur. Vide 2. Theſſ. 5.14.

Hoc vero cum omnibus piis commune eſt, tùm vero Dei Miniſtris ſingulari quadam ratione competit. Illorum enim lingua, veluti officina aromatoria, ſeu pharmacopolium eſſe debet, unde medicamentum omne genus petendum eſt, cum διαφυλακτικὸν, tum θεραπευτικόν. Vide Iſaiam, ubi dicitur, *Prophetam noſſe verbum in tempore proferre, quo laſſos defatigatos recreet*. Vide etiam c. 57. 22, 23. Item 61. 1, &c. Luc. 4. 8. Job. 33. 22, 23, 24, 25.

Poſteriore hemiſtich, hoc confirmatur ab

ab adverſis, quod plaga à lingua virulenta impoſita læthalis eſt; & hominem perfringit, non ſecus quam ventus vehemens Job.8.2.arbores,& ipſa robora ſuo impetu dejicit diruitque, idque ineluctabili quadam ratione, cui nullus obviam eat. Nam à gladio & lancea hoſtis quis caveat; ſed à linguæ ictu, qua quis cum procul petitur,tum etiam clàm & occultè,quis cautum agat? Unicum contra linguæ ictum eſt, Deum precari ut ille nos tectos reddat à linguæ flagello, ut Pſal. 120. *Domine,libera animam meam à labio mendacij & lingua doloſa*: maximè verò à virulenta lingua Pſeudo-prophetarum.

Et quoniam juſto Dei judicio fit,ut qua menſura metimur aliis, eadem remetietur nobis, danda opera eſt, ne nos alios lingua vulneremus.

Certamen igitur ſit linguæ ſanæ & medicantis cũ venenata,ne hæc plus poſſit ad mortem,quam illa ad vitam.

V.5. *Stultus ſpernit eruditionem patris ſui, qui autem obſeruat correptionem, valdè aſtutus* [*eſt.*]

In אביו(*patris ejus*)eſt ſynecdoch. ſpec. pro his,qui præſunt.Item in ינאץ (*rejicit*) pro omni abjectione, ſive per contemptum,ſive per neglectum,ſive per odium. In יערים(*prudens erit*)eſt metaphor.ducta ab his, qui nudi ſunt, qui ſe in omnes partes verſant; ſic qui prudens eſt prout opportunum eſt tempore, loco &c ſe accommodat.

Summa eſt inſtructionis & caſtigationis amplexatione, vel abjectione internoſci probum ab improbo.

Naſcimur ſtulti, & veluti pulli indomiti, Iob.11.Nam ut illi ad uſus hujus vitæ inutiles ſunt: ſic nos ad res cœleſtes inepti. Sicut autem pulli domitoribus ad cicurandum traditi manſueſcunt & ad humanos uſus commodi redduntur: ſic homines eruditione & correctione ad frugem comparantur. Sed ſicut pulli inveniuntur adeò refractarii & calcitrones, ut citiùs ſibi exitium & mortem acceſſant,quam ut ſe domari patiantur: ſic inveniuntur homines, qui extrema quæque pati malint, & ſe in barathrum inferorum præcipites dare, quam in gyrum & normam divinæ voluntatis compelli compingique.Quamobrem natura morio, & ſtultus inſtructionis & correctionis recuſatione duplo ſtultior, vel potius inſanus efficitur.

Quod autẽ ſpernere dicatur eruditionem & caſtigationem, eo inteligit omnem eruditionis &c. rejectionem ſive per odium,ſive per contemptum,ſive per incuriam, ſive per ſocordiam; denique qui eam non amat. Nam is ſolus ſapientis nomine dignus habetur,qui erudit, & caſtigat, amat. Qui igitur argentum, aut aurum,præfert, nedum voluptatulam ſuam pluris æſtimat, is ſpernit, &c. Tametſi enim correctio & caſtigatio in ſe nõ ſunt tam expetendæ,tamen ob pretioſum fructum ſapientiæ, quem affert, plurimi facienda eſt. Vide Prov.3. 11 12,13, 14.

Amplificant autem hanc ſtultitiam à ſubject.ejus,qui erudit & caſtigat;patris ſcilicet cujus eruditio & caſtigatio cum ob ſingularem authoritatem, tum verò interiorem amorem unde promanat, grata filio præſertim & accepta eſſe debet. Atque hac loquutione deploratam ſtulti illius conditionem deſignat. Nam ne patris quidem ſui bene monentis & moderatè caſtigantis eruditionem & caſtigationem admittit. Nullius certè alius inſtructionem & correctionem æquo animo feret; non admittit ſocii & fratris, nedum ejus, qui illo inferior eſt. Vide exemplum Sodomit. Geneſ. 19.9. Nabalis.1.Samuel.25.& 2.Chronic.24. 20.21.& 2.Chron.25.14,15,16.

Quanquam ſtultitia hæc adhuc major eſt, quod non tantum patris authoritatem aſpernatur, ſed Dei ipſius imperium repudiat. Vide Prov. 3. 11.

Qui ſervat redargutionem cum memoria eam retinendo, tum factis exprimendo, is demum prudens & aſtutus eſt, vel aſtutum ſe præbet, vel ex aſtutia & prudentia, qua præditus eſt, alios prudentes facit: ſicut ſtultus ſtultitia ſua alios inſipientes reddit.

Obſervandum eſt, prudentiam & ſolertiam definiri, non eo, quod quis eruditionem accipit, ſed quod redargutionem & caſtigationem admittit. Videas enim plurimos, qui doctrinam pietatis & virtutis avidè primum arripiant, qui iidem, poſtquam ob vitæ ſuæ corruptelam acerbiùs punguntur; maximè verò cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritatem, & ſalutarem cenſuram ſubire oporteret, ilicò offenduntur & jugum domini excutiunt. In hoc genere ſunt etiam hi, quibus Chriſtus Math. 13. notam impietatis inurit, qui exoriens & illuceſcens Euangelium cum gaudio amplexantur, poſt tamen cum Sol perſequutionis incaleſcit, protinùs deficiunt. Atque hi non diſſimiles illi ſunt, qui ampli ædificii ſtructuram in ſe ſuſcipiens, nec tamen ſumptum ſecum, & cum animo exputans, poſt cum pudore nondum abſolutum & conſummatum ædificium inchoatum opus deſerit, operamque & oleam perdit. Contra vero prudens vel inferioris & abjectioris cum eruditionem, tum etiam caſtigationem non recuſabit. Vide Pſal. 41. 5. ubi David magni æſtimaturum ſe pollicetur cujuſpiam redargutionem modo juſtam. Vide exemplum Naamanis, qui in ſervi redargutione acquieſcit, 2. Reg. 5. 2. & Gen. 20. 16. Quicunq; enim is eſt, & qualiſcunque, qui coarguit, ipſam à Deo caſtigationem manare, verè & prudenter judicat.

Qui autem obſervat redargutionem & caſtigationem quin idem doctrinam & inſtitutionem obſervaturus ſit, dubitari certè non debet; quod tamen è converſo non ſemper conſequitur.

V. 6. *In domo juſti robur* [*eſt*] *magnum: at proventus improbi, conturbatur ex ſeſe.*

Videtur eſſe metatheſis propoſitionis ב propter verſum poſtpoſitæ: videtur proponenda voculæ בית in initio verſus: ubi eſt etiam ſynecdoche domus pro domo, & tota domus ſupellectile, vel potius metonym. ſubject. ex oppoſito membro.

Summa eſt; ſtabilem modò poſſeſſionem eſſe juſtè partorum.

Sicut de parandis divitiis multum curæ & laboris ponitur; ſic ad illarum conſervationem plurimum deſudatur. Unde peſſulorum, ſerarum, & vectium, parietum, pontium, &c. varius uſus, quibus domus adverſus furum fraudem & graſſatorum vim & impreſſionem munitur. Lateres etiam & lapides contra incendii periculum comparantur. Sed omnium firmamentorum nullum majus aut ſtabilius inveniri, aut excogitari poteſt, quam cum juſte acquiſitæ divitiæ à juſto domino poſſidentur. Juſtitia enim domini inſtar omnium horum eſt; & hæc omnia firmitate & ſalva cuſtodia ſuperat. Unde etiam juſti taberna, tygurium, & tentorium ad omnem adverſam & noxiam vim propulſandam plus virium habet, quam improborum robuſtiſſimum & firmiſſimum palatium, arces, propugnacula: juſtorum papyracei parietes improborum ferreis & æneis; illorum ſtraminea tectorum integumenta horum laminis ac tegulis; illorum ligamina horum ſeris & peſſulis. Cujus ſi cauſam quæris, illam tibi indicabit, invidiosè quidem, ſed verè tamen & ſcripturæ

ſcripturæ ſacræ congruenter, ipſe Satan, Iob.1.11. Hujus rei exemplum videas in Patriarchis, Abrahamo, &c. qui, cum in tentoriis habitarent, eſſentque toti mundo exoſi, tamen Deus non eſt paſſus, ut illis mali aliquid obtingeret: & Iſraëlitæ, cum in deſerto ſub tabernaculis habitabant, tamen &c. Vide *Pſal.* 90. Item vide locum, ubi promittit Deus, ſe ſuis à circumſiſtentibus hoſtibus protectioni fore, cum Hieroſolyma omnes mares ex lege proficiſci tenebantur.

Divitiæ vero, ſeu vectigalia improborum; præterquam quod præda ſunt graſſatoribus (qua de re vide multa in Iobo) ipſæ ſua ſponte, ut nullus manus injiciat, liqueſcunt. Vide Haggæi 1.6. vide etiam Iob. ubi eorum domus *aranei telæ* comparantur. Vide etiam Proverb. 10.2.

V.7. *Labia ſapientum ſpargunt ſcientiam: animus autem ſtolidorum, quod abeſt à recto.*

In שפתי (*labia*) eſt ſynecd. uſitata. Item in לב (*cor.*) In poſteriori parte eſt ellipſis verbi יזרו, quod eſt in priori parte. In יזרו (*diſpargunt*) eſt metaphora petita à ſatoribus, qui ſemen in cultos agros diſpargunt.

Summa eſt; à piis bona, ab impiis mala cum intùs, tum foris abundè provenire.

Mundus, ſeu homines in mundo ſunt veluti ager, Matth. 13. cujus colendi, ſubigendi & ſeminandi præcipuum & penè unicum inſtrumentum ſunt linguæ, ſeu labia hominis: Coloni ſunt Deus, qui emittit pios, qui bonum ſemen pietatis & juſtitiæ ſpargunt; & diabolus, qui impios exſuſcitat, qui zizania diſſeminent. De piis hoc loco affirmatur, eos ſpargere ſcientiam. Quo primum indicatur, omnia plena eſſe inſcitia & ignoratione Dei: pios verò pretioſum ſuum ſemen ſcientiæ exportare, quod in ſulcos & porcas humani cordis plena manu jactent. Tametſi enim dicuntur apud ſe ſapientiam recondere, & eam non, niſi opportuno loco & tempore expromere; tamen non ſunt in Agricolarum illorum numero cenſendi, qui ventos & nubes obſervant, & difficultates non neceſſarias, & pericula non extimeſcenda ſibi proponunt; ſed minimam opportunitatem loquendi & docendi nacti illam arripiunt, ſucceſſum & eventum ſationis Deo permittentes, ſpe bona ſe ſuſtentantes, fore, ut Deus illorum labori benedicturus ſit: imò verò confidenter, & indubitata fiducia perſuaſi ſunt, non deperiturum ſemen bonum, quod jecerint. Nam præter diſcrimen hujus ſacri ſeminis ab iſto terreno longè maximum, hoc etiam intereſt, quod, cum ſementem hanc aliquando nulla meſſis excipit, illam tamen cœleſtem ſementem ſemper meſſis ſequitur, quę & ad Deum, & ad ſatorem redit. *Eſt enim Deo in Chriſto ſuavis odor his quidem ad mortem, illis verò ad vitam.* Quamobrem ſi Agricolæ liberrimè & cupidè ſuum ſemen jactent in terram; quidni nos hoc noſtrum? Hinc eſt, quod Elihu verba ſcientiæ ſuæ comparat vino muſto in utribus, unde diſrumpi utres neceſſe eſt, niſi ſpiraculum ſit, Iob. 32. Vide etiam Ierem. 15.10. & alibi, ubi docet, *verba Dei inſtar ignis & prunarum fuiſſe*, ut nō potuerit illa cōprimere.

Eſt autem in prima parte Proverbii ellipſis integræ ſententiæ, ſive axiomatis; nempe ſapientes ſcientiam intùs apud ſe, & cum animo ſuo verſare, & animum eorum ſcientiam quodammodo ſpargere. Quemadmodum enim Agricola, priuſquam ſemen ſuum in agrum exportat, illud domi & intùs ventitat, cribrat, & à zizaniis & aliis frumenti vitiis expurgat: ſic vir ſapiens primum ſecum, quid loqueretur, expendit, ut verba pura & defœcata ſint, quæ gratiam auditoribus conferant.

In poſteriore hemiſtichio quæri poteſt; cur ad plenam antitheſin conſtituendam non dicat potius, labia ſtultorum ſpargere, quod rectum non eſt, quam cor, aut animum? Cui reſponſum aptari poteſt, quod improbi ſæpe ſuo commodo ſimulent pietatem, & improbitatem, ſeu inſcitiam ſuam diſſimulent, cum animus nunquam non, & ſine omni intermiſſione, quod impium eſt, cudat, & verſet, & tum maximè, cum verba pietatem & juſtitiam præ ſe ferant. Verba enim mellita & oleoſa ſunt, cum intus & in animo bellum ſit & lanceæ. Vide Pſa. 35. 15, 16. & Gen. 37. 35.

Hinc liquet, animum improborum veluti officinam eſſe & receptaculum omnium malorum, tanquam barathrum eſſe refertum anguibus, viperis & ſerpentibus impiorum cogitationum, & conſiliorum exitialium. Quod quidem non premunt intus & apud ſe. Eſt enim illis hoc grave & moleſtum. Neque excidere poteſt illius ſententiæ veritas, quam protulit Chriſtus: *ex abundantia cordis os loqui*: Vide Math. 12. 34, 35.

V. 8. *Sacrificium improborum, abominationi [eſt] Iehovæ: oratio autem rectorum, accepta [eſt] ei.*

In זבח (*ſacrificium*) eſt ſynecdoch, partis pro cultu Dei. In תועבת (*abominatio*) & רצונו (*delectatio*) eſt meton. adjunct.

Summa eſt, longe maximum diſcrimen eſſe inter cultum impiorum & piorum.

Hominum judicio magna eſt cognatio & ſimilitudo piorum cum hypocritis: uterque Deum ſe ſcire & colere profitetur; uterque Eccleſiam accedit; genibus ſe provolvit, verbum Dei audit; ſacrificium offert, Deum precatur, ſacramenta percipit; eleemoſynam largitur. Nonnunquam vero fit, ut ſiquà diſſimiles ſint, improbi in externo cultu magis & aſſidui & munifici ſunt, quam pii. Quanto enim magis vera & ſincera pietate deſtituuntur, tanto plus operam dant, ut in quo à pietate recedunt longius, in eo quam proximè ſpecie quadam accedere videantur. Deus verò in hac ſimilitudiue & cognatione diſcrimen longè maximum animadvertit, quantum interſit inter cœlum & terram, vel inferos potius, Ex quo illud colligitur, non acquieſcendum eſſe in hominum judicio, quantumvis piorum, niſi etiam porro Deo cordium cognitori nos probemus.

Sicut autem aliorum de impiis judicium longè fallitur, & à vero aberrat: ſic ipſi impij ſibi ipſis in ſuo Dei cultu imponunt. Sibi enim ipſis adulantur, & perſuadent ſe ſuis ceremoniis & cultus externi præſtatione Deum promereri. Cujus rei exemplum proponitur Eſa. 1, 11, 12, &c. Vide 1. Sam. 15. quomodo Saul ſibi in animum induxit, ſe ſacrificiis Deum placaturum, tametſi mandatum ejus violaſſet. Vide etiam Prover. 7. exemplum meretricis verſ. 14. Homines enim inſipientes putant, ſe ſub clipeo ſacrificiorum & externi cultus ab æſtu divini judicij probe circumtectos iri.

Jam vero audiamus, quod ſit Dei de impiorum cultu judicium, aliorum hominum, & ipſorum impiorum opinioni longè maximè adverſum. Grave eſt, ſi vanus ſit eorum cultus, Matth. 15. ſi Deus illum improbat; ſed gravius, ſi odio habeat; ſed graviſſimum, ſi illum non odio habeat modo, ſed etiam abominetur: graviſſimo verò gravius & atrocius eſt, quod illi abominationi ſit & illum ſumme abominetur. Quod cum dicit, omnem gravius & acerbius, aliquid dicendi aditum præcluſit. Sic Iſa. 1. fœtere dicuntur, ita ut Deus eorum odorem, aut aſpectum ferre non poſſit; oneri illi eſſe; & eum quodammodo laſſum reddere.

Hujus

Hujus abominationis cauſa ſi forte requiratur, eam pete ex præcedente Proverbio. Nam cum cor impiorum penitùs corruptum, nil, niſi malum &perniciosum verſet (quod tamen Deus præcipua quadam ratione reſpicit) hominem perverſum & corruptum eſſe conſequitur. Cum autem munus offerentis cauſa acceptum ſit, offerentem verò conſtat ingratum Deo eſſe, quin munus exoſum ſit, dubitari non debet. Homines quidem munus illius ſæpe gratum habent, cujus perſonam odio & deſpectui habent. Sed in Deo longe ſecus res ſe habet, qui nullius munus gratum habet; quin priùs offerentem gratum & dilectum habet.

In poſteriore parte docet cultum piorum eſſe Deo voluptati, & idem videtur argumento minoris confirmare. Quaſi diceret; preces fideles & piæ, utcunque à ſacrificio disjunctæ, ſunt acceptæ. Quamvis enim quidam fuerint caſus, in quibus ſacrificium offerre conſtitutum eſt: ſæpe tamen ſacrificia voluntaria fuerunt, & in cujuſque arbitratu poſita: ac de isthoc proprie genere hic ſermo fieri videtur. Quod ſi tempore legis, cum cultus à Deo præſtitutus & imperatus ſacrificiorum mactationem cum precibus conjungebat, ſola oratio (excluſo ſacrificio) tanti momenti & ponderis apud Deum fuit; nedum tempore Euangelij longe gratiſſime futura eſt, cum ſacrificia etiam illicita eſſe conſtet.

Hoc autem ſingularem ſtimulum precandi nobis addat, quod ſciamus preces noſtras Deo non placere modo, ſed ſingulari quadam ratione ei acceptas eſſe. Quo argumento ſcriptura ſæpe utitur, ut noſtram inertiam in officio faciendo corrigat, & diligentiam ad obſequium præſtandum exacuat. Rom. 12. 2. 1. Theſſal. 4. 1. Homines ſtudioſe obſervant, qua re principes hujus ſæculi oblectentur, ut ad eorum voluntatem ſe conforment. Vide exemplum in duobus ſervis Davidis, qui cum intellexiſſent, eum ſtudio Bethleemiticæ aquæ teneri, ſe in certum vitæ diſcrimen conjecerunt. Item Ioabi exemplum, qui cum certis indiciis exploraſſet Davidis deſiderium de Abſolonis reditu, ilicò petitionem ſuam de ea re apud Davidem inſtituit. Hoc cum mortalibus præſtamus quanto magis Deo? Cum hoc facimus tantùm conjectura nixi fore aliquid gratum, nedum Deo hoc præſtemus quem certò ſcimus precibus noſtris oblectari.

V. 9. *Abominationi eſt Iehovæ via improbi, eum autem qui ſectatur juſtitiam, diligit.*

In דרך *(via)* eſt trita metaphor. tracta à viatoribus, quibus unicum hoc proponitur, ut inſtitutum conficiant; nec quicquam aliud aut agunt, aut animo agitant.

In רדף (*inſectantur*) eſt metaphor. ducta item à viatoribus, vel curſoribus, qui eos, qui ſe in itinere, aut ſtadio antevertunt, maxima, qua poſſunt virium contentione inſequuntur, quoad illos aſſequantur.

Summa eſt, longe maximum diſcrimen eſſe inter probos &improbos in ſecundæ tabulæ operibus.

Hic quærat aliquis, cur Sal. duob. Proverbiis proponit, quod unico potuit expedire. Videtur enim non minus commode (& magis tamen compendioſe) dicturus, ſi omnia ſtudia, & opera improborum Deo exoſa eſſe dixiſſet; illa vero, quæ à piis congruenter verbo Dei fiunt, Deo grata eſſe. Reſpondeo, hoc duplici Proverbio meliùs occurſum eſſe diverſis hominũ opinionibus de improborũ operibus. Sicut enim pleriq; ſunt, qui cultũ improborum, tanquam illegitimum damnant; ſic pauci admodũ reperiuntur,

qui improborum in ſecunda tabula externum & ſpecie tenus obſequium non plurimi faciant.

Nomine improbi cum is intelligatur, qui fide juſtificatus non ſit ut Rom. 4. 5. conſtat cenſum genuinum hujus Proverbij hunc eſſe;quodq; veſtigium &unumquemque pedem;quem improbus ponit, ſeu unumquodque opus, quod exercet, ſive cogitando, ſive loquendo, ſeu denique faciendo, in his, quæ ad proximum referuntur, Deo execrabile eſſe.

Sicut autem in priore Proverbio verum cultorem componit Propheta,non cum atheo, idololatra, aut eo,qui divinum cultum aſpernatur, ſed cum eo, qui externũ cultum nõ minus ſtudiosè exercet, quam qui Deum verè & ſincerè colit: ſic hoc loco piorum ſtudia non componit cum improborum furtis,homicidiis,adulteriis, proditionibus; ſed cum glorioſiſſimis & ſplendidiſſimis improborum facinoribus, & geſtis laudatiſſimis. De quibus tamen omnibus in univerſum affirmat Salomon, illa Deo exoſa & execranda eſſe. Quamobrem improborum erga parentes obſequium, ordinatiſſi. præfectura, ſtudium humani generis conſervandi, caſtitas, eleemoſyna, veritas in ſermone; ad unum omnia Deo exoſa ſunt. Oportet enim primum arborem bonam eſſe, priuſquam fructus boni eſſe poſſint: fontem & ſcaturiginem pura eſſe oportet, antequam qui rivuli ducuntur, limpidi fiant. Fons autem omnium actionum & ſtudiorum cum cor ſit, quod non niſi fide in Chriſtum purgari poteſt, fit, ut ſine fide omnia fœteant, & putrida ſint. Quò etiam refertur poſter. hemiſt. verſ. 7. hujus cap.

Ex his liquet, quo pretio æſtimandæ ſunt Templorum, Xenodochiorum, Ptochotrophæorum, Collegiorum ſtructuræ à Pontificiis inſtitutæ.

Non, quod non ſit laus aliqua apud homines ob iſta tam præclara & præſtantia facta: ſed quod apud Deum nulla non modò merces illa manet, ſed gravis etiam pœna.

Neque hæc ita exiſtimanda ſunt, ac ſi nihil interſit inter hæc Pontif. facta & latrocinia; plurimum intereſt: ſed ſi ob hæc non rectè & ſincerè facta punientur, nedum ob rapinas & homicidia.

In poſteriore hemiſtichio docetur 1. quod ſit officium pij viri, ſcilicet non tantum, quod juſtum eſt, quærere; ſed illud perſequi, &, magna addita contentione, illud moliri. Quod enim ſpecialiter de pace perſequenda dictum eſt Pſal. 34. id de omni opere bono in univerſum intelligendum eſt. Vide 1. Corint. 16. 13. Tit. 3. 8. & 14.

Deinde illud etiam obſervatu dignum, piorum conatus in bonis operibus Deo acceptos eſſe, tametſi ab aliis (maximè verò ab Angelis & cœleſtibus ſpiritibus, ad quorum innocentiam collimari nos oportet) ſuperentur. Dummodo enim perſequantur, quod rectum eſt, grati ſunt Deo tametſi metam non attingant. Hoc ergo pios ſuſtentare debet, qui conſcientia infirmitatis ſuæ conſternuntur. Videmus parentes ſuorum liberorum conatus laudatos probare, tametſi plurimum aberrent à ſcopo. Quanto magis pater cœleſtis hoc faciat, à quo omnis paternitas nominatur?

Denique ſtimulum addat oportet bonis operibus præſtandis, quod Deus in his occupatos diligit, id eſt conſtanter & perenni amore complectitur. Prius dixerat, Deum his ſummè delectari, jam amplius aliquid & majus dicit. Sunt enim qui oblectantur aliorum factis & moribus, quos tamen charos non habent; ſcil. quod voluptatum ſuarum miniſtri ſint & præbitores: Deus autem eos ſemper amore complectitur, quorum moribus & converſatione delectatur. Vide Cant. 1. 2. *tuus amor præſtat vino, &c.* ubi etiam notat

cauſam

cauſam cur non amemus, quod hujus mundi illecebris veluti conſtupramur.

Pudeat autem Chriſtianos & Euangelicos, in illis, quas diximus, præclaris ſtructuris Pontificiis inferiores eſſe, cum tam eximia & incomparabilia habeant ad bene agendum incitamenta. Si enim quæ minima ab illis proficiſcuntur, dona Deo grata ſint, grata erunt, quæ non niſi magnis ſumptibus & laboribus ædificantur monumenta omni poſteritati profutura.

V. 10. *Eruditio [videtur] mala derelinquenti iter; qui odit correptionem, morietur.*

In ארח *(via regia)* eſt metaphora ducta à viis, quæ à viatoribus magna frequentia teruntur, ſeu Regiis.

Summa eſt; improbos indociles & intractabiles ſibi exitium accerſere.

Res eſt plena miſeriæ, homines in errorem & à via aberrationem propenſos eſſe & præcipites in devia ruere, triſtius eſt, quod in viam directi illam non tantū per imprudentiam, ſed ſponte & conſcij erroris ſui ab illa deflectunt, vel in adverſam prorſum reflectuntur. Omnium autem luctuoſiſſimum eſt, quod in viam retracti & revocati in errore ſuo perſtant, nec ſe ab eo abduci ſinunt. Viatoribus, peregrinis præſertim, obtingat facilè ut viâ deflectant, in viam etiam diducti per imprudentiā ab illa declinare facilè poſſunt: ſed ut aut ſponte & conſcij rectum iter deſerant, aut erroris admoniti in viā non redeant, non niſi in fatuos vel potius veſanos & furioſos cadit. Ex quo liquido conſtat, quanta ſit naturę noſtræ pravitas; maximè eorum, qui participes gratiæ divinæ facti ab illa deflectunt & deficiunt; ut eam lachrimarum quaſi rivulis defleamus, & nos ipſos ex tanta perverſitate faſtidientes Deo gratos præſtemus, ſi ab iſta tam execrabili & maledicta conditione nos exemptos & vindicatos eſſe ſenſerimus. Simul etiam curam agamus Dei Spiritum emendicare, qui doctrinam nobis fœcundam, & fructuoſam reddat.

Ad hanc normam expedit nos exigi. Nos ipſos idcirco excutiamus an grave nobis ſit inſtrui in recta via, & ſemita juſtitiæ. Id enim ſi ſit, tum illud proculdubio in nos quadrat, quod hoc loco dicitur, nos viam regiam deſeruiſſe. Hujus rei rationem Chriſtus reddit Iohan. 3. 19. 20.

In poſteriore hemiſtich. docetur monſtroſa & prodigioſa magis adhuc improborum perverſitas, quibus reprehenſio & erroris redargutio non tantum diſplicet, ſed etiam exoſa & infeſta eſt. Satis amentiæ erat in ſano conſilio & reprehenſione non acquieſcere eamq; repudiare; ſed illam porro odio habere perditæ & deſperatæ perverſitatis eſt. Hujus rei exemplum eſt in Nabale. 1. Sam. 25. qui ne verbulum quidem reprehenſionis ferre potuit: maximè vero in Achabo, qui profitetur, ſe Micheam odio habere, quod ingrata ſemper prædicabat. Quid quod ne illam quidem redargutionem, quæ ſilentio fit, non verbis, ſed re, contrariæ prorſus (quam eſt eorum) converſationis & vitæ inſtituto; Hanc enim redargutionem docet Apoſt. Eph. 5. 11. 12. 13. Sed vel tum ſe redargui inique ferunt, cum quis eiſdem veſtigiis non inſiſtat, quibus illi incedunt. Vid. 1. Joh. 3. 12. & 1. Pet. 4. 4. Et quoſdam imitantur & exprimunt, qui podagra laborantes non modo tactum non ferunt, ſed etiam, ſi quis prope accedat, exclamant.

Pœna autem ejectæ reprehenſionis eſt mors hujus vitæ ſæpe, ut in Nabale à Deo percuſſo, in Achabo ab hominibus confoſſo, ſemper autem vitæ futuræ, aliquando utriuſque, ut in Sodomitis. Nam extra viam regiā ſunt præcipitia, leones,

urſi,

urſi, ſerpentes, & quidquid exitioſum eſt. Secus enim fit in his erroribus, quam in aliis ubi pœna erroris eſt caſſus & vanus labor.

V. 11. *Infernus & perditio coram Iehova* [*ſunt,*] *quantò magis animi hominum?*

Summa eſt; coram Deo abditiſſima nuda & reſupina eſſe.

Ier. 17. 9. *Fraudulentum eſt cor ipſum ſupra omnia, & mortiferum. Quis cognoſcit illud?* Huic quæſtioni reſpondet Deus verſ. 10. *Ego Iehovah ſcrutator cordis, probator renum.* Act. 1. 24. καρδιογνώστης. & Pſal. 7. 10. Hoc tametſi ſcire in promtu ſit, quandoquidem omnia novit Ioh. 21. 17. tamen propter hominum perverſitatem, qua Dei cognitione ſe eximere poſſe ſibi perſuadent, ei rei proinde probandę inſiſtit. Probat autem duplici comparatione majoris. Cognoſcit enim ſepulchrum & ſtatum mortuorum, etiam infernum, item inferorum pænas utcunque infinitas; eoque multo magis cor hominis.

Infernus, ſeu locus damnatorum Spirituum longè profundiſſimè eſt. Unde etiam Luc. 8. 31. *abyſſus* vocatur, & Rom. 10. 7. Vide Eſai. 30. 33. ubi *profundiſſimus*, ſimul & *latiſſimus* vocatur, ſubi ſatis amplum & capacem fore prædicat Regi Aſſiriorum cum toto ejus comitatu excipiendo. Quod quidem eorum vanitatem coarguit, qui ex eo, quod multo maximam hominum partem perituram audiunt, ludificantur, & ſibi nullum locũ ſuperfuturam dictitant. Vide. Iob. 26. 6.

Poſt comparationem inſtituit cordis humani cum inferorum pœna, quæ, quanta ſit, cogitatione comprehendi nequit. Nam, quod ad inferos attinet, cum ſit pars mundi, certè menſura comprehenditur: ſed, quod ad pœnam reproborum attinet neque magnitudine, nec diuturnitate ſua circumſcribi & definiri poteſt. Quemadmodum enim Eſai. 64. 1. Cor. 2. 9. piorum in cælis gaudium hujuſmodi eſſe confirmat, *quod oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis intravit*: ſic de inferorum cruciatibus non ſecus affirmari poteſt. Unde *viperarum morſui* & *ſtimulo, igni inextinguibili* Mar. 9. & Eſai 30. 33. *igni lignis aggeſto, cujus veluti follis eſt flatus Dei infinitus*, comparatur.

Deus igitur, cum hæc nota & comperta habeat, nedum corda hominum exploratiſſimè novit. Hominibus ipſis ſuus animus propter multiplices latebras & receſſus, & propter ignorantiam non penitus notus eſt. Vnde etiam 1. Ioh. 5. *Deus major animis noſtris dicitur.* Quam ſtultum igitur eſt exiſtimare Deum aliquid fugere, cujus ipſe tibi conſcius es? Quid, quod Deus cogitationes noſtras novit, antequam animo perceptæ ſunt? Sicut enim dicitur, [non eſſe verbum in lingua, quod Deus non novit:] ſic etiam verè affirmatur, non eſſe cogitationem in corde, quam non ipſe callet. Imo vero priuſquam ipſi homines exiſterent, quid aut boni aut mali cogitaturi & conſulturi eſſent, Deus bene & bellè novit: ut in Cyro, Ioſiah, aliiſque liquido conſtat.

Quod ſi quæratur, quis ſit hujus proverbij uſus; Reſpondeo, multiplex, & primo quidem ille, quem Ier. ſupra citato loco ſubjicit, nempe ut cuique ſecundum actiones, retribuat ſuas ſive bonas, ſive malas. Quædam enim actiones intus in animo incluſæ tenentur, quas remunerare, prout jus poſtulat, nõ poſſet niſi animos penetraret. Deinde quæ foras emanant, ex animi affectu & diſpoſitione ęſtimandæ ſunt; quarum juſtus judex Deus nõ foret, niſi cordium cognitor exiſteret.

Deinde ad diſcutiendam & fugandam hypo-

hypocriſin apprimè utile & commodum eſt. Si enim mortalis ocnlum reveremur uſque eò, ut nihil, quod turpe ſit, & eum offendat, admittere velimus ; quanto magis Dei flammantum oculum, & omnia pervadentem venerari oportet, qui abdita & occulta cordis clarius pervidet, quam mortalium nullus ea, quæ meridie in conſpectu omnium geruntur. Vid. Proverb. 5.20.21.

V. 12. N*on diligit deriſor corripientem ſe, ſapientes non adit.*

Summa eſt; deriſorem intus & in animo ſuum vituperatorem odio habentem foras id ipſum prodere.

Deriſoris nomine illum deſcribit Sal. qui ſnis peccatis ita adhæreſcit, ut, quod illi àd vitæ emendationem proponitnr, aut verbis, aut vitæ converſatione, aut utriſque, pro ludo & joco habeat. Vel potius ex primo Pſal. deriſor is eſt, qui ſecum & animo ſuo penitus conſtituit adamatis ſuis peccatis mordicus adhærere. Id enim prorſus judicare videtur Pſalmus, cum illis non ambulationem, ſtationem, ſed ſeſſionem in peccatis tribuit.

De iſto autem deriſore prædicatur, eum ſuum vituperatorem non amaturum. Proverb. 9. dicitur, eum ſuum reprehenſorem odio proſequuturum. Ex quo efficitur, non amare, idem eſſe, quod odio habere. Cum autem amor omnis efficax ſit, & ſe fructibus illum, quem amamus, juvandi prodit, illud quoque efficitur, odium proximi latius ſe diffundere, & majoris eſſe capacitatis, quam ab hominibus exiſtimatur.

Profuerit autem nos ipſos ad hujus pr.normam & amuſſim exigere & diſcutere quo animo ſimus erga eum, qui nòs peccati coarguit. Niſi enim eum benevolentia complectimur, quam fructibus bene de eo loquendi, & beneficio ſi res poſtulat) afficiendi declaremus, periculum eſt, ne in cathedra deriſorum conſideamus, ubi malitia hominis cernitur pervicaciſſima. Nam nuntii apud mortales aliqua æquitate præditos immunes ſunt: in Dei tamen legatione non tantum nuntius reijcitur, ſed interdum interficitur. Vid. Mat. 22. Contrà ſi illum charum & gratum habemus, qui nos peccati coarguit, certiſſ. judicio & teſtimonio nobis eſſe poteſt, nos in vero ſapientum numero cenſeri: ſicut expreſſe dicitur Prov. 9. & hoc ipſo Proverbio non obſcurè indicatur.

In poſt. hem. ſuperioris odij effectum declarat; ſc. quod ſe ad vituperatorum ſuorum conſortium non recipit, ſed ab illis tanquam ab angue ſe ſubducit, aut illos ad ſe venientes fugat & abigit. Cujus exemplum illuſtre vide in Pharaone, qui Moſem exturbavit, adjecta comminatione mortis, ſi rurſum accederet.

Hinc etiam liquet, eum in cenſum ſapientum habendum eſſe, qui eorum conſortio & conſuetudine gaudet, qui vitæ ſuæ corruptelas reprehendunt & inſectantur; ejuſque officium eſſe non tantum ſapientes ad ſe venientes admittere, ſed illos etiam adire & exquirere. vide exemplum Petri, qui coram omnibus à Paulo reprehenſus 2. Epiſt. eum dilectum fratrem appellat, & epiſtolas ab eo ſcriptas diligenter legit: & mulieris Cananeæ Mat. 15.

Denique notandum eſt, eundum eſſe ad ſapientem, & eum, qui alterū peccati coarguit: ex qua conſequitur; ſapiētia inſtructos & prędıtos eos eſſe oportere quicunq; redarguēdi partes in ſe ſuſcipiunt.

V. 13. *Animus lætus bene afficit vultum: & dolore animi ſpiritus frangitur.*

In פנים (*vultus*) eſt ſynecd. partis pro toto corpore.

Summa eſt; ex animi conſtitutione & affectu corporis habitudinem bonam, aut malam perdere.

Animi & corporis tametſi ſua ſubſtantia & materia longè maximum diſcrimen ſit, tamen tam arcto illa vinculo Deus colligavit, ut mutua ſit utriuſque inter ſe invicē compaſſio, ſeu συμπάθεια. Nam, corpore afflicto, dolor ad animum redit; & contra animo exulcerato, corpus concutitur. Sed major tamen corporis quaſſatio, cum malum ab animo initium capit, quam cum contrà fit. Tametſi verò malum per totum corpus ſe diffundat, tamen quia ejus mali inditium primum in vultu aſpicitur, ideo Sal. vultus præcipuam mentionem facit; & docet, animum lætum & hilarem non tantum ſanum corpus efficere, ſed porro reddere vultum aſpectabilem & amabilem, ut ſicut corpus ſanum eſt, ſic etiam ſanum & alacre appareat. Vnde fit, ut cum cor lætum ſit, oculus ſit vividus; verſatilis, & ad videndum acutus, genæ ſint rubicundæ, ſanguis purus & purgatus, cutis pulchra & ſpectabilis: contra vero, cum animus afflictus eſt.

Hoc quanti ſit ad omnes vitæ partes, non facile eſt explicatu. Nam in cultu divino operæ pretium eſt, ut animo læto & alacri fiat. Hinc eſt, quod Iſaacus ad filiorum ſuorum propheticam benedictionem ſe accingens priùs mandat ferinam ſibi comparari, & vinum, quibus exhilaratus liberiùs poſſet munus propheticum obire Gen: 27. Elizæus contriſtatus aſpectu impij Regis Iorami, antequam quid conatus ſit, quo 3. Reges ſiti laborantes reficerentur, iuſſit ſibi peritum muſices adduci cujus arte, & in pulſando peritia mœrorem pelleret. Quod ſi Prophetæ, qui per inſpirationem loquuti ſunt, hoc lætitiæ animi adminiculo opus habent ad cultum Dei pro dignitate exercendum; 2. Reg. 3. 15. nedum alii. Vide etiam quomodo queritur Dominus apud Malac. de maritorum ſeveritate, qua uxores illachrimari coactæ ſunt, cum ad altare accederent Et 2. Cor. 8. *Deus diligit hilarum datorem.*

Apud homines etiam officia, quæ à triſtibus & mœſtis præſtantur ingrata ſunt, ut in Mardochæo, & Nehemia liquido conſtat. Eſt. 4. 2. Nehem. 2. 1. 2.

Animum vero lætum vultum jucundum reddere apparet exemplo Eſaui, qui munere à Iacobo exhilaratus vultu tam ſe amabilem & jucundum exhibuit, ut Jacobus in eo viſus ſit Deï faciem benignam intueri Gen. 33. 10. Sed in piis hoc magis illuſtre eſt, qui pace conſcientiæ recreati vultum habent & aſpectum amabilem. Vide Nazaræos, qui cum vinum non biberent, tamen &c. Vide porro exemplum Danielis & ſociorum, qui, tametſi leguminibus & aqua paſcerentur tamen &c. Hæc igitur animi lætitia, quæ conſiſtit in reconciliatione cum Deo, unde naſcitur bona conſcientia, omnibus fucis & pigmentis, quæ molles & delicatæ fæminæ ſtudioſè ad ſe infucandum & pingendum conquirunt, potior & præſtabilior eſt, præſtabilior omni diæta & delectu ciborum, in quo tamen plurimi multum ponunt, vel omnia potius, quæ ad valetudinem, & colorem tuendum pertinent.

In poſt. hem. eſt ἔλλειψις. Nam intelligendū eſt prioris partis adverſum nempe vultum deformari & palleſcere. Vide exemplum Caini Gen. 4. Ammonis 2. Sam. 13. 2. & Achabi, qui ex mœrore, ut Ammon, ægrotabat. Etiam Nehem. quantumvis pij. Neque vero vultum tantum deformat, ſed porro etiam pulmonem corrumpit, unde reſpiratio graviùs læditur. Nā ſicut pulmones cordi æſtum aëre ſubmiſſo & ſuppeditato refrigerant: ſic

ſic cor per venarum veluti tubos & canales ſanguinem ex ſe pulmonibus ſubminiſtrat, quo aluntur; Unde corde contriſtato ſanguis exhauſtus ad pulmones transferri & traduci nequit. Vox etiam Spiritus (ut ſæpe alias) ad animum ipſum refertur. Nam animi triſtitiâ intelligendi facultas retunditur, memoria etiam læditur, & animi affectus omnes enervantur. Quo docemur, mœrores omnes (niſi qui ſecundum Deum ſunt) pellendos & omni ratione amoliendos eſſe. Deus etenim ita eſt erga nos affectus, ut matres benignæ & piæ, quæ liberos plorantes ægrè ferunt, & lachrimas hac arte deſiccant, dicendo, quod faciem infantes flendo deforment. Mœror autem, qui ſecundum Deum eſt, valetudini & vitæ non officit, cum vitæ & valetudinis promiſſionem conjunctam habet. Nam ſicut legumina & aquæ potus Dan.& ſociis ejus non nocuerunt neque vires labefactando, neque decus & dignitatem vultus imminuendo, quod ex pietate illa victus ratio inita ſit: ſic neque mœror, qui juſtis cauſis ſuſcipitur. Deinde dolor, qui eſt ſecundum Deum, ſemper tam cumulato & conferto gaudio compenſatur, ut nullum inde valetudinis damnum quis accipiat.

Quod ſiquis excipiat, vultum ſæpe ab hominibus fingi & ſimulari, & triſtem videri, cum animus lætus ſit, & contra: Reſp. non ita facile eſſe dolorem & gaudium ita intus premere & concoquere, quin in vultum erumpant, ſiquis attente conſideret, ut exemplo Nehemiæ conſtat cap. 2. Quamquam ad Proverbij veritatem tuendam ſatis eſt, ſi ſua naturâ res ita ſe habeat, aut etiam ἐπὶ τὸ πολύ.

V. 14. *Animus prudentis quærit ſcientiam: os autem ſtolidorum paſcitur ſtultitia.*

In ירעה (*paſcetur*) eſt metaph. ducta ab alimentis corporis ad pabulum animi; & פי (*os* (comparatur animo, quia ut cibus ore, ſic ſtultitia mente tanquam ore accipitur.

Summa eſt; imbutum vera ſapientia illam perſequi; cum ejus inanis erroribus & nugis inhiet, & illis (tanquam ſatur) acquieſcit.

Hic deſcribitur prudens: deſcribitur autem ab effectis inveſtigandi, & perquirendi ſcientiam. Hominis perverſa natura & ſtultum ingenium ita inſtitutum eſt, ut nunquam Deum, aut ſcientiam vel per ſomnum inquirat, aut inveſtiget: Unde eſt, ut in univerſum verum ſit, quod dicitur; *inventus ſum ab his, qui me non quæſiverunt*. Poſtquam autem Deus nos invenit, ilicò hunc animum nobis indit, ut illum ſtudioſè quæramus. Guſtato enim ſemel Chriſto, ita prudentibus ſuavis & jucundus eſt, ut illius ſtudio amplius teneri nos neceſſe ſit. Sicut enim infans, guſtato ſemel lacte materno, poſtea magna ſugendi cupiditate ducitur, nihil ut ſit, quod (infantis judicio & guſtu) cum lacte matris comparari poſſit: ſic qui ſemine immortali verbi Dei regeneratus eſt, mirificè *lac ſermonis Dei* appetit, nec niſi ejus paſtu placari poteſt. 1. Pet. 2. 23. Quamobrem etiam *melli* aſſimilatur, & *mellis favo* propter admirabilem dulcedinem, quæ illi ineſt. Pſal. 19. Sed hoc intereſt, quod qui mellis plurimũ comedit, mellis nauſea corripiatur & faſtidio: contra verò fiat in verbi divini uſu, quod liberali ſuo dimenſo animi appetentiam non obruit, aut obtundit, ſed acuit potius & extimulat. vid. Pſal. 42. Hic igitur patet multorum, qui Evangelium profitentur, ſtultitia ſimul & hypocriſis qui levi quadam notitia Evangelij inflati ilico contumeſcunt, ſibique in Dei notitia provecti ſatis videntur; atque inde faſtidio, verbi audiendi corripi ſe ſinunt.

Quod ſi verbi Dei ſolida & ſalutari ſcientia imbuti ſunt, tantum abeſt, ut in illa acquieſcant, ut unumquodque fruſtum, quod ab illis perceptum bellè digeritur novam quaſi appetitionem excitet acuatque. Hinc etiam eſt, quod olim diſcipuli appellati ſunt, qui nunc Chriſtiani dicuntur.

Deinde non ſatis eſt paſtum quærere, ſed illum perſequi. Vid. Pro. 8. 17, ut mirum non ſit quod Chriſti oves, ſi domi non paſtum habent, foras illum quærant nedum ut illis appoſitum paſtum reſpuant.

Deinde notandum eſt quod dicitur; [cor prudentis perſequi ſcientiam.] Non ſatis eſt ſi de ſcientia loquamur, aut illius auditores ſimus, niſi animus ea penitus affectus & perfuſus ſit. Nam ſi quis ſit, qui ſcientiam amat, & animi intimis viſceribus eam complectitur, is demum prudens eſt. Vid. Proverb. 8. 17. Nam ſi animo & affectu quis ſcientiam perſequatur, auris, oculus, lingua, pedes, & cætera corporis membra famulanter, & animi nutum & imperium ſequentur.

In poſt. hem. docet, ſtolidos non minore delectatione ſtultitiæ duci, quam prudens ſcientiæ: atque adeo tanto vehementius ferri ſtudio inſcitiæ, quia eò omni naturæ impetu ſponte accurrit. Quamobrem comparat ſtultitiam pabulo, aut potioni, quibus oblectatur; & animum ejus ori, quo pabulum accipitur, & quod ingurgitandæ ſtultitiæ, ſeu rebus ſtultis totum pateat; ut piſces non tam aquam abundè deglutiant, nec locuſtæ herbam virentem, quam improbi improbitatem. Ex quo etiam docemur, quomodo affecti eſſe debemus in conquirenda ſcientia; nempe ut illa tanquam cibo & potu nos oblectemus. Hujus autem animi aviditatis ad imbibendã ſtultitiam aliquando oris apertio indicium eſt: quandoquidem quod avide quis audit, ſuum in illo accipiendo deſiderium oris apertione, & veluti hiatu indicat.

V. 15. *Omnes dies pauperis, mali [ſunt:] læti autem animo [ſunt] convivium juge.*

In משתה תמיד (*convivium continuum*) eſt metaph. à rebus corporeis ad res incorporeas; ubi bona conſcientia aſſimilatur convivio jugi & continuo; quo mœror pellitur, & gaudium inducitur.

Summa eſt; unicum ſolamen adverſus res adverſas eſſe bonam conſcientiam fide in Chriſtum purgatam.

Hoc Proverbio primo inſtituimur fieri non poſſe, quin rebus triſtibus & afflictis contriſtemur. Neque enim fieri poteſt, quin, cum caro & ſanguis ſimus, non aut lapides aut ferrum, calamitatibus nobis advenientibus moveamur, atque adeò tanquam aculeis & ſtimulis divinæ iræ pungamur. Vid, Heb. 12. 11. Dicuntur *ſagittæ Dei* Iob. 16. potari abſynthio & felle Ierm. 9. Stoica enim ἀπάθεια ex repub. Chriſtiana rejicienda eſt; quam tamen noſtrorum temporum Anabaptiſtæ & Libertini ab inferis veluti excitarunt.

Deinde docetur remedium, quo mœrores illi non modo mulceantur & leniantur, ſed porro eorum loco lætitia & gaudium inferatur; nempe, ſi quis animo ſit bono & conſcientiæ bonæ teſtimonio ſuſtentetur. Vim vero & virtutẽ bonæ conſcientiæ poeta expreſſit, cum dixit;

Hic murus aheneus eſto, nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa:

Tametſi ignoravit, qua in re puræ conſcientiæ bonitas conſiſtat; quam Apoſt. 1. Tim. 5. in eo poſitam eſſe docet, dum per fidem juſtificati, pacem apud Deum habemus, nec ullius nobis mali

con-

conſcij ſumus, quod peccata noſtra deleta ſint. Vid. Act. 8. v. 8. & 39.

Hoc autem gaudium depingitur nobis ſimilitudine convivij, quo homines mæſti refici & recreari ſolent non tantum cibis, ſed æqualium conſortio, & muſicis inſtrumentis. Unde etiam laudatus apud Dei populum mos eſt calicem conſolationis porrigere pullato ex morte eorum, qui ei chari fuerunt. Quod quid aliud eſt, quam convivium inſtruere, & lautam menſam? Vide Jerem. 21. & 2. Sam. 12. 20.

Deinde hoc docet convivium juge eſſe & ſine intermiſſione. [Ego enim do pacem meam non quemadmodum mundus dat,] Joh. 14. 27. Incomparabile convivium eſt, quod ſemper durat. Sacra hiſtoria tradit inſtitutum fuiſſe convivium ab Ahaſſuero, quod durabat 180. dies: quo tam diuturno convivio amplitudinem regni ſui, & gloriam ejus inclareſcere conſtituit, cum 127. Provinciis imperaret. Quanta igitur eſt Dei gloria & beatitas populi Dei, cui juge in æternum, non tantum nobilibus (ut illic) ſed omnibus etiam tenuiſſimis convivium inſtruitur. Et quidem, quod ad principum convivia attinet, noctu omninò, & interdiu ad tempus intermittuntur : ſed hoc convivium nunquam interrumpitur. Et quidem, quod ad eorum convivia ſpectat, ſuſpenſa aliunde tenentur, nempe ex foro, & forum ex anni fœcunditate : in hoc autem convivio apparatus omnis domi eſt, ubi nulla caritate annonæ laboratur. Denique in aliis conviviis præſertim repetitis & ſæpius iteratis ſubripit nauſea & faſtidium, quo laboramus, ut ſæpe tenuiorem dietam expetamus: quod in hoc ſpirituali convivio non accedit.

Verſ. 26. Melius [eſt] parum cum reverentia Iehovæ, quàm theſaurus amplus ubi (eſt) venatio.

In יראת (*timor*) eſt ſynecd. partis pro vero Dei cultu. In utroque hemiſt videtur ellipſis. In priore ſuppletur ex contrario poſterioris, videl. tumultu, ſeu fluctuatione animi. In poſteriore ſuppletur ex contrario prioris, nempe divini cultus ignoratione, aut contemptu.

Summa eſt; præſentis vitæ commodorum jucundus & optatus uſus à Dei cultu petendus eſt.

Pietas in Deum ſingulare præſidium eſt parandi ea; quæ ad hujus vitæ uſum referuntur, Pſal. 34. 10. 11. Matt. 6. 33. 1. Tim. 4. 8. Pſal. 37. 25. Parum autem fuerit bona hujus vitæ poſſidere, niſi Deus, tanquam murus illa circumſiſtat Iob. 1 : deinde niſi eorum uſus aliquis jucundus & commodus exiſtat. Hoc autem nos conſequi pietatis beneficio apparet ex hoc loco, quo docetur, tantam eſſe vim & vigorem timoris Dei, ut quod modicum nobis ſuppetit, plus nobis proſit ad vitam hanc commodè & jucundè tranſigendum, quam magni theſauri & ampla ſupellex eorum, qui Dei timore, & vera religione deſtituuntur. Vide ſal. 37. 16. ubi hic locus mirè amplificatur, cum unius juſti *parum* pluris ſit, quam magnæ divitiæ multorum improborum; ejus inopia illorum opulentiâ; ejus tugurium eorum palatiis; ejus deſtitutio illorum numeroſis amicis; denique ejus *nihil* eorum in omnibus affluentiâ. Vide 2. Cor. 6. 10. Cujus cauſæ ſunt; primum quidem natura parvo contenta eſt : unde natum Proverb. facilius eſſe ventrem, quam oculum ſatiare : deinde quod vita hominis in copia bonorum non conſiſtit, Luc. 12. poſteà, quod illis ſolis hujus vitæ commoda licita, & per verbum & gratiarum actionem ſanctificata ſunt. Unde etiā

conſequitur, pios illis liberiore, & magis ſoluto animo uti; cum reliqui, tanquam fures & malæfidei poſſeſſores aliquando trepidare & contremiſcere cogantur, ſemper autem tremendi juſtam cauſam habent. Deinde quod Dei benedictio, unde fructus & efficacia commodorum hujus vitæ manat, copioſiùs effunditur in pios & Deum timentes, quam in impios. Vide Agg. 1. 5, 6. Præterea quod, cum Deus ſit, qui cum cibis & aliis hujus vitæ commodis animos hominum impleat lætitia, Actor. 14. 17. illam lætitiam in ſuos pleniùs confert, quam in hoſtes. Atque hanc cauſam non obſcurè indicat poſteriore hemiſtichio quo vexationem attribuens theſauris improborum tacitus pacem & tranquillitatem Dei timentibus adeſſe ſignificat.

Tumultu verò & vexatione torqueri & cruciari animos improborum neceſſe eſt, quia fide in Deum non reclinantes, neque ſua permittentes, tanto magis in angoribus & ſolicitudine verſari eos neceſſe eſt, quo pluribus theſauris, & hujus vitæ præſidiis muniuntur. Deinde improbi, qui multa poſſident, plerumq; magna cupiditate plus habendi torquentur & cruciantur. Præterea qui Deum non timet, is invitus (utut rumpatur) cogitur homines & malignos ſpiritus, tonitrua, fures rapaces, atque adeò creaturas omnes timere: etiam ab his, qui illum ex officio timere tenentur; ut in Herode Math. 14. & in Phariſæis Math. 26. & Iohan. 7. & alibi perſpicuè cernitur; qui dicuntur ſibi à populo metuiſſe, qui illos debebant ex vocationis ſuæ ratione timere. Quod ſi hujuſmodi ſit, de quo Chriſtus Luc. 18, loquitur, qui nec Deum, nec homines revereatur, aut timeat, tamen à propria illius conſcientia percellitur, & horrore contremiſcit.

V. 17, *Melius eſt cibarium oleris ubi eſt dilectio, quam bovis ſaginati ubi* [*eſt*] *odium.*

In ארחת ירק (*cibarium oleris*) eſt ſynecd. ſpec. pro omni vili aut craſſo alimento, quale eſt ferculum radicum, aut leguminum: ſicut contra שור אבוס (*bos ſaginatus*) pro dapibus omnis generis.

Summa verò eſt; pacem cum omnibus (his præſertim, quibuſcum convivimus & ſocietate juncti ſumus) jucundam & gratam menſam efficere; & contrà odium delicatiſſima quæque inſipida reddere.

Eſt autem aliqua ex parte hypotheſis generalis illius ſententiæ, quæ præceſſit, quod tenui ſupellectili ſubjicitur tenuis convictus, qui in contentionem & comparationem venit cum lauto convivio, quemadmodum ampli theſauri componebantur cum tenui ſupellectile. Altera autē parte Proverbii continetur διχοτομίας eorum, quæ placatam & tranquillam conſcientiam comitantur, & hujus vitæ commoda jucunda reddunt, membrum ſecundum. Prius enim eſt Dei timor & vera religio Proverbio proximè antecedente comprehenſum: poſterius eſt amor proximi, eorum præſertim, quibuſcum in vitæ curſu conſueſcimus.

Docet autem Propheta, tantam eſſe vim & virtutem pacis & concordiæ, ut vilem & craſſum convictum, (in quo genere eſt acetarium præſertim viridium herbarum nullo aromatum inaugonio conditum & confectum) præſtantiorem & potiorem faciat lauto convivio, cui lites & diſcordia miſcentur; pleno ventre præſtantiorem eum, cujus appetentia paucitate cibi acuitur potius, quam ſaturatur. Dicam amplius, nec tamen quicquam à veritate abhorrens; cibum juſtorum, & proximum amore proſequentium, quantumvis inſalubrem & ſanitati tuendæ adverſum,

verſum, ad vitam conſervandum, & vires augendum plus conducere, quam improborum, & odio in proximos flagrantium & æſtuantium ſaluberrimam menſam. Amantium aqua odio habentium vino melior; optatior illorum panis ater ex glandibus confectus, horum pane ex polline lectiſſimi tritici; patinæ ligneæ argenteis; legumina placentis & aliis exquiſitiſſ. dapibus. Hujus rei ratio eſt prima, quidem quod in amore eſt gaudium conjunctum, ſicut in odio mœror: quòd etiam longè maxima jucunditas cibi ſumendi ſita eſt in convictoribus, quibus oblectamur. Cum igitur æquis oculis aliquem ex convivis intueri nequimus, nec oculum ad eum tollere, quin mœrore corripiamur, multum detrahit lætitię, quę ex cibo capto percipitur.

Hujus rei egregium documentum præbetur Prover. 23. 6. 7, 8. Deinde cum ſermones jucundi condimentum optimum ſint; inter illos, qui non amant, aut ſummum ſilentium eſt; aut ſi ſermones ſerant, vel ad litem & contentionem ſpectant, vel ſi oblectamenti quid habent, totum illud ſimulatum eſt & inſidioſum, eoque ipſo à periculo non remotum.

In ſingulari beneficio collocatur, quod Iſraëlitæ ab hoſtium incurſione, atque etiam metu immunes & liberi poterant intrepidè, non in ædibus modò, ſed ſub dio in ſuis hortis ſub ficu & vinea menſam inſtruere. Quanto majus beneficium eſt, cum ab inteſtinis odiis alieni ſumus! Tanto certè præſtabilius, quoad bellum & lites inteſtina magis noxia & periculoſa ſunt, quam bellum hoſtile & externum. Et quidem verus Salomon Chriſtus *Ieſus* in mundum venit, ut pacem inter homines ſtabiliret: & proinde apud Eſaiam 9. *Princeps pacis* dicitur. & Eph. 2. non tantum nos Deo reconciliaſſe dicitur, ſed & homines cum hominibus verſ. 14. 15. Qui igitur teſtimonium reconciliati ſibi Dei expetit, is etiam cum proximo, maximè fratribus pacem colat. Eoque magis, quoad lis & ſimultas illi ab improbis & Dei hoſtibus imminent. Unde illud Chriſti; [ſe veniſſe non ut pacem in terram mitteret, ſed &c.] Math. 10. 34, 35, 36.

Sed hic quærat aliquis, cur Propheta in cibo ſumendo magis dilectionem poſtulat, quam in aliis vitæ commerciis. Reſp. quia convictus & una menſa, profeſſio eſt, & quoddam quaſi ſymbolum & teſſera amoris & charitatis. Hinc Agapæ olim in Eccleſiis Apoſtol. temporibus, quæ certè, ſi ſuo tempore adhibitæ fuiſſent, uſum non contemnendum habuiſſent. Huc refertur, ſolenne fuiſſe apud homines litibus & ſimultatibus diſtractos ſuam reconciliationem convivio veluti obſignare, ut exemplo Iacobi & Labanis, Geneſ. 31. 45. Iſaaci, & Abimelechi conſtat, Geneſ. 26. 30.

Quo magis maligni & malevoli ſunt, qui una menſa conviventes concordia non tenentur. Quod igitur Apoſt. ad Eph. 4. 26. monet, ut ante occaſum ſolis iram deponamus, ad menſam traduci non incommodè poteſt, ut antequam menſæ accumbamus, malitiam abjiciamus.

Quod ſi grave ſit, communi cibo veſci diſcordes & ſimultatem exercentes, nedum ſceleſtum erit hoc fecere in ſacroſanctæ cœnæ epulo. Vide Math. 5. 23, 24.

Verſ. 18. Vir iracundus miſcet contentionem, longanimis autem ſedat litem.

Eſt Hebraiſmus in איש חמה (*homo fervoris*) ארך אפים (*longus ira*) familiaris: ubi eſt metonym. adj. ad majorem emphaſim.

Summa eſt; iracundiam fomentum eſſe litis, quam patientia ſedat.

In ſuperiore Proverbio amoris beneficium, & odii cruciatum & malignitatem proponens, hoc Proverbio ſemen & fontem utriuſque deſignat, ut hujus fuga, illius verò amplexatione vitam hanc commodam & ſuavem reddamus. Et quidem primùm litis & diſcordiæ cauſam ſtatuit, virum ira ferventem & æſtuantem.

Notat enim primum effectum iræ in ipſo irati corpore, in quo æſtum & fervorem accendit; uſque eò, ut irati parum à febri abſint, cum excandeſcant non aliter quàm in leonibus exulceratis uſu venire tradunt, ut commotiores febricitent.

Quid quod aliquando inflammatiore ira in paralyſin conjiciuntur; & membrorum ſolutionem? Ut vel hoc nomine iracundia fugienda ſit? quod iracundus non alterius modo, ut eſt, ſed & ſui ipſius homicida ſit, & ſuam ipſius aut convellat, aut certè imminuat valetudinem. Hinc (ni fallor) nata eſt diſtinctio ferventis frigidi ſanguinis apud juriſconſultos.

Hujus Proverbii veritatis cauſa eſt, primum quidem quod iracundus facilè litis occaſionem præbet; deinde quod ab aliis præbitam promptè accipit admittitque. Sicut enim fomes ſua ſiccitate & ad accipiendum ignem aptitudine lucernæ propiùs admota (utut lucernam non attingat, neque ei contigua ſit) flammam accipit (nedum ſi lucernam attingat:) ſic iracundus non tantum laceſſitus irritatur, ſed ſponte ſua, nulla præbita offenſa, in iram ruit. Cui accedit, quod tanta in hominibus perverſitas ſit, ut quos iracundos cõperierint, illos irritare pro ludo & loco habent. Quid quod tenebris ignorantiæ ita demergimur, ut inde materiam & ſegetem iraſcendi arripiamus, unde amoris & benevolẽtiæ ſubſunt juſtiſſimæ cauſæ?

Ex quibus liquet, quam non ſine cauſa Chriſtus Matth. 5. iram nobis facie ſanguinolentam repreſentet exprimatque, cum ab ira ſumpto initio, quam ſæpiſſimè ad ſtrages & cædes veniatur. Nam ira excitat rixas, rixa convitia, convitia ictus, ictus vulnera, vulnera ſæpè mors conſequitur. Ob eam rem diligenter circumſpiciendum eſt & cautio adhibenda, ut omnis ad iram aditus & meatus præcludatur, ſi velimus vitam pacificam colere: eoque ab illis etiam luſibus & jocis nobis temperandum, ex quibus ira inceuditur. Cujus rei egregium exemplum, vide 2. Sam. 2. 12. &c.

Poſteriore hemiſt. priorem partem Proverbii ex adverſo confirmat. Sicut enim qui citò ad iram concitatur, lites & contentiones miſcet: ſic tardus ad iram non tantum lites non movet, ſed ab aliis motas & excitatas conſopit. Cum enim iracundus inſtar ignis ſit, hic, qui ad iram tardus eſt, gelidam aquam quodammodo adumbrat exprimitque. Ex quo intelligitur, quanti pretii ſit, & quanti faciendus longanimus; ut qui eandem appellationem ſortitur, quæ ipſi Deo attribuitur, nec immeritò eorum in cenſu eſt habendus, qui vulgo apud nos pacis juſtitiarii, hac inſula appellantur.

V. 19. *Via pigri* [*eſt*] *velut ſepimetum ſpinoſum: iter autem rectorum aggeſtum eſt.*

Eſt utroque hemiſt. allegoria, ſed omnibus obvia.

Summa eſt; pigro omnia dura & aſpera, etiam quæ in ſe ſunt facillima: contrà rectis, qui ſeduli ſunt, omnia, etiam difficillima pervia eſſe.

Hoc ut doceat Salom. à paribus argumentum ducit: perinde enim otioſis evenire, atque his, qui ſepimento ex ſpinis contorto & conſtructo inambulant. Sicut enim aſperum & durum eſt ſpinellis inſiſtere: ſic etiam operæ pretium facere, & rem honeſti & laudati uſus durum & aſperum.

aſperum. Unde etiam conſequitur, ut deſidioſus omnia conſectans, quæ animo ſuo jucunda ſunt, & illa refugiens, quæ in ſe moleſtiæ quid continent; tamen quam voluptatem expetit, non aſſequitur. Cum enim à labore abhorreat, fit vel conatus & manus ad opus admotio, tametſi remiſſa admodum & mollis ſit, ei tamen plus moleſtiæ faceſſat, quam cum nervos & vires omnes intendant hi, qui ad opus præſtitutum alacres & voluntarij accedunt. Hinc etiam aliud malum naſcitur. Quia enim propter animum à labore penitus averſum, quod in manibus ſuſcipit, ſpinoſum & pungens eſt, fit ut in opere faciundo lentè & ſuſpenſo gradu incedat, tanquam extremis tentum digitis veſtigia premens (apud Anglos, *he goeth gingerly.*) Gradus enim teſtudineus eſt pigri gradus. Cum enim (referente Salom. Prover. 6.) piger & deſes ſomno admodum addictus ſit, & illi indulgeat; tum experrectus & à lecto recedens totum diem veluti ſomno ſopitus eſt: Neque immeritò otioſi vitam mortem dixerunt, alii juges & aſſiduas ferias. Cum verò ad omne opus bonum tandus, aut ineptus ſit, tum vero ad maleficij omne genus impiger & celer eſt. Proverb. 6. 10. & verſ. 13. & 2. Theſſalonic. 13. 11. Hæc commode ad eos transferantur, quibus grave & aſperum eſt in viis domini inſiſtere. Vide Mat. 25. 26.

In poſteriore hemiſtichio videtur antitheſeos ratio poſtulare, ut diceret ſemitam, ſeu orbitam ſeduli & impigri hominis eſſe veluti aggeſtam viam. Quod non fecit 2. de cauſis: Prior eſt, ut oppoſitione viri recti pigro & deſidioſo otioſum improbitatis convinceret. Deinde quod non ſatis eſt ad res probè exped endum, ſiquis ſedulus & diligens ſit niſi porro rectitudini operam det.

Ex quo illud primùm liquet omnem deſidioſum improbum eſſe, vel potiùs improbitatis artificem Proverb. 6. 12. Quamobrem otioſus eſt omnibus familiis Eccleſiis, Rebuſpub. exturbandus, cui ne cibus quidem aut hujus vitæ alimenta præbenda & ſuppeditanda ſunt, 2. Theſſal. 3. 10. *qui non laborat, non manducet.* Quo etiam refertur, quod ibidem ab Apoſtolo aſſimilantur militibus, qui ſuam in acie ſtationem deſerunt, 2. Theſſ. 3. 6. & 11. Quæ res quam noxia in bello ſit, omnes facilè intelligunt, qui rem militarem vel leviter deguſtarunt.

Viro autem ſedulo in vocatione ſua, in qua à Deo poſitus eſt, incedenti omnia pervia, expedita, & facilia ſunt; ut viator aggeſtam viam facile ſuperat, & illa citato gradu incedit.

V. 20. *Filius ſapiens lætificat patrem, ſtolidus autem homo ſpernit matrem ſuam.*

Eſt ſynecd. partis in בן (*filius*) pro liberis utriuſque ſexus: item in אב (*patrem*) & אמו (*matrem*) quibus utrumque parentem deſignat. Item eſt ellipſis in priori hemiſtich. contrarii, ſcilicet ejus, quod eſt in poſteriore, id eſt *honorat*, & in poſteriore eſt ellipſis contrarii ejus, quod eſt in priore, id eſt *contriſtatur*, ut integrum Proverbium ſit: liberi parentum contemptu eos contriſtant.

Proverbium hinc affine admodum reperitur cap. 14. verſ. 1. unde petenda ſunt, quæ ad hunc locum ſpectant. Hoc unum ex hoc loco ſuppeditatur, quod priori Proverbio comprehenſum non eſt, ſcilicet in quo conſiſtit ſapientia & ſtultitia, quibus parentes aut exhilarantur aut contriſtantur, nempe honorem debitum præſtando, aut illos aſpernando.

Hic autem ſeu honos, ſeu contemptus initium in ipſa animi ſede accipiens poſt in actiones externas erumpit, non tan-

tum genuum flexione, & capitis nudatione; ſed præcipuè in eorum monitis, atque adeò caſtigationibus acquieſcendo.

In hoc autem Proverbio ſpeciale eſt, quod contemptum in matrem potiùs admitti deſignet, quam in patrem. Plerique enim liberi reperiũtur, qui ſe patri in ſpeciem morigeros præſtant, qui iidem in matres inobſequentes reperiuntur; quandoque quòd in illis ut in fœminis, aliquid animadvertunt reprehenſione dignum; deinde quòd imbelles ſint, nec ſuas in ſe admiſſas injurias perſequi poſſent. Præterea quòd patrimonij & hæreditatis diſtributio & diſpenſatio penes patres, non matres eſt. Quandoque quòd non tam nobili familia prognatæ ſint. Quicquid autem ſit, quod illos ab obſequio matrum depellit, certe improbum eſt & officio repugnans; eoque ipſo etiam patribus immorigeri eſſe coarguuntur. Quòd enim obſequium illis præſtant, cum ex Dei timore non proveniat, in rebellione potius, quam obſequio cenſendum eſt.

Matribus igitur circumſpectè ambulandum, ne contemptus occaſionem præbeant: quod faciunt, dum liberos recens natos à ſe amandant, nec officium matrum liberos lactando præſtant, ſed tantum illos in lucem proferunt, quod declinare nequeunt: Deinde dum ſæpiuſculè liberis ſuis nimium ſe indulgentes præbeant, & filiis etiam in his, in quibus minimè convenit, obſequuntur: unde juſto Dei judicio à liberis ſpernuntur.

Cum vero hic adverſus matres cõtemptus ferè fiat, poſtquam liberi adulti ſint, hinc diſcimus, omni tempore & ætate conditione tam cœlibi, quam conjugata obſequium utrique parenti præſtandum.

V. 21. *Stultitia lætitiæ eſt vecordi: ſed vir intelligentiæ rectũ facit [&, ut ita dicam, rectificat] greſſum.*

In priore parte eſt ellipſis contrarii, ſc. *recti greſſus*, & in poſter. *lætitiæ*, ut plena ſententia ſit; impios ſua in peccato oblectatione ad maleficium porrò incitari: pios vero gaudio ex virtutis affectos ulteriùs in virtutis ſtudio pergere.

Summa eſt; impios peccando oblectari: pios vero ex bene factis & odio peccati, quod admittunt, vitæ ſuæ rationem corrigere, & ad rectitudinem cõtendere.

Cum operæpretium ſit chriſtiano homini amplum & cumulatum teſtimonium propriæ ſalutis apud ſe depoſitum & obſignatum habere; ſicut illius rei ſcientia ex omnibus ſacrę ſcripturæ libris petitur; ſic nullus fere liber exſtat, qui hujus doctrinę feracior eſt, quam liber Proverbiorum. Atque adeò hoc ipſum Prov. quod in manibus habemus, ejus rei præclara documenta edit. Nam hoc in Prov. diſcrimen ſtatuitur longè maximum inter pios & impios; unde quis aut hic, aut ille ſit facile internoſcat. Et primo quidem improbo proprium & peculiare eſt peccato ſe oblectare, in deliciis habere; cui peccatum ludus & jocus eſt; qui, tametſi nullo tentationis impulſu, aut irritamento incitetur, ſua tamen ſponte in peccatum ruit. Huc pertinet, quod hoc ipſo cap. v. 14. propoſitum eſt; *improbos paſci ſua improbitate*; quæ ſimilitudo paſtus & alimenti graphicè depingitur Iob. 20. Ubi Propheta improbos his aſſimilat, qui delicato cibo & cupediis capiuntur, quas, cum in os cõjecerint, diu in ore continent, & huc illuc volvunt & ſub palato conſtringunt, ne, ſi cito illas deglutirent, omnem cupediarum ſuarum dulcedinem amitterent: non ſecus quam epulones & epicurei illi, qui ſibi gruis collum exoptarent, qui diuturnam alimenti ſui voluptatem perciperent. Huc quoque refertur, quod ſuperius in hoc libro dictum eſt; *improbos ſomnum non poſſe inire, niſi aliquid mali perpetrarint.* Quemadmodum enim qui ſtomacho inanes &

vacui

vacui ſunt non facilè dormiunt: ſic improbi, niſi peccato tanquam cibo paſti & ſatiati ſomnũ capere nequeunt. Hujus rei teſtes appello eos, qui citra ſitim ſe vino & ſicera ingurgitant uſq; eò ut etiã ſanitatis & valetudinis jacturã faciãt. Appello etiã illos, qui, cũ domi in paternis ædibus ſe legitimè partis cibis honeſtè & commodè ſaturare poſſunt, malint tamẽ eundẽ ipſum cibũ, quem domi legitimè uſurpant, foras & furtim comparare: congruẽter dicto Salom. *furtivæ aquæ ſunt dulces.*

Hinc priore hemiſt. contrariũ ei, quod eſt in poſter. eſt ſupplendum; nempe ſtultum, ſeu improbum indies peccandi libidine roborari, & in pejus ruere. Ex hac enim declinatione, quam ex peccato percipit, animus ejus porrò ad peccandum incenditur, atque inflammatur, ut hac ex parte ſit diſſimilitudo improbi cum his, qui cibo paſcuntur. Nam hi cibo, liberaliùs præſertim ſumpto, ſaturantur; iſti autem peccando ſibi nunquã ſatisfaciunt; ut cum his potius comparandi ſint, qui hydrope laborant, quorũ ſitis nunquam expletur; qui, quo magis bibunt, eo ſunt ad bibendum avidiores. Atque hoc Apoſt. ad Eph. 4. 10. planè confirmat, cum improbis hoc attribuit, ut cum aviditate quadam peccent. Hîc igitur quiſque ſe exploret, quo animo in peccando ſit: an peccatum, quod admiſit, illi placeat & gratum ſit.

In poſt. hem. ſupplendũ videtur, primũ illud ipſum, quod in prior. hem. expreſsũ eſt, lętitia bene agẽdi Joh. 4. 34. & per cõſequentiã mœror ex maleficio: virũ ſcil. intelligentẽ & pium ex peccato admiſſo valdè contriſtari, & peccatũ illi felle ipſo & abſynthio magis amarũ eſſe. Hãc rem confirmat Apoſt. Rom. 7. *Quod odio habeo peccatum, illud facio*, &c. 2. Cor. 7. 10. 11.

Hinc conſequitur, nimirum ex gaudio in benè agendo, & mœrore in malefaciendo, quod eſt in poſter. part. Prov. poſitum, virum bonũ ſuum greſſum, ſeu vitæ rationẽ rectã facere, ſeu (ut ita dicã) rectificare. Neque enim fieri poteſt, quin, qui, ſolido gaudio ex re bene geſta afficitur, aut etiam ſeriò mœrore ex peccato corripitur, vitæ emendationi ſtudeat.

V. 22. *Diſſipatio eſt cogitationum abſque conſilio: ſed in multitudine conſiliariorum ſurget [unaquæque cogitatio.]*

Metaphora eſt in הפר (*diſſipatio*) ſumpta à rebus corporeis, exempli gratia paleis, aut gluma, aliiſve ejus generis leviuſculis rebus & ad corporeas traducta.

Summa eſt; res temere ſuſceptas caſſas eſſe & irritas; contrà cõnſilio munitas & præmeditatione ſuum eventum fœlicem & optatum conſequi.

Spiritus ſanctus hoc Proverbio monet in rebus ſuſcipiendis animi motus & perturbationes procul amandandos & ablegandos eſſe: nihil per iram, aut excandeſcentiam; nihil per amorem, aut odium; nihil per cæcam cupiditatem, & reliqua id genus ſuſcipiendum eſſe.

Salom. Proverb. 29. 20. [Vidiſti, inquit, virum præcipitem in ſuis ſermonibus? Major ſpes eſt de morione, quam de hujuſmodi viro.] Quod ſi in verbis præcipitium ſtultitiæ coarguitur, nedum in factis. Deinde Pſal. 112. 5. de viro Deum timente dicitur, eum res ſuas judicio adhibito perficere. Item Pſal. 119. ſect. 1. verſ. 3. David profitetur, ſe de viis ſuis ſolicitè cogitaſſe. Hujus rei egregium exemplum vide Iudic. 19. 30. Quid, quod Deus hujus rei quodammodo exemplum præbet, qui Geneſ. 1. (ad noſtram intelligentiam) inducitur, à Moſe deliberans & conſilium capiens de hominis creatione, tanquam re magna? Contrà verò rerum abſque conſilio, & per animi perturbationem ſuſceptarum exemplum, vide

1.Sam. 25. in Davide, qui ſubito juravit mortem Nabaalis,&c. Vide etiam Dan. 3. 19,20,21,22. Herodis qui ſubita animi perturbatione commotus promiſit juramento,cujus poſteà eum pœnituit. Hoc cum omnibus præſtandum, tum maxime juventuti,quæ fervore quodam ſanguinis præceps fertur. Vide 2. Tim. 2.22. Maximè verò conſilia negligunt potentiores viribus,quibus valent cõſiſi; nec reputant ingenium vires ſuperare, ut in machinis artifices oſtendunt.

Deinde quod dicit; in multitudine cõſiliariorum res ſtabiliri,non *bonorum*; conſilia indicat prava conſilia non eſſe digna nomine conſiliorum.

Quod ſi quæratur,quomodo quis conſilium capiat; Reſpon. à magno conſiliario,de quo eſt Eſa. 9. qui per preces adeundus eſt: deinde à Lege Dei petendum conſilium,ut quæ ſanctioris Senatus loco nobis data eſt,Pſal. 119. Atque hoc pacto non minùs certò nobis de voluntate Dei conſtabit, quam olim Iſraëlitis, qui oraculum per ſummum ſacerdotem conſulebant; aut nubis vel ſtatione, vel migratione, de ſua aut quiete,aut migratione edocti ſunt.

Ante omnia verò in rebus, quæ ad regnum cœlorum pertinent, matura conſultatio adhibenda eſt cùm in ipſo aditu & ingreſſu profeſſionis Euang. Luc. 14. 28.9.30.1,2. tùm verò in toto cultus divini exercitio. Vide Exod. 3.3, 4.5. & Eccl.4.verſ.ult. & 5.1.

V. 23. *Lætitia eſt unicuique ex ſermone oris ſui, & verbum in tempore ſuo, ô quàm bonum!*

In במענה (*reſponſione*) eſt ſynecd generis pro ſermone probo; ut ex poſteriore parte verſus conſtat. Altera etiam eſt ſynecd. ſpec. Nam reſponſi vox ex more Hebr. pro omni genere ſermonis ponitur; ſicut & in Euangelio uſurpatur tam pro eo, qui ſermonem orditur, quam pro eo, qui in ſermone ſecundus eſt.

Summa eſt; ſermonis puri ſemper hũc fructum eſſe,ut loquentem exhilaret, & conſoletur conſcientiâ rectè dicti; ſæpe etiam fieri,ut aliis mirificum fructũ ferat.

Hîc quæritur prim. cur dicat, lætitiam eſſe rectè dicti, cum potius dicendum fuit; omnium, quæ rectè fiunt, ſive cogitando,ſive loquendo,ſive *agendo* lætitiam redire ad eum,à quo hæc geruntur? Reſp. de cogitationibus nihil hîc dixit, quia bonæ cogitationes omni periculo, quod ab impiis ſtruitur, vacant. Deinde de dictis hoc pronuntiat magis,quam de factis quia homines ſibi in loquendo magnam libertatem (licentiam potius) arrogant, cum tamen gaudium ſit ex omnibus his. In quo Dei incredibilis munificentia arguitur,cũ bona etiam minima remuneret.

Eſt inſignis fructus rectè dictorũ mercedẽ inde referre vitæ æternæ,quã Deus gratuita promiſſione reddet unicuique Math. 12.37. Atque, ut nullus præterea eſſet,tamen merito ſtimulum adderet ad benè & probè loquendum. Iam verò cum præterea ex Rom. 6. 22. appareat, hunc alterum fructum eſſe, quod rectè dictis,ſeu factis magis,in hac vita ſanctificamur, & os noſtrum naturâ execratione plenum repurgatur; cumque accedat alius perquam nobilis fructus & eximius, ut nos in hac vita miſeriarum plena reficiat atq; recreet cùm ex conſcientia benè dicti,tum ex utilitate,quam aliis affert; quis non videt,operæ pretium eſſe, ut operam navemus puro & incorrupto ſermoni: maximè vero cum hunc fructum nemo nobis auferre poterit? Tametſi enim vera, pia, & honeſta loquendo nobis invidiam apud improbos, & malevolentiam conflemus, tamen gaudium, quod

quod ex conſcientia rectè dicti naſcitur ſemper manet, quod nobis nemo aut hominum, aut dæmonum eripiet.

In poſt. hem. 2. proponuntur: unum eſt deſcriptio commodi dicti, alterum de ejus præſtantia. In priore illud eſt, ut non tantum bonum ſit, quod loquimur, commodis & aptis verbis elatum, ſed porro tempeſtivè fiat. Nam ut fructus generoſiſſ. arboris inſipidus aut amarus eſt, niſi maturus ſit, & tempeſtivus: & ſicut pluvia tempeſtiva multum recreat, intempeſtiva etiam nocet: ſic ſermo, tametſi bonus, niſi etiam ſuo tempore adhibeatur. Hinc eſt illud Eccl. 8. ubi dicitur, cor ſapientis obſervare tempus & rationem rei gerendæ. Hujus exemplum exiſtit in Abig. quæ de viri ſic ebrietate ſiluit, quod crapulam ſuam edormiviſſet. Sic David tempore magni epuli, quod Nabal ſuis tonſoribus inſtruxit, miſit ſuos ſervos, ut aliquid viatici à Nabale obtineret. Idem de jejunio & convivio, de ædificatione, ſeu ſtructura intelligendum. Maximum autem temporis momentum miniſterio, ut, cum Deus portam aperit introducendi, aut confirmandi, & ad omnem æternitatem ſtabiliendi, illud non negligamus. Deinde etiam ut ſciant Miniſtri verbum tempeſtivè adhibere, Eſai. 50. 4.

Alterum eſt in hac parte Proverbij de dicti commodi ſingulari præſtantia, quæ tanta eſt, ut facilius ſit eam admirari, quã verbis exequi. Vid. 1. Sam. 25. quomodo David celebret orationem Abig. quod tam tempeſtivè adhibita eſt. Maximè autem hujus ſummus uſus eſt in miniſterio. Sicut enim ſpecioſi ſunt pedes Evangelizantium pacem: ſic ſunt etiam tempora, in quibus plus virium habet ad converſionem animarum; ut ſi quis tempus morbi aut afflictionis obſervet. Job. 33. Item tempore, quo Deus hominibus ſingularem gratiam præſtitit, ut ſenſu benignitatis divinæ altius doctrina animis inſideat. Vid. 2. Chron. 15. 1. 2. 3. 4. &c.

Notandum porrò emphaſim; vel verbum unicum magni momenti & præſtantiæ eſſe, ſi verè & tempeſtivè adhibeatur, ut ſit modo *etiam*, aut *non*.

V. 24. *Orbita vitæ eruditi ſuperna tendit, ut declinet à ſepulchro infernè, id eſt [ab inferis.]*

Summa eſt; unicam viam declinandi mortem æternam eſſe animum & cogitationes attolere ad cælum.

De erudito & præclare ad regnum Dei inſtituto duo prædicantur: primo quid facit, alterum in quem finem facit.

In priore 2. notantur; quid ſit, quod ille quærit, & quomodo illud inveſtigat. Inveſtigat autem orbitam vitæ. In quo illud conſiderandum eſt; neminem, niſi cælitus regenitum, quæ ſunt vitæ æternę, perſequi. Ut enim quis illa perſequatur, eorundem cognitione illuſtrari, & ſenſu, & amore aliquo imbui oportet. Quod enim aut neſcit quis aut deſiderio ejus non tenetur, illud perſequi qui poteſt? Quemadmodum nemo, niſi regenitus orbitam vitæ ſequitur: ſic nemo non regenitus illud præſtat. Ex quo videndum nobis eſt, quo loco ſumus; an filij iræ & tenebrarum, an lucis & gratiæ. Nam, niſi vitam æternam ſectemur, palam eſt, nos in morte manere, necdum è poteſtate diaboli & tenebrarum in regnum filij Dei & lucis traductos & tranſlatos eſſe. Oportet enim omnes mercatori illi Mat. 13. ſimiles eſſe, qui illicò, ut pretioſum lapidem invenit; omnia vendit, ut illud acquirat.

Hæc autem inveſtigatio orbitæ vitæ quam neceſſaria ſit, inde percipitur, quod una tantum ſit, cum orbitæ, quæ ad mortem ducunt, ſint infinitæ: deinde quod

arcta ſit & anguſta, non lata & ſpecioſa, ut ſunt viæ, quæ ad mortem tendunt: Et ob eam cauſam contentione, vel dimicatione potius utendum eſt (ſicut Chr. ipſe loquitur Luc. 13.) ut illam ineamus, & ſemel initam conſtanter teneamus.

Sequitur modus & ratio, quâ orbitam vitæ quæramus; nempe ſi animum & cogitationes noſtras ad ea, quę ſuperna ſunt, referamus, nec patiamur nos ipſos humi repere, & cupiditates noſtras & affectus in terra defixas habere. Tametſi enim in terra agimus, tamen converſatio noſtra in cælis eſt. Phil. 3. 19. Si cum Chriſto ſurreximus, quæ ſuperna ſunt, quæramus, ubi Chr. eſt ad dextram Patris Col. 3. 1.

Hinc eſt, quod Pſal. 15. cælum monti comparatur, qui nobis in dies ſingulos ſcandendus & conſcendendus eſt. Et Cantic. 7. 9. Eccleſia ex deſerto aſcendit supernè. Ubi videtur alludere ad aſcenſum populi Dei ex Ægypto in terram Canaan per deſertum; & cap. 3. v. 4. 5. 6. ubi docetur, fas non eſſe hic in terris cum Chriſto manere: ubi Eccleſia ſeipſam corrigit, quod dixerat, ſe velle Chriſtum ſemper in domo matris retinere.

Quod quidem eo & æquius & animoſius præſtandum, quod Chr. è cælis deſcendit, ut nos ad cælum attraheret; idque multo majore labore propter montis declivitatem, quam nos aſcendendo capere poſſumus. Huc accedit, quod dicitur montes præaltos noſtra causâ ſuperaſſe & ſubſiliiſſe. Cantic. 8. ult.

Supereſt finis; ut ſcil. recedamus à ſepulchro, quod deorſum fertur, id eſt ab inferis. Cujus iter præcipitio comparatur, & montis deſcenſui, quo plerunque omnes viatores gaudent, quod facilè & nullo negotio, nulla virium contentione hujuſmodi via conficitur. Unde non ineptè comparatur deſcenſui in Ægyptum, qui Dei populo interdicitur. Hinc etiam liquet, duas tantùm vias eſſe; una, quæ ad cœlum; altera, quæ ad inferos ducit; contra purgatorium Pontific. Convellitur etiam pontificius limbus, in quo patres fideles ante Chriſtum concluſos eſſe docent, neque quenquam ante Chriſtum aſcenſum in cœlum receptum eſſe.

Verſ. 25. Domum ſuperborum diruit Dominus: ſed ſtabilit limitem viduæ.

In בית *(domum)* & גבול *(limitem)* eſt ſynecd. part. pro quavis poſſeſſione: & in בית eſt porrò meton. ſubject. pro his, qui ſunt in domo. In אלמנה *(viduæ)* eſt altera ſynecd. part. pro omnibus abjectis & ope deſtitutis.

Summa eſt; ampliſſima quæque ſuperborum à Deo diſſipari: contra minima quæque, quæ viribus deſtituuntur, ab eo confirmari.

Celebre eſt illud Iacobi cap. 5. *Deus ſuperbis reſiſtit*; atq; adeo in Proverbium in Republ. Dei abjit; *eum, qui ſe effert, dejiciendum eſſe*. Quod unicum ex ſe deberet homines à ſuperbia abſterrere, cum intelligant, ſe ex ſua ſuperbia inimicitias cum Deo exercere, & bellum quodammodo indicere. Iam vero cum non tantum in ſuperborum perſonas ſtringitur gladius iræ divinæ, ſed ejus furor in omnes etiam ſuperborum poſſeſſiones, vectigalia, & poſteros exardeſcat, duplex quaſi frænum injicitur, quo homines in modeſtia & ſobrietate contineantur. Quæ Dei in ſuperbos ſeveritas ex eo juſta comprobatur, quod poſſeſſionibus omnis generis ſeu fundis, ſeu domiciliis creſcant, & efferantur eorum animi. Quis Regum æquè ferat ex ſubditis ſuis aliquē eo inſolentiæ procedere, ut adverſus ſe inſurgat; aut inflatum ex latifundiis, quibus à ſe locupletatus eſt, poſſeſſionibus non exuat, quibus Regis gloriam & ſplē-

dorem

dorem obſcurare conatur? Tametſi vero aliquando ſuos ſubditos in id culmen honoris hi attollunt, unde eos deturbare nequeunt, tamen, tamen hoc, ut juſtiſſimè, ſic facillimè efficit Deus. Utcunque enim ſe & ſua, ſeu arces, ſeu turres, ſeu regias & palatia in altum attollunt, ita ut (ſi fieri poſſet) cælum attingant: Deus tamen illis omnibus eminentior& ſuperior, ut neque illum ullo telo petere poſſint, & ſint omnibus ejus belli machinis, grandinibus, fulguribus, fulminibuſq; obnoxij. Niſi igitur ſpe vana ducantur, Deum è ſolio ſuo cæleſti deturbandi, caveant, ne animos & Spiritus ſumant: & ſumptos quamprimum deponant, niſi Deum velint in ſe & ſua vindicem experire. Cujus rei exempla in Scripture frequentia occurrunt, Monarcharum Aſſiriæ, Babiloniæ, Perſiæ, Græciæ, Hammanis, & aliorum. Illuſtratur porro ſimilitudine proditorum & eorum qui læſę majeſtatis cõvicti tenentur; qui non tantum ipſi laqueo vitam finiunt, ſed ex lege municipali noſtra domus eorum ſubruendæ, arbores radicitus evellendę, ager devaſtandus eſt. Nam cum ſuperbi majeſtatis lęſe rei ſunt apud Deum, idque ſpeciali quadam ratione, & veluti in ſummo gradu, eorum etiam familiam everti à Deo iniquum non eſt. Qua in re divinum judicium ſemper juſtum humanum judicium & terreſtre tribunal ſuperat. Nam illi in innoxiam familiam graſſari non debent, ut eſt in lege, & exemplo Amaſiæ conſtat: ſed &c. Sicut autem ſuperbi ex amplitudine poſſeſſionum ſuarum animos ſupra modum attollunt; ſic his quibus anguſta ſuppellex ſuppetit, ſuæ viduitatis & paupertatis intuitu deſpondent animos: quos S. Sanct. erigere & confirmare vult. Scitum enim illud eſt Iacobi; Deum humilibus & abjectis gratiam referre, nec illis tantum ſuccurrit, ſed eorum omnia ſub tutela ſua ſervat; ut contra ſuperbis facit. Quæ enim in nobis vires & robur deficiunt, animi abjectionem nobis injicere non debent, potius animum excitare & exacuere; quo magis in nobis ipſis exhauſti ſumus, eo ardentius Deum (ut noſtros defectus ſuppleat) invocemus. Hujus autem utriuſque partis Proverbij documenta ſunt in cantione Mariæ Luc. 1. 51. 2. 3. quæ in hac vita inchoata pleniſſimè & perfectiſſime olim in ſęculo futuro complebuntur.

V. 26. *Cogitationes mali abominationi ſunt Iehovæ: ſed mundorum ſermones amoeni ſunt.*

In utraque parte Proverbij videtur eſſe ἐλλειπτικῶς, quæ ab invicem mutuo ſupplentur, priorum ex poſteriore adverſo, & poſteriore ex primo adverſo; ut integrũ proverbium ſit: cogitationes mali ſunt Jehovæ abominationi, & proinde eorum ſermones ex cogitationibus manantes: cogitationes vero mundorum ſunt amœnę, eoque ipſo ſermones Deo grati ſunt.

Summa eſt; prout cogitationes malæ, aut bonæ ſunt: ſic ſermo Deo aut ingratus, aut acceptus eſt; congruenter dicto Chriſti Matth. 12. *ex theſauro cordis* &c.

In hujus cap. v. 8. item 9. Propheta declaravit cultum, atque totam improborum converſationem exteriorum Deo abominationi eſſe: Illud eſſe tantum de ſe videri potuit, ut, quæ ſit Dei de eorum cogitatis ſententia, declararet. Tritum enim eſt ſermone Proverbium, cogitationes vectigalia non pendere, tanquam eſſet liberum & conceſſum omnibus pro libidine, quid lubet, animo cogitare. Nam fit ſæpe ut homines inconſideratè de foro & tribunali Dei perinde ſtatuant, ut de mortalium foro. Quia enim homines cogitata in jus non vocant, ideo ne Deum quidem illa debere in judicium

dicium adducere animo ſuo affingunt]; ſed falſo. Deus enim cum totum hominem integrum fecit, & incorruptum, non tantum verbis & factis, ſed cogitatis, jure hanc omnem innocentiam poſtulat, quam ipſe contulit. Deinde cum cogitationes maleficiorum omnium parentes & ſemen ſunt, quæ juſtitia foret filios punire, & matres impunes dimittere? Aut quæ agriculturæ peritia de noxiis herbis excindendis laborare, cum interim ſemen, aut radicem, unde naſcuntur, pullulare patiamur: Cumque nidus, vel cavea ſit, ubi omnes immundæ & exoſæ aves excluduntur, non tantum pulli necandi, ſed nidus & cavea deturbanda. Quæ etiam illa mundities partem externam patinæ purgare, & interiorem putredine & rubigine pati corruptam manere? Præterea inter mortales quis princeps, autRex, quantumvis auguſtus reperietur, qui in rationibus ineundis, & ſubducendis non modo librarum & coronatorum, ſed vel obulorum & quadrantum rationem exigit? Et cum homines, quod malum ſub ſenſum aut oculorum, aut aurium cadit, ſupplicio plectunt, quidni Deus, qui videt & audit, quæ cor agitat, & loquitur, ſe ejus malitiæ ultorem præbeat? Deus igitur legis ſuę obligatione non minus cor conſtrictum tenet, quam aut manus aut pedes: maximè cum illud Deus ſibi præcipuè, tanquam domicilium poſtulet, in quo per S. ſuum Sanctum habitet,

Cum cogitationes ſunt malæ, ſequitur ſermones, utcunque in ſpeciem aureos, aut mellitos, Deo eſſe abominationi. Ex quo liquet, quam vana & futilis eorum oratio ſit, qui, cum corrupti & impuri ſermonis convicti tenentur, ſuum peccatum extenuant, quod nil mali cogitarunt; cum vitioſi ſermones non niſi ex perverſis cogitationibus promanare poſſunt. Sicut igitur Iac. 4. 8. dicitur; *mundate manus, peccatores* (quod ut fiat) *ſanctificate corda*; ſic dici itidem poteſt; mundate ora, peccatores (quod ut præſtetis) ſanctificate corda, ô duplices animo.

In poſt. notandum eſt, non in univerſum oppoſitionem & antitheſim plenam eſſe. Nam tametſi improborum cum cogitationes tantummodo malæ ſunt, idq; omni tempore Gen. 6. tum ſermones inde provenientes eandem perverſitatem continuè reſipiant; tamen bonorum nec cogitationes, nec ſermones ſemper puri inveniuntur; quod in piis peccatum inhabitet, cùm improbi, quanti, quanti ſint, nihil niſi improbitas ſunt.

Quam autem amœni Deo ſunt ſermones piorum, ſuperius ex diverſis Cantic. teſtimoniis audivimus. Quod ſi Deo amœni ſint, nobis, qui verè pij ſumus, ingrati, aut inſipidi eſſe non poſſunt. Prius 23. hujus cap. commendatur ſermo conditus ſale ex ſingulari utilitate, quam cum aliis adfert. Hoc autem loco graviore & illuſtri magis argumento utitur, quo nos ad utiles & ſanctos ſermones exſuſcitet, viz. quod D eo grati ſunt. Quod enim Deo acceptum eſt, faciendum foret, utcunqne cum nobis, tum aliis grave & moleſtum eſſet. Vid. Rom. 12. Ne igitur à bonis ſermonibus os noſtrum obſtruat, quod hominibus ingratos fore ſuſpicemur: potius non ſuſtentet atque recreet hoc, quod dicitur, Deum illos in deliciis habere.

V. 27. *Conturbat domum ſuam quæſtui deditus: ſed odio habens dona vivet.*

Eſt ellipſis in hoc Proverbio quæ ſupplenda videtur hoc modo; Avarus & ipſe peribit & familiam conturbat: ſed odio habens dona cum ipſe vivet, tum familiam ſuam pacificam & quietam reddit.

Summa eſt; pro male partis cum perire graſſato-

graſſatorem, tum familiam ejus conturbari: contrà moderatis & legitimè partis divitiis cum patremfam. vitam ſuam prorogare, tum familiam tutam & pacificam conſervare.

Avaritia eſt vitioſus animi affectus hujus vitæ divitias plus ſatis appetens. Hoc in loco notatur adjuncto, quod ſit deditus quæſtui. Quamobrem ſi animum advertit & applicat divitiis, &, ſi amator divitiarum ſit, ut loquitur Apoſt. etſi nihil acquirat, tametſi, quicquid acquirit, illud profundit, tametſi denique non niſi legitimis & honeſtis artibus hoc faciat, tamen avarus eſt, lucro deditus, atque ob hoc ipſum & ſibi & ſuis non bene faciens ſed planè noxius.

Hic vide veritatem illius dicti, quod eſt Pſ. 33. 10. [Deum irritas facere hominum cogitationes & conſilia.] Avari enim accumulandis divitiis operam navant 2. de cauſis, cum ut ipſi vitam quam longiſſ. vivant, tum verò ut ſuas familias in omnem poſteritatem ſtabiliant. Horum neutrum fit. Neque enim (inquit Chriſtus) [vita hominis in in eo conſiſtit, quod plurimum divitiarum illi ſuppetat] Luc. 12. 15. Non tantum verò conſilia & cogitationes irritas facit, ſed porro in eorum ipſorum perniciem illa contorquet. Nec enim ſolum non proſunt divitiæ ad eum finem, ad quem parantur, ſed porrò (ut hoc proverbio conſtat) nocent plurimum. Quæ enim tanquam clipeus comparantur, quo ſe tegant ab hujus vitæ injuriis, in gladios vertuntur, quibus jugulantur: & quæ tanquam ſtatumina & pedamenta perquirunt fulciendis & ſtatuminandis familiis, veluti ἑλέπολεις ſunt, quib. domus expugnetur: quod ſcipionis loco fore putabant, cui incumberent & inniterentur, in arundinem Ægypti convertitur, qua manus eorum pungitur & fodicatur: & quod opinione conceperant, murum futurum, quo cincta domus tuta foret, fit tormentum bellicum, quo dejicitur & deturbatur. Sic munitiones & ingenioſa inventa, quæ ad ſervandas opes excogitantur, quid aliud ſunt, quam totidem veluti cotes ad latronum & graſſatorum ingenia acuendum, quibus illa omnia aut vi pertundant, aut arte & calliditate diſſolvant? Niſi igitur ex animo avaritiam pellas, quę veluti dux raptorum eſt & latronum anteſignanus, fruſtra omnia ſeris & vectibus communieris.

Iam verò ſi quæratur, quomodo lucro deditus, ſibi ſæpe mortem immaturam accerſat, quomodo familiæ interitum; Reſpondeo opera ſua & aliorum. In priore gen. eſt; quod ſe curis ſæpe & ſolicitudinibus conficit & cruentat 2. deinde quod hoc modo ſomnum à ſe pellit, & à domeſticis, nimiis laboribus, quibus eos fatigat. 3. quod nimia ad rem attentione juſtum & debitum alimentum nec ſibi, nec ſuis ſuggerit. 4. quod rerum partarum jactura ſupra modum cruentatur, ut aliquãdo laqueo ipſe ſibi mortẽ conſciſcat.

Aliorum operâ vel
- *humanitus*
  - *latronibus & furibus,*
  - *graſſatoribus & effractoribus.*
  - } *manum facultatibus, & ſibi vim injicient.*
- *divinitus, ſolo flatu & maledictione cum ſe, tum ſua exedente.*

Huc ſpectant teſtimonia, quibus confirmatur, impium theſauros colligere pro piis. Iob. 27. 16. Prov. 28. 8. Hujus rei illuſtre teſtimonium extat Jer. 17. 11. ubi dicitur cum ipſum perire media ætate, tum divitias diſſipari, id quod illuſtrat ſimilitudine perdicis.

Sicut enim qui moderatè comedit, alitur cibo, & cibus illi in ſtomacho manet; contrà vero evomitur, cũ plurimũ infarcitur; ſic qui divitias avidè accumulat cogetur denuo regurgitare. Vide Iobi 20, 15.

Hujus rei exemplum eſt in Achane, qui ſua avaritia ſe, atque adeo univerſum Dei populum & totam ſuam familiam conturbavit: item in Achabi numeroſa prole, quæ tota periit inter alia ex vineā Nabothi per tyrannidem erepta. Vide etiam exemplum in Ioacimo Ier. 22.

In poſt. parte notandum eſt, laudem juſti viri non in eo verſari, quod non accipiat munera & corruptelas, ſed quod illa odio habeat. Sic dicitur alibi Pſal. 97. 10. *Quotquot amatis Deum, odio habete illud, quod malum eſt.* Sicut enim avaritia in eo, quod quis divitias amet: ſic vera & chriſtiana liberalitas in odio omnium illegitimarum artium, quibus illā parari ſolent, conſiſtit. Quamobrem ut hoc ad omnes ſpectat, quibus optatius eſſe debet dare quam accipere: ſic præcipuè ad magiſtratus ſpectat, quibus ſingulari quadam cura à munerum corruptelis cavendum eſt.

Neque tamen hoc dicto damnantur dona & munera honoraria, quibus gratitudinem & benevolentiam teſtamur, & amicitiam aut partam confirmamus, aut amiſſam recuperamus.

Quod ſi non ſit fas muneribus & donis inhiare, quibus nihil eſſe poſſe dicunt magis liberale & ab injuria alienum; nedum rapinis & oppreſſionibus & exactionibus.

Quam verò hoc proverbium verum ſit, vide in exemplo Ioſiæ à Ier. amplif. 22.

V. 28. *Cor juſti meditatur ad reſpondendum: ſed os improborum eructat malum.*

In מענה (*reſponſionem*) eſt ſynecd. ſpec. pro omnis gen. ſermone. In יביע (*ebullit*) eſt metaphor. ducta à ſcaturigine aquarum, quæ ſine omni intermiſſione aquam emittit.

Summa eſt; diſcerni juſtum ab improbo ſermonis præcipitantia, aut conſultatione.

Quod ſuperiùs dictum eſt de factis, nunc itidem de dictis intelligendum, ut nihil dicatur per cæcum amorem, odium, iram, libidinem, aliamve quampiam animi perturbationem.

Ubi quæri poteſt; qua neceſſitate hoc nobis incumbit? Nam cum [ex cordis abundantia os loquitur,] & juſti hominis cor juſtum ſit, videtur nihil inde poſſe manare, niſi quod juſtum ſit. Reſp. juſtitiam noſtram inchoatam ſolummodo eſſe, & injuſtitiæ nobis innatæ & penitus inſitæ adjacere; eoque opus eſſe animadverſione & cautione, ne, quod in nobis injuſtum manet, bono, quod Deus in nobis operatus eſt, præcurrat. Quod etiam eo ſtudioſiùs & operoſiùs faciendum, quod, quæ naturæ inſtinctu facimus (præſertim cum uſus & conſuetudo naturam firmavit & corroboravit,) facilius & promptius à nobis prodeunt, quam quæ adventitia ſunt, & depravatæ naturæ adverſa; ut in equis naturâ ſuccutientibus, & arte ad incedendum formatis videmus illos (præſertim ſi urgeantur) ad id, quod natura dictat, ſubinde recurrere, niſi adducto fræno cohibeantur. Deinde juſtus non in eo tantum eſt, ut quod bonum & juſtum eſt, loquatur, ſed porro animo cogitat, ut quam commodiſſime modo, tempore, perſona, & loco proferatur; & ut non tantum aurea dicta ſint, quæ proferuntur, ſed ut argenteis inciſionibus ad majus decus & ornatum intertexantur.

Quamobrem videmus incumbere, omnibus piis, ut ſuis ſermonibus meditationem præmittant: ob eamque cauſam ut nihil perturbate, nihil per cœcum amorem, odium, iram, vel libidinem loquantur. Cui egregie conſentit, quod præcipitur Iacob. 1. *ut tardi ſimus ad loquendum.* Atque cum lingua ſit inſtar clavi

clavi in nave hujus corporis noſtri, nonne, tanquam clavus conſiderate movenda? Cumque frænum ſit, quo indomitus naturæ noſtræ pullus regendus & flectendus eſt, in illo & adducendo & remittendo, inflectendo, reflectendo judicium & prudentiam adhibere opus eſt, Huc ſpectat, quod Coloſſenſ. 4. 6. præcipitur, ne ſinamus verbum emitti, antequam gratia tanquam *ſale condiatur*. Hujus dicti, quod etiam habetur Pſal. 37. 30. rationes duæ aſſignari videntur v. 31. 32. una quod doctrina Dei ſit in corde juſti: alia quod improbus aſſidue ſpeculatur & excubias agit; ut juſtum intercipiat.

Deinde pro rei, de qua loquimur, gravitate major cautio eſt adhibenda, maximè cum de Dei cultu, & rebus ad regnũ Chriſti ſpectantibus ſermo inſtituitur. Quamobrẽ Nehem. cum Regem acceſſit cum eo de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus acturus, priuſquam ſuam petitionem apud Regem propoſuit, tacitus apud ſe Deum oravit ſubita & ejaculata prece, Nehem. 2. 4. Vide porro Eccle. 5. 1. Atque cum in oratione ab omnibus hoc requiratur, nedum à Miniſtris, cum in verbi præconio, tum in precibus concipiendis, vel etiam recitandis.

Excutiamus nos, quomodo verba noſtra numeremus & juſtis quaſi ponderibus appendamus. Sicut enim pretioſas merces omnes numero & pondere damus: ſic, cum ſermo res pretioſa ſit, examinemus eum, & ad ſtateram exigamus: ori noſtro cuſtodiam, & veluti oſtiarium apponamus.

Quod ſi in ſermone dando hæc cautio adhibenda eſt, certè in illo accipiendo & admittendo non minor cura adhibenda eſt, ut itidem numero & pondere eos aut approbemus, aut reprobemus: quare Chriſtus monet, *quid, & quomodo audiamus*, Marc. 4. 24. Luc. 8. 18.

In poſteriore hemiſtichio docetur, vitioſum & depravatum ſermonem ab improbis cumulatè & abundè profluere. Ut enim plenum flumen aquarum non poteſt non abundè aquas emittere: ſic improbus plenus malitia iſtam continere nequit. Ab homine enim improbo quid poteſt manare, niſi quod improbum eſt? *Quomodo enim poteſtis* (inquit Chriſtus) *bona proferre, cum ſitis mali?* Math. 12. Improbi igitur quo loquaciores ſunt, eo majus & gravius judicium ſibi accumulãt, ut ſingula verba totidem veluti prunæ futuræ ſunt, quib. ignis divinæ iræ ardebit magis & inflammatiùs.

Sed hic quæritur, an improborum ſermo perpetuo & conſtanter ſit malus? Scimus enim Achitophelis dicta inſtar oraculi cujuſdam fuiſſe. Reſp. bona eſſe non ſibi; ſed aliis prodeſſe poſſe.

In hoc igitur verſatur diſcrimen juſti & injuſti, non quod juſtus aliquando non loquatur ſtultè & nequiter, ut in Petro Math. 16. 22. & in Davide 1. Sam. 25. conſtat; ſed in eo diſcrimen ſtatuitur, quod pii, utcunque aliquando labantur, tamen non id perpetuo faciunt.

V. 29. *Procul eſt dominus ab improbis: ſed orationem juſtorum exaudit.*

In רחוק (*procul*) eſt metaphor. ab hominibus traducta, qui procul diſſiti ſe vocantes nec videre, nec audire queunt. Eſt autem ellipſis in utraque parte Proverbij, quæ ſuppletur hoc modo: Deus procul eſt ab improbis, nec eorum preces exaudit: eſt autem prope juſtos, & eorum preces exaudit.

Summa eſt; Deum nonniſi pios ſe legitimè invocantes exaudire; ne aut improbi vana ſpe ſe lactẽt precum ſuarum; aut pii animis cadant, & ſe exaudire diffidant.

In priore parte docetur, improbos, utcunque Deum inclament, à Deo non exaudiri. Quod ut doceat, illud ſimilitudine illuſtrat hominis procul diſſiti, ut exaudire, aut videre nequeat. *Nam Deus, cum cœlum & terram impleat, longe remotus non eſt, cum in ipſo vivimus, movemur, & ſumus;* nec quoad eſſentiam ſuam piis propior eſt, quàm impiis: ſed dicitur longè diſſitus, quia gratioſa illius præſentia, qua illis ſuccurrat, aut ſubveniat, non adeſt, nec ſe invocantes exaudit, ſed veluti faciem ab illis avertit, aut abſcondit, dum nihil eorũ accipiunt, quæ petunt. Vide Pro. 1. 28, 29. Eſai. 1. 15. Cujus rei cauſa aſſignatur, 1. Tim. 2. Eſai. 1. Prov. 1. 29.

Tametſi grave ſit non exaudiri, cum Deum inclamant periclitantes, tamen gravius quiddam illos manet. Nam non tantum caſſæ ſunt eorum preces, ſed porro in peccatum vertuntur, Pſa. 109. *Quod enim ex fide non eſt, peccatum eſt.* Sicut enim fit ut homines perſonam odio habentes, non ferunt æque ut illos alloquatur; ſed quo magis illos ſolicitat, eo magis ira accenduntur, ut in Artax. & Haman. ſic &c. Ex quibus liquet communis hominum error, qui exiſtimant omnes cœlũ petere, qui expiraturi clamant; *Deus, miſerere mei*, cum horum verborum pronuntiatio illos ab inferis non eximet.

In poſteriore docetur, Deum prope eſſe juſtos & juſtorum preces exaudire, Pſal. 145. 18. tanquam ſemper prope ſit, antequam invocent, & cum nondum preces abſolverint, Eſai. 62. 25. & 65. 24. Dan. 9. 20. Actor. 10. 30. *Quicunque quærit, invenit: pulſanti, &c.* & *Quicquid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis.*

Sed hoc loco quæritur, quomodo hujus Proverbii veritas conſtat, cum ſæpe queruntur pij, [Deum procul ſtare, vultum ſuum abſcondere, & ſurdum agere.] Reſpon. Deum prope eſſe, tametſi nos illum non magis videamus, quam Agar aquam, quæ ante pedes & coram erat. Unde etiam in Cantic. dicitur pone poſtem, aut oſtium ſtare. Quamobrem hujuſmodi loquendi formulæ ex tentatione proveniunt, quod Deus ilico non exequutioni mandat, quod precibus impetrarunt.

Verſ. 30. Lux oculorum exhilarat animum; auditio bona impinguat os.

In לב (*cor*) eſt ſynecd. partis pro toto homine: & in ידשן (*impinguat*) eſt item ſynecd. pinguedinis pro bona totius corporis & animi habitudine.

Summa eſt; honeſto & legitimo ſenſuum uſu hominem & animo & corpore conſervari; ſed majorem tamen eſſe vim in auditione poſitam, quam in viſione; quod indicatur verbo עצם (*os*) quo firmius beneficium deſignatur auribus perceptum.

Lucis & ſolis aſpectus quam mirifice animum recreat, in communi ſenſu & omnium intelligentia poſitum eſt. Quod & ex eo magis intelligi poteſt, cum cœlum nubibus obſcurat, aut nocte obtenebratur; quo tempore multum oblectationi noſtræ decedit & detrahitur. Liquidiſſime verò illud arguitur, ex tenebris Ægyptiacis, quæ graviſſ. mœrore Ægyptios afficiebant: item ex tenebris, quæ tempore paſſionis, ipſa meridie ad Chriſtum gravius torquendum & cruentandum emiſſæ ſunt. Denique quod in pœnis impiis irrogandis tenebræ numerantur. Alia pleraque ſunt, quibus oculorum aſpectus reficitur & recreatur, ut arborum viriditas, flores verſicolores, & id genus alia, quæ Deus ad hominem exhilarandum creavit.

Hic tamen diligenter cavendum eſt, ne-

ne oculorum abuſu illa nobis fraudi ſint & nocumento, quæ Deus noſtro bono largitur. Unde illud Pſal. 119. *averte oculos meos, ne videant vanitatem*: ut cum quis alienam intuetur ad concupiſcendum; vinum, cum in calice rubet ſalitq;. Utut enim ad tempus animum exhilarat hujuſmodi aſpectus, ejus tamen voluptas momento evaneſcens poſt animi cruentationem, & fodicationem, eamque diuturnam affert.

In poſter. parte Proverbii videtur Salom. auditionem rei bonæ præferre rerum bonarum viſioni; utpote qui ſenſus ſit ad ſcientiam parandam, maximè verò ad Euangel. perdiſcendum, in quo ſalutis ſumma poſita eſt, accommodatior. Unde etiam fit, ut lumen illud intelligentiæ & ſcientiæ in intimos animorum receſſus inferatur & importetur, ſine quo lux illa ſolis externa nullam ſolidam & diuturnam delectationē ſuppeditare poteſt. Quamobrem cavendum eſt, ne aures adhibeamus ſermonib. pravis & corruptis. Quanto enim plus utilitatis ad homines legitimo ejus uſu redit, tanto eſt ejus damnoſior & periculoſior abuſus.

Verſ. 31. Auris auſcultans correptioni vitæ in medio ſapientum pernoctabit.

In אזן (*auris*) eſt ſynecd. partis: item in ילין (*pernoctabit*) pro aſſidua converſatione & conſuetudine.

Summa eſt; τεκμήριον, eſſe homines ſalutares correptiones admittere, cum gaudent conſortio ſapientum, qui illos redarguere norunt.

Hoc Proverbium eundem & ſenſum & ſcopum habet, quem illud, quod duodecimo hujus capitis continetur, & ab adverſis idem ipſum corroborat. Sunt tamen (ut fit) quædam quæ doctrinam amplificant & clariorem reddunt.

Deriſori hoc in loco opponit eum, qui auſcultat correptioni, ſed addit hoc loco, correptio vitæ, ad diſtinctionem correptionum. Nam ſunt qui ex benefactis, & ſancta conſuetudine & converſatione nos inſectabuntur & exagitabunt, quibus tamen auſcultarē, aut aures adjungere fas non eſt, cum ſit correptio mortis, non vitæ. Et in hoc genere multi vituperatores reperiuntur; multi etiam, qui in illis reprehenſionibus acquieſcunt. Non enim inviti viam ſalutis ingrediuntur; ſed cum ſe ea inſiſtere non poſſe intelligunt, niſi cum ſociorum ſuorum ludibrio, aut contemptione, ilicò à via vitæ deflectunt: neque vel ipſa improborum Chriſti causâ dicteria ferre norunt, ne dum bonorum ſuorum, aut vitæ diſpendium facere. Quibus Chriſtus apertè denuntiat, *ſe pudore ex illis coram ſanctis Angelis ſuffuſum iri*, quod eos ſui, & ſermonis ſui coram mortalibus & miſeris pudeat. Tantum autem abeſt, ut ſolis æſtum pro Chriſto ferant meridie plena lucentē, ut ne leviſſ. ejus ἐκ τοῦ πλαγίου plagam ferant.

In poſteriore homiſtichio contrarium ſtatuit verſ. 12. Nam ibi de deriſore affirmatur, illum ad ſapientes non iturum: hic contra dicitur, iſtum, qui ſe jure corripi æque fert, eorum conſuetudinem expetere, quorum correptione ſapientior evadat. Quod etiam argumento comparation. mojoris probat. Nam ne nocte quidem, tempore maximè ad converſationem incommodo ab illis ſe abduci patitur, nedum interdiu; quod idem eſt, atque cum illis habitare & commorari. Hinc illud eſt, quod David Pſal. 141. 5. ſe feciſſe profitetur. Vide quomodo Abigaelē David poſt correptionem humaniſſime accepit, nec deſtitit, quoad uxorem ſibi illam adjunxiſſet. Vide Hiſt. mulieris Cananeæ, Math. 15. maxime vero

cæci illius, de quo eſt Luc. 18. qui quo magis reprehenſus eſt, quod Chriſtum inclamaret, eo vehementius invocabat.

Ex hoc loco facilè conſtare poteſt, quã pauci germani Chriſtiani & ſapientiæ diſcipuli ſunt, ut qui ab admonitionibus abhorrent, non ſecus quam ſcholares hi quos ob negligentiam & laſciviam caſtigatos ilico ſcholæ tædium capit.

V. 32. *Qui abſtrahit ſe ab eruditione, ſpernit animam ſuam: ſed auſcultans correptioni poſſidet cor.*

Summa eſt: eruditione & correptione conſervari homines; & contra earum contemptu perire.

Cum homnines natura ſua præ ignoratione Dei inſtar brutorum animantium ſint Prov. 30. & Pſal. 92. 7. & apud Jobum *pullo indomito* comparentur, qui viam tenere nequit: in promptu eſt eos eruditione opus habere, ſine qua viam vitæ ne inire quidem norunt. Quemadmod. verò naturâ expertes ſumus veræ Dei cognitionis, ita etiam ejuſdem naturæ pravitate & perverſitate animum ab eruditione, & ſcientia Dei abhorrentem gerimus; ut nullus equus ad ephippia, nullus bos ad jugum admittendum magis refractarius & recalcitro ſit, quam eſt homo ad veram Dei notitiam imbibendum. Nam beſtię, utcunque efferatæ & effrenes, hominum tamen opera & induſtria cicurantur. Homines vero niſi Dei è cœlis operatione nunquam ad frugem revocantur. Sed cum unius ſpiritus Dei inſtinctu cœlitùs dimiſſi hoc fiat, tamen hominum inſtitutione & informatione Deus ad eam rem efficiendam utitur, parentum, præceptorum, herorum, & miniſtrorum operâ: ſine quibus ſpiritum ſuum non confert. Quãobrem hoc Prov. dicitur, eum, qui ſe ſubducit ab eruditione, animã ſuam ſpernere.

Abſtrahit autem ſe ab eruditione 1. quidem qui ſe ab illis locis ſubducit, ubi Dei notitia docetur & viget, ſicut prodigus filius Luc. 15. qui iniquè ferens ſub paterno regimine vitam degere, petiit ut accepto patrimonio, illi liceret peregrè proficiſci. Hujus generis inveniuntur plerique liberi, qui pertæſi domeſticæ diſciplinę magno peregrinandi ſtudio ducuntur: Item ſervi plerique, qui ab illis familiis abhorrentem animum gerunt, ubi illis die dominico pro libito expatiari, bibere, ludere, & ſaltare non permittitur.

Deinde abſtrahit ſe, qui, tametſi corpore præſens ſit per metum eorum, qui præſunt, aut commodi ſui cauſa, tamen animo & ſtudio tam abeſt, quam ſi 1000. terrarum intervallo remotus eſſet. In quo genere non pauci reperiuntur. Abſtrahunt etiam ſe, qui oſcitanter & abſque ullis animi, intelligentiæ, & affectus viribus ad doctrinam percipiendam accedunt, ut liquet Matth. 22. Denique ſe abſtrahunt, qui, tametſi intenti & diligentes ſint, tamen alio, quam oportet, reſpiciunt, ut qui ideo audiunt, ut inſidientur, aut ut poſſint de religione diſputare, aut altercari potiùs.

Quod dicit hujuſmodi animas ſua ſpernere, eò docet longè diverſum eventum eſſe hujus ſubductionis, quam illi cogitant. Illi enim ſe ſubducendo, ut animo ſuo obſequantur, putant ſe animabus ſuis honorem habere, & contra ſervile quiddam eſſe, & abjectum ſcholæ Chriſti addictum & aſcriptum eſſe: ſed longè falluntur. Nam planè animas ſuas ſpernunt, quæ hoc modo in ignorantia, & in cœno, & veluti ſanguine nativę pravitatis ſuę jacent; nec jacent tantum, ſed in dies majorem & cœcicatem & duritatem ſeu perverſitatem accerſunt attrahuntque, quoad peccatis onuſtæ in imum barathrum demergantur. Quæ autem hæc inconſiderantia corporis voluptatibus inſervire,

quibus

quibus anima hominis nobliſſ. pars peſſum eat; perinde ac ſiquis, ut redivivorũ dolori medeatur, capitis ſui damnum pateretur? Tametſi nec corpori hoc modò proſpicitur, quod ejuſdem cum anima interitus particeps erit.

In poſteriore hemiſtichio affirmat, eũ poſſidere animam ſuam, qui correptioni auſcultat. In quo 1. docetur, non ſatis eſſe ad pietatem & veram ſapientiam acquirendum, ſiquis ſalutarib. præceptis, & doctrina ſana imbuatur niſi porro accedat correptio. Præclarè enim nobiſcum agi reputare debemus in hac naturæ noſtræ corruptela & perverſitate, ſi omnib. ſimul & cõjunctis rationib. à Deo inſtitutis ad ſalutẽ proficiamus. Naturę enim inertis & aſininæ ſemper in nobis ſuperſunt reliquiæ, quæ ſcutica & flagello opus habent. Tametſi enim Sp. promptus eſt, tamen caro viribus deficitur, Math. 26. Hoc partium enumeratione liquido conſtat. Primum enim in familia virga corripiendis liberis neceſſaria eſt. Qui enim parcit virgæ, odit filium. In Davidis familia Dei notitia ampla & copioſa extitit, ubi Davidis vitæ exemplum (ſi Uriæ factum excipias) lucidum & fulgens in totius familiæ oculis reſplenduit, perierunt tamen cum Abſalom, tum Adoniah, quia virga correctionis ſubtracta eſt, ut ſcriptura diſertè notat. In republica idem uſu venire conſtat, Eccleſ. 8. 11. in Eccleſia Chriſti tanto magis opus eſt correptione, quod magis homines inepti ad officium in Eccleſia præſtandum, quam vel in familia aut republ. quod ad ſocietates illas tuendas & conſervandas quædam ſemina natura hauſimus, quæ nulla ſunt ad illa præſtanda & perficienda, quæ in Eccleſia Dei requiruntur, Math. 18. 1. Corinth. 4. 5. Plurimum autem profuerit, ut correptio ſtabiliatur & exerceatur: imo vero ſola illius in omni ſocietate conſtabilitio plurimum prodeſt ad frenandum peccatum. Sicut enim in familiis & ſcholis virgæ contrectatio ſola metum inijcit, & in republ. virgarum & ſecurium, ſeu gladij ante Prætorem prælatio & prægeſtatio terrorem incutit, & audacium animos conſtringit, ut, prout eorum natura fert, non erumpant: ſic etiam in Eccleſia ſola & nuda diſciplinæ & correptionis ſtabilitio multos in officio retinet, Deut. 13. 12. 1. Tim. 5. 28. Deinde caſtigantur homines, non tantum cum ipſi corripiuntur, ſed cum alios caſtigari & corripi vident. Et certè iſta & illa correptio ex his, quæ hoc Proverbio continentur, & in qua pios omnes proficere ex officio eſt.

Quod autem dicit, eum poſſidere animam ſuam, qui auſcultat correptioni, non eſt diſſimile illi nunquam ſatis laudatæ ſententiæ, quam Chriſtus protulit Matth. 20. 22. Luc. 21. 19. *In patientia poſſidebitis animas veſtras.* Nam auſcultare correptioni quædam patientia eſt: Ut facilè conſtet, jacturam facere eos animi ſui, & proinde etiam animæ, qui correptionem repudiant.

Hinc etiam colligitur, quam iniqua eſt eorũ ſententia, qui gravatè ferunt, doctrinam Evangelij adhortatione admota, & ſtimulis reprehenſionis propius applicari; quique dicunt, Miniſtris ſatis eſſe, ſi doctrinam proponant, & unicuique ejuſdem applicationem permittant: perinde ac ſi in ſpirituali convivio ſatis eſſet menſam bene inſtruere, & cuique liberum facere, quo ex ferculo ipſe manducare & ſe paſcere velit, cum Scriptura jubeat, ut Miniſtri dividant & diſtribuant cuique dimenſum ſuum, & illos œconomis aſſimilat, qui cuique in familia pro ætatis, virium, valetudinis, genero ſitatis, & ſexus conditione & victum & veſtitum ſuppeditant.

V. 33. *Anteit reverentiam eruditio*

ditio ſapientiæ; & ante honorem humilitas.

Summa eſt; viam veram & compendioſam eſſe ad omnem fœlicitatem cum pietatem, tum honorem pietatis primum per ſalutaris correptionis admiſſionem, quæ ex animi humilitate, & abjectione profluit.

Duo hoc Porverbio docentur, quorum alterutrum alterutrius fulcrum & ſuſtentaculum exiſtit, ita unius veritas alterius veritatem illuſtret.

Et cum duo ſint, quę ad perfectam fœlicitatem requiruntur; unum ut veri & germani Dei cultores ſimus, alterum ut pręmium illius pietatis à Deo accipiamus; ad prius iter eſt per illam inſtructionem, quæ diſciplinam & correptionem adjunctam habet; ad poſterius per humilitatem & abjectionem animi.

Et quidem, quod ad prius attinet, palàm eſt, neminem unquam ad veram Dei cognitionem, aut Dei reverentiam adductum, niſi prius legis divinæ ſtimulis & aculeis compunctus fuerit. Hujus rei teſtimonium eſt Act. 2.37. Luc. 3. 10. &c. & Actor. 9. 4. 5. &c. Sicut enim nullus aut equus, aut bos tam docilis & tractabilis eſt, quin priuſquam aut ad ephippia, aut ad jugum portandum manſuefiat, calcar, aut ſtimulum ſenſit: ſic nec quiſquam mortalium invenitur, tam flexibilis & manſueti ingenij, ut poſſit ad frugem ſine minis, & iræ divinæ aliquo ſenſu adduci. Deinde quod hanc eruditionem *ſapientiæ eruditionem* vocat facilè indicatur, non quavis ſeveritate homines ad frugē adduci, ſed illa, quam Dei ſapientia docet, & in Scripturis tradidit: ob eamque cauſam vanam eſſe illam ſeveritatem, quæ à Pontificiis adhibetur, per ſui ipſius flagellationem, per peregrinationes nudis pedibus ſuſceptas, per neſcio quam à cibis, & potionibus abſtinentiam, antequam, quid verum jejunium ſit, perceperint. Sed eruditio, de qua Propheta loquitur, eſt peccatorum graphica & vera deſcriptio, & veluti pictura; deinde judicii divini & inferni expreſſa repræſentatio.

Hinc liquet, eum veræ pietatis expertem eſſe, qui nunquam ſenſu peccatorum ſuorum vulneratus, vel compunctus eſt, qui ſeorſim & per ſe peccata ſua non deflevit, ut olim Ioſiam defleverunt Iudæi, ut parens primogeniti, aut unici filii mortem, ut ſponſa mortem ſponſi & recens matrimonio juncti. Vide Zachar. 11. Nedum illi procul à pietate abſunt, qui peccatorum ſuorum reprehenſionem, & correptionem ferre nequeunt.

In poſteriore hemiſtichio viam ad honorem eſſe docet per humilitatem & ſubmiſſionem animi. Quod quidem, ſive de honore in hac vita, ſive in altera potiundo verum comperietur. Et quidem, quod ad honorem attinet, qui in futuro ſæculo ab animo ſubmiſſis habebitur, ſciendum eſt, viam in cœlum ſcandendi eſſe ad inferos priùs deſcendere vero & vivo ſenſu peccatorum noſtrorum, & mercedis, quæ nobis ex peccatis debetur. Quod ex parabola Phariſæi & Publicani Luc. 18. & filij prodigi & frugi Luc. 15. & convivarum Luc. 14. illuſtratur, & Proverbio trito, & Chriſti authoritate & teſtimonio corroborato comprobatur; *Qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Ad honorem verò quod attinet qui in hoc ſæculo habetur, tametſi humana prudentia dictet, hominem ſemper contemptum iri, qui ſe non ingerit & promovet; eumque aliorum judicio calcatum iri, qui ſuo & proprio judicio abjectus eſt; tamen cum [elatio & principatus neque ab oriente, nec ab occidente, nec à deſerto veniat; ſed Deus unus eſt, qui hunc attolit, illum deprimit,] certum eſt illos in culmen honoris attollendos eſſe, qui ſuo judicio

judicio maximè abjecti ſunt, & ſubmiſſi. Hoc arguitur exemplo Davidis, qui, cum patris oves paſcere dedignatus non eſſet, paſtor totius populi creatus eſt. Vide exemplum Abigaelis 1. Sam. 25. 41. & Petri Luc. 5. verſ. 8, 9, 10.

CAPUT XVI.

V. 1. *Homines ſunt diſpoſitiones acierum animi: ſed à Domino eſt reſponſum linguæ.*

In מערכי eſt metaphor. à re bellica tranſlata ad cogitationes ordine militari animo digeſtas, & inſtructas. In לשון (*lingua*) eſt ſynecd. partis.

Summa eſt; non prodeſſe meditationem & commentationem eorum, quæ poſt eloquimur & enuntiamus, niſi Deus linguam dirigat, ut præmeditata proferat & proloquatur.

Alienum à doctrina de providentia videri poteſt, quod hoc Proverbio proponitur; quandoquidem Salom. humanas actiones ita diſpartitur, ut unam, & eam quidem potiorem homini, alteram Deo tribuat. Nam cogitationes ordinatim & compoſitè inſtruere & dirigere majoris cujuſdam facultatis eſſe videtur, quam quod cogitatum & commentatum eſt, proloqui, his præſertim, qui linguam celerem & volubilem habent, quibus nihil facilius videtur, quam, quid volunt, in medium proponere. Sed primum quidem, quod ad cogitationes piorum juſtas & licitas attinet, ſcimus illas non aliunde, quã à Deo, tanquam fonte promanare; quandoquidem non ſumus ex nobis idonei boni aliquid cogitare: Quod autem ad cogitationes improborum attinet, utcunque omnia illis liberrima videantur, tamẽ falli illos, & decipi liquidò conſtat. Non poſſunt equidem non, quæ ſunt perverſa & impia, cogitare; ſed interim etiam in illa perverſitate non mentem eorum ſubit, quicquid illis libet, ſed quod bonum videtur. Vnde etiam Deus dicitur ſibilo advocare tyrannos, ut bellum genti inferant; Eſai. 5. 26. & 7. 18. itẽ excitare gentem, & attrahere in pugnam, Habac 1. 6. Iudic. 4. 57. Quod ergo dicuntur homines aciem cogitationum & conſiliorum ſuorum inſtruere, eo fit, quia, utcunque Deus regat & moderetur eorum cogitata & conſilia, tamen hac Dei rectione non tollitur hominum in his rebus libertas, quin quod cogitant & conſultant, ſponte & voluntate ſua faciant & animorum facultates ad conſilia adhibeant.

Reſponſum linguæ eſſe à Domino, probatur firmiſſ. argumẽtis; nempe quod pii à Deo petunt oris apertionem Eph. 6. 19. & cuſtodiam apponi ori eorum. Deinde quod precãtur, ut ſibi in ſuis falſis accuſationibus parum conſtent, Pſ. 55. 9. Quod etiam exemplis illuſtratur: 1. Balaami, qui, cum profectus fuiſſet hoc conſilio, ut malediceret pop. Dei, & cum animo ſuo ſæpius hoc conſtituiſſet; tamen non modo maledicere non potuit, ſed porro præter inſtitutum ſuum illis benedixit, Num. 22. 35. & 23. v. 1. & c. 2. Idem intelligi poteſt ex Labane, qui, cum decreviſſet acerbiſſimis verbis Iacobum objurgare, illud non potuit tamen præſtare, Deo illi frænum in itinere injiciente, Gen. 31. 28.

Prover. 15. 28. docetur, viri juſti partes meditari reſponſum: jam vero ex hoc Proverbio aliud officiũ viri juſti colligimus, nempe ut non tantum meditetur reſponſum, aut orationem, ſed porro in re majoris momẽti preces adhibeat, quibus à Deo impetret, ut, quod probè ſecũ cõmentatus eſt, aut etiã memorię mãdavit, commodè proferat & proponat aliis; quã-

doquidem alioqui facilè excidat illi inter dicendum, quod meditatus eſt. Quod officium tanto alacriùs & ſtudioſiùs faciendum, quòd oratio, utcunque commodè dicta aut inſtituta, nullas ad perſuadendum vires obtinet, niſi Deus illam ſua benedictione flectendo auditorum animos proſequatur. Quod cum omnibus faciendum, tum Miniſtris potiſſ. hoc præſtandũ propter ſubj. argumẽti præſtantiã.

Quod ſi, quæ præmeditamur, proferre & proloqui nequimus, nedũ executioni illud mandare, quod animo deſignavimus, niſi Deus manum dirigat, & conatibus noſtris benedicat.

V. 2. *Omnes cujusque viæ puræ ſunt in oculis ſuis: ſed expendens ſpiritus eſt dominis.*

In דרכי eſt metaphor. uſitata pro hominum ſtudiis & actionibus. Item in עיני eſt meta. tranſlata ab oculorum viſione ad animi judicium. Item in תכן eſt metaph. à ponderibus quibus levitas & gravitas mercium examinantur, ad Dei omniſciam intelligentiam deſignandam.

Summa eſt; non placere Deo, in quib. homines ſibi mirificè placent.

In priore parte propheta perſtringit humanæ naturæ in ſuo de ſe judicio perverſitatem: notat etiam ſpeciem perverſitatis, ſc. quod ſibi adulatur, & ſuiipſius lena fit, quod omnia ſibi ſe præclara perſuadet, cum tamen peſſimè cum illa agitur: haud ſecus quam ſi fœmina deformis, ſibi in animum ſuum inducat, ſe pulchram & ſpecioſam eſſe: aut ſiquis pannis obſitus, ſe ornatiſſimè veſtitum incedere opinaretur. Nam hæc planè noſtra conditio eſt; ſicut Ezek. 16. docemur, & ab Ap. qui noſtræ naturæ corruptelam pannis & veteramentis aſſimilat. Tametſi enim nemo tam ſtupidus ſit, qui ſibi alicujus mali conſcius non ſit, quia tamen ferè fit, ut nobiſipſis placeamus, ſatis eſt ad Proverbii veritatem tuendam; præterquam quę mala in nobis ſunt, extenuamus, & minus quàm ſunt, perverſa judicantes illa in aliquem boni gradum & numerum attollimus. Hujus Proverbii veritas mirificè inde apparet, quod hominum inventa tenacius retinemus, quam Dei cultum genuinũ. Sicut fit, ut gravius ſtatuant in eum, qui carnem die veneris comedit, quam qui proximi uxorẽ mœchatur; & ſtudioſius pleraque feſta ab hominibus invecta, quã diem dominicum à Deo imperatũ obſervãt, vide Math. 15.

Quamobrem piorum officium eſt ſibi diſplicere; & ſua omnia ſemper ſuſpecta habere, imò preſtantiſſ. quaſque actiones, tanquam quæ aliquid reſipiunt veteris & corrupti Adami, quem non penitus exuerunt. Vide exemplum in Jobo, qui in Agapis ſanctis, quas filii ejus celebrarunt, ſemper aliquid ſubrepſiſſe ſuſpicabatur, quod Dei iram in ſe & ſuos accerſeret, Iob. 1. Quid, quod in his, in quibus nullius mali ſibi conſcii ſunt, tamen aliquid ſubeſſe ſuſpicantur, quod legi divinæ conſentaneum non eſt, 1. Cor. 4. 4. 1. Joh. 3. 20. Hic nos ipſos excutiamus, an ſumus in iis, qui manus noſtras oſculemur, qui retibus noſtris ſacrificemus, noſtris animi inventis geniculemur, & veluti nos ipſos provolvamus; maximè cum Chriſtus affirmet, *non poſſe nos eum ſequi, niſi noſmetipſos abnegemus.*

In poſter. parte docetur, Deo illa non probari; & ſimul ratio adjungitur, quod ſpiritus expendit & rimatur, quod non intuetur modo illa, quæ foris apparẽt, ſed intimos, animarũ receſſus, unde actiones & ſtudia profluunt, qui niſi fide purgati ſunt, quæ ab illis manãt, omnia corã Deo fætẽt. Quo fit, ut, quod nobis aurum videtur, ille æs eſſe cõperit; quod nobis roſa apparet, corã illo urtica fit, aut ſpina: quod nobis

nobis fragrans & aromaticum exiſtimatur, coram eo ſit ſtercoreum.

Ex quo hoc liquido conſtat, quid cauſæ ſit, cur noſtris viis & ſtudiis oblectemur. Cauſa. n. hoc loco Sal. indicavit non obſcure; quia animos noſtros non excutimus, num ſint ſinceri, necne; An ex timore Dei quid, aut metu hominum proveniat; an ex amore Dei, aut φιλαυτία; an Dei gloriam nobis proponimus an κενοδοξίαν noſtram, utrum privatum noſtrum commodũ ſpectemus, an Eccleſiæ, Reip. familiæ, in quibus ſumus. Ad hunc locum videtur Chr. alluſiſſe, ubi non tantum diſplicere Deo, *ſed abominabile Deo eſſe*, non tantum quod placet, *ſed quod hominibus glorioſum eſt*; Luc. 16. 15. ubi eadem ratio aſſignatur, quæ hoc loco; nempe quod Deus corda hominum novit, quæ illi ipſi ignorant. Perinde enim eſt in actionibus hominum, atque in rebus inflatis atq; intumeſcentibus, puta, veſicis &c. quæ ſpeciem habent magnitudinis, cum, flatu diſcuſſo, diſploſæ ſint, ilico in anguſtum contrahuntur. Et quidem (ut ad ſuperiorem ſimilitudinem redeamus) his fœminis rite aſſimilantur, quæ, quod infucatæ ſunt, opinionem habent pulchritudinis, neque volunt ſibi larvam illam detrahi, ne vultus ſui deformitatem cogantur intueri: aut his, quæ aut ſpeculum nolunt intueri, ne ſuas ſtrumas videãt, aut ſpecula illa, quæ adulterina ſunt, & adulatoria.

Deinde etiã ex hoc loco notemus, ne nimiũ Spiritus ſumamus, cum ab hominibus, utcunque bonis & ſapientibus laudemur, quia tantũ, quæ externa ſunt, intueri poſſunt; ad animũ, qui eſt actionis fons, penetrare acie oculorũ ſuorũ nequeunt. Sed potiùs ſtudeamus nos Deo probare. 1. Cor. 4. 5. *Is enim laude dignus eſt, quem Deus laudat, non homines*. Atq; ne tũ quidẽ caput attollamus, cũ nobis optimè inſtructis nullius culpæ conſcii ſumus, quod Deus corde noſtro ſit major, 1. Ioh. 3. 20.

Verſ. 3. Devolve in Dominum opera tua, & ſtabilientur cogitationes tuæ.

In גל (*devolve*) eſt metaphor. tracta ab hominibus, qui onere oppreſſi illud ad alium robuſtiorem transferunt.

Summa eſt; negotia noſtra graviora, quam ut illa ſuſtinendo ſimus, Deo permittamus.

Eſt genus hominum ſtupidum & bardum quod negotiorum ſuorum pondus & gravitatem non intelligunt, eoque ipſo de illis promovendis, aut ad fœlicem exitum producendis ſoliciti non ſunt. Eſt & aliud genus hominum, qui negotiorum ſuorum magnitudinem & difficultatem animo quidem concipiunt & complectuntur, ſed hujus vitæ voluptatibus & illecebris capti & deliniti illa à ſe abjiciunt, ut ſe voluptatibus expleant. Eſt tertium genus eorum, qui rerum ſuarum momentum & pondus animo comprehendentes & à ſua propriaque ſolertia & induſtria earum effectionem & lætum ſucceſſum ſuſpendentes, continenter & aſſiduè animo torquentur & cruciantur curis & ſolicitudinibus, metu, & diffidentia, nequid earum ſecus quam exoptant excidat. Unde eſt, quod ne vitam (quod dicunt) vitalem agant, ſomnum quietum non capiant, cibum jucundum non ſumant; nedum ut Deum cum oblectatione; & alacriter colant. Quamobrem Salomon hoc Proverbio iſtas corruptelas, & à vera ſapientia aberrationes condemnans viam nobis rectam commonſtrat.

Nam, cum jubet nos devolvere, illud genus hominum perſtringit, qui nihil ſentiunt & apprehendunt. Non poteſt enim onus devolvere in alium, qui nullo ſenſu oneris tangitur. Deinde illos etiam pervellit, qui difficultatem rerum complectentes animo, omnia abjiciunt, ut vo-

luptatibus inhient. Nam cum dicit, *opera & facta tua devolve*, apparet Deum hoc imperare, ut ſe in occupatione rerum ſuarum retineat. Deinde eos apertè pungit, qui difficultatis rerum conſcij earum effectionem & lætum eventum à ſeipſis ſuſpendunt, quia onera in Deum non reijciunt, quæ ipſi ſubire nequeunt.

Quamobrem conſtat, officium Chriſtiani hominis eſſe rerum ſuarum omnium difficultatem, & quid periculorũ in ſe habent, penitus pernoſcere. Secundo illis adminiſtrandis manum admovere, nec quicquam eorum oſcitanter prætere, quæ ad earum effectionem momentum afferant. Tertio nullo modo ſe angoribus ex ſeceſſu & eventu rerum ſuarum conficere & cruentare, tametſi periculo res vacare non videatur, & non nihil metus in ſe continere. Sic agricolæ & vinitores, cum ſumptum & laborem fecerint, placidè omnia Deo permittentes exſpectant fructum. Satis nobis eſt primum de rerum adminiſtratione conſilium captaſſe, deinde operi manum admoviſſe, & lobore nos fatigaſſe: Quæ tamen cum nobis impoſita & imperata ſunt, à nobis viribus à Deo ſuppeditatis perferri poſſunt. Deus vero, qui vires noſtras cognitas habet, curam & ſolicitudinem de eventu noluit nobis imponere, ut qui novit, nos illis portandis impares eſſe. Quamobrem congruenter huic conſilio Salomonis, & patris ejus Davidis hoc onus in Deum reijciamus. Vt quid etenim ſub onere ſuccumbere vis, vel potius ſub illo obrui obterique? Ecquis enim eſt, qui graviter onuſtus non libenter onus ſuum in alium robuſtiorem operam ſuam offerentem transferret?

Hic autem difficilis cogitatio occurrit, quomodo quis poſſit curas & ſolicitudines tam mordicus affixas & adhærentes à ſe abjicere. Quis nobis viam hujus rei commonſtrabit? Optandum quidem illud videtur potius, quam ſperandum, inquit aliquis. Reſpondeo, ſcripturam viam hanc nobis certam & indubitatam monſtrare, eamque non difficilem, *ut cælum aſcendamus, aut mare trajiciamus, aut ad profundum nos dimittamus. Confide Deo*, inquit David. Pſal. 37. 5. Qui ergo fiduciam in Deo collocat, is certè hoc facilè præſtiterit. Quantum igitur fidei habemus, tantum de perfidioſis iſtis curis, angoribus, animi cruciatibus de rerum fœlici exitu detractum eſt. Quod ſi non poſſumus non à noſtra & circumſpectione penitus & omnino pendere, argumento eſt, nos Deo non cofidere.

Alia ratio eſt in Deum iſta rejiciendi, quam Apoſt. docuit; nempe ſi curas noſtras, ſolicitudines, anxietates corrogantes undique illas omnes fideli oratione incluſas & involutas à nobis in Deum refundimus. Petamus igitur à Deo, ut nobis condonatis erroribus vel aberrationibus, quas in negotiorum noſtrorum procuratione admiſimus, ipſe rebus noſtris ita præſidere dignetur, ut exitum ad ſuam gloriam, & noſtram conſolationem jucundum & ſalutarem ſortiantur. Hujus rei exemplum eximium extat, Eſter. 4. penult. Sic Chriſtus ſimul ac precatus eſt, Joh. 17. illicò ſe recipit ad locum, ubi proditor eũ offenderet, Ioh. 18.

In poſt. hem. eſt promiſſio, fore ut rectè cedant quæ Deo promiſimus, & capta à nobis conſilia proſperè nobis caſura. In qua prolepſi reſpondet ad illud, quod caro obgannire & objicere poterat in hunc modum; Si ego curam harum rerum abjicio, quis earum accipiet? Reſpondet Sal. Deũ effecturum, ut probè omnia curentur. Hæc cum prolepſi reſpondeo liquidius elucet apud Petrum, qui, cum ex hoc Solomonis loco admonuiſſet, ut curã in Deum conjicerent, ſubjungit, nos Deo curæ eſſe.

Hinc liquet, eorum conſilia non ſuc-

ceſſu-

ceſſura, qui aut rerum difficultatem non conſiderant, aut comprehendentes in Deum tamen illa laborando & ſe occupando in vocatione non rejiciunt.

V.4. *Omnia operatus eſt Dominus propter ſeipſum, atque etiam improbum in diem mali.*

Summa eſt; Deo ex omnibus operibus ſuis deberi gloriam, vel ex his, quæ humano judicio minimè omniũ videntur.

Proverbium nobile & inſigne eſt, quo præter creationis opus aliquouſque rationis humanæ ambitu comprehenſæ, duo præcipua religionis arcana humanum & Angelicum captum ſuperantia confirmantur. Unum eorum eſt de providentia Dei latè ſe ad omnia diffundente; alterum eſt de Doctrina prædeſtinationis.

In priore clarè & liquido confirmat, omnia à Deo fieri tam magna, quam parva; tam fortuita, quam ea, quorum cauſæ notæ & comprehenſæ ſunt; tam adverſa, quam proſpera. Secus enim longè fit in Dei, quam in hominum operibus. Nam fabri & alii artifices, conſtructa domo, & abſoluto opere, ejus uſum & adminiſtrationem aliis permittunt: ſed Deus opus, quod fecit, regit & gubernat ſuo arbitratu. Etiam quæ mala ſunt & vitioſa, quæ ipſe non fecit, & quorum author non eſt, gubernat tamen ad ſuam gloriam, & ſuorum commodum.

Et primum quidem, omnia in univerſum à Deo fieri & adminiſtrari, Scriptura cum hoc loco, tũ aliis teſtimoniis apertè docet. Rom. 11. ult. Eph. 1. 11.

Nec hoc ſolum generali omnium adminiſtratione & inſpectione, ut plerique affirmant; ſed ſpeciali ſingulorum cura & adminiſtratione ſeorſim, ut ne digitus hominis tollatur ſurſum, nec ungula beſtiæ deorſum in terram defigatur ſine Dei providentia. Cujus rei documenta plæraque extant in libro Ionæ, ubi mirificè confirmatur in venti ſubita excitatione ad caſtigandum Ionæ fugam, & in ſubita ejuſdem pacatione, in cæti præparatione ad illud momentum, in quo Jonah in mare eſt conjectus, & cæti in aridam appulſu, in ricini ſubito virore primùm, & poſt arefactione. In piſce, qui drachmam in ore tenens ilicò ad hamum Petri ſe capiendum ſiſtit.

Quid ſibi vult hoc, quod dicitur, *etiam improbum ad diem mali*; niſi quod hac formulâ loquendi indicare vult etiam hoc ipſum à Deo fieri & adminiſtrari, quod hominum judicio & opinione à Deo alienum videtur, ut ſenſus ſit prorſus idem cum Apoſtoli exclamatione Rom. 11. 33, 34, 35? Ut planè adverſo ſpiritu ducantur ei, qui erat in Sal. & Paulo, qui nihil Deo, niſi cujus æquitatem & juſtitiam ipſi pervident, permittere volunt. Non inuident Regibus & Principibus ſua arcana, in quæ ſubditi ſi inquirerent eaque perveſtigarent, procaces & nimium curioſos pronuntiarent; cum interim ad ſuam hac in parte procacitatem multo magis inſolentẽ prorſus connivent. Hujus autem hominum procacitatis preſcia Dei omniſcientia ob eam cauſam particulam addit, ut ibi veritatem fortiùs muniret, unde eam graviùs oppugnatã iri præſcivit. Hinc eſt quod non dicit, electos ad diem boni, ſed &c. Sunt enim plerique, qui gratuitam fidelium electionem ante mundi jacta fundamenta aſtruunt, qui iidem reprobationem non admittunt.

Hujus doctrinæ uſus multiplex eſt, primò quidem ut nos gratos Deo reddat & gratitudinem incendat, dum reputamus, quicquid boni nobis accedit, quibuſcunque mediis ſeu parentum, ſeu Principum, ſeu amicorum, ſeu denique propriæ ſolertiæ & laboris, à Deo tamẽ ſummo &

ſolo authore provenire. Quod idem efficirur conſideratione gratuita electionis ſeu prædeſtinationis ad vitam.

Secundò in adverſis noſtram patientientiam ſuſtentat, & ab immoderata in homines ira&vindicta cohibet,dum cum animis noſtris cogitemus, non tam hoc ab illis injuſtè & gratis, quam àDeo noſtro merito promanare. Vide Ioſephi exemplum erga fratres in ſe iniquos.

Tertiò in ipſis etiam, quæ admittimus peccatis, reſipiſcentiam noſtram promovet, & interioris graviorisque doloris ſtimulus eſt, dum animo revolvimus juſto Dei judicio factum eſſe, ut ob peccata noſtra in ſenſum tam turpem & fœdum conijciamur.

Huc accedit quartus fructus, nempe ut Deum timeamus. Eccl. 12. 13. Et quintus denique ut Deum glorificemus Rom. 11 ult. etiam in peccatis noſtris, in quibus ejus juſtitia ſummè reſplendet.

Dies mali hoc in loco intelligitur dies mortis, & ultimi judicij, qui dies infauſtus impiis erit; piis autem dies lætitiæ, & gaudij. Quamobrem ne invideamus impiis ſuos,quos illi exiſtimant halcionios dies,ſiquidem veniet dies mali,qui illorum lætitiam in triſtiam convertet; ſed patienter feramus.

V. 5. *Abominatio eſt Iehovæ omnis elatus corde: manu ad manum addita, non erit innocens.*

In יד (*manus*) eſt metony. ſubj. pro adjunctis viribus & robore, quæ ſunt in manu. In לא ינקה (*non erit innocens*) eſt metony. cauſæ pro effect. vindictæ.

Summa eſt; ſuperbium & elatum animo impunè non evaſurum.

Cap. 15, 25. gravem comminationem habet adverſus ſuperbos, & eorum cum poſteros, tnm etiam domus & prædia. Hoc autem Proverbio tametſi idem doceatur, tamen cum fœnore proponitur. Fœnus vero in eo conſiſtit primo quod cauſa ſupplicii eorum formidabilis redditur, Dei ſcilicet abominatio. Deinde ſubjectum ſuperbiæ præcipuum, & originale, hominis animus, ubi potiſſ. ſuperbia ſedem habet. Denique judicij & ultionis divinæ ineluctabilis & inevitabilis certitudo.

In cauſa divinæ ultionis adverſus ſuperbum notandum eſt, Prophetam occurrere ancipiti piorum tentationi, qua defixis oculis intuentes in ſuperborum ſplendorem, apparatum, pompam in veſtitu, epulis, ædificiis, comitatu, equitatu, clientelis uſque eò in admirationem eorum attolluntur, ut illos terque quaterque beatos judicent, & ſe illis ſimiles & conformes fieri penè exoptent. Hanc ſtultam admirationem convellere & penitus extirpare debet, quod hoc loco dicitur, eum, utcunque in hominum oculis glorioſum, coram Deo pejus ullo cadavere fœtere, tantoque magis ei abominationi eſſe, quanto magis his, quæ dixi, ſuperbiæ irritamentis circumfluit.

Diſcamus igitur illos abominationi habere, quos Deus abominatur, & eos ſummè abominari, quos Deus cum primis abominatur, ut eſt Proverb. 6. 16. qui in 7. illis exoſis peccatis hoc maximè odio habet in his ſcil. quæ ſunt ſecundæ tabulæ; neque nos oblectare auxiliatorum poteſtate cum elati facilimè à Deo ſuperbiæ ſuæ præſidiis nudantur.

Ad ſubject. ſuperbiæ quod attinet, notandum eſt, ſæpe fieri, ut ſuperbia reſideat in oculis Prov. 6. & in vultu Pſ. 10. aliquando in veſtitu & comitatu, cum quis modum excedat, & conſuetam rationem, vel etiam facultatem tranſilit; ſed Deum ſuperbiam illam odio habere, quæ in animo eſt, tametſi in vultum, aut externum apparatum non erumpat. Eſt enim hominum

hominum genus, qui, cum ſint animis ſupra modum elatis, tamen externo vultu, geſtu, veſtitu ſummam modeſtiam ſimulant: eoque ipſo apud homines ex animi ſubmiſſione plurimum laudantur, hos tamen Deus ſummè abominatur. Exemplo ſunt Abſalom. 2. Sam. 15. 2. 3. 4. 5. &c. item fraterculi pontificij, quibus in ſpeciem cum nihil magis humile ſit, reipſa tamen nihil magis ſuperbum.

Poſtremum eſt de certitudine judicij divini, quod illis imminet, in qua S. Sanctus occurrit cum ſuperborum de ſe, tum piorum de ſuperbis falſæ opinioni. Pij enim illos ita undique munitos & amicitiis & clientelis circumſeptos putant, ut ſua proſpera conditione excidere nequeant: ſuperbi verò ſe tam altè in ſua illa fortuna radicatos & fundatos eſſe ſibi perſuadent, ut nullâ machinâ inde exturbari poſſint. Unde Pſal. 10. dicitur, Dei judicia procul ab eorum conſpectu remota eſſe; adeoque ipſi eodem Pſal. de ſe prędicant, ſe nunquam in malo futuros. Quibus utriſque reſpondet Sal. ſuperbum, quaſcunque copias habet, quibuſcunque amicis & clientelis communitus ſit, nunquam animi ſui ſuperbiam impunè ablaturum. Quandoquidem Deus ſolus omnes eorum copias & clientelas, & uno digitulo omnes manus, quibus ſuſtentantur, diſſipare novit. Eſai. 2. 11. ad 17.

V. 6. Benignitate & fide expiatur iniquitas: & timore Dei receditur à malo.

Summa eſt, Deum ex mera gratia cõgruenter promiſſioni ſuæ peccata condonare hoc conſilio, ut deinceps homines vero Dei timore imbuti ad vetera peccata, tanquam vomitum non revertantur.

In priore parte eſt vocum æquivocatio, ſeu acceptio multiplex. Aliquando enim de hominis benignitate & fide intelliguntur hæ voces; ſæpiſſimè tamen ad Dei benignitatem in promittendo, & fidem in ſervando promiſſa erga homines, ut hoc loco intelligi neceſſe eſt. Nam ſi benignitate & fide erga homines peccata expiarentur, infidelium etiam peccata expiarentur, cum inter impios & infideles non pauci reperiuntur, qui erga homines benigni & fideles exiſtunt, quibus peccata condonari abſurdum prorſus eſt. Nec pugnat cum hac doctrina, quod citatur de Nabuh. cui à Dan. pręceptum affirmant, ut redimat peccata ſua eleemoſyna. Dan. 4. 24. Nam in hebræo contextu nihil tale eſt, quo ſolum præcipitur, ut peccata ſua abrumpat juſtitię exercitio, & gratia erga afflictos, non ut redimat. Deinde de fine ſuo Dan. diſtinguit inter expiationem peccati, & illam à peccato ceſſationem, ad quam Nabuch. adhortatur; nempe quod illi ex hujuſmodi ceſſatione non rediret aut peccatorum condonatio, aut ejus fructus, æterna ſalus; ſed tantum prorogatio externæ proſperitatis, quam obtinebat.

In priore voce docetur, peccatorum remiſſionem eſſe mere gratuitam ex ſola Dei benignitate & beneplacito erga homines ſuſpenſam ſine ullius meriti noſtri vel minima admixtione. Rom. 4. 7. 8. Quo pertinet, quòd peccata noſtra dicuntur remitti & debita condonari, & quod fide ſine operibus juſtificamur.

Deinde cum dicit, fide Dei expiari, benignitatem Dei (quam homines pro animi ſui cupiditate diſtendere ſolent) certis finibus circumſcribit; nempe non latius patere, nec ulterius ſe diffundere, quam verbo & promiſſione ſe benignum fore pollicitus eſt; ſubject. loco, videlicet in eccleſia, ſubj. perſonis nempe reſipiſcentibus & Deum timentibus; tempore, quãdiu tempus acceptum ſit & Evangelium. Si ergo eccleſia excedamus, ſi noſtros

animos

animos obfirmemus,ſi tempus vocationis noſtræ negligenter& oſcitanter præterire ſinamus , Deus nobis obligatus non eſt.

In altera parte Proverbij docetur ſanctificatio, ut in priore juſtificatio : ubi finis purgationis à peccato docetur;non ut in peccato nos volutemus, & ad peccata, à quibus expiamur redeamus, ſed ut deinceps omnibus diebus vitæ noſtræ in juſtitia&ſanctitate coramDeo ambulemus. Luc. 1. 75. Quis enim magno pretio ab hoſtium poteſtate & captivitate redemptus illico ſe illis in ſervitutem dat?[Num enim peccabimus, ut abundet gratia?Abſit] Rom. 5. & 6. & 7.

Hinc etiam liquet, eos non poſſe non peccare, qui Dei timore non imbuuntur.

V. 7. *Cum placent Domino viæ cujuſquam, etiam inimicos ejus pacem cum eo colere facit.*

Summa eſt, viam ad hominum benevolentiam colligendum maximè perviam eſſe, ſiquis ſe ad Dei obſequium ſtudiosè componat.

Quam multi occurrunt,qui illos offenſiores ſentiunt, quos benevolos ſibi fieri diſcuperent, Principes, parentes, uxores, liberos, amicos, dominos, & dominas? Sed quam pauci reperiuntur, qui cogitant, cauſam hujus alienationis domi in ſuis ipſorum animis reſidere ? Plerique ſunt, qui fortunam ſuam accuſant, quod ab illis parvi fiant,à quibus ſe plurimi fieri eorum intereſt? Præterea ſecum reputant illorum ſeu levitatem, ſeu pervicacitatem, qui nullis eorum demeritis ſuos animos abalienarunt. Quod non inficior, quin facilè fiat. Interim ſe non excutiunt,nec ſeipſos reputant hujus diſtractionis præcipuos & primos authores eſſe, ſi non illis juſtam abalienationis cauſā præbendo, at certè Deum ſuis peccatis irritando,quibus illum quodammodo impulerunt, ut hoc animorum cum ſuis divortium efficiat.

Hinc eſt ut hominibus ſtrenuè & contentiſſ. ſtudiis in hoc incumbentibus, ut vel amiſſam gratiam recuperent, aut novam (ad ſuos uſus acquirant)omnia prius verſent, & in mentem venire patiantur potius quam hoc, quod hoc loco conſulitur de reſipiſcentia à peccatis, & vitæ emendatione ; quod tamen cum primis mentem&cogitationem ſubire debebat. Quamobrem illud ſtatuunt apud ſe, eorum ad obſquium ſe comparaturos, quos offenſiores habent, interim de Deo ne per ſomnum quidem cogitant. Dei autem Spiritus eſt, qui hominum animos flectit.

Deus enim Spiritus eſt, & tanquam gluten,quo res maximè diſparatę coaleſcunt & conglutinantur : ipſe eſt coagulū ὄντος,quo ſicut lac fluidum& liquidum coagulatur;ſic animi hominis diſſidentes & diffluentes diſcordia conſidantur:unus ille efficere poteſt, ut ferrum & lutum id eſt res ad conjunctionem & mixtionem ineptiſſimæ inter ſe commiſceantur : ipſe facit [lupum cum agno, vitulum cum urſo, pardalim cum capella, cum leone bovem amicè paſcere,] Eſai. 11. 6.Quid quod SpiritusSanctus illam vim & robur eſſe teſtatur in requirendo & invocando Deo, ut hac ratione fœderatæ hujuſmodi fiant ſylveſtres feræ, atque adeo lapides ſenſus expertes? Quemadmodum enim qui Regi fœderati ſunt, cum omnibus ejus ſubditis pacem habent : ſic qui Deo conciliantur,omnes ejus cum in cælis, tum in terris exercitus benevolos habent, ut à nullo ejus imperio ſubjecto lędantur. Tantoque hoc magis à Deo conciliato præſtatur, quam ab ullo Rege, quod nullus exDei ſubditis ſe contra nos ſine Dei voluntate commovere poteſt; cum,

cum, Rege placato, non tamen illicò Regis ſubditos benevolos habemus; ut in Abnero liquet, qui Davidi reconciliatus à Ioabo interfectus eſt. Huc accedit illuſtre teſtimonium, quod eſt 1. Reg. 8. 48. 49. 50. quo expreſſe hæc doctrina confirmatur. Vid. 2. Chron. 7. 10. 11. Hujus rei exempla ſunt in Jacobo, qui fratris Eſavi mortale, & irreconciliabile odium perſentiſcens, & ejuſdem triſtes & amaros fructus mox percipiens ad Deum ſe convertit, & precibus cum eo agit, qui ferocem & immanem Eſavi animum in manſuetum & mitem commutavit. Quod exemplum tanto magis obſervari debet, quòd res difficilis eſt fratres diſſentientes, maximè cum unus ſit reprobus, conciliare. Vide Proverb. 18. 19. Sic cum Iacobus ſibi ex Sichemitarũ per filios ſuos cæde timeret, ne omnia vicina oppida in illum irruerent, juſſus eſt Bethelem adire, & Deo vota ſua perſolvere, tanquam unicum remedium, quo ab imminente ſibi & ſuis periculo immunis foret.

Nec tamen propterea prætermittenda ſũt adminicula & ſubſidia obſequij & munerum, quibus hominum animi demulcentur, ut in Jacobo videmus.

Quod ſi cum Deo in gratiam redeuntibus hoſtes noſtri amici fiunt, quid de nobis ſtatuendum eſt, cùm qui nobis conjuncti, & amoris arctiſſimo vinculo devincti à nobis animum alienum gerunt? An non juſtam cauſam habemus noſtra peccata excutiendi, & Deum à nobis averſum & alienum quærendi, & vera reſipiſcentiâ placandi?

Hic quæritur, an, cum odium in nos hominum veritatis cauſa excitatur, hoc hominum odio ad peccatorum noſtrorum conſcientiam & arguitionem deducendi ſumus, præſertim cum Chriſt. jubet nos de ea re ſummè & ſolidè gaudere? Mat. 5. 10, 11. Reſpondeo; Eſt quidem hoc ſummi beneficij loco veritatis cauſa in hominum odia incurrere. Neque tamen hoc nobis obſtaculo ſit, quo minùs nos ad examen peccatorum noſtrorum exigeremus, quorum debita examinatione Dei in nos beneficium relucet magis, quod inimicitiã, quæ peccatis noſtris juſta & debita eſt, in veritatis cauſã tranſtulit.

Denique notandum eſt, hanc promiſſionem de rebus ad hanc vitam ſpectantibus datam uſque eò duntaxat ſervari, quoad Dei gloriæ, noſtræ ipſorum ſaluti adverſum non ſit, id eſt ἐπὶ τὸ πολὺ ut non perpetuo argumentum firmum ſit noſtrę obſtinationis in peccatis, ſi inimici nobis benevoli non ſint, modo nos illos benelentia complectentes officiis charitatis proſequamur.

V. 8. *Melius eſt modicum cum juſtitia, multitudine proventuum abſque jure.*

Summa eſt; juſtam poſſeſſionem etiam anguſtam amplæ & injuſtè partæ anteponendam.

Cap. 15. verſ. 16, 17. Proverbia ſunt huic perquam affinia. Diſcrimẽ eſt, quod, cum primum cavebat, ne quid, violata religione, acquiramus. Secundum nequid commodorum cum charitatis erga proximum jactura comparemus; Tertium hoc monet, nequid per vim, aut fraudem contra jus juſtis dominis auferamus, aut etiam inhibeamus. Iuſti autem domini ſunt, non hi tantum, qui aut patrimonio, aut proprio labore & induſtria quidpiam ſibi jure vendicare norint, ſed porro pauperes, qui noſtra ope egent, Prov. 3. 26.

Quod autem melius eſſe dicit, id multiplici ratione verum eſt: & 1. quidem ad conſcientiæ tranquillitatem, cum nullius in proximum injurię nobis conſcij ſimus. Deinde ad præſentem hujus vitæ uſum,

1. quia qua ratione illi ſe divites fore ſibi perſuadent, auperes exhauſti redduntur, Proverb. 10.4. 2. quia paſtus & veſtitus, qui inde paratur, hominem non commodè aut alit, aut veſtit, Proverb. 20. 17. 3. quod ad durationem accommoda non ſunt injuſte parta, ſed cito dilabuntur. Nam ſi Deus diſſipat ſubſtantiam improborum. Prover. 10. 3. tametſi juſtè & debitè paraverint, nedum in fumũ abeũt, quæ male parta ſunt & injuſte.

V. 9. *Cor hominis recogitat viam ſuam: ſed Deus diſponit greſſum ſuum.*

In דרך (*via*) & צעד (*greſſus*) eſt Allegoria de negotiis humanis & illorum progreſſu.

Summa eſt; hominem nulla ſua vel maximè ſolerti induſtria res ſuas conficere poſſe, niſi Deus manum ſuam admovens illas ad optatum exitum deducat.

Primum cogitatio non ita homini attribuitur, ut Deus excludatur, cùm cogitatio mentem hominis ſubire nequit, niſi Deo annuente, Exod. 34. 24.

Hoc Proverbium affine eſt illi, quod habetur. 1. hujus cap. Hoc tamen intereſſe videtur, quod illud de ſermonis directione, hoc de commerciorum & negotiorum omni genere ſit intelligendũ: atque adeò de via & greſſu propriè & ſine metaph. ſumptis, ut conſtat 2. Reg. 23. 29. & 2. Chron. 35. 20, &c.

Deinde aliud diſcrimen ſtatuitur in Deo; quod non tantum exitus rei, ſed media omnia, quæ ad exitum & eventum referuntur, uſque ad ſingulos greſſus regit, atque diſponit. Cujus rei illuſtre exemplum eſt, Mich. 1. à verſu 9. ad finem cap. ubi Propheta hoſtis venturi ſingulos quaſi paſſus in certis pagis & oppidis longè priùs deſcribit, quam quid executioni eſt mandatum. Hujuſmodi aliquid extat, Eſai. 5. 27. 28.

Hinc liquet, quam vana & ſuperba eſt eorum jactantia & gloriatio, ſe hoc & illud perfecturos affirmantium, abſque ulla exceptione voluntatis divinæ. Vide Jacob. 4. 13, 14, 15, 16.

V. 10. *Sagacitas ſit ſuper labia Regis: in judicio ne tranſgrediatur os ejus.*

In קסם (*ſagacitas*) eſt metaphor. ducta ab his, qui res arcanas & communem intelligentiam fugientes perſcrutantes eaſdem in aliorum aut ſalutem, aut perniciem proferunt. Et quidem frequentiſſim. in Scriptura uſurpatur in malam partem pro his, qui diabolicis artibus abdita rimantur: ſed aliquando etiam, ut Eſai. 3. & Ezek. 13. 6. uſurpatur in bonam partem pro his, qui aliquid arcani proponunt, quod legitimè vel revelatione divina, vel ſolerti inveſtigatione aſſequuti ſunt. Senſus igitur eſt; Reges & Principes operam dare debent, ut ex recondita rerum cognitione poſſint de rebus ſtatuere, quæ ſub adminiſtrationem ſuam cadunt. In פיו (*os ejus*) eſt, ſynecd. partis uſitata: & in voce מלך (*regis*)

Summa eſt; Regi & Magiſtratui incumbendum, ut ex intima rerum cognitione poſſit de his, quæ ſunt ſui officij (maximè in judicio,) quod certum eſt, pronunciare.

Hoc Proverbio docentur Reges & Magiſtratus, ut verborum vanitatem & falſitatem procul à ſe, & labiis ſuis pellant; quandoquidem illis ad mentiendum & fallendum irritamentis, & impulſibus liberi ſunt, quibus alij mortales ſunt obnoxij. Primum enim ſcimus metum cauſam eſſe, qua plerique ad mendacium impelluntur, ut in Saræ exemplo experimur:

Regum verò illa authoritas eſt, & potentia, ut non magis à ſuis ſubditis timere debeant, quam Leo à reliquis animalibus. Alii ſunt, qui lucri cauſa mendaciis ſua labia polluunt, ut qui merces vendunt: à quibus Principes & juriſconſulti tanto magis abhorrere debent, ut magna rerum omnium abundantia circumfluunt: Nonnulli ut honoribus velificentur; à quo illi quam alieniſſimi eſſe debent, qui culmen & faſtigium honoris attigerunt: Denique alii, ut vel malum fugiant, vel boni aliquid aſſequantur; à quorum altero cum Reges longius removentur, altero vero plenius potiuntur, quam alii homines, gravius peccare Reges quã alii mortales, cum mendacio ſe corrumpunt, liquido conſtat, Prov. 17. Eoq́ue peccarunt gravius *Fœlix* & *Feſtus*; quorum ille utrique & pecuniæ, & populari gratiæ inhiabat; hic, ut Iudæorum gratiam aucuparetur, jus violare voluerat.

Sed hoc non eſt totum, quod Regi incumbit. Nec enim ſufficit, ut animo & voluntate à mendaciis dicendis alienus ſit, & animo ad veritatem propenſo proferendam; ſed porro labore & induſtria ſingulari illi contendendum erit, ut veritatem altè in tenebris demerſam eruat, & multis mendacij ſalebris impeditam explicet extricetque, ut quæ communem hominum captum ſuperent, ejus intelligentiam non fugiant. Nam cum Dei nomen illis ſit communicatum, Pſal. 82.6. omnino danda illis opera eſt, ut nullum illis verbum excidat, quod quodammodo Dei ſapientiæ nõ congruat. Quamobrem illis incumbit Scripturam ſacram aſſiduè verſare, & alia ſcripta legere, quæ illorum vocationi maximè accommodata ſunt. Tantoque hoc illis magis incumbit, quod omnes, qui illos circumſtant, illis adulari parati ſunt, ut, niſi libris, qui adulari neſciunt, juventur, de illis (maxima parte) actum ſit.

Major autem adhuc animi vis intendenda erit, cum pro tribunali ſedet, & ſolium judicii conſcenderit, ne quidquã, quod vel latum unguem à vero aberret, proferat, quia Dei judicium non hominum exercet, Deute. 1.17. 2. Chron. 19. 6. Deinde quod Deus ipſe in medio judicum ſedeat, Pſal. 82.1. Quamobrem primum tempus & diligentiam adhibeant ad veritatem indagandum, ſicut Iob. ſe feciſſe profitetur in cauſis difficilioribus, Iob. 29.16. Deinde Deus precibus flectendus, ut illis judicia ſua det, Pſal. 72.1. Sic fiet, quod Job de ſe prædicat, juſtitiâ & judicio ſe, tanquam inſignibus & ornamentis Regibus in jure dicundo conſuetis condecoratos eſſe, Iob. 29 14. Vide hujus ſagacitatis exemplum in Salomone, 1. Reg. 3.

Hinc liquet, Reges olim omnes judices fuiſſe, & pro tribunali ſedere debere, quod & hodiè illis incumbit. Tametſi enim omnes judices Reges non ſunt, tamẽ Reges omnes judices eſſe oportere, ex infinitis ſcripturæ teſtimoniis conſtat.

V. 11. *Libra & lances judicij ſunt Domini; opus ejus ſunt omnes lapides loculi.*

In פלס (*libra*) & מאזני (*lances*) eſt ſynecd. pro omnib. menſuris & ponderibus, quæ in mercium commutatione, aut venditione adhibentur.

Summa eſt; Deum authorem eſſe ponderum & menſurarum: eoque in eum peccare, qui illis ad fraudem abutuntur.

Negari non poteſt, quin pondera & lãces ab hominibus ad commodiorem cõmerciorum uſum inventa ſint. Sed cum tam nobile inventũ ſint, & ad omnes præſentis vitæ uſus mirifice utile, Deus ſuum inſtitutum vocat, tum quod homi-

nibus prudentiam ſuppeditavit, & ſagacitatem illa excogitandi, tum vero etiam quod ſuo calculo hoc tam ingenioſum inventum comprobat. Sic Gen. 3. Deus dicitur tunicas Adamo & Evæ feciſſe, quia illis hanc prudentiam illas excogitandi dedit, & hoc inventum tanquam neceſſarium & honeſtum comprobavit. (Ex quo illud ἐν παρόδῳ, notandum eſt, omne præclarum & utile inventum ad Deum, tanquam verum authorem referendum, non ad homines, qui illud excogitant. Contrà fit ab hominibus, qui ſuis ritibus ſacrificant.) Quamdiu enim rite & legitime uſurpantur, tanquam judices (utcunque muti) cuique, quod ſuum eſt, attribuunt. In uſu igitur ponderum & menſurarum cogitandum nobis, non modo Magiſtratus, ſed & Dei ipſius authoritatem intercedere, quæ nos ad legitimum eorum uſum extimulet, & ab illicito iniquoque cohibeat. Siquis menſuras & pondera Principis ſigillo obſignatas corrumpat, vitietque, ei periculum ex violata lege imminet, nedum, cum Deus ſuo mandato, tanquam appoſito ſigillo hæc firmavit.

Vt igitur animos noſtros ad iuſtitiam in menſuris & ponderibus exacuamus, & à fraude cohibeamus, Deus nobis, ut remunerator, & vindex proponendus eſt: Qui tanto graviùs hujuſmodi fraudes ulciſcetur, quod hoc tam præclarum Dei iuſtitutum ad juſtitutum & æquitatem inter homines tuendam introductum ad fraudem & injuſtitiam transferunt. Omninò etiam tolerabilius foret, ponderibus & menſuris præteritis aliquem fallere, quàm per ſpeciem juſtitiæ & æquum faciendi proximum in commercio ſubvertere.

Scapi vero, lancium & lapillorum ob eam cauſam expreſſam mentionem fecit, quia his omnibus cum iunctim tum ſeorſim hominibus imponatur. Nam, niſi cum lances, tum lapilli æquales ſint, & ſcapus manu debitè & rectè teneatur, impoſtura admittitur.

V. 12. *Abominatio ſit Regi facere improbitatem; quandoquidem juſtitia firmatur ſolium.*

In כסא (*ſolium*) eſt meton. adj. ſolii pro ſubject. regno, ſeu imperio.

Summa eſt; juſta regni adminiſtratione regnũ ſtabiliri, labefactari contraria.

Et primum quidem obſervandum eſt, Regis boni eſſe non tantum injuſtitiam non committere, ſed illam porro odio, imo abominationi habere. Nam ſiquis annales replicare velit, inveniet aliquos, qui juſtitiam exactè & accuratè exercuerunt, qui tamen à juſtitiæ amore procul aberant; qui in juſtitiam declinabant ſtudioſe, qui tamen nullo iniuſtitiæ odio inducebantur; ſed vel ut popularem auram aucuparentur, vel ut dignitatem, ad quam evecti ſunt, tuerentur, vel quod ſibi à vindicta Dei metuerent modo, vel denique ut vitam æternam mererentur, in juſtitiæ curam incubuerunt. Is autem juſtus habendus eſt (referente philoſopho,) qui cum quod juſtum eſt, facit; tum illud juſtè & juſtitiæ amore facit. & propter Deum; & contra ab injuſtitia, ejus odio, imò abominatione recedit.

Deinde quod dicit, Regi abominationi eſſe oportere improbitatem potiùs, quam odio; quæri poteſt, cur hoc à Regibus exigit, quod omnibus commune officium eſt. Nam & à ſubditis & privatis hoc requiritur, non tantum à Regibus, & Magiſtratibus. Reſp. quià ſingulari quadam ratione hoc Regibus competit. Ob quam cauſam majori aut odii, aut amoris, & cumulatiore menſura Reges juſtitiam & injuſtitiam proſequi debent, quam alii homines; ut ſi alii injuſtitiam odio

odio habent, illi eam deteſtentur; ſi alij juſtitiam ament, Reges illam deperire, & adamare teneantur. Sicut enim Apoſt. 1. Tim. 3. virtutes quaſdam omnibus Chriſtianis communes à verbi Miniſtris exigens eaſdem ab illis magis abundè & confertim, quam ab aliis requirit, ut gregi præluceant, & exemplo ſint: ſic hoc loco Salom. à Regibus, non tantum ut improbitatem odio habeant, ſed porro ut illam abominentur, efflagitat. Quod documento ſit, quemque, quo plus à Deo accepit, eo magis cum juſtitiæ ſtudio, tum improbitatis odio duci oportere.

Verſ. 10. ſagacitatem poſtulat Propheta ad regij muneris juſtam miniſtrationem: hoc autem Proverbio exigit etiam juſtitiam, ut duabus his, veluti columnis omnis legitima Rep. procuratio fiat. Nam cum verſu 8. docuit, ne domum quidem, aut familiam diu conſiſtere, niſi juſtitiam in omnibus acquiſitionibus colat; rempubl. (cujus adminiſtratio majoris molis eſt) ſine juſtitia diu ſtare poſſe ſtultum foret ſomniare.

Satis Regibus eſſe debuit ad juſtitiæ cultum & amorem, quod Deus ea oblectetur, quod illis ipſis majorem divinæ in ſe dilectionis fiduciam adjungunt. Sed Salom. aliam rationem apponit, qua regũ & Magiſtratuum animos juſtitiæ ſtudio incendat, cum dicat, juſtitia ſtabiliri Regis ſolium. Propheta regni Chriſti æternitatem proponens non aliud hujus æternitatis & durationis fulcrum & pedamentum aſſignat, quam quod ſceptrum æquitatis ſit ſceptrum ejus, quod juſtitiam amet, & improbitatem odio habeat, Heb. 1. 8. Pſal. 45. 7. & Et certe quod hujus ſæculi regna ruant & radicitus evellantur, non aliunde eſt, quam quod per ſpeciem regiæ authoritatis latrocinia exercent. Hujus rei teſtes locupletes ſunt Monarchiarum convulſio & in minimas particulas contritio. Quid quod Sal. ipſe, quantumvis pietate imbutus; quantumvis ad miraculum ſapiens, & ſenatu ſanctiore & longè conſultiſſimo communitus, ſuum regnum ad filium transferre non potuit, quod populum ſibi ſubjectum frequentibus tributis & canonibus oneraſſet? Vide 1. Reg. 2. 3, 4. Principes toti in hoc ſunt, ut ſe copiis equitum peditumque, & curruum muniant, quibus ſi affluunt, ſe probè adverſus omnem hoſtilem vim tutos fore confidunt: ſed Deus longè ſecus ſtatuit.

V. 13. *Oblectatio Regum ſunto labia juſtitiæ; & recta loquentem diligito.*

In רצון (*oblectatio*) eſt meton. adj. Hebræis uſitata.

Summa eſt; Regum cum primis officium eſſe ex intimo veritatis amore his oblectari, qui vera dicunt.

Cum dicitur, oblectari debere Regem veris dicendis, intelligendum eſt id genus veritatis præcipuè intelligi, quod carni ingratum, ſpiritui & homini pio acceptum ſit. Quod etenim (cedo) vel pietatis, vel ſapientiæ ſpecimen eſt illa grata & accepta habere, quæ nobis ex animi noſtri optione narrantur? Ut ſi quis nobis veri aliquid apportet, quod cõmoda noſtra, quæ ſectamur, & quæ maximè volumus, provehat atq; promoveat; aut nuncius ſit alicujus honoris adipiſcendi? Ecquis eſt tam ferus & inhumanus, ut hunc nuncium gratum, & optatum non amplexetur? Quamobrem proculdubio de illis potiſſ. veridicis Proverbium hoc dicitur, qui, quæ triſtia & ingrata, ſed ſalutaria tamen & medicinam facientia dicunt.

Quod à rege hoc exigit, quod omnibus hominibus commune officium eſt ideo fit, quia à Regibus (ut ſuperiore verſu dictũ eſt) hoc præcipua quadã ratione

exigitur: Cujus ratio in promptu eſt, 1. quia nullum hominum genus eſt, cujus hoc magis intereſt, ut vera dicantur quã Regum, qui non ipſi modo, ſed imperio eorum ſubjecti aut veritatis dictione juvantur, aut contraria falſitate læduntur. 2. quia eorum in captandis mendaciis exemplum omnibus ſubditis eſt pernicioſum. 3. quod hac promptitudine mendaciis auſcultandi multi ex ſubditis & ſatellitibus ad falſa illis annuntiandum pertrahuntur: quo fit, ut mendacia nulli non noxia; Regibus & his, qui in eminentia conſtituti ſunt, pernicioſa ſint, 4. quia, cum magno numero accurrunt, qui jucunda & quæſtuoſa Regibus dicunt, pauci admodum reperiuntur, qui ſalutarẽ mœrorem veritatis teſtificatione afferunt; ut in Proverbium abierit, *Triſtes nuncios per claudum aliquem, aut pedibus captum mittendos eſſe.* Niſi igitur in tanta paucitate Rex aut Dynaſtes eos fovet & benevolè accipit, qui hæc minus grata afferunt, actum de illo eſt; ut qui priùs in omnium malorum gurgite & voragine verſatur, quam quicquam, quo periculum declinet, reſciſcat. Quæ res Reges & Principes admoneat, ut in lectione librorum, maximè Sacræ Scripturæ aſſidui ſint, qui mentiri, aut aſſentari neſciunt.

Hujus rei illuſtre exemplum eſt in Eli ſacerdote, qui, cum Deum ſibi offenſum uſque eo ſenſiſſet, ut illi nollet ſe ampliùs patefacere, & ſuſpicaretur, Deum aliquid Samueli puero indicaſſe, quod illi grave foret, diris & execratione Samuelem adjuravit, nequid eorum celaret, quę Deus illi communicaſſet. Atque cum triſtiſſima illi cum de ſe, tum de tota familia ſua recitaſſet, tamen, quæ dicebantur, omnia æquiſſimus & benigniſſimus tulit. Quamobrem ſi quam de Principis pietate opinionem arripimus, ne dubitemus hoc officium dicendi veritatem præſtare. Atque ut impii ſint, tamen ſi vocatione hoc nobis incumbit, meminerimus, Deum facilè gratiam nobis etiam apud impios conciliaturum, utcumque aſpera & luctuoſa referamus. Exemplo nobis ſit Daniel, qui, cum Nabuchod. & Balthaſari triſtiſſima dixiſſet, tamen ab illis utriſque honorificentiſſime acceptus eſt, & magnificis præmiis affectus, Dan. 2. 4, & 5.

Contra aliquando fit, ut nuncii veritatis malè accipiantur, ut Johan. Baptiſta ab Herode, Matth. 14. & ab Achabo Micheas, 1. Regum 21. de quo liquet ex hiſtoria, eum ob eam cauſam periiſſe, quod jucunda quamvis falſa triſtibus, ſed veris nunciis prætulerit. Qua in re quam iniqui homines ſint, inde peti poteſt, quod Principum Legatis jure gentium cautum eſt, nequid damni patiantur, quantumvis res triſtes afferant. Cum igitur quis Dei legatione fungens ex vocationis ſuæ ratione de rebus adverſis aliquem præmonet, illum citra periculum hoc facere non poſſe contra jus & æquum eſt.

V. 14. *Excandeſcentia Regis eſt multiplex nuncius mortis: ſed vir ſapiens expiabit illam.*

In מלאכי (*nuncij*) eſt metaphor. à rebus animatis & corporeis ad illa, quæ ſenſus expertia ſunt. Nuncij enim ponuntur pro judiciis & ſignis rei inſequuturæ.

Summa eſt; potentum & authoritate inſtructorum inflammatam iram mortis cauſam eſſe his, quibus iraſcuntur; cui niſi piâ prudentiâ obſiſti nequit.

Fieri quidem poteſt, ut quis in alium iraſcatur, & non ilico ei vitam adimi cupiat, ſed ſiquis ſit (cujuſcunq; conditionis & ſortis,) qui ira in alium incaleſcat & inflammetur, fieri nequit, quin ilico animum ejus invadat vindictæ cupiditas ad eum modum, ut illum extinctum optet. Quam-

Quamobrem quod vivit, in quem quis tam exulcerato animo eſt, vel impotentiæ, & virium ad illum tollendum defectui, vel pœnæ formidini tribuendum eſt. His autem impedimentis cum Rex non præpeditur, nec remoratur, utpote cui mortis inſtrumenta & abundè ſuppetant, & qui ſibi à nemine ſubditione ſua metuit, effectum eſt, Regis & præpotentis excandeſcentiam exitialem eſſe.

Hinc petuntur doctrinæ cum Regi, tum ſubditis perutiles. Et quidem Reges hoc Proverbio admonentur, ne iræ & æſtui fræna remittant laxentque: quoniam, ſi iræ & affectibus indulgere velint, ſe graviſſimorum ſcelerum, & ſummæ crudelitatis reos conſtituent, maximè cum, innoxio ſanguine ſemel hauſto, poſt omnis fere cædis patrandæ ſenſus amittitur.

Subditi & inferiore loco conſtituti diſcant, quod Salom. alibi utiliter monet, ut os Regis omnes obſervent, quoad per obſequium & fœdus cum Deo pactum licet: ut nemo ſe facile ab ejus imperio & obedientia ſubtrahat, Eccle. 8. 2, 3, 4. Regem enim pro voluntate ſua & libito factorum ſuorum ratio depoſcatur: Et quamvis longe à Regis præſentia removearis, non tamen audacius ille irritandus, quia ejus potentia late diffuſa eſt.

Quod ſi Principis indignatio tam formidabilis ſit, quem penes eſt tantum corpus perdere; quàm nobis metuendum eſt ab æſtu Dei, quem penes eſt corpus, & animam perdere! Quamobrem ſi conſultum eſt à Regis obſequio non temere diſcedere, à Dei obedientia te ſubducere abſurdum foret.

Quod dicit, illam excandeſcentiam à viro ſapiente expiari (ut fere in hoc libro) ſapientem intelligit eum, qui cum ſapientia pietatem conjunctam habet, non calliditatem & verſutiam carnalem. In quo vim veræ ſapientiæ notat, quæ una mortem impendentem propellat, ſicut & ſuprà docuit. Prov. 10. 2. Nam Regem irritatum graviter munera non poſſunt placare, qui divitiis abundet; neque opera & ſolertia, ut qui alios habet ſibi ſubditos, quorum opera utatur: una ſapientia & pietas hoc præſtare poteſt, ut Regis æſtum reſtinguat, 1. Sam. 19. 4, 5, 6.

Hoc autem perficitur partim precibus ad Deum fuſis, ut in Nehemia videmus, qui ſibi graviter à Principis ira metuens, cum quod ſubtriſtior eſſet, tum quod miſſionem ex aula petiturus eſſet, tamen precibus à Deo impetraverat, ut Regem facilem & exorabilem habuerat. Sed omnium luculentiſſimè illud conſtare poteſt in Abigaile qui Davidem cædem & ſanguinem ſpirantem, & in mortem Nabalis & totius familiæ juratum, ut placidum agnum piâ & prudenti oratione effecit, 1. Sam. 25. Item in Davide, qui Saulem ſemel atque iterum eum ad mortem requirentem ita mellitâ oratione flexit, ut illum veluti ulnis ſuis amplexari paratus fuerit.

V. 15. *In luce faciei Regis eſt vita, & benevolentia ejus tanquam denſa nubes pluviæ ſerotinæ.*

In אור פני (*luce faciei*) eſt metaph. à ſolis jucundo fulgore ad vultus hilaritatem traſlata. Item in מלקוש (*pluvia ſerotina*) eſt allegoria à frugibus ſerotina, eademque copioſa pluvia humefactis, ad hominem Regis propenſâ voluntate exhilaratum.

Summa eſt; Regis hilarem vultum ex benevolentia & affectu interiore profectam vitam cum jucundam, tum commodam reddere.

Proverbium hoc ex ſuperiore confirmationem habet. Ex adverſorum enim ratione arguitur; non minus ex Regis exporrecta

porrecta fronte vitam conſervari, quam ex contracta fronte & irato vultu vitam perimi. Si enim Iacobus ex hilari fratris Eſaui vultu perinde recreatum ſe profitetur, ac ſi Deus amabili aſpectu illum intuitus fuiſſet; nedum in Regis hilari aſpectu reficitur & exhilaratur ſubditus. Deinde quod dicit, Regis benevolentiam inſtar denſæ nubis eſſe, quæ imbrem uberem emittit maturandis frugibus idoneã; docet, non tantum vitam conſervari Regis benevolentiâ, ſed jucundam & commodam reddi.

Ubi primò notandum eſt, non probari quod Stoici docent, unum & eundem omni tempore vultum eſſe oportere. Salom. enim duos Regi attribuit; unum, qui ſit terrori impiis; alterum, quo pii, & fideles ſubditi recreentur: ut his ſerenus ſit, illis veluti nubeculâ indutus.

Deinde docet, animi affectum & benevolentiam à vultu ſereno diſcludi non debere. Nam cum omnibus turpe ſit, aliud vultu præferre; aliud in animo incluſum habere, uno amoris indicia oſtentare, alio verò odium & malevolentiam premere & coquere, tum in Rege & Principe illud multò fœdius.

Denique & illud Regibus ex hoc Proverbio diſcendum eſt, illos non minus ad bonos præmiis afficiendum, quam ad improbos ſuppliciis onerandum promptos & incitatos eſſe debere. Plerique enim ſunt Principes, qui in puniendis ſceleratis acres ſunt & acerbi ſatis, qui iidem in pios beneficiis proſequendo perquã tardi & reſtricti ſunt. Unâ quidem manu geſtant, ſed alterâ manu, quâ corollam tenere debent, inanes ſunt. Reges autem ampla vectigalia in hunc finem conceſſa habent, ut largitione in pios ſtimulos virtuti colendæ addant.

V. 16. *Comparare ſapientiam, quam melius eſt auro effoſſo: Et comparare prudentiam, quam optatius eſt argento!*

In *auro* & *argento* eſt ſynecdoch. partis, item eſt metaphor, tranſlata à mercibus, & poſſeſſionibus momentaneis & perituris. Quemadmodum liquet ex cap. 4, v. 5. 7.

Summa eſt; veram pietatem multis paraſangis excellere poſſeſſionem pretioſiſſimam.

Primum hoc loco quæritur, quid diſcriminis ſit inter ſapientiam & prudentiam. Videtur autem ſapientia eſſe ſcientia rerum καθ' ὅλα, prudentia autẽ ſcientia κατὰ μέρος, nempe intelligentia, qua quis novit ea, quæ cognoſcit, ad temporum, locorum, perſonarum circumſtantias accommodare: ut ſapientia propriè reſpiciat ſcientiam, qua an licita res ſit, cognoſcimus, prudentia autem in hoc verſetur, ut, an expediat, dijudicemus; ut prior ad intelligentiam ſpectet, ad judicium altera, & diſcretionem. Sæpe enim fit, ut quis res probè intelligat, qui tamen illis probè & peritè uti neſciat.

Deinde quod docet comparandam eſſe præ divitiis, auro, & argento, idem eſt, quod Salom. ſuperius docuit, cum monet, comparandam eſſe præ omnibus poſſeſſ. domus, agri, ſupellectilis, auri & argenti, Prov. 4. 7. & Prov. 8. 10. Nec diſſimile eſt dicto, quod protulit Chriſtus; Math. 6. *primum quærite regnum cœlorum, & iſta omnia adjicientur vobis.* In quo occurrit hominum corruptelæ & perverſitati, qui divitias ſapientiæ præponunt, & vero Dei timori. Hoc autem loco Proverbium hoc inſeruiſſe videtur, ut peculiarem ſapientiæ & prudentiæ uſum doceret. Nam eſt veluti concluſio ducta ex Proverbio, quod præmiſſum eſt v. 14. ubi docet, ſapientiâ expiari poſſe excandeſcentiam Regis, quam hoc Proverbium

bium amplificat à comparatis, quaſi dicat, aurum & argentum non poſſunt expiare Regis iram; ſed ſapientia poteſt, vide Eccleſ. 7. 13. 14. Quamobrem ſapientia potior eſt divitiis. Hujus eximium exemplum extat Dan. 4. Nam cum Nabuch. excandeſcens edicto juſſit omnes magos & ſapientes Chaldæorum, in quibus erant Daniel & ejus tres ſocii, nihil profeciſſet Danieli apud Regem, ſi illi montes aureos obtuliſſet, quibus Reges non tam opus habent: veruntamen ſuâ ſapientiâ & intelligentiâ Regem placavit, & ſe, ſuos ſocios, & Chald. à pœnâ mortis liberavit.

Deinde quod dicit, *quàm &c.* declarat, præſtantiam præ auro tantam eſſe, ut ne animo quidem & cogitatione complecti, nedum linguâ, aut calamo exprimere quis poſſit. Præterquam enim quod nobis eripi nequit, cum ad præſentem, tum ad futuram vitam commoda eſt. Quo accedit, quod abſque auro, aut argento paratur, gratuito Dei dono, Eſa. 55. v. 1.

V. 17. *Aggeſta via rectorum eſt recedere à malo: ſervat vitam ſuam, qui cuſtodit viam ſuam.*

In מסלה *(aggeſta via)* & דרכו *(viam ſuam)* eſt metaph. trita.

Summa eſt; tutiſſimum eſſe declinando malum, invocatione, qua quis vocatus eſt, apud Deum manere.

Quod in itinere faciendo eſt aggeſta & ſtrata via, i. in vitæ Chriſtianæ inſtituto, à malo declinatio. Videamus igitur, cui uſui inſervit via aggeſta in itinere faciendo. Et primum quidem illud occurrit, viam editam & elatam hoc commodi habere, ut ſit tuta, nec offendiculis ad quæ viator impingat, tam obnoxia, quam aliæ viæ, quæ ſunt depreſſæ: ſic qui à malo recedit, procul à periculis, quibus alij homines expoſiti ſunt, remotus eſt. Huc ſpectat, quod qui recte vitam ſuam, & ex Dei præſcripto inſtituunt, dicuntur in luce & in die ambulare, ut contra in tenebris & nocte, qui contraria ineunt. Quemadmodum igitur in luce ambulantes ab impactionibus liberi exiſtunt: ſic qui malum declinant. Hoc autem intereſt, quod in ſummè aggeſtis viis & in meridiana luce quis impingere poteſt, cum malum declinando nunquam poſſit labi.

Hoc igitur Proverbio Sal. tentationi occurrit, qua plerique cruciantur, qui peccati, & malorum hominum fuga grave aliquid damni ſe accepturos ſibi perſuadent. Siquis inopia urgetur, multa mala famis, ignominiæ, ſibi inde imminere cogitat, niſi inopiæ ſuæ remedium in furto & fraude quærat. Si facinus deſignavit, pœnam exitialem ſibi impendere apud ſe conſtituit, niſi mendacio, malo, quod debetur ei ex ſcelere occurrat. Si injuria illata laceſſitus malũ ex lege talionis malo non rependit, veretur ne cum ille, à quo læſus eſt, tum alij propoſita hac impunitate, injuriam injuria cumulent &c. Quibus omnibus, & hujus generis 600. aliis Spiritus Sanctus occurrit, & nobis ſanctè confirmat, nil mali nobis obvenire poſſe, dummodo à malo, & malis hominibus recedamus. Si malum aliquid faciendo boni aliquid conſequi poſſemus, tamen [malum non eſt faciendum, ut inde bonum eveniat] Rom. 3. jam vero cum hoc Proverbio docemur, mali fuga nos à malo immunes fore, & hoc boni conſequi, ut extra teli jactum ſimus; quæ (malum) hæc amentia eſt, nos ita faſcinari, ut improbè agendo nos proficere poſſe exiſtimemus, & ex infructuoſis operibus fructum percipere?

In aggeſta via hoc porro boni ineſt; quod ſicut tuta eſt, ſic facilis cognitu & inventu. Sua enim elatione cito & facilè ab aliis viis diſcernitur. Quod illis

reſponſo eſſe poſſit, qui veritatis difficultatem queruntur; ac ſi tam altè in terra defoſſa & demerſa eſſet, ut nuſquam ullâ induſtriâ inveſtigari & erui poſſet, cum via Regia dicatur, & aggeſta, anglicè *The kinges high way, or the Foſſe, or Dunſtables high way.* [Omnes enim ſermones Dei ſunt obvij & expoſiti intelligenti] Prov. 8.9. [Et Chriſtus dicit, eum cogniturum de doctrina ſua, qui facit voluntatem Dei.] Ioh. 7.17.

In poſt. hem. præmium proponit ei, qui Regiam & aggeſtam viam tenet, declinando quod eſt malum, nempe quod animam ſervat, qui cuſtodit viam ſuam: ubi animæ cuſtodiâ intelligitur cum hujus & præſentis, tum futuræ vitæ conſequutio. *Pietas enim ad omnia utilis eſt, & promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ.* Sed cautione opus eſt. Nã ſiquis ex aggeſta & in altum elata via deflectit, graviorem lapſum accipit, quam ſi in valle, aut planitie ambularet, aut equitaret. Et certè *præſtaret nũquã ingreſſos eſſe viam veritatis, quam illam ſemel initam deſerere,* 2. Pet. 2. 20. 21. 22.

Deinde aliam notam adjungit viæ tutę & facilis, non tantum ſi quis à malo declinet, ſed porro ſi quis in ea vocatione permaneat, qua vocatus eſt. Nec enim ſatis eſt, ſi quid boni facimus, niſi illud ex vocationis noſtræ præſcripto fiat.

V. 18. *Ante confractionẽ eſt ſuperbia, & ante lapſum altitudo Spiritus.*

In שבר confractionem eſt metaph. à rebus fragilibus, ſeu figulinis vaſis, quæ caſu in minimas particulas comminuuntur, ad homines, qui in gravem & triſtem admodum calamitatem incidunt.

Item metaph. eſt in כשלון *(lapſum)* tracta à lapſu corporis ex impactione ad lapidem, aut aliud offendiculum ad grave aliquod damnum, quod quis juſto Dei judicio accipit.

Summa eſt; ſuperbiam, quæ præcipuè in animo ſedẽ habet, grave Dei judicium in eum, qui ſuperbia elatus eſt, accerſere.

Hujuſmodi quid accepimus cap. 11. verſ. 2. proſopop. figura exornatum, ſed aliis verbis, & meta. hoc loco proponitur.

Sunt autem in hoc Prov. 2. primo deſcriptio ſuperbiæ, deinde explicatio effectorum ejus. In ſuperbia item 2. ſunt, 1. fons ipſe & baſis ſuperbiæ, quæ eſt in parte verſus poſteriore, nempe ſpiritus altitudo, ſive animus inflatus; deinde elatio & jactatio ſui ipſius exteriore aliquo indicio prodita: unde deſcriptio quædam ſuperbiæ peti poſſe videtur ad hunc modum; ſuperbia eſt immodica alicujus de ſe exiſtimatio eum ad ea, quæ ſupra ſe ſunt, facienda impellens. Hoc cõfirmatur verbis Pſal. 131. 1. Primum enim ut propheta ſe à ſuperbiæ & ambitionis calumnia illi ab Aulicis impoſita purget, profitetur, ſe animo elatum non eſſe: deinde illa non aggreſſum eſſe, aut in ſe ſuſcepiſſe, quæ illo majora, aut ardua magis ſunt, quam quæ illi convenirent. His cõmode adjungens, quod Apoſt. proponit, Rom. 12. ubi ἐν τῷ ὑπερφρονεῖν hoc conſequi docet, ut corporis membrum aliquod ſibi aliorum membrorum in eodem corpore officium & munus arroget, ſeque in ea ingerat, quæ illius propria non ſunt.

Hujus autem peccati lues & corruptela longè lateque ſerpit, ſeſeq; per omnes ferè vitæ actiones diffundit. Sive enim tecum agas quid, ſive cum altero conferas, magna vis ſuperbiæ ineſt ad illa labefactandum, quæ quis per ſuperbiam aggreditur. Quod ex adverſa ταπεινοφρ. liquidò conſtat. Nam Apoſtolus ædificium & ſtructuram bonorum operum excitare conatus illis omnibus tanquam baſin & fundamẽtũ ſubſternit ταπεινοφροσύνην. Eph. 4.2. Quamobrem nemo dubitare poteſt, quin

quin ad ſcelerũ multiplicẽ partũ tã valeat ſuperbia,quã ad virtutũ fœcunditatẽ animi ſubmiſſio. Neq; certè ulla ſocietas eſt, privata,aut publica;civilis,aut Eccleſiaſtica,quã ſuperbia nõ aut cõvellit,aut certè labefactat. Sicut enim charitas&ei cõtrariũ vitiũ ſe per omnes vitæ noſtræ actiones diffundit : ſic etiam animi ſubmiſſio, & ei contrarium peccatum per omnia ſuam vim&energiam ſpargere videntur.

Videmus effecta,quæ ſuperbia producit,quæ expendenda nobis ſunt,quod illis à ſuperbię peccato abſterreamur. Quæ etiam tanto magis ponderanda ſunt, & animis altius inſidere debent, quòd ſuperbia in his eſt,quibus nullũ ſupplicium ab hominibus ſtatuitur. Deberent quidem ſuperbi ab hominum ſancta ſocietate exulare, ſicut conſtat ex οικονομια quã David inſtituit. Pſal. 101.5.

Sed cum homines hoc ferè negligant, oculos attollamus ad Deum juſtum judicem & vindicem hujus ſceleris. Duo autem aſſignat, quorum poſterius (lapſus) eſt cauſa prioris, ſcil. cõfractionis. Quamobrem illud ſtatuamus, eos, qui ſe efferunt, dejectos iri, & decaſuros, etiamſi vertice cœlum attigerint : unde noſtro etiam Proverbio jactatur, *pride will haue a fall*, quantoque magis elati fuerint, & in altum ſubvecti, tanto graviore caſu in terram ſternentur. Sicut enim homines præaltâ ſtaturâ cadentes graviùs quaſſantur& cõtunduntur:ſic,ut quiſq; inflatiore animo eſt,graviore plaga ferietur. Nemo igitur impiis ſuam celſitudinẽ invidebit, ſi qui conſequitur caſum, ſecũ reputet. Ecquis latroni ſcalam ſcandenti, unde poſt deorſum præcipitandus eſt, invidet?

Hujus doctrinæ exempla paſſim in ſcript. occurrunt: Nabuch. Hammanis, Abſal. Adõ. Herod. Sed nec ipſis ſanctiſſ. Dei viris ſuperbia elatis parcitum eſt; ſicut ex Davidis, & Hezekiæ exemplis liquido conſtat. 2. Sam. 24. Eſai. 38.

V. 19. *Melior eſt ſubmiſſus Spiritu cum afflictis, quam ut quis partiatur ſpolia cum ſuperbis.*

Summa eſt ; potiorem eſſe conditionem ſubmiſſi & humilis Spiritu, quantumvis afflicti: quam divitiis affluere, interim dũ animo elato quis ſit, & tumido.

Propheta hoc Proverbio piorum animos adverſus ſuperbiæ peſtem communit atque corroborat. Magnum enim irritamentum eſt, & illecebra ad animi ſubmiſſionem abjiciendum, & elationem induendum, quod qui ſubmiſſi ſunt, & de ſe abjectè ſentiunt, ab aliis ferè contemptui, habentur, ut illis hoc modo ad honores, & hujus vitæ commoda aditus intercludatur; ut penè in Proverbium abjerit, nunquam rem facturum aliquem, niſi tanquam candidatus honores aut commoda emendicet, & ſeipſum efferat : Iacere enim eos, & deſpicatui haberi, qui ſe non ingerunt, aut honores & commoda captant ; contra provehi & promoveri illos, qui, ſuperbis Spiritibus, alta petunt.

His tametſi multifariam reſponderi poſſit; neminem ſc. ſeipſum ingerere debere, ſed Dei vocationem placidè & patienter præſtolari ; [Deinde honores & divitias neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque ab Aquilone, neque à deſerto provenire : ſed Deum modo eſſe, qui hunc deprimit, illum attollit: hunc ditat, illum pauperem facit :] tamen Propheta hoc loco aliud reſponſum aptat ; præſtabilius eſſe, ut animo ſubmiſſo ſis in afflicta & tenui conditione tanquã victus & captivus, quam per ſuperbiam ſummâ rerum omnium copiâ circumfluere.

Vox hebræa videtur dubiæ ſignificationis eſſe: Conſonantibus enim afflictos, ſeu pauperes ; vocalibus autem manſuetos deſignare: ſed res eodem recidit, & forte utrumq; hominũ genus complecti

voluit. Sic enim ferè comparatum eſt, ut qui afflicti ſunt & tenues, iidem etiã mites & manſueti ſint: unde Pſ.10.qui uno verſu afflicti,altero manſueti appellantur. Sicut etiam contra uſu venire ſolet,ut qui divites ſunt,& in honore conſtituti,iidem ſua proſperitate inflẽtur & intumeſcant.

Præſtabilius autem eſſe humilem & pauperem, quam divitem & ſuperbum, facilè conſtat. Nam ipſa afflictorum conditio à manſuetudine disjuncta ſpeciali Dei protectione præ his, qui afflicti non ſunt, munitur ad eum modum, ut injuria illis illata gravius vindicetur, quam quæ in eos admittitur, qui ſuæ proſperitatis fœcibus inſident & incumbunt.Matt.11.5. Deinde afflicti ad regnum cœlorum aptiores ſunt. 1.Cor.1.27.Adhuc in graviſſ. Dei judiciis, quæ regionem, tanquam aquarum illuvies obruunt, pauperes & afflicti levius puniuntur, ut in captiv.Babylon. Iam verò cum ad afflictam conditionem accedit animi ſubmiſſio, qua Deus tanquam propria imagine oblectatur,dici nõ poteſt, quam protectio ejus ibi duplicatur & multiplicatur; quã omnes donorum ſuorum ſpiritualium fontes reſerantur, omnes theſaurorum ſuorum arcæ & conceptacula aperiuntur. Contrà vero Deus ſuperbis bellum indicit, & illis in faciem reſiſtit maximè tum, cum ſuis divitiarum & honorum muneribus ad ſuperbiam abutuntur.

V.20. *Intelligens ſuper verbo inveniet bonum: ac beatus ille qui confidit in Domino.*

In דבר verbo eſt metonym.adj.pro rebus verbo comprehenſis.

Summa eſt; ad rem quamque honeſtam commodè perficiendũ requiri tum rei, quæ tractatur, peritiam, tum in Deo fidem.

Duo igitur hoc proverbio proponuntur; unum eſt, ut quam quiſque rem aggreditur, probè & accuratè cognoſcat; alterum, ut peritiæ & intelligentiæ ſuæ non innitatur,ſed Deo viventi.

Ad primum quod attinet, non ita pridem accepimus,ſingulare præſidium eſſe ad res noſtras tranſigendas conſilium, & conſiliariorum copiã res commodè confici. Hujus rei etiam clariſſ. teſtimonium extat Eſai.3. ubi propheta exitium Judeæ denuntians minatur potentes, bellatoris, judicis,prophetæ,ſagacis, atq; ſenis, perfecti quinquagenis, honorabilis conſiliarii,periti artificis,& oratoris, quibus Reſpub. & Eccleſia,tanquam ſepes ſuis palis innititur,deſtructionem.Hęc igitur regula & cynoſura nobis eſſe poteſt, qua in vocatione dirigamur, ut quam quiſq; novit artem,in ea ſe exerceat,ut in proverbio eſt; *tractant Fabrilia Fabri.*

Hoc, ut in omnibus artibus, ſcientiis, profeſſionibus,in familia,Repub. Eccleſia obſervandum eſt: ita ut quæque ars, ſeu profeſſio majoris momenti eſt in ulla ſocietate publica,aut privata; ſacra,aut prophana; ſic ſtudioſius & magis obſervanter ei attendendum eſt. Quæ una res aut obſervata ſocietates conſervat, aut neglecta eaſdem funditus convellit& labefactat. Hujus ſi ratio haberetur, in pace Magiſtratus,in bello Dux,in Eccleſia Miniſter nunquam hæc munera ſuſciperet, niſi ſibi ſuæ in his rebus, quas ex vocatione tractatur,peritiæ probè conſcij eſſent; ne tum quidem, quum aliorum ſuffragiis & optione ad illa munera electi eſſent,

Hic igitur multorum perverſitas & improbitas arguitur, qui rerum imperiti, quas procurandas ſuſcipiunt,audent ſe in vocationem aliquam ingerere,tametſi ſit ad abjectiſſimi mancipii operas illiberales exercendum. Nec minus reprehendenda eſt illorum amentia,qui ad ſumma in Repub.& Eccleſiâ munera eos adhibebunt,

bebunt, qui ad utriuſque habenas moderandum inepti ſunt, idque proprio ipſorum judicio, qui eos cooptant. Quod non aliunde accidit, quam quia per gratiam, aut alicujus commodi ſtudio, hoc ut faciant, adducuntur.

Quod autem dicit, eum bonum inventurum, qui ſuper verbo intelligit, illud liquido conſtare poteſt. Inſcitia enim & imperitia in rebus agendis nos in magnos angores & anxietates conijcit: ſicut contra animum valde reficit recreatque, cum res tractamus, quæ probè nobis cognitæ & exploratæ ſint, ſciamuſque & viam inire, & omnes ejus ſemitas & diverticula pernoſcere.

Et quidem hactenus de priore parte: ſequitur altera de fide in Deum. Difficile enim perfecto eſt homini admodum perito, animum & cogitationem à peritia ita abducere, ut in illa ſua peritia non penitus acquieſcat. Quamobrem Sal. ſapienter huic malo occurrit, dum docet, non eſſe fidendum ſapientiæ ſuæ, aut intelligentiæ in rebus gerendis, ſed in unico Deo vivente. Quod niſi faciat, eventurum, ut ſuâ peritiâ non proficiat. Aut enim quod conatur facere peritiæ ſuæ beneficio & ope, non efficiet; aut ſi efficit, tamen non ſuccedet illi ad honeſtos illos uſus, ad quos ſuam operam deſtinat. Hujus rei clariſſ. firmamentum ponitur Pſal. 127. Item Agg. 1. verſ. 6. & 9. Eccl. 9. 13. Quamobrem egregium eſt illud Salomonis conſilium Proverb. 3. 5. 6. 7.

Quamobrem qui confidit in Domino, is in omni negotio, præſertim graviori, tametſi peritiſſimus artifex ſit, ut olim Bazaliel & Aholiab, tamē precibus à Deo contēdet, ut, quod aggreditur opus, probe ſuccedat; id eſt, ut & peritia illi in prōptu & ad manum ſit, qua rem perficiat, & perfecta uſui his ſit, quibus deſtinatur. Hinc eſt quod Labani, quod Putiphari, quod Pharaoni omnia tam proſpere cadebant, qui Iacobo & Ioſepho ſervis & adminiſtris utebantur. Hæc ſi à patribus familias probe reputarentur, nunquam ne abjectiſſima quidem officia hominibus aut impiis, aut improbis, blaſphemis, ſcortatoribus, aut ebrioſis permitterent.

De hujuſmodi dicitur, perbeatum illum eſſe: ſicut nullius rei peritia ſuum poſſeſſorem beatum reddat, ne illa quidem, quæ eſt ſacrarum literarum, & cæleſtium myſteriorum, etiamſi omnia ad unguem teneat. Quinetiam beata quadantenus erit Reſpub. Eccleſia, ſeu familia, quarum ille negotia procurabit.

V. 21. *Sapienti corde nomen indatur prudentis: ſed ſuavitas labiorum addit doctrinam.*

In מתק (*ſuavitas*) eſt metaph. a dulcedine rerum ſenſibilium ad res illas, quæ mente & intelligentia percipiuntur. Item in יקרא (*nominabitur*) videtur eſſe ſynecd. gen. appellationis pro celebri & nominata appellatione.

Summa eſt; præſtabiliorem eſſe eloquentiam cum ſapientia conjunctam, quā cum quis animo egregiè ſapiens animi ſui ſēſa commode exprimere nequit.

Propheta hoc Proverbio videtur cum hominum ambitionem, & inanis gloriæ captationem tacitè perſtringere, tum ſimul viam, quam tenere debent, rectam commonſtrare. Nam plerique omnes illa ſectantur, & in illa incumbunt, maximè quæ illos inter homines celebres & nominatos efficiant. Et quia ſapientia & rerum ſcientia cum humanarum, tum divinarum magni fit apud homines, ideo in illud unicè ferè incumbunt, & ſtrenuam operam navant, ut quam ſcientiſſ. & ſapientiſſimi ſint, & habeantur. Hoc peccatum olim invaluerat apud Corinthios, ut illa χαρίσματα potiſſimum ſectarentur,

quæ plurimi apud homines æſtimabantur: Uunde linguarum dona al is donis longè præſtantioribus proponebant. Et hæc ipſa vanitas apud nos hodie obtinet, ut quiſq;in artibus& ſcientiis perſequendis hoc ſibi unicè ob oculos proponat, ut illarum rerum ſibi notitiam comparet, quæ illum quam maximè celebrem & nominatum reddant.Perinde ac ſi quis in exſtruendo ædificium illa ligna &lapides comportaret,quæ ſpeciem pulchritudinis præ ſe ferrent, præterita ſoliditate & firmitate, cui ædificij pondus imponatur.

Altera parte Proverbij viam rectam indicat, quæ ineunda, & cui inſiſtendum eſt: nempe mediocrem ſapientiam cum dicendi facultate coniunctam ob eam rem præponendam eſſe,quia plus utilitatis ad alios informandos adfert, quam ſi quis hac facultate nudus profunda rerum maximarum cognitione imbueretur. In deligendo igitur vitæ genere, dummodò nobis per parentes, &eos,quarum ſubditione & imperio vivimus,liberum & permiſſum ſit, videndum primum & ante omnia, quæ ſint illa, quibus reſpub.& Eccleſia maximè opus habent. Deinde quæ ſint dona ſeu naturæ, ſeu acquiſitionis, quorum adminiculo illa adipiſcamur,quę Reipub.&Eccleſię ſummi uſus ſunt.Hinc eſt, quod Apoſt. 1. Cor. 14.1. monet ut zelo proſequamur præſtantiora dona,illa maximè, quibus alios ædificemus; in quo genere ponit Prophetiam. Hoc ſi obſervatum eſſet, pauciores juriſconſultos & medicos, & plures ad miniſterium idoneos haberemus.

Deinde notat,quis ſit finis eloquentiæ, non ut ſe quis venditet, aut alium ad ſuas partes orationis ſuavitate pertrahat,&aures demulceat; ſed ut tanto commodius alios in his informet, quæ illorum ſcire intereſt.

Deinde notandum, varia Dei dona eſſe, quæ, prout vult, diſpenſat, ne nimium ſuperbè alios aſpernemur, quibus eadem dona collata non ſunt. Vide exemplum Moſis & Aharonis, quorum prior intelligentia, alter ſermone precipuè valebat. Vid etiam 2. Cor. 11. 6.

V. 22. *Fons vitæ eſt intelligentia dominorum ejus: ſed eruditio ſtultorum eſt ſtultitia.*

In מקור (*fons*) eſt metaph. qua cum perennis, tum copioſa vita deſignatur ex ſolida ſcientia proveniens. In אולת(*ſtultitia)* eſt metony. adj.pro eo,quod eſt ſtultiſſimum.

Summa eſt;ab intelligente viro omnibus modis promanare,quæ ad vitam ducunt: & contrà à ſtulto non niſi ad mortem ſpectantia profluere.

Non ita pridem Sal. virum ſapientem arbori vitæ comparavit; unde, quanto in pretio eſt habendus, non obſcurè ſignificavit, cum in hoſtili agro permiſſum non ſit arborem frugiferam cujuſcunque generis excindere. Hac etiam metaph. non minus illud de pretio pij viri exornat. Deus enim terram Canaan populo commendaturus hoc illi attribuit, illam aquis abundare: Deut. 12. item de Elimo dicitur loco palmis abundante, ibi fuiſſe 12. fontes. Exod. 15. 27. Quamobrem illa terra, illa urbs,illa denique domus fœlix eſt,ubi hujuſmodi fontes ſunt. Eſtque magnæ iniquitatis, vel impietatis potius iſtos fontes, &ſcaturigines obturare, aut occaſionem obturandi præbere. Nec enim Philiſtæis meliores ſunt qui Abrahæ & Iſaaci fontes & ſcaturigines occluſerunt, & injecto pulvere & cæno obturarunt: Imo tanto graviùs peccant, qui fontes aquarum infinitis gradibus magis pretioſarum deſiccant. Quod quidem ut de omnibus piis intelligitur; ſic maximè depiisChriſti Miniſtris,qui veluti

communes

communes totius oppidi canales & aquęductus ſunt. Domi ſuæ fontem vivæ aquę habere ſingulare beneficium eſt, ſed illum in foro proſtare, ubi totius urbis uſui inſerviat, divinius eſt.

Ex adverſa antitheſi in poſt. hem. videtur Propheta in priore Proverbij parte deſignare, virum intelligentem multis modis ſuam intelligentiam communicare, etiam tum, cum minime omnium hoc expectares; non tantum cum res ei ad voluntatem ſuccedunt, ſed etiam cum, reflantibus ventis, res aliter cadunt, etiam inter cænandum & prandendum, non tantum cum ſeria tractat, & in cathedra ſedet, ſed etiam tum, cum per jocum agit & ſe remiſſioni dat. Quod ex poſt. parte proverbij colligitur, qua confirmatur, ſtultorum etiam eruditionem, inſtitutionem, & informandi conatum plenum eſſe ſtultitiæ: imò ſæpe fieri, ut, quo majoris momenti ſunt, quæ aggrediuntur, tanto magis ſuam inſcitiam prodant.

Meminerimus igitur, quod Apoſt. ad Coloſſ. monet, ſermonem Dei copioſè inter nos habitare oportere, non tantum in Eccleſia, ſed in Aula, & cubiculis; non tantum in rebus ſeriis, ſed cum ad remiſſionem animorum deſcendimus; non tantum in precibus, ſed & in familiari ſermone, qui gratia, tanquam ſale condiendus eſt; non domi ſolum ſed in agro; non tantum cum ſurgis, ſed & cum lectum petis; non in otio modo, ſed & in negotio. Hujus rei exemplum proponitur in Sal. qui non tantum in ſacrificiis, & cum pro tribunali ſedebat, ſed & in diœta, ædificiis, in ſervorum veſtitu, ſeſſione, ſtatione, &c. ſapientiam ſuam hinc, inde ſpargebat. 1. Reg. 10. 3. ad 8. Idẽ perſpicitur adhuc magis in Chriſto Domino, qui interim, dum cibum capiebat, dum in itinere eſſet, omnes anſas captabat docẽdi & inſtituendi ad extremum uſque ſpiritum. Nam ſiquis intelligentia inſtructus illa non utitur, ad aliorum commoda, is non eſt veluti fons aquarum ſalientium, ſed veluti aqua ſtagnans & lacus, Prov. 6. 13. Contra ſtultus non tantum in ſermone, ſed in greſſu ſæpe, & geſtu ſuam ſtultitiam prodit.

V. 23. *Cor ſapiens intelligentia imbuit os ſuum; & per labia ſua addit doctrinam.*

Summa eſt; non tantum ex abundantia cordis os loqui, ſed porro magnum præſidium ad bene ſenſa animi proferendum in eo poſitum eſſe, ſiquis probè rem cognitam & perceptam habet, de qua ſermonem inſtituit.

Quod Servator cõcinnè dixit, *ex abundantia cordis os loqui, & ex bono cordis theſauro quæ ſunt bona, depromi,* hoc Proverbio confirmatur. Quod quidem adverſus illos obſervandum eſt, qui, cum turpiter, aut malitioſe loquantur, ſe nihil mali cogitaſſe profitebuntur; cum vitioſi ſermones veluti ſagittæ ſunt in cordis pharetra, reconditæ & concluſæ, quæ lingua tanquam arcu ejaculantur.

Sed videtur aliquid amplius hoc Proverbio comprehendi, nempe juvari ſermonis facultatem rei, de qua loquimur, penitiore intelligentia, ut idem ſit cum dicto illo; *quemque ſatis eſſe diſertum* in eo quod intelligit. Quo tamen Proverbio non convellitur, quod verſ. 21. docuimus; aliud eſſe donum ſapientiæ aliud facundiæ. Nam tametſi dicendi elegantia ſapientia ornatur & expolitur, tamen quia res ipſæ verba veluti pariunt, nihil impedit, quo minus magnum momentum ad bene dicendum afferat rei, de qua dicitur, accurata comprehenſio. Hinc eſt, quod damnatur ſtultitiæ, & nota infamiæ illi inuritur, qui reſpondet, antequam rem audiat, Proverb. 18. 13. Et certe qui

maximè

maximè lingua impeditus & tardus eſt, commodiùs de qualibet re, quam intelligit, dicet, quam ſi ſermone valentiſſimus & diſertiſſimus eſſet, cum rem benè perceptam & exploratam non habet. Hinc eſt, quod Apoſt. quoſdam doctores inſimulet, quod, quæ dicerent, aut de quibus aſſeveranter loquebantur non ſcirent, 1. Tim. 1.7. Quod vitium hodiè apud nos longè lateque pervagatur, non tantum in communi ſermone, ſed in ſuggeſtu, ut quidam linguæ & verborum volubilitati confidentes in Miniſterium ſeſe ingerant. Neque deſunt auditores, qui dummodò verba ſine hæſitatione fundant, in admirationem rapiuntur, & hujuſmodi præconum laudes decantant; à quibus ſi quid ab illis didicerint, poſtulentur, ilicò obmuteſcunt.

Deinde frequenti uſu ſapientiæ, & continuo de his, quæ ad veram ſapientiam ſpectant, ſermone, lingua expeditur, & acceleratur.

Denique notandum, ſermonem ſemper ex mente & intellectu, non ex affectibus, & animi perturbationibus, odio, amore, invidia, ira promanare debere.

V.24. *Favus mellis ſunt verba amoenitatis; dulce eſt unumquodque animæ, & ſalutiferum oſſi cuique.*

Oratio eſt tota Allegorica. Nam צוף דבש (*favus mellis*) metaph. eſt à dulcedine ſenſibilium ad delicias ſpirituales tranſlata: נפש (*animæ*) ſynecd. eſt pro toto ſtatu hominis, qui ad æternam vitã ſpectat, ſicut עצם (*oſſi*) eſt ſynecd. pro toto ſtatu hominis, quoad hanc vitam continet.

Summa eſt; ſermones pios & probos magnum momentum afferre ad vitam præſentem & futuram.

Cum amœna verba, ſeu ſermones tam præclaris elogiis & præconio à Propheta ornentur, operæpretium primò erit diſpicere, quæ ſint amœna verba, ne, ſi in illis halucinemur, omnem hujus Proverbii fructum amittamus, & quod gravius eſt, in periculũ incidamus. Qui vero ſunt ſermones amœni, non aliundè aptius & commodiùs peti poteſt, quam ab ipſo Sal. Et 1. quidem ex cap. 15. v. 26. illud definitur, cum dicat; Mundorum ſunt amœni ſermones; & 22. v. 17. 18. *Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientum, & cor tuum adjice ad ſciendum me. Nam amœnum eſt.* Hinc liquet verba mundorum & ſapientum verba eſſe amœna, denique ſcientiæ & cognitionis Dei, Si igitur mundorum & ſapientum ſint, ilicò amœna eſſe debent in quocunque genere ſint; ſive ſint promiſſiones, ſeu comminationes, ſive ſint admonitiones, ſeu reprehenſiones. Plerique enim ſunt, qui doctrinas, quæ ſcientiam pariunt, libenter admittunt, promiſſiones avidè arripiunt; cum autem ad admonitiones venitur, ægrè illas ferunt. Ita enim ſuperbi ſunt, ut ſe admoneri iniq; ferant, reprehendi verò, aut cõminationibus feriri nullo modo patiũtur.

Deinde docetur, quam illa amœna ſunt; nempe ut mel, quo nihil dulcius, ut favum mellis, (Anglice *lifi hony*) Pſalm. 10. quod adhuc delicatius, & palato gratius, ut quod ſponte fluit ex favo mellis, abſque eo, ut, vi adhibita, exprimatur; quod in melle longè pretioſiſſimum exiſtit. Hic ergo nos examinemus, quem guſtum habeât apud nos verba ſapientiæ, id eſt verba Dei; an palatum noſtrum ſapiant, an animo noſtro grata ſint, ut hinc de nobis ipſis judicium faciamus. Sunt enim quibus non plus ſapiunt, quàm vitellus imo quam fell.

Deinde cum dicit, animæ grata eſſe verba amæna, docet; non tantum deguſtanda, ſed deglutienda, & mente & commentatione penitùs digerẽda eſſe, ut nobis proſint. Nam ſi guſtentur tantum, & poſt

poſt expuantur;vel ſi deglutiantur,&deinceps revomantur, certe animum exhilarare nequeunt.Hinc eſt quodProverb. 22.17,18.requiritur, ut animum adijciamus ad cognitionem Dei.; & tum fore amœna dicit, cum illa in ventre,ſeu intimis animi penetralibus aſſervaveris&poſt illa intus cōcocta&digeſta labiis diſpōas.

Deinde aliud beneficium confertur in hos quibus Dei ſermones dulces ſunt, nempe *quod oſſa ſanat*, id eſt ſanitatem corporis affert, atque adeo morbo confectos ſanitati reſt tuit, etiam tum, cum graviſſimo morbo laborant. Nam morbus ille ex omnibus deploratiſſimus eſt cum oſſa, quæ veluti corporis fundamenta ſunt, corrumpuntur, aut comminuuntur. Sicut enim mel non dulce modo,ſed etiam ſalubre: ſic amœni ſermones.Vide Iob. 32. 19. &c. Vide Matth. 9.*Fili, confide, remittuntur tibi peccata.* Quæ hujus vitæ promiſſiones ita præſtantur, quod illæ Dei gloriæ, & noſtræ ſaluti conducunt.

V. 25. *Eſt via recta in conſpectu hominis, cujus finis eſt via multiplex ad mortem.*

In דרך (*via*)eſt metaphora pro inſtituto vitæ; item in ישר (*recta*)metaphora à viæ rectitudine ad inſtituti probitatem, vel utilitatem;& in לפני (*ad facies*)ab oculorum intuitu ad animi intelligentiam traducta;adeo ut Proverbium totum fere allegoricum ſit.

Summa eſt;hominib.ſenſus& rationis propriæ dictamine bonum & utile perſequentib.contrarium obvenire: eſtq;prorſus eadem cum illò Proverbio, quod eſt cap.14.12.ut ſenſu,ſic verbis:quo doceri voluit Propheta δὶς καὶ τρὶς τὸ αὐτὸ καλὸν, Philipp.3,1. quanquā in hoc aliquod diſcrimen conſtituatur in nexu cnm ſuperiore proximè præcedenti Proverbio: *amœna eſſe verba ut mel*, &c. ſed non eſſe omnia amœna & verè jucunda, quæ nobis ita videntur.

In mandatis ſecūdæ tabulæ Deus poſt lapſum, nonnullas ſcientiæ& cognitionis recti & pravi,equi& iniqui ſcintillas reliquit,quarum adminiculo,quæ bona ſunt, perſequamur, & contraria his declinemus; Sed has micantes in tenebris ſcintillas partim prava ex educatione conſuetudo obfuſcat, partim animi perturbationes & affectus turbulenti extinguunt,ut quod ratio ex ſe probè judicat, illud perturbationibus victa&captiva perperā ſtatuat.Hinc eſt, ut,ſpecie utilitatis, aut libertatis objecta, parentibus & Magiſtris reſiſtatur;vindictæ cupiditate proximi cædes tanquam nobis opportuna& ſalutaris appareat; cum aliena mœchatio in bonis numeretur, interverſio bonorū nobis commoda videtur,proximi calumnia ad extimationem noſtram aut conſervandam, aut promovendam idonea videatur. Cum enim ratione judice, hæc omnia deformem& nauſeabundum aſpectum habeant parva tamen educatione,&animi perturbata commotiōe lerva illis juducitur, quę nobis deformitatis aſpectum aufert, & veluti fuco & pigmentis floridum colorem induunt, quo decepti ad malum rapimur, à quibus alioqui abhorremus.

In his verò, quæ ad primam tab.ſpectant eſt quidem cōmunis quędam notio confuſa de cultu Dei ingenita huc uſq;ut Deum eſſe cognoſcamus,eum eſſe colendum, de illo non niſi cum ſumma obſervatione loquendum, tempus aliquod ad ejus cultum ſeponendum eſſe: ſed quis ſit ille Deus, quis illi Deo cultus ſeu internus,ſeu externus deferendus,quomodo ejus nomen ſanctificemus, aut, ne violetur,caveamus; denique quod ſit tempus, quo colendus eſt, & quomodo hoc tempore nos geramus, ne γρῦ quidem ratio-

rationis radiis cognoſcimus. Quamobrem qui rationis magiſtri vel peritiſſ. extiterunt, rationem ducem ſequentes craſſiſſimè & turpiſſ. omnium errarunt. Vnde etiam in his mandatis hoc Proverbium præcipuè locum habet. Sive.n. rationis præſcripto obſequaris, quæ Deo inimica & inviſa eſt, ſive conſuetudinem pervetuſtam, & morem majorum, aut quicquid ſit, quod tibi proponis, præter unicum Dei verbum, illa te via ad certam mortem ducet. Ex quo liquet, quam illa imbecilla baſis veræ religionis ſit, cui Pontificii innituntur, qui bonam (quam dicunt intentionem tantoperè laudant, ut in cauſa religionis à via declinare vix poſſe contendant, dummodò ſtudio & intentione bona, quam vocant, res fiat. Qua ratione juſti pronuntiantur Apoſtolorum homicidæ Iohan. 6. imo ipſius Chriſti interfectores, quorum magna pars, ſe cultum Deo præſtare exiſtimarunt Rom. 10. 1. Cor. 1. Vide exemplum Vzzæ.

Quod autem affirmat, finem & exitum multiplicem eſſe ad mortem viam, id etiam in quo delinquitur, peccato verum comperietur. Nam cum mandatorum obſervatio præmio hujus & futuræ vitæ duplici muneratur, eorundem violationem utraque morte campenſari neceſſario conſequitur. Deinde in uno eodemque peccato non duplex, ſed multiplex ad interitum via eſt. Nam in vita libidinoſa, viribus exhauſtis, corporis valetudo lebefactatur, ut in dies ſingulos quodammodo moriatur; deinde ad fruſtum panis & ſummam egeſtatem reducitur; prætereà ignominia obruitur: quorum omnium ſenſus & conſcientia hominē inſtar gravis oneris deorſum ad inferos deprimunt, præter præſentis vitæ privationē, quā Lex Dei adulteris imponit.

V. 26. *Anima moleſtiam exhibens ſibi moleſtiam exhibet.* **Nam in ipſam reflectitur os ſuum.**

In נפש(*anima*) eſt ſynecd. part. Item in פיהו(*os ſuum*).

Summa eſt; homine machinanti proximo malum verbis inſidioſis, malum in authorem reflecti, & repercuti.

Qui malum aliis, calumniis, obtrectationibus, & conviciis ſtruunt, hoc ſibi fore proponunt, ut aliis incommodando ſua commoda curent aut ſaltem ut aliis læſis, ipſi intacti & illæſi evadant. Spiritus Sanctus verò ut huic opinioni occurrat, & hunc errorem evellat, docet, contrà fieri, quam illi exiſtimant. Sæpe enim fit, ut quod in alios malum cogitant & conſultant ad exitum ab illis optatum non perducunt. Qui autem in alios maleficia machinantur, ſemper in ipſorum caput recidunt. Et quidem cum ſuis conſiliis excidunt, & concupito maleficio, quod patrare cogitant, tum ilicò naſcitur & ſuppullulat dirus animi cruciatus, quo torquentur & cruentantur, quod animo deſignatū ab illis ſcelus nō perficiant. Deinde perpetua conſcientia ſceleris, quod vel patrarunt, vel patrare cogitarunt, illos exagitat, nec interquieſcere ſinet. Deniq; quod malum in alios inſtruebant etiam in hac vita plerunque juſto Dei judicio in ipſos reflectitur. Cujus infinita exempla extant in ſcriptura, Doegi, Iudæ, Haman, Adonibezeki, & aliorum. Hinc ſunt crebræ illæ Prophetarum voces; *incidere in foſſam, quam ipſi effoderunt, in proprium verticem recidere ſagittam*, ſeu lapidem, ſeu aliquid ejus generis, quod quiſquam in aërem excuſſit, ſeu ejaculatus eſt. Qui enim lege cavet, *ut oculus pro oculo, pes pro pede, dens pro dente, &c. illi præſcindatur, qui alterius corpus mutilavit*, ſuæ juſtitiæ non deerit in illius generis compenſatione quam homines reddere ne-

nequeunt. In quo genere eſt obtrectatio, calumnia, ſeu inſidioſa accuſatio, qua ſeu vita, ſeu facultates, ſeu fama alterius petitur. Iudices enim inter mortales non debent calumniæ calumniam opponere: ſed Deus juſtiſſimè hoc facit.

Quamobrem non tantum improbitatis, ſed veſaniæ & furoris quædam ſpecies eſt calumnias & obtrectationes adverſus alios ſerere, cum (quod in Proverbio dicitur) κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη Hinc enim quadantenus dici poteſt, quod ab Apoſt. ad Epheſ. ſcribitur: *quis propriam carnem unquam odio habuit?* Quandoquidem, quod malum alteri parat, in ſe redundet. Quod ſi in hac vita vindicta non ſumatur, nec injuria retalietur, quam in alium quis inſtituit, tamen Deus juſtus judex pleniore menſura illam in ultimo judicio compenſabit. Quamobrem ſi quis conſcientia obſequii in Deum adduci nequit, ut linguam, ne in proximi malum ſtringatur, cohibeat; at commodi ſui cauſa hoc faciat: ſi amore proximi duci nequit, ut à maledicentia ſibi temperet; at ſaltem hoc faciat odio ſibi ipſi incommodandi.

Sed hic quæritur, quomodo in os moleſtiam exhibentis reflectitur, cum in eos etiam, quibus moleſtia exhibetur, grave malum infertur, ut qui in ſui ſuſpendio remedium quærant. Quid, quod etiam in Deum ipſum redundat, qui blaſphemiis & juramentis ab eo, qui affligitur, petitur. Sed verum eſt etiam; hæc omnia in caput moleſtiam exhibentis redire; maximè quod in Deum fertur magno impetu in ipſius caput recidit, ſicut, quæ deorſum feruntur omnia.

V. 27. Nequam effodit malum; & ſuper labia ejus eſt veluti ignis adurens.

In כרה (*effodit*) eſt metaphora ab his, qui clam feris inſidiantur, ut illas incautas irretiant.

Summa eſt; hominem nequam inſidiosè malum & exitium alteri inſtruere. quod poſt virulentæ linguæ beneficio in medium profert.

Primum videamus, quis ſit is quem Propheta nequam appellat. Ex vocis etymologia is eſt, qui ne hilum quidem proficit. Quod nobis documento eſt, quo loco ſunt, qui pietatis incrementum non accipiunt, nempe eſſe perditæ conditionis. Verum quidem eſt, quod Apoſtolus affirmat, *improbos omnes & præſtigiatores indies in improbitate proficere*, 2. Timoth. 3. 13. ſed Propheta maluit hominem nequam hoc modo deſcribere, ut noſtram ad bona opera ſolicitudinem exacueret, dum non tantum eum ſceleſtum pronunciat, qui improbitati ſedulo operam dat, ſed eum, qui probitatis veſtigiis non inſiſtit, imò qui indies greſſum ſuum in probitate & firmiorem, & celeriorem non reddit. Hinc eſt, quod Chriſtiani hominis conditio naturalis hominis indies aucti conditioni comparetur, quoad ad juſtam virilis ætatis ſtaturam perveniat. Vnde etiam eſt, quod de Ioh. Bapt. & Chriſto Luc. 2. dicatur, eos *ut ſtatura, ita ſapientia creviſſe*. In naturali hac vita deforme eſt mancum eſſe, neq; cum ætate corporis magnitudine augeri: ſed monſtrum planè eſſet, ſi quis puerulus brevis ſtaturæ indies decreſceret. Deinde non proficere & non aſcendere rectè dici poſſunt, quod, quæ ſua improbitate ſectantur, & animo deſignant, non aſſequuntur. Vnde etiam eſt illud Apoſtoli, *quod improbi non proficient, ſed eorum amentia omnibus innoteſcet*, 2. Timoth. 3. 9.

Quod dicit, *eos malum effodere*, effectum indicat viri nequam, qui non per imprudentiam, aut inſcitiam, non ſubita aliqua perturbatione commotus, vel per

infirmitatem malum alteri machinatur, non qui ſemel aut raro hoc à Satana circumventus & occupatus facit: ſed qui ſciens data opera, & aſſiduè improbitatem ſuam tanquam artem exercet, is demum vir nequam cenſcendus eſt. Fieri enim poteſt,ut vir pius peturbatione correptus malum clàm machinetur; ſed iſte totum ſe addicit maleficiis patrandis.Unde etiam his comparatur,qui ferarum venatione victum parant,aut metallariis,aut his, qui in fodinis laborant, aut cuniculariis, qui omnes improbum laborem habent. Deinde hanc illis, quam exercent, attribuens, illis notam gravem infamiæ inurit, maximè ſi vocatione ſuá honeſtiorem in Repub. aut Eccleſia locum obtinent,ut qui defixis oculis in terram ſemper intenti, & ad abjectas & illjberales occupationes abjecti; maximè quod operari ſuum opus cum die claudant, hoc hominum genus ne noctu quidem ab excogitandis malis interquieſcit.

Alterum effectũ viri nequam eſt, quod ejus labiis ignis inſidet. Lingua hominis improbi ſæpe *ignita eſt*, vel tum,cum aliquid illi per imprudentiam,aut perturbationem excidit: ſed cum malum longè antè præmeditatum & concoctum eſt,tũ demum linguæ plaga ut *ignis* penetrantior & ferventior exiſtit. Atque hoc illud eſt, quod Ierem.9.5. dicitur, eos linguas ſuas ad falſum dicendum docuiſſe.Hujuſmodi ſunt,qui in hoc incumbunt, ut alios (juſtos præſertim)calumniis onerēt. Merito autem comparatur *igni*, ut Jacob. 3. etiam *ab inferis accenſo*. Et Pſalm. 120. *prunis juniperi*: quia linguâ urbes, atque adeo regna conflagrarunt.Vide quantum incendium factum eſt linguâ obtrectatoriâ Doegi, ut majus à Sheba filij Bichri, 2. Sam. 20. 1. qui unico dicto 10. tribus à ſui Regis obſequio ſubduxit. Si igitur periculoſum eſt incendiarium in domo, vel urbe eſſe, non minus periculi in homine ſtatuamus, qui ſe calumniis excogitandis addicit; imo vero tanto gravius, quod hic ignis ex ipſis infernis erumpens non tam facilè reſtinguitur. Unde etiam magis adhuc liquet, quanti ſit pretii vir bonus, qui ore ſuo perennis aquæ fontem exprimit, ut ignem ab inferis accenſum reſtinguat.

V. 28. *Vir perverſitatum immittit contentionem: & ſuſurro disjungit Ducem.*

In תהפכות (*perverſitatem*) eſt metonym adjunct. In אלוף (*ducem*) eſt ſynecd part. pro omni eo, qui alteri arcto ſocietatis vinculo conjunctus eſt.

Summa eſt; hominem perverſitatibus deditum contentiones miſcere vel inter eos, qui maximè conjuncti ſunt.

Hîc, ut in ſuperiore Proverbio,quæritur, quis ſit, quem Propheta virum perverſitatibus deditum appellat.Quæ quæſtio commodiſſimè ex Salom. & Apoſt. expediri poſſe videtur.Et primum ex Sal. 2.v.12,13,14,15.ubi perverſitas hęc collocatur *in verborum pravitate*, *deſertione viæ rectæ,ut ineat tenebroſas vias*. Sed Pro. 6. ſpecialis magis deſcriptio extat, ubi *otioſum & deſidioſum* depingẽs illi *oris perverſitatem* attribuit,prætereà *quod animo fabricatur mala, & immittit litem*. Meritiſſime autem otioſus vir perverſitatum appellatur, qui ordinem naturæ invertit, quandoquidem cum *ad laborem natus ſit, ut ſcintillæ ignis ſurſum volant*, hunc ordinem convellit. Unde Apoſt. 1. Theſſalonic. 3. 11. hunc titulum τῶν ἀτάκτων otioſis & ignavis fucis attribuit. Deinde non incommodè vir perverſitatũ dicitur, quod omnia cum dicta,tum facta illorum,quos ſtatuit traducere in peſſimam partem contorquet.

Hujus perverſi effectum deſignat immiſſio contentionis. Nam cum nulli honeſtæ

neſtæ occupationi ſe det, qua ſe ſuſtentet, nec tamen animus, qui in continua agitatione & motu verſatur, interquieſcere poteſt, fit ut malis fabricandis & eiſdem promulgandis ſe totum occupet, ut hoc modo otii & deſidiæ panem comedat. Vide 1. Timoth. 5. 13. & 2. Theſſ 3. 11. Hinc liquet quantoperè otium fugiendũ ſit à nobilium præſertim ſatellitibus; & ducum militibus, quibus nulli ſunt dati ἐργοδιῶκται, qui eos ad opus agendum impellant, aut ab illis rationes repetant, ut, niſi ipſi ſubiipſis ἐργοδ. ſint, de illis penitùs actum ſit: præterquiam quod familias & ſocietates, in quibus ſunt, perturbant jocoſis ſcommatis, & petulantiæ mordaci ſe addicunt, ut ſe & alios aliorum mœrore exhilarent.

Deinde efficientem, ſeu inſtrumentalem cauſam, qua contentiones miſcet, deſignat, nempe muſſitationes clandeſtinas, & ſuſurros. Nam inſtar ſerpentis, qui ſibilando ferit, clam omnia facit. Nam primum cum deſidioſus ſit, & ignavus, metuit ſibi à periculo. Deinde ita unum traducit apud alterum, ut paratus ſit eundem ipſum traducere, apnd quem priorem accuſationem depoſuit. De hujuſmodi ſuſurronibus David ſæpiſſ. queritur, maximè uerò Pſal. 35. ubi docet, eos coram ſe & in præſentiarum ejus calamitatem per ſpeciem luxiſſe, qui poſt ab illo egreſſi in illum debacchati ſunt, & illi illuſerunt.

Denique ſubj. notat eorum, inter quos lites diſſeminat. Nec enim tantum contentiones alit & fovet jam excitatas, ſed porrò novas immittit, idque inter eos, qui conjunctiſſ. ſunt, & eſſe debent, inter Ducem & ſubditos, inter maritum & uxorem &c. Vide exemplum in Doego & Sheba ſuprà commemoratis. Contra quam Chriſt. monet, *neminem debere disjungere, quod Deus conjunxit*, Math. 19. 5. Quod ſi *beati pacifici*, tum iſti contentionum authores maledicti ſunt: & Sal. *illos Deo deteſtandos* pronuntiat, *qui inter fratres lites ſerunt*, Prov. 6. 19.

V. 29. *Vir violentiæ pellicit proximum ſuum, & deducit eum via non bona.*

Summa eſt; improbitate confectũ penitùs nihil intentatũ relinquere, quo deſignatũ animo in proximũ malũ perficiat.

Vir violentus is dicitur, qui, jure divino contempto, & omnibus æqui bonique legib. perfractis, illud, quod cõcupivit, malum admittit. Et idem prorſus eſt cum eo, quem David Pſ. 17. *effractorem* vocat, qui omnia repagula & valvas æqui & honeſti perrumpit. In quo illud alienum videtur, quod violentum appellans, tamẽ eum dicat blanditiis & lenociniis verborum uti, ut proximum irretiat. Potius enim videntur violenti omnia per vim & apertè agere. Sed Propheta violentiam hanc ad animi impotentiam refert, qui nunquam interquieſcere novit, niſi malo, quod deſignavit, patrato, adeo ut nè cibum ſuũ capere, nec ſomnum inire poſſet, niſi confecto ſcelere; qui, cum una via improbitatis non ſucceſſit, aliâ ilico aggreditur, qui leoninæ pelli vulpinã aſſuit, ut concupitum ſcelus admittat, qui, tametſi ſuperbus ſit præter modum, tamen, ut eſt Pſal, 10. inſtar leonis ſe incurvat & deprimit, ut pios ſubito corripiat.

Hujus rei exemplum eſt in Caino, qui fratrem ſuum verbis blandis in agrum pellexit, ut eum interficeret.

V. 30. *Connivens oculis connivet ad excogitandum malum; concidens labia perficit malum.*

Summa eſt; ſepe fieri, ut ſuam improbi

externis corporis geſtibus nequitiam prodant.

Hujus lib. cap. 6. v. 13. dictum eſt de otioſo cum oculis nictare, pedibus loqui, & digitis ſuis indicium præbere ſuæ deſidiæ: Hoc autem loco Proverbium latiùs patet. Tametſi enim certum judicium nemo formare poſſit ex vultu & corporis geſticulatione, tamen ſæpe fit, ut non contemnenda animi ſigna & conjecturæ ex corporis, vultus præcipuè geſtu eliciantur ad rei, quam expetimus, notitiam conſequendam. Vnde. 1. Reg. 20. ſervi Benhadadi jam in bello victi ad Achabum aucupandæ gratiæ in Benhad. conferendæ cauſa accedentes, perquam intenti erant, ut non ex ſermone modò, ſed porro ex vultu & corporis geſtu explorarent, quo animo eſſet Rex Achab. erga ſuum herum, aperto, an ſimulato. Sic etiam apud Euang. apparet, diſcipulos Chriſti ignaros, quis ex illis Chriſtũ proditurus erat poſtquam Chriſtus unum ex eorum numero traditorem fore prænunciaſſet, mutuo ſuos ipſorum vultus intuitos eſſe, ſi forte vel ex pallore, ſeu rubore ſubito hoc dignoſcerent, Iohan. 13. 22.

Et quidem, quod ad oculorum conniventiam attinet videtur ex omnibus geſtibus corporis ad excogitandum ſeu bonum, ſeu malum (prout, aut improbi ſunt, qui connivent) aptiſſimus. Clauſis enim oculis rem conſiderans in ejus attenta conſideratione abſq; ulla injecta interruptione & interpellatione manet. Nam, apertis oculis, quicquid viſui objicitur, animum alio abducit abripitque.

Quod autem ad labiorum conciſionem attinet, ſive oratio ſimplex, ſeu figurata metony. cauſ. pro ſermone, omninò & morſus labii ex indignatione & vindictæ cupiditate, & ſermo conciſus & truncatus indicat illum, qui ita affectus eſt ut pœnam inferre ſtatuerit ſecum.

Hic ſicut docemur ſpiritum diſcretionis & judicii in nobis confirmare, quo facilius nobis ab improbis caveamus: ſic docemur non tantum factorum & dictorum, ſed & corporis geſtuum nos rationẽ reddere oportere. Nam cum in informandis & inſtituendis pueris ad Regiæ aulæ uſum multum operæ ponatur, ut vel geſtus decori, & honeſti ſint, quanto magis incumbendum erit, ut geſtus noſtri Deo ſummo Regi placeant. Et ſi in ſcena putida operæ multum ponatur, ne perſonatus hiſtrio quempiam ex ſpectatoribus offendat; nedum in theatro Chriſtianæ vitæ, cujus Deus, & ſancti Angeli ſpectatores ſunt, multo magis hoc præſtandum erit. Ex quo illud liquet, quam turpiter hallucinantur, qui ſibi in animum inducunt, Deum non habere rationem capillitii, aut barbę, quin poſſint homines illis uti & abuti pro arbitratu ſuo, cum de barba, tum de capillis mandata dederit.

V. 31. *Corona decoris eſt canities: in via juſtitiæ inveniatur.*

In עטרת *(corona)* eſt metaphora à Regibus coronis ad majorem reverentiam ingenerandum redimitis. In תפארת *(decoris)* metonym. adj. In שיבה *(canities)* item meton. adj. pro ſenectute.

Summa eſt; ſenectutem illam præſertim, quæ piis à Deo donatur, honorandam eſſe.

Primum igitur obſervandum eſt ſenectutis beneficium ipſum ſenem, qui illa donatur, adverſus ſenectutis incommoda & difficultates recreare debere, & ſenes ad gratiarum actionem excitare; nec eum modo, ſed omnes, qui ſunt illius familiæ. Sicut enim loco maledictionis eſt, cũ nullus in familia ſenex eſt, 1. Sam. 2. 31. 32. ſic beneficii loco habendum, cum ſenes ſunt in familia.

Potiſſi-

Potiſſimum vero alios juniores admonet,ut illis honorem habeant.Qui pileum ex ſerico, vel inſigne aliquid ornamentum in capite geſtat, illi honos habetur. Qui igitur canitie, tanquam corona ornatur,multo,quam eſt aurea corona gemmis conſita pretioſa magis, redimitur,atque adornatur,is &c. Si igitur eum, qui coronam & diadema geſtat, reveremur, quidni ſenem? Si hominem,cujus mortales coronam capiti impoſuerunt; nedum ſenem, cujus immortalis Deus coronam capiti impoſuit. Eorum igitur in corpore imbecillitatem, in dorſo curvitatem, in aliis corporis membris impotentiam Deus hac canitie,& vitæ diuturnitate à contemptione vindicavit. Quæ res tantæ & tam claræ æquitatis eſt, ut etiam apud Gentes,quæ ſine Deo in hoc mundo vixerunt, obtinuerit, ut ſenes ob ætatem reveritæ ſint. Hinc eſt, quod Prophetæ feritati etiam in hoſte tribuāt, ſi *faciem ſenis non reſpiciat*. lament. 4. 34. Et alibi collapſæ, vel convulſæ politiæ argumentum ducitur, cum natu minores in ſenes & grandævos ſe attollunt. Eſai. 3. 5.

Nunc ſi quæritur, qua in re honorandi ſunt, ſcriptura hanc quæſtionem expediet. Et primum quidem illis aſſurgendo,de via decedendo,in accubitu illis primam ſedem concedendo, honorificè illos appellando, & quæ alia ſunt hujus generis. Lev.19.32. 1.Tim.5.1.2.Deinde illis primas in loquendo partes à tribuendo.Iob.32.6.7.

Quod ſi quæratur, quamobrem ſuſpiciendi & reverendi ſint; Reſp.1.quidem ob ipſam caniciem & numeroſos annos, quod annoſitate propius ad Dei imaginem accedunt,qui *antiquus dierum* appellatur.Dan.7.9. Ipſa enim canicies, tanquam corona eſt. Deinde propter prudentiam, quia multarum rerum uſu & experientia plerumque valent. Unde etiam Propheta populo ruinam & internecionem denuntians inter alia dicit, *Deum ſenem è medio Reipub. ſublaturum*. Eſai.3. 2. Quod ſi prudentia deſtituitur, ſicut eo nomine non tam venerandus, quam ſi illâ valeret; ita honore ob canitiem privandus non eſt.

Hinc liquet, quam malè conſulti filii ſunt,vel ſervi,vel ſubditi, qui ex ſenili ætate & impotentia, quæ illam comitantur, occaſionem arripiunt ſuos ſeu parentes, ſeu heros, ſeu Reges minus honorandi; ſicut veriſimile eſt, filios Samuelis feciſſe. 1.Sam.8.3. & Adoniam,qui,cum pater decrepitus eſſet, & lecto affixus, regnum fratri Sal. præripere conatus eſt. 1.Reg.1. Quod vel maximè liquet inde, quod expreſsè cavetur, ne quis matrem grandævam & ætate confectam contemptui habeat. Prov.23. 22. Vide quomodo Deus in 42.pueros fulminavit, qui Elizæo calvitium ſuum per ludibrium objecerunt.2.Reg.2.24.

In poſt.hem. cum docet in via juſtitiæ inventam iri hanc coronam,ſatis indicat, quis ſit, qui hac canitiei corona homines ornat, & in quod potiſſ. hoc beneficium confertur, nempe in eos, qui inſiſtunt mandatis Dei. Promittitur quidem ſpeciali quadam ratione his, qui parentibus obſequuntur; ſed perinde ut præmium proponitur his,qui ambulant in mandatis Dei. Cujus rei multa teſtimonia & penè infinita reperiūtur.Sed nos paucis cōtenti erimus. Vide Prov.4.20.21.22.& 3.16.

Quam multi ſunt,qui multos annos expetunt,præſertim cum pace conjunctos? Sed quam pauci ſunt, qui hos quærunt in via juſtitiæ? Quærunt illos convictu, in medicina,in opibus; ſed ubi ſe obviam illis præbent, in via juſtitiæ non quærunt. Cum autem invenitur in via juſtitiæ, tum duplicatur honos canitiei debitus.

Tametſi verò omnibus juſtis hoc non obtingit, tamen promiſſio Dei vana &

irrita.

irrita non eſt, quandoquidem ad veritatem hujus promiſſionis tuendum ſatis eſt, ſi plerunque hoc fiat, tametſi non ſemper; maximè cum hujus vitæ brevitas longiore in ſumma beatitate vitâ compenſatur.

V. 32. *Melior eſt longus irarum robuſto; & qui dominatur in Spiritum ſuum eo, qui capit urbem.*

Summa eſt; longanimem, utcunque apud homines contemptui & deſpectui habitum, coram Deo & Angelis magis pretioſum eſſe, quam robuſt. qui plurimi ſit apud homines.

Comparatio hic inſtituitur inter 2. bona, utrũ ſit melius, & optabilius. In bello enim fortitudo & vires in bonis ſunt, & qui illis valuerunt, etiam ab ipſo ſpiritu ſancto apud Sam. & Chron. prædicantur & encomiis ornantur. Quinetiam in reprobo Saule ejus in bello fortitudo à Spiritu ſancto decantatur. Sed collata cum longanimitate & patientia illis, tanquam magis illuſtribus quaſi aſſurgere debet, & eis poſtponi. Utrumque Dei, donum eſt, *ex quo bonum omne donum provenit*; ſed fortitudo in homines à Deo confertur aliquando naturæ nonnullo beneficio, quia à parentibus in filios tranſmittitur, vel imitatione aliorũ, qui magnanimi ſunt, aliquando acquiritur: Patientiæ verò & longanimitas non item. Deinde fortitudo, ſeu robur animi à Deo in impios confertur, ſed longanimitas non, niſi in electos: ille pugnat gladio ferri; iſte gladio ſpiritus: ille clipeo chalybeo, iſte clipeo fidei: ille maxima parte verſatur in plagis inferendis; ſemper hic in illis fortiter perferendis. Quanto autem major animoſitas eſt in æque ſuſtinendis vulneribus, quam in infligẽdis, nemo non intelligit.

Deinde axiomatis hujus veritatẽ probat ab effectis utriuſque virtutis inter ſe compoſitis. Nam patiens, ſeu longanimis ſuum ipſius Spiritum vincit, robuſtus autem civitatem. Majus autem quiddam eſt Spiritum, ſeu animum vincere, quam hominum infinita corpora ſubjugare, cum interim animi & Spiritus eorum, quos viciſti, ſub jugum miſſi non ſunt. Deinde ut mille captivos ad currum alligatos in triumphum ducas, cum interim tu propriis affectibus captivus ſis, & vile mancipium exiſtas. (*Nam à quo quis ſuperatur, ejus ſervus eſt*,) quis inde ad te redibit honor, quandoquidem durioribus catenis & craſſioribus chordis conſtrictus teneris, quam quibus tu alios devinxiſti? Quid, quod longanimis, non homines modo, ſed *principes & poteſtates tenebrarum* patiendo, & perferendo injurias vincit; Eph. 6.12. cum, qui urbem occupavit, hominum modo victor exiſtit? Quamobrem hic non incommode quadrabit canticum illud mulierum Iſraëliticarum, quæ Iſraëlitis à bello redeuntibus occurrentes, *Saulem ſuum* 1000, *Davidem autem* 10000 *in bello interfeciſſe cecinerunt*. Quod ſi homines has laudes debitas & juſtas non reddũt, at certe Deus & Angeli ſancti, à quibus laudari laudatum eſt, hos honores his, qui patientes & lõganimes ſunt, habebũt.

Quod ſi tanti ſit iram vincere, videant quid Deo reſpondeant, qui pro ludo & joco habent ſuum proximũ, imo in Chriſto fratrem ad iram concitare aliquâ injuria oblata.

Poſterior hæc Proverbij pars omnes quaſcunque animi perturbationes complectitur, & propterea ad eas traduci poteſt.

V. 33. *In ſinum conjicitur ſors: ſed à Domino eſt totum judicium ejus.*

In חיק (*ſinum*) eſt ſynecdoche ſpeciei pro gremio, urna aut hujuſmodi, in quod ſortes conjiciuntur.

Summa eſt; omnia, etiam quæ minimè omnium videntur, Dei oculatiſſim. providentia diſponi.

Cum ſorti res permittitur, homines in re ſorti adjudicanda ſuum votũ & judicium cohibent; & proinde in ſortis in ſinum, ſeu gremium, ſeu urnam injectione, hominum conſilium & ratio intervenit: ſed in ſortis exitu longe ſecus. Ibi enim Deus ſine hominum ulla deliberatione pręſidet.

Cujus rei argumentum firmiſſim. quod ſortes omnes, quarum inſcriptione fit mentio, ita exierunt & illum effectum conſequuta ſunt, ut omnes non occœcati facilè intelligant, Deum ſortis exitum & eventum rexiſſe. Prima ſors, quam à Deo imperatam legimus habetur, Joſ. 7. ad deligendum Achanem, qui anathema furatus erat: Ubi multiplex Dei providentia elucet 1. in tribu, deinde in familia, poſtremo in ipſo Achane, qui ſacrilegium admiſerat. Secunda ſors erat Joſ. 15. in diſtributione terrę Canaan, ubi Dei admirabilis providentia reſplenduit, qua ſortes ita rexit, ut cuique tribui illa pars terræ obvenerat, quam Jacob 100 ante annis obventuram prędixerat. Tertia ſortis jactatio habetur, 1. Sam 14. ubi ſorte quæſiti, qui, præterito Regis mandato, aliquid comederat, Ionathan ſorte inventus eſt. Quarta ſors eſt Ionę 1. ubi ſors in Ionam cecidit, qui maris procelloſi & tempeſtatis cauſa extiterat. Denique 5. & ultima habetur in novo Teſtament. Actor. 1. ubi ſors ex duob. diſcipulis, quis futurus eſſet Apoſtolus, dirimebat. Ex quibus omnibus ſapientiſſimè & proſpicaciſſ. rectis & diſpenſatis apparet, ſortem à Deo regi.

Quod autem dicit, *totum judicium ejus à Deo eſſe*, eo indicat, tam eſſe à Deo, quod hic rejectus eſt, quàm quod ille eſt electus; tam eſſe à Deo, quod unus ad mortem & ſuſpendium adjudicatur, quam quod alter morte abſolvitur; tam eſſe ab illo, quod hic pręſtantius patrimonium conſequutus ſit, quam quod ille deterius ſortitus ſit: & ob eam cauſam tam huic argumentum Dei laudandi, quam illi placidè & æquè ferendi, quicquid Deus ſorte ſtatuerit.

Deinde quod *ſortem* appellat *judicium*, docet, non, niſi in rebus gravioribus, & alicujus magni momenti ad ſortis judicium recurrendum, maximè cum per ſortem Deus ipſe in judicio ſedeat. Sicut enim Deus per Iethronem conſuluit, ut, cauſis levioribus ab aliis judicibus dijudicatis, difficiles Moſis cognitioni reſervarentur: ſic Deus inſtituit, ut, quę nulla cujuſquam ingenij vi & perſpicientia, cauſa dignoſci poſſet, ad ſe per ſortis judicium deferretur. Quo ſpectat, quod ſortes hæ ſemper religioſe apud Dei populum, & ſanctè cum ſumma reverentia tractatę ſunt. Vnde Ioſ. 7. populus jubetur *ſe ſanctificare*, antequam ad ſortem jaciendam accedant. Et Ioſ. 15. Eleazarus ſummus ſacerdos unus ex his deſignatur, qui ſortibus jaciendis præeſſe debebant. Et Actor. 1. Petrus precibus totius Eccleſię Deo ſupplicat, ut ipſe ſortis exitum regat. Quinetiam Saul, quantumvis impius, tamen non ſine precibus ſortem aggreſſus eſt. Tantum legimus prophanos nautas, apud Ionam nullas ad ſuos Deos preces ſorti pręmiſiſſe.

Hinc liquet, quantus apud nos hujus ſanctiſſ. Dei judicij abuſus eſt, qui ad res minimas leviſſimaſque ad ludum & jocum ſortem adhibemus; cum nulli rei ſors adhibenda ſit, cui preces & fervens ad Deum oratio adjungenda non ſit.

CAPUT. XVII.

Verſ. 1. Melior eſt bucca ſicca, quâcum eſt tranquillitas, quam domus plena mactatis animalibus contentionis.

IN ריב (*contentionis*) eſt metony. adi ſcilicet convivij contentioſi pro convivis contentioſis.

Summa eſt eadem, quæ fuit 15. 17. de quo prius dictum.

Quartum hoc Proverbium eſt, quod nos erudit, ut parvo contenti ſimus, & quod parum, atque etiam vile cum pietate & juſtitia præfertur cum copiæ, tum deliciis à pietate & juſtitia ſeparatis: ita tamen ut ex illis duo Cap. 15. 16. & 16. 8. ad mandatum octavum; duo alia 15. 17. & hoc ad ſextum mandatum referatur.

Quanquam autem ad diverſa mandata pertineant, cum priora ad bonorum poſſeſſionem, alia ad victus commoditatem referantur, tamen quæ in alterutris virtus requiritur ad utrumque cum ad præſtantem poſſeſſionem, tum ad ſalubrem & commodam diætam conſtituendam pleræque referuntur. Nam ad præſtantem poſſeſſionem efficiendum hæc 4. requiruntur. 1. ut adſit Dei timor, 2. ut juſtè acquiſita ſit. 3. ut cum amore & benevolentia proximorum illam poſſideat quis. 4. ut quiete & tranquille perfruatur. Hęc ſi adſint, tametſi vectigal tenue ſit, & peranguſta poſſeſſio, tamen præſtabilior eſt ampliſſ. poſſ. & latifundiis. Idem etiam de victus ratione & diœta dicendum eſt. Si enim 4. hæ virtutes tanquam convivæ, & quidem convivarum juſtum ferculum, ſeu menſa adſint, menſa illa, non modo ſi tenuis & parca, ſed ſi incompta & ſubruſtica ſit, eſt tamen Dionyſianis dapibus & exquiſitis epulis longè anteponenda.

Quod ſi quis excipiat, amorem v. 15. 17. & quietem hoc verſu comprehenſam eadem eſſe; is intelligat, amorem, qui in hoc mundo inchoatus eſt, non ſemper habere quietem & tranquillitatem conjunctam. Nam inter conjuges, qui arctiſſ. amoris vinculo inter ſe colligati ſunt, nonnunquam tamen ſunt ſimultates & rixæ.

Artificium igitur ſingulare nobis à Spiritu Sancto proponitur, quomodo menſam noſtram ſemper lautè & abundè inſtructam reddamus, vel tum, cum atro pane, & ſalpa ſeu acetariis vitam, parcè & duriter ſuſtentamus: quomodo etiam patrimonium, utcunque anguſtum, auguſtum reddamus.

V. 2. Servus intelligens dominabitur filio pudefacienti & inter fratres partietur hæreditatem.

In נחלה (*hæreditatem*) eſt ſynecdoche ſpec. per omni genere poſſeſſionum.

Summa eſt; frugi ſervum præponendũ etiam in poſſeſſionem diſtributione filio decoctori, aut alia ratione parentes pudefacienti: ob eamque cauſam ſapientiam etiam in vili mancipio ingenuitati & libertati anteferendum.

Homines plerique omnes φιλαυτίᾳ abrepti ſuos, & ex ſe oriundos ita deperiunt, ut illos, tametſi ob vitam prodigioſam indigniſſimos, omni & honore & divitiis quoad poſſunt, onerent, præteritis ſervis, tametſi virtute & induſtria præſtantibus. Hanc corruptelam pervellit. Primum igitur definiatur, quis ſit filius pudefaciens. Quod quidem aptiſſimè liquet ex 10. 1. ubi *ſtultum appellat* qui hic pudefaciens appellatur: ſtultum appellat, non eum tantum, qui morio eſt; ſed improbũ, ut ſæpiùs vidimus.

στοργὴ ſeu affectus quo quis, natura du-

ce,

ce, eos complectitur, qui illi ſanguine, & affinitate conjuncti ſunt, res licita eſt, & in laude ducitur; ſicut contrà hoc naturali affectu deſtituti in vituperio ſunt. Rom. 1. 30. Sed στοργὴ hæc, ſuis niſi cancellis & metis circumcludatur, Deo plurimum diſplicet. Tum autem animus poſitos limites tranſilit & tranſgreditur, cum chariores nobis ſint, qui ex nobis oriundi ſunt, quam qui ex Deo nati & proſeminati; cum pluris eos facimus, qui noſtram imaginem exprimunt, quam qui Dei expreſſam imaginem referunt; cum denique arctiùs illos complectimur qui carnis copula, quam qui Spiritus vinculo nobiſcum ſunt conjuncti.

Ad corrigendum hunc errorem conſideremus, quid S. Sanctus judicat, & quo ille animo eſt. Et quidem primum ſervũ, qui frugi eſt, authoritate filio pudendo præponit, cum dicit, *filio dominaturum*; eoque ipſo filium illi caput aperturum, aſſurrecturum, de via diſceſſurum. Ex quo illud liquet, in creandis Magiſtratibus rationem non habendam eſſe vel opum, vel nobilitatis, vel ſanguinis propinquitatis; quod tamen ferè fit: Unde Rerumpub. everſiones, dum ex cenſu Magiſtratus conſtituuntur. Siquidem virtus & pietas cum cenſu & nobilitate conjunctæ ſunt, pietas certè, quæ talibus ſubſidiis ornatur, illi pietati in præfectura inſtituenda præferenda eſt, quæ his ornamentis deſtituitur. Hoc, quod iſto loco dicitur, à Iacobo præſtitum eſt, Gen. 49. 7. qui Reubenem filium jure primogenituræ fratribus ſuis aliquouſque dominantem dominatu ſuo abjudicatum fratri Iehudæ, qui illi tanquam ſervus futurus, ſubmiſit, tantum quod, conſcenſo patris lecto, eum pudefecit. Quod fecit etiam tum, cum Reuben admiſſi cum ſocru ſua ſceleris pœnitentiam egiſſet. Sic Pharaoh Ioſephum, tametſi mancipium, toti regno, eoque ipſo ſuis liberis præfecit.

Quod ſequitur *de partienda cum fratribus hæreditate*, durius eſt. Sæpe enim fit, ut ſervum prudentem ſtulto & inſipienti filio filii ſui cõmodo præficiant; cujus conſilio & prudentia regatur, interim tamen ab eo abhorrent, ut poſſeſſionis ſuæ pars ad ſervum, utcunque prudentem transferatur. Sed Sal. ſervum aliquando dignum cenſet, qui inter fratres hæreditatem dividat. Sæpe enim fit, ut ſervi prudentis operâ vita heri, aliquando dignitas, & exiſtimatio, ſępe etiam patrimonium conſervata ſint: præterquam quod fama & exiſtimatio una cum vectigali & patrimonio non tantum conſilio, ſed ſervi induſtria parta & acquiſita ſunt. Cum vero ſtulto & pudendo filio, tantum ut nomen ſuum ad poſteritatem tranſmittant, quicquid eſt aut opum, aut vectigalium, aut patrimonii relinquant, quid aliud faciunt, quam ut arma furioſo præbeant, quibus Rempub. & Eccleſiam magno damno afficiant, maximè in illa Repub. ubi honores ex cenſu & vectigaliũ ratione habentur?

Atque olim majorem ſervorum fidelium habitam eſſe rationẽ videmus. Cum enim Abrahamo non eſſent liberi, cogitavit hæreditatem & patrimonium ad Eleazarum tranſmittere, & illum hæredem ſibi inſtituere, tametſi non deerant illi ex cognatione ſua Lotus & ejus filiæ. Gen. 15. 2. 3. Deinde cum Sal. auguſtiſſ. Princeps filias ſuas ſervis ſuis nuptum elocarat, 1. Chr. 2. 24. 25. 1. Reg. 4. 10. 14. quid aliud fecit quam quod hoc loco affirmatur, prudenti ſervo locum inter fratres concedere? Sic Pharaoh Ioſepho in matrimonium dedit filiam principis Putaphari Aſnath. Hanc prudentiam plerique mercatores imitantur, qui ſuas filias ſervis à ſe educatis, quorum fides illis perſpecta eſt, in matrimonium elocant.

V. 3. *Fuſorium vas argentum,*

catinus aurem probat: ſed prabans corda eſt Dominus.

Summa eſt; Deum accuratiſſimè pernoſcere, quicquid in animo eſt.

Vt doctrinam hanc de omniſcientia Dei S. Sanctus altiùs & firmius animis noſtris infigat, quæ nobis magno uſui ſit, cum ad mala declinandum, tum ad bona perſequendum; Propheta illam duplici imagine nobis depingit; una expurgandi argenti, altera defecandi auri. Senſus eſt quemadmodum argentum & aurum cum aliis metallis confuſa & conturbata, ut nullus illa ſecernat, arte tamen aurificis igne fuſa tandẽ pura, defœcata, & omni ſcoria ſeparata evadunt: ſic Deus penitus hominum animos variis cogitationibus confuſos explorat, nihil ut in illis ſit, quod eum fugiat. Sicut etiam ignis penetrans aurum & argentum excoquit: ſic oculi Dei igniti & flammantes omnes hominũ cogitationes diſcernũt. Apoc. 1. 14. Eſt autem, in quo hæc diſſimilia ſunt. Nam fuſorium vas &c. illa modo metalla diſparat & ſecernit, quæ auro cõfuſa tum ſunt, cum ad purgationẽ adhibetur; Deus autem cogitationes non modo præſẽtes & cogitatas, ſed quæ olim futuræ ſunt multos poſt annos prænoſcit. Sicut enim in Pſal. dicitur, *non eſſe unicum in lingua verbulum, quod Deus non pulchrè novit, antequam efferatur*; ſic non eſt in mente, aut corde cogitatio, quam ille non multo ante percipit, quam animum ſubintrat.

Deinde ſecus fit in exploratione cordium, atque auri argentique. Nam metalla uſque eo defæcantur & depurantur, ut nulla fæx, ſcoria nulla illis affixa maneat: ſed Deus, non uſque eo probat, quoad quicquid in nobis mali eſt, depuret, & excoquatur. Tum enim vitam nobis adimeret, quod, quamdiu in vivis ſumus, peccatum noſtris mẽbris inhærens circũgeſtamus. Vnde apud Prophetam Deus profitetur; *ſe exploraturnm ſuos in catino afflictionis; ſed non ut ſolent aurifices argentum*. Eſai. 48. 10.

Quis ſit hujus doctrinæ uſus, ſupra expoſitum in 15. 11. Præterea cum Deus ſolus ſit καρδιογνώστην, ut catino ſolo aurum probatur, cavendum, ne homines hoc ſibi vendicent.

Præterea cum ſolus Deus corda novit, ille ſolus invocandus, ut qui gemitus, quos eloqui non poſſumus, penitus pernoſcit. Non ergo Angeli, qui nos circumſiſtunt; nedum ſancti, qui tam procul diſſiti ſunt,

V. 4. *Maleficus attendit labio moleſtiæ, & vir falſitatis auſcultat linguæ ærumnarum.*

In מקשיב (*attendens eſt*) & מזין *auſcultans eſt*) eſt ſynecd. part. auris ſc. pro omnibus animi facultatibus, & corporis organis, quibus concupitum malum effectũ det. Sic in לשון (*linguæ*) & שפת (*labio*) eſt meton. ſubj. in און (*moleſtiæ*) & הות (*ærumnarum*.)

Summa eſt; deditum & addictum malis perpatrandis omnia adminicula foras quærere, quibus deſignatum animo malum perficiat.

Qui ſe maleficiis patrandis mancipavit, is non contentus illa pravitate, ſeu à bono averſione, ſeu ad malum patrandum aptitudine, quam in ſe incluſam & infixam habet, aliunde etiã & foras omnia maleficia & improbitatis fomenta & adminicula conquirit. Naturâ noſtra nimis (proh dolor!) ſumus ad malum agendum cum ingenioſi, tum valentes: tamen tanquam famelici & ſitibundi aliunde conquirimus, quibus inſatiabile peccãdi deſiderium expleamus. In quo hydropicos imitantur improbi, qui, cũ plus ſatis vitioſorũ humorũ in corpore quotidie circũferunt,

ferunt,tamen indefatigabili ſtudio tenentur quotidie illam in corpore ſentinam, ſeu puteũ ampliandi;& pro eo,quod ſentinam propriam exhaurire deberent,alienam etiam ad ſe transferunt. Hinc eſt,ut aures adjungant his,qui in ſceleribus patrandis magis exercitati, aut plus ingenioſi ſunt,quam ipſi. Hinc eſt quod oculos in omnes partes circumferant ut ſi quæ exempla pernicioſa oculis occurrant,illa ſua imitatione faciant. Denique hinc eſt quod libelli,qui improbitate,impuritate,& malis artibus pleni ſunt,cupide ad legendum conquiruntur.

Hujus rei documenta multa in ſcripturis occurrunt; ut Achabi, qui,cum nullam rationem ex ſe adinvenire potuit, qua Nabothi vineam, quam tantopere expetivit,extorqueret,tandem uxori ſuæ obſequutus eſt, & in ejus fraudibus acquievit. 1. Reg. 22. Sic Amnon, cum nullis viribus ipſe eſſet ad turpem in ſororem libidinem explendam, Ionadabi cõſilio auſcultavit,quo nefario amore ſuo potitus eſt. Hinc diſcimus,quod ſit eorum officium,qui virtuti & probitati animum ſuum adjungunt, ut virium ſuarum anguſtiis,aut ingenij proprij tenuitate nõ acquieſcant, ſed adminicula & ſubſidia bene agendi ab aliis mutuentur,Non pudet improbos aliunde emendicare, quo improbitatem ſuam animo deſignatam ad exitum perducant:væ ergo ſubruſtico pudori noſtro, quo erubeſcimus foras & ab aliis pedamenta veluti virtutis & probitatis mutuari.

V. 5. *Subſannans pauperem probro afficit factorem ſuum: gaudens exitio non erit innocens.*

Summa eſt; malo afficiendum, qui alterius malo inſultat & lætatur.

Cap.14.31.Proverbium huic nõ diſſimile expoſitum eſt; unde peti poſſunt, quæ ad hunc locum ſpectant. Quæri vero hic poteſt, quid ſit, cur hoc de paupere ſpeciatim enunciat, quod in univerſum de mortalibus omnis generis enuntiandum erat; maximè cum ſubſannatio ex contemptu ejus, quem ſubſannamus, originem ſuam ducat, & ob eam cauſam ſæpiùs cum ſubſannandi voce conjungatur,fitque præceptum, ne quis ſuam carnem contemnat. Reſpondeo, cauſam duplicem eſſe, cur de paupere & ærumnoſo hoc præcipuâ quadam ratione proferatur. Prima eſt, quod ea ſit hominum malitia & perverſitas, ut in pauperes &calamitoſos dicteria ſua jactent, non autem in divites & proſpera fortuna utentes,tametſi in illis ſæpe copioſior jocandi& ludificandi materia & ſeges ſuppeditetur. Eorum enim divitiæ & rerum affluentia inſtar pallii ſunt,quo eorum nævi,vel ſtrumæ potiùs teguntur, & veluti clipeus,ſeu parma, ſub qua ab iſtiuſmodi linguæ petulantia intacti manent; ſicut contra paupertate omnes vel minimi nævi,tanquam nudi patent, vel potius fœdiores,quam ſunt,apparent.

Altera, eaq; præcipua cauſa eſt, quod, tametſi contra officium ſit quempiam ſanis irriſioni exponere, tamen multo graviùs peccet, qui tenuem & afflictum ludibriis onerat. Nam cum Dei manu jam ante percuſſi ſunt, humanitatis eſſet illos à Deo afflictos recreare & dejectos relevare,non autem(quod fit)humi proſtratos calcibus & pedibus obterere. Vide Pſal.109. quam dira imprecatur ei, qui afflictum &pauperem perſequitur.Quid, quod Chaldæis ab omni pietate alienis hoc obiicit & exprobrat, quod in populum ſuum à ſe percuſſum miſericordiâ uſi non ſint?Eſa.47.6.Ita ut diabolicum planè ſit homini afflicto afflictionem addere.Neque enim exiſtimandum eſt,nobis fas eum percutere, quem Dominus percuſſit,

cuſſit, ut qui debitam & juſtam plagam intulit: ſed potiùs putandnm eſt, Deum ob eam cauſam afflixiſſe, ut noſtræ in illum charitatis & commiſerationis periculum & experimentum caperet.

Quod dicit, hoc ludibrium in Deum, qui illum & fecit, & pauperē conſtituit, redundare, non ita intelligi debet, ac ſi pauperi & ærumnoſo gravis injuria non fieret; ſed per comparationē dicitur, ſcil. in Deum præcipuè hoc probrum ſtringi, idque eo conſilio, ut hujuſmodi ludificatores à ſuis ludibriis deterreret, qui inde ludificandi ſpiritus ſumunt, quod ſe cum paupere & ærumnoſo rem habere arbitrentur, qui nullis ſunt ad injuriam repēdendum viribus. Propheta ergo docet, illis rem eſſe cum Deo, quem ſi ludificare illis cordi ſit, poſſe eos in pauperem & ærumnoſum ſua probra & ludibria conjicere. Quod ſi horrendum illis videatur Deo opulentiſſimo & omni beatitate completo ſannis illudere, cavendum, ne in pauperem & afflictum contumelioſi ſint.

Idem eſt judicium de his, qui homini craſſioris & pinguioris ingenii illudunt. Quo, ut nihil indignius, ſic nihil magis uſitatem. Quaſi non ſatis gravis plaga à Deo immiſſa ſit, cum illi ſpiritum quodammodo vindemiavit. Idem de morionibus conſendum eſt, quos tamen omnes fere pro ludo & joco habent. Atque ita quæ nos Dei judicia ad humilitatem erudire debent, & tremorem, in faſtum & ſuperbiam attollunt. Perinde ſentiendum eſt de his, qui illudunt gibboſis, luſcis, frontonibus, claudis, aliiſque naturæ vitiis.

Cum dicit, non fore innocentes, illis gravem Dei vindictam interminatur, quę plerunque ejuſdem gen. eſt, quo in alios inſolentes fuerimus. Sic Shemei inſultans petulanter Davidis miſeriis Dei juſtiſſima poſt vindicta oppreſſus periit.

Hoc eos admoneat, qui alios, qui pœnas dant, ſive civiles, ſive Eccleſiaſticas, ludificantur, idque non ob peccata, quæ admiſerunt (quod contra officium eſt, cum illi pœnitudine ducti ſunt,) ſed quod pœnas dederunt: in quo nihil mali eſt, ſed boni plurimum, ſi illas æquè ferant, Gal. 6.1.

V. 6. *Corona ſenum ſunt filij filiorum; & decus filiorum ſunt patres ipſorum.*

In עטרת (*corona*) eſt metaph. quæ poſter. hemiſt. in voce תפארת (*decus*) exponitur.

Summa eſt; tam ornari à Deo liberos longæva majorum ſuorum vita, quam majores multiplici progenie liberorum.

Beneficium poſteritatis plurimis ſcripturæ teſtimoniis commēdatur, Pſal. 127. & 128. ardentibus piorum ad Deum votis. Abrahami, Iſaaci, Rachelis, Annæ, Zachariæ & aliorum, qui hoc poſteritatis beneficium contentiſſimè petieruut. Atque cum ipſa ſenectus in bonis numeratur, nedum cum poſteritatis beneficio cumulatur, & duplici corona redimitur. Quod ſi liberi in magno beneficio collocantur, Pſal. 128.6. certè liberi liberorum divinius quiddam eſſe neceſſe eſt. Hoc beneficium prædicat Iacobus Gen. 48.12. quod, cum ſecum ipſe cogitaſſet, ſe nunquam Ioſephum viſurum, tamen Deus feciſſet, ut coram, Ioſephi etiā poſteritatem videret. Quod tamen ita intelligendum eſt ſi poſteritas ſit bene educata. Alioqui enim ſunt mœrori parentibus, & pudori ſimul. Quamobrem & precibus & ſtudiò laborandum non tantum pro πολυπαιδία & καλλιτεκνία, ſed multo magis pro pia poſteritate. Hoc autem beneficium à Deo conferri, & quidem his potiſſ. qui Deum timēt, luculenter docetur

cetur Iob.5.15.tametſi cap.21.Iob affirmat,hoc beneficium ſenectutis & poſteritatis multiplicis in improbos nonnunquam conferri : ſed maxima ex parte confertur in pios Pſal.128.6.

Altera pars Proverbii ſequitur, filios & nepotes tanquam corona redimiri majorum & parentum ſuorum canitie & vitæ longitudine. Et quidem , quod ad priorem partem Proverbii, nemo ignorat, parentes honori & decori ſibi ducere , ſi liberi & nepotes illis in vita ſuperſunt , ut periculum plerunque ſit, ne non nimium de hoc beneficio triumphent, &plus juſto de eo lætentur: cum filij & nepotes, quibus par decus eſt in majorum ſuorum longæva vita , ſæpe immemores beneficii à parentibus accepti in patrios annos inquirunt , & aliquid in eorum præmatura morte beneficium collocant. Si enim parentes obſcuri ſunt , illos extinctos ob eam rem optant,ne ignobilitatis propriæ veſtigia maneant : Quod ſi divites ſint, & opulenti, tum voto eorum mortem accelerant,ut eorum opibus ſuccedant. Præterquam quod omnes ferè parentũ morte ſibi libidinum fræna laxari exiſtimant. Cujus rei luculentum exemplum proponitur in Eſavo, qui , extincto patre , fratrem ad mortem deſignavit.

Hoc Proverbium non incommodè ad parentes &filios ſpirituales transferri poteſt,qui invicem,& mutuo ſibi ornamento ſunt : eoque magis, quo ornamentum hoc hujus vitæ ſpatiis non terminatur , quod tamen in naturali generatione fit, ſed ad diem uſque domini pertingit, ſicut conſtat,1.Theſſ.2.19.

V.7. *Non eſt decorum ſtulto labium excellentiæ; nedum ingenuo labium falſitatis.*

In נאוה (*decorum*) eſt metaphora à decore in rebus corporeis ad res intellectu perceptas traducta. In שׂפת (*labium*) eſt metonym.cauſ.pro effect.& ſynecd.partis pro omnibus loquendi inſtrumentis. Item in יתר (*excellentiæ*) & שׁקר (*mendacij*) eſt metonym. adj.

Summa eſt; ſermonem cum ſanctum, tum ſincerum Deo probari : contra improbari, qui aut vitioſus, aut fucatus exiſtit.

Stultus Salomoni pro conſueta & ſua & patris loquendi formula idem eſt cum improbo. Hic autem difficilis dubitatio oritur,an vox נאוה referatur ad judicium &animum improbi,quem gerit erga ſermonem purum & ſanctum , an potius ad Dei,Angelorum,& piorum judicium,quibus omnibus diſplicet , quod improbus vita & factis , verbis tamen & ſermone probus videri vult. Et quidem, quod ad verborum ſignificationem & veritatem ipſam,uterque ſenſus admitti poteſt.Sed ſi acceptionem vocis נאוה conſideremus in hoc libro; maximè verò ſi antitheſin, quæ eſt in hoc Proverbio , expendamus, videtur poſterior ſenſus magis genuinus, & ad præſens inſtitutum accommodatior. Sicut enim in omnibus aliis rebus, veſtitu , ædificiis , membrorum corporis proportione, concinnitas & convenientia partium requiritur ad decorum conſtituendum : ſic in Chriſtiani hominis vita multo hoc magis requiritur , quoniam, quod eſt in oculis Dei indecorum exoſum magis & odioſum eſt , quam quod hominum oculis diſplicet. Ut ſi omnes faciei partes venuſtæ eſſent , unus autem naſus monſtroſus foret,& deformem admodum aſpectum eſſet habiturus , reliquarum partium forma in naſo turpitudinem magis odioſam redderet ; vel ſiquis galerum ex ſerico auro intextum gerens reliquum corporis habitum vilem & lacerum haberet , nullam inde non modo nitoris laudem acciperet , ſed potius omnium

nium irriſioni ſe exponeret: ſic cum oratione quis exultat, factis autem, & reliqua vitæ ratione jaceat atque ſuccumbat, omnino odioſus & infeſtus eſt Deo & hominibus; ut cum avarus liberalitatem, ſcortum caſtitatem prædicat, aut latro de juſtitia concionem habet.

Quamobrem Propheta graviter eum exagitat, qui, cum ſcelerate vivat, tamen audet ſtatuta domini narrare; & ore ſuo fœdus Dei accipere, Pſal. 50. 15. ad 19. Hinc eſt, quod Chriſtus ſilentium indixit ſpiritibus immundis, qui ipſum confitebantur, Marc. 1.24, 25. item quod Paulus ſuccenſuit immundo ſpiritui, qui puellam occupabat, quod ſe & comites ſuos dilaudaret, Actor. 16. 17. 18. Nam cum res ſanctæ à tam impuris depredicantur, nauſeam & faſtidium quoddam hujuſmodi præconium in omnium animis ingenerat rerum earum, quæ ſuâ natura præſtantiſſ. ſunt. Pii enim inde magnoperè contriſtantur; improbi verò inde ſibi obſtacula colligunt, quibus à veritatis amore longiùs vertuntur.

Quamobrem conſilium Apoſt. hoc loco opportunum eſt, ut *omnes, qui Ieſum nominant, ab iniquitate diſcedant*, 2. Tim. 2.19.

Poſterius hemiſtich. eſt concluſio petita à comparatione minoris. Nam ſi benè loqui improbo non conceditur, nedum ingenuo & excellenti viro, ut falſa & improba effutiat: & ſi improbo fas non eſt ſuam improbitatem tegere & fucare puro eloquio, nedum viro bono fas erit impuro ſermone ſuam integritatem inficere & omnibus contemptam reddere: ſi illi fas non ſit inducto veluti ſtibio turpitudinem infucare, nedum alteri venuſtatem vultus deformare, & denigrando tetricum reddere. Cujus ratio in promptu eſt, quia puro impuri ſermone reperiuntur ex his, qui validiores & confirmatiores ſunt, qui proficiunt; cum ex pii & probi impuro dicto non item proficiatur. Ex quo quàm Davidem dedecuit morionis inſtar, aut inſani ſermonem habere apud Regem Philiſt. liquido conſtare poteſt. Quamobrem danda nobis opera eſt, ut filum vitæ piæ perpetuo tenore & æqualitate ad extremum uſque pertexatur, cum minima vel in verbis diſparitas tantam deformitatem pariat.

V. 8. *Lapis gratiæ eſt munus in oculis dominorum ejus, ad quodcunque reſpiciet, proſperabitur.*

In אבן (*lapis*) eſt ſynec. gen. pro gemma. In חן eſt meton. adj. In עיני eſt metaph. tranſlata à corporis viſione ad animi judicium. In בעליו meton. ſubject. pro acceptione muneris, aut vendicatione, ut dominus alicujus poſſeſſionis, quam accipit, & ſibi vendicat.

Summa eſt; nihil eſſe in judicio tam ſanctum, quod munerum corruptela non violatur.

Per lapidem gratiæ gemmam ſpectatu gratiſſimam intelligit; cui munus corruptelæ ob eam rem comparat, quia ſicut qui gemmam geſtat, in illam oculos defixos habet, quod ejus formam inſpiciendo oblectetur: ſic judices corrupti muneribus accipiendis oblectationem capiunt; & oculi animorum ſuorum non minùs in munera defixi ſunt, quam oculi corporis in gemmam gratiſſ. Unde etiam illud efficitur, ut munus ſententiam evocet, quamcunque is optat, qui munus obtulit. Si enim judex nequam ſit, qui ſibi lucrum ob oculos proponat, & ſententiam in judicio ſuam ad cujuſquam donum offerentis libidinem accommodare ſecum ſtatuat, tum conſtupratum iri judicium palam eſt. Quod ſi judex juſtus ſit, qui ſecum & cum animo ſuo ſtatuit jus dicere & incorruptam ſententiam ferre, tamen ſi ſemel

ſemel munus admiſerit, ilicò ad faciem accipiendam paratus eſt. Quamobrem munus excæcare dicitur oculos oculatorum, & ſapientum & juſtorum verba pervertere, Exod. 23. 8. Deut. 16. 19.

Quod autem dicitur, *munus illud proſperari*, videtur animum addere ei, qui munus offert, ut illam rationem ineat, qua judicem munerum corruptela corrumpat; maximè ſi ſibi in re ſua bene conſcius ſit, & ſe bonã cauſam in judiciũ adducere, ſibi in animum inducat. Sed intelligendum eſt non purè & ſimpliciter hoc affirmari, quod *proſperabitur*, ſed ad illud modò, quod, qui munus offert, ſibi ob oculos proponit, id eſt, cauſam obtinebit: cum tamen præſtabilius foret cauſâ cecidiſſe, quam conſtuprati judicii cauſam dediſſe. Nam ſi, qui Regis pecuniam corrumpit, capitis teneatur, nedum qui Dei in judicio imaginem violare conatus eſt. Quamobrem cavendum diſceptatoribus in judicio, ne munerum corruptelis judices aggrediantur, aut pertentent. Quod ſi fiat, judicibus videndum, ne ut gemmas gratiſſ. & pretioſiſſ. munera aſpiciant, ſed potiùs illa, ut ſilices & lapides maximè viles & plebejos intueantur.

V. 9. *Tegens prævaricationem perſequitur charitatem: ſed iterans rem disjungit ducem.*

In מכסה (*tegens*) eſt metaphora à rebus corporeis turpitudinis labe infectis, & ab oculorum aſpectu, ſummotis, ad peccata quæ ab illis non vindicantur, adverſus, quos admittuntur. In שנה (*iterans*) eſt ſynecd. partibus repetendi pro multoties. In דבר (*verbum*) erit ſynecd generis pro delicto. Item in אלוף (*ducem*) pro omni eo, cum quo quis arctiori colligatione tenetur.

Summa eſt; eum, qui peccata debitè præterit, dilectionem alere: ſicut contra diſcordias & diſtractiones ſerere, qui temerè illa refricat renovatque.

In communi ſenſu & ante pedes poſitum eſt, naturam amoris eam eſſe, ut illum, quem charum aliquis habet, quam optimum eſſe præoptet; quod non aſſequitur, proximum eſſe, ut eum quam minimè malum eſſe velit. eoque ipſo, quod commoda interpretatione aut excuſari, aut etiam demitigari poteſt id pro virili aut e peccatis eximit; aut, ſi id non queat, ſaltem in delictis modo & erratis ducit. Deinde & illud peræque notum & pervulgatum eſt, eos, qui alium charum habent, id agere, ut non à ſe tantum, ſed ab aliis quoque diligatur & æſtimetur. Vnde etiam efficitur, ut in his, quæ deliquerunt illi, quos charitate complectuntur, ita affecti ſunt, ut eorum prævaricationes tectas quã maximè & occultas eſſe diſcupiant. Quod ſi amoris ingenium in aliis diligendis ob amoris tepiditatem cernere nequimus, at in noſtra φιλαυτίᾳ ejus naturam pernoſcere promptum eſt; qui in nos ipſos nunquam acres & ſeveros nos judices præbemus, neque noſtra ipſorũ delicta facilè & temere evulgamus.

Hujus amoris vide exemplum in Ioſepho, Gen. 48, 5, 6, 7, 8. & Paulo in epiſt. ad Philem. ubi affirmat Oneſimum ideò ab illo ſemel fugiſſe, ut deinceps ſemper cum illo maneret; ſemel fuiſſe infrugiferum, ut deinceps in omnem ætatem utilis foret. Sed longè ampliſſ. & luculentiſſ. hujus exemplum eſt in Deo, qui infinita nobis peccata cõdonans illa tegit, Matth. 18. 27. Pſal. 32. & in Chriſto, qui multiplicibus peccatis noſtris præteritis, apud patrem ſuum noſtram innocentiam & integritatẽ ob oculos ponit, Ioh. 17. 6, 7, 8.

Teguntur verò peccata, cum non vindicantur; item cum privatim corripiuntur: nec in vulgus efferuntur: maximè ſi quis pro malo bonũ repẽdit, Rom. 12. 20. 21.

V v 1. Pet.

1.Pet.3.13.Sic enim conciliatur amor etiam inter inimicos. Quod tamen ita intelligendum eſt, ut nec Eccleſiaſticæ pro peccatis cenſuræ,nec in Republ. civilia ſupplicia, nec in familia caſtigationes omitti, aut laxari debeant. Vnde Davidis in filios Abſol.& Adon.& Eli in Hophni & Phiniæ. indulgentia, & aliorum conniventia jure damnatur. Hoc enim loco ſermo eſt de privatis injuriis, & occultis peccatis.

Hoc, quod eſt in priore hemiſt.confirmatur ab adverſo poſteriore, ſicut & illud mutuam à priore confirmationē accipit. Nam quemadmodum qui diſtracti ſunt, conciliantur conniventia, præteritione, & remiſſione delictorum: ſic peccata refricando & reponendo qui conjunctiſſ.ſunt, diſſociantur, Hujus exemplum eſt in Sheba filio Bichri, qui, poſtquam Iudæi cum 10.tribubus mutuo diſceptaſſent,utri eorum plus juris haberent in Davide, diſceptatione finita, eam refricando & renovando utrumque populum inter ſe commiſit,2.Sam.19.20.

Quod tamen non ita intelligendum eſt,quin Miniſtri præterita peccata ſæpius repetere, & replicare poſſint, ut homines obſtinatiores ad reſipiſcentiam adducant:& qui pacem inter litigantes cōſtituunt,poſſunt,& debent plerunq; injurias ultro,citroque illatas refricare, ut, re penitus perſpecta, pax & commodius ineatur,& firmius teneatur.

V.10.*Vrit increpatio intelligentem magis, quàm ſi ſtolidum centies percutias.*

In תחת(*urit*)eſt metaphor,ubi increpatio igni comparatur,quod penetret&percellat.In מאה(*centies*.)eſt ſynecd. numeri certi pro incerto.

Summa eſt; pios minima correctione, & leniſſima caſtigatione ad reſipiſcentiam proficere:cum impii ſeveriſſimis Dei aut comminationibus, aut etiam judiciis non molleſcant, ſed obdurentur potius.

Cauſam inquirentibus, cur intelligentes increpatione, tametſi unica & mollis ſit,proficiant, non alia aſſignari poteſt, quam quod Deus Spiritus ſui virtute, lapideis eorum cordibus exemptis, carnea illis indiderit & inſeruerit.Ezech.36.26 unde exiſtit, ut, quamvis virtutis impreſſionem facilè recipiant. Deinde quod aures tenellas,circumciſas, & perforatas habent à Deo: ex quo fit,ut increpatio aures piorum ſubiens abſque ullo obſtaculo, aut impedimento ad cordis veluti fundum promeat. Deniq; quod piorū aures non tantum externa admonitoris vox pulſat, ſed virtute Spiritus ſancti ſtipatur, & eo veluti comite cordis & animæ valvæ,ſeu portæ reſerantur.

Hujus rei exempla in ſcriptura occurrunt:Et primò quidem Davidis,qui, cum totum ferè annum peccato adulterij indormiviſſet, unica tamen Nathanis prophetæ reſponſione è veterno ſuo experrectus ad ſe rediit,reſipuitque. Item aliud exemplum eſt in Sarah, quæ, etſi mater eſſet omnium fidelium, tamen in reprehenſione Abimelechi Regis acquievit,Geneſ.20. 16. Sed præſenti loco illud eſt longe accommodatiſſ.quod de 2. diſcipulis Emauntem proficiſcentibus memoratur, ubi expreſſe dicitur, illorum corda veluti igne quodam accenſa conflagraſſe,Luc.24.25 32.

Hinc diſcimus, præſtantis cujuſdam ſapientiæ eſſe erga reprehenſiones tenerum & ſubactum animum gerere; cum tamen plerique ſtultitiæ ducunt, ſiquis ſit de accepta reprehenſione paulo ſolicitior; & contra magnanimitati cuidam,& animo elato deputant ad reprehenſiones,quæ verbis fiunt,occaleſcere.

In pe-

In poſteriore hemiſtichio quo dicitur, *improbos* 100 *plagis non reſipiſcere*, cauſæ etiam indagandæ ſunt, quæ cauſis prioris partis Proverb. planè contrariæ ſunt. Primum enim auribus ſunt incircumciſis & ad audiendum gravibus, maximè ſiquid acre & acerbum ſit. Illud enim omne averſantur pruritu quodam verborũ blanditiis inhiantes. Deinde corde ſaxeo ſunt & lapideo, & tanquam pinguedine, quæ omnis ſenſus expers eſt, obducti: tantumque abeſt, ut verbis ad reſipiſcentiam proficiant, ut ne plagis quidem, & ictibus, quamvis ſæpiùs repetitis & ingeminatis ad reſipiſcentiam impellantur. Cujus rei memorabile exemplum eſt in Pharaone & Ægyptiis, qui graviſſimis pœnis, tanquam fulminibus percuſſi à ſua tamen improbitate non modò non receſſerunt, ſed magis magiſque cordis callum contraxerunt, donec extremam Dei manum experti in mari rubro perierunt. Non diſſimile eſt illud, quod de Philliſtæis memoratur, qui à domino ob captivam arcam exquiſitiſſimis ſuppliciis affecti, ne tum quidem reſipuerunt cum ſuis & propriis judiciis de Dei manu illos feriente edocti fuerunt.

Hinc diſcimus, inſignis eſſe ſtultitiæ ad Dei caſtigationes, maximè quæ verberibus fiunt, obdureſcere; utcunque homines plerumque hoc ipſum animoſitati & fortitudini tribuant.

V. 11. *Tantum rebellionem quærit malus: ſed nuncius crudelis mittetur in eum.*

In מלאך(*nuncius*)eſt ſynecd. part. pro omni infortunio, ſeu plaga quæcumque, quam Deus ſive immediatè, ſive mediatè hominum, aut ferarum opera immittit.

Summa eſt; improbum ſuæ ſeu in Deũ, ſeu in homines rebellionis, pervicaciæ, & animi refractarii mercedem juſtam accipere tandem.

Improbum, minimeque ſpiritu per fidem renatum Deo hoſtem & adverſum eſſe infinitis ſcript. teſtimo. palam eſt. Nã ex mala arbore ſtultum foret quippiam præter putres & vitioſos fructus expectare. *An enim ex ſpinis uvas, aut ex tribulis ficus colligunt?* Math. 7. 16. Sive igitur quid cogitant, loquuntur, aut faciunt, id omne peccato deputatur: ſæpeque fit ut quo magis ſe & vires ſuas intendunt, ut, quod Deo gratiſſimum eſt, faciant, tanto in Deũ atrociùs delinquant: ut univerſa improbi vita à primo die, ad extremum uſque vitæ articulum nihil aliud ſit, quam mera in Deum rebellio.

Sed majorem dubitationem habet, an improbus in homines tantum rebellionem meditetur. Videas enim multos improbos qui ſe contra Principem & Magiſtratũ non commovent. Quamobrẽ quæri poteſt, an in univerſum verum ſit, quod communi ſermone jactatur; *hominibus non fore fidum, qui in Deum perfidus eſt.* Videtur autem non longè à vero recedere hoc Proverbiũ; ſicut pluribus apud Joh. inculcatur, *non amare Deum, qui fratrem non amat*, 1. Joh. 2. 3, 4. Sic 1. Ioh. 5. è converſo dicitur, ex eo dignoſci, nos filios Dei diligere, ſi Deum diligimus, & mandata ejus ſervamus. Cum igitur improbi nec Deum ament, nec ejus vel minimum mandatum ſervent, aut etiã ſervare poſſint, eos filios Dei non diligere efficitur. Quod ſi non diligunt, certè illos odio habent: quos autem odio proſequuntur, eos periiſſe expetunt: Quamobrem etiam animos adverſus illos rebelles gerũt. Hinc eſt, quod David, tanquam pius cum paterfamilias, tum Reipubl parens profitetur, ſe non paſſurum, ut aut in familia, aut etiam in regno maneat improbus, Pſal. 101.

Hoc liquidius conſtabit, ſi hujus rebellio-

bellionis in cauſam inquiramus. Eſt autem illa impetus animi, qui eſt in improbo, qui illum non patitur interquieſcere, niſi re confecta, quam expetit improbe. Unde etiam Propheta improbi animum mari turbulento, & fluctibus inflato ſemper cœni aliquid ingurgitanti aſſimilat, Eſai.57.20.

Quod ergo plerique improbi, ut apud nos Pontificii, Athei &c. ſe placidè & quietè gerunt, non ideò eſt, quod erga pium Principem bene affecti ſunt, ſed quod pacem, quod liberos, quod vectigalia ament, quibus frui ſe non poſſe exiſtimant, ſi Reſpubl. externis, aut inteſtinis motibus involveretur: vel quia metuunt ne non ſatis inſtructi ſint viribus ad id, quod cupiunt, præſtandum: ſicut David de ſuis quibuſdam ſubditis loquitur, cum dicit, illos, tametſi alienos ab illo animos gererent, tamen ſibi mentitos eſſe, & ſummam obedientiam ſimulaſſe, Pſal. 18.43.

Hujus doctrinæ exempla paſſim occurrunt in libro Judicum, ubi conſtat Cananæos ab Iſraëlitis in vivis ſervatos nullis in ſe beneficiis collatis adduci potuiſſe, quin, quoties per vires, licuit, jugo excuſſo, in Iſrael. tyrannidem exercuerint, & illis, tanquam in oculo ſpinæ, in lateribus vero ſtimuli extiterint. Imo ne tum quidem, cum connubia cum illis inirent, & ſe cum ſanguinis, tum religionis ſuperſtitioſæ vinculis ſe illis conjunxiſſent.

Pęna ſequitur hujuſmodi improbis debita, ubi tametſi reticetur cauſa efficiens Deus, tamen promptum eſt, Deum immiſſæ vindictæ authorem eſſe. *Nec enim malum eſt in civitate, quod non facit Deus.* Amos 3.6. Nec dubium eſt, quin inſtrumentalis cauſa hujus inflictæ pænæ nonnunquam ſit Angelus vel beatus, vel reprobus cælitus miſſus Pſ.35.5.1.Sam.19.9.nonnunquā lictor, vel carnifex à Magiſtratu ad ſumendū ultionem ire juſſus, qui ideo crudelis à Sal. dicitur, non quod ſeveritate modum & rationem tranſiliat, ſed quod inexorabilis eſt, nec quicquam de pręſtituta ab eo, qui illum legat, pæna remittet. In quo genere præcipuè eſt pallida mors, quam infernus ſequitur, & veluti calces ejus premit, Apoc.6.8.

Hic nuncius ſæpe in hac vita immittitur, ſed non ſemper. ut judicii futuri inde Deus fidem omnibus faciat, quod in aliquos hic non animadvertatur. Quod ſi fiat, tum tanto gravius ſupplicium ſumitur, quoad debita peccatori & rebelli pœna profertur & retardatur.

Hic porro nuncius tanto formidabilior eſt, quod improbis omnibus ſubitus & inexpectatus ſupervenit. Tum ut cum illi de pace ſecuri omnia ſibi læta & fauſta pollicentur, tanquam in nocte fur, in illos irruit.

V.12. *Occurrat urſa orba in virum, & non ſtultus in ſtultitia ſua.*

Ellipſis eſt in שכול *(orba)* intelligit, catulis ſuis.

Summa eſt; ſtulti, ſeu impii iracundiam indomitam eſſe.

Hujus beſtiæ præſertim catulis orbatæ feritas immanis in Scripturis decantatur. Nam Chuſeus ferociam Davidis & militum ſuorum ob oculos Abſhalomis ponens, illos jam exulceratos & ira incēſos urſæ orbæ comparat, 2.Sam.17. 8. Sed melius adhuc liquet, ubi Deus ultor in Iſraelis impietatem hac metaph. adumbratur? & urſæ feritatis effectum proponitur, nempe quod occurrentem ſibi dilacerare & dilaniare non deſiſtit, quoad omnibus ſuis integumentis & involucris cor exutum devorare poſſit, Hoſ.13.8.

Jam *ſtultus* comparatur *urſæ* & ſtultus in ſtultitia

ſtultitia urſæ catulis orbatæ: & quidem ita comparatur, ut urſa orbata catulis minùs malum à Sal. conſtituatur. Hæc igitur diſpicienda nobis ſunt. Et 1. quidem illud quæritur, cur Propheta dicat, *ſtultum in ſtultitia ſua aſſimilari urſæ orbæ*. An enim tempus aliquid occurrat, in quo ſtultitia ſtulto non adhæreat; ſicut tempus aliquod occurrit, cum urſa orba non eſt? Reſp. ſtultitia ſtulti hoc loco ſumitur pro ſtultitiæ ἀκμῇ ut cum perturbatione aliqua commotus præceps ad illud, ad quod ſua cupiditate ducitur, ruit, maximè cum furore percitus excandeſcit, ut urſa orba. Improbus enim, nulla occaſione improbitatis oblata, ſuam ad tempus improbitatem tegat & diſſimulet.

Quamobrem inſtituatur comparatio inter urſam orbam & ſtultum, ſeu improbum iracundiâ percitum. Urſa orba ruit in hominem; ſic ſtultus, abjectis rationis habenis, impotenter fertur ad iram ſuam explendam: Dan. 3. 19, 20. 21, 22. urſa, quemcunque ſibi obvium, tametſi catulos ſuos non aſportet, invadit; idem facit improbus in ira ſua. Nam in innocentes etiã involat, & eiſdem pœnis cum nocentibus involvit, Act. 12. 19. 1. Sam. 22. 11. 12. & uſque ad 18.

Hactenus videmus pares eſſe ſtultum in ſtultitia ſua, & urſam orbam: Eſt ubi urſa orba à ſtulto in ſtultitia ſua ſuperatur. Nam ſunt artes, quibus urſæ quis furorem decliniet, ut ſiquis unum ex catulis projiciat, illo arrepto, & ad antrum deportato, hominem, in quem incurſabat, deſeret. Stultum verò nullis blanditiis, nec acrimonia, nulla verborum incantatione, tametſi ſumma arte inſtructa, à furoris ſui ſtultitia depellat.

Hoc quo melius adhuc liqueat, conſideremus ſapientem, id eſt probum & pium virum in ſua ſtultitia, ut, cum, quæ ſit vis iracundiæ, ſeu ſtultitiæ in pio viro & ſpiritu ſancto imbuto, quam ineluctabilis ſit in improbis certius intelligamus. David Nabalis moroſo & incivili reſponſo irritatus magno animi furore percitus, adverte, quæſo, quouſque irâ incitatus ducitur. Primum, ſacramento ſe aſtringit, ſe hanc injuriam ulturum & vindicaturum ſanguine. Deinde uſque eò præceps ruit, ut juravit, ſe non tantum Nabalem, ſed totam ejus familiam innoxiam, imo vero eos, qui cauſam ejus contra Nabalis contumelioſa convitia defendiſſent, interimere velle, 1. Sam. 25.

Quid ergo, inquit aliquis, intereſt inter Davidis ſapientis ſtultitiam, & ſtulti ſtultitiam? Hoc ſc. quod illi prudenti & modeſta oratione & adhortatione à ſuis inceptis depelli non poſſunt: David autem Abigaëlis ſapienti oratione & commonefactione deferveſcens ab improbo ſuo inſtituto deſtitit.

Quamobrem, utcunque perturbati amoris, aut iræ, aliarumve perturbationum pedicis & laqueis incauti capiamur; tamen, niſi in improborum cenſu & eſſe & haberi velimus, ad ſanctas admonitiones, correptiones, & documenta reſipiſcamus.

V. 13. *Reddens malum pro bono, non recedet malum à domo ejus.*

In ביתו (*domo ejus*) eſt metony. ſubj. vel ſynecd. part. domus ſc. ſeu ſtructuræ, & totius, quæ in domo eſt, familiæ.

Summa eſt; feritatem malum pro bono retribuendi Deum ipſum de cœlo ad excidium & πανολέθρῳ ulciſci.

Deus ſuis civibus hanc legem fert, *ut pro malo bonum reddant*, Rom. 12. 20. 21. etiam à politia ſua alienis ut bonum bono rependant. Quæ res ita apud Perſas religioſè culta & obſervata eſt, ut ingratum & beneficii immemorem licuerit etiam in jus

in jus vocare, & ingrati animi convictum, tanquã criminoſum ſupplicio afficiebant. Xenoph. in κυροπαιδ.

Quamobrem ferinum & immane quiddam eſt omnis, non modo pietatis, ſed & humanitatis expers, ſi quis benè de ſe promeritum malo afficiat. Atque ſi pœnam adeo meretur, qui malum malo rependit, quid illi fiet, qui malum pro bono compenſat? Quod quidem cum in omnibus grave flagitium ſit, tum in his multo atrocius, qui Chriſtum & Euang. profitentes in ſcript. *benigni* & *benefici* appellantur. Pſal. 12.1. Hinc eſt quod David regno potitus de gratitudine erga omnes, à quibus beneficio affectus eſt, præſtandâ rationem inierit; qua in re ne eos quidem præteribat, qui à Dei politia hoſpites & alieni erant.

Hujus ſceleris gradus etiam conſtituuntur. Nam aut pro magnitudine beneficiorum, quæ quis accepit, aut malorum atrocitate, qua in beneficum ſibi uſus eſt, creſcit hoc ſcelus, & veluti conduplicatur.

Hoc ſcelus in ſe grave & atrox adjuncta pæna, quam Propheta infligendam denuntiat, immane & truculentum eſſe comprobatur. Neque enim in illius perſona, qui hanc inſignem injuriam intulit, ſcelus expiatur, ſed ad totam ejus familiam & poſteritatem ſe diffundit, atque pertingit. Sed ne hoc quidem ultio divina ſatiatur. Non enim certis temporum ſpatiis hæc ultio concluditur, ſed nunquã à domo ejus recedere dicitur. Hujus rei exemplum illuſtre ſpectatur in Pharaone & Ægyptiis, qui, quod beneficia à Joſepho in illud regnum collata non ſunt recordati, extrema internecione tandem deleti ſunt. Exod. 14.

Hic tamen circumſpectè cavendum eſt, ne, dum in homines nos gratos præſtare cupimus, in Deum (quod ſæpe fit) ingrati & immemores reperiamur. Quod eo magis cavendum eſt, quoniam, qui ingenui ſunt, & bonæ indolis, ſæpe in hac parte peccant, dum oculos ſuos in illos tantum defixos habent, qui in ipſos benefici fuerunt, Deo præterito, qui in hac liberalitate primus & princeps eſt, ut qui cum facultates ad beneficentiam contulit, & animum largitoris ad beneficentiam inflexit: perinde ac ſi quis, accepto ab hero beneficio, gratiam ſervo haberet, cujus herus miniſterio tantum uſus eſt, ipſo hero neglecto, cujus illud beneficium eſt.

V. 14. *Vt qui laxat aquas, eſt caput contentionis: & antequam miſceatur contendere, deſiſte.*

Summa eſt; initia contentionis, tanquam plena periculi ſtudioſè declinanda: coorta vero contentione, ilico, priuſquam partes inter ſe committantur, deſiſtendum.

Ad illuſtrandum illius peccatum, qui litigandi & contendendi occaſionẽ præbet, compar. paris affertur, qua æquatur illi, qui ſtagnum, vel flumen aquarum laxat, quæ ripam perrumpentes & aggerem oppoſitum præterfluentes neq; quæ effluxerunt, retundi & reduci omnino poſſunt, neque facilè cohiberi & conſtringi, quo minus, auctis continuo viribus, ſua rapiditate omnia obſtacula objecta abripiant. Nos communi & pervulgato Proverbio dicimus, *eum ruinoſas ædes in verticem ſuum attrahere*. Sed ſimilitudo hæc aptiſſ. eſt, qua cum ſemen & initium, tum fomentum & incrementum litis periculoſiſſ. eſſe docetur.

Nos communi Proverbio dicimus, *ignem & aquam res omnis miſericordiæ expertes eſſe* propter impetuoſam violentiam & impreſſionem, qua ea invadunt, in quæ ſemel irruunt. Quamobrem S. Sanctus, ut nos à contentionis ſtudio deterreat, his duobus

duobus contentionem aſſimilat. Nam Prov.26.21. docetur perinde eſſe virum liti deditum,ac carbo ad prunas, & ligna ad ignem accendendum. Ac Iudic.9.19. 20. aſſimilatur contentio igni.

Quamobrem cavendum eſt, ne litis materiem & argumentum præbeamus. Sæpe enim fit, ut cum vellemus pedem ex lite referre, ita inſtar aquarum gurgitis, aut flammæ ignis erumpat, ut illam componere nequeamus. Vide 2.Sam.2. 14.15.& verſ.26. Quid dico ſæpe, cum nunquam non hoc fiat, quin malè ſit ei, qui ſemen & cauſa exiſtit? Nam *væ illi* præſertim, *per quem offenſa eſt*. Matt.18. Quin etiam ipſe, qui litis occaſionem dedit,dummodo pius ſit, dolore & mœrore perfundetur, quod litis materiem dederit.

Quod ſequitur, præcipuè ad eum ſpectat, qui in lite poſterior eſt; quem monet Sol. ne oblatam contendendi occaſionem arripiat,& ſe liti immiſceat.Quod opportunè admodum fit. Quotus enim quiſque invenietur, qui, acceptâ ab alio injuria,non ſe jure litigare & contendere poſſe putat? In quo tamen longè fallitur: quandoquidem pugna non, niſi illius ultione & vindicta initur, neque miſcetur. Deinde ſi malum malo compenſare cæteroquin liceret, tamen vel hoc uno nomine à vindicta abſtinendum eſt, quod nemo in propria cauſa judex eſt; & præterea quod perturbatione commotus nunquam æquitatem ſervabit. Sed præcipuè ex hoc proverbio diſcendum eſt,ut deſiſtat & à lite deflectat, quia ut aquæ erumpentes,niſi ilicò retundantur, acquiſitis viribus,obturari nequeūt,nec flamma ædes corripiens,niſi maturè reſtinguatur, ſed quicquid obvium eſt conſumit&pervaſtat.

Neque verò putet,qui eſt in lite ſecundus,ei ſuam litem bene ceſſuram,quia invicem litigantes conſumuntur, Vide hiſt. 2.Sam.2. ſuprà memoratam. Nam juvenes,qui per jocum litigabant, invicem confecti & confoſſi ſunt: & Ioabus, qui ſecundus in hac lite fuit,ibi fratris chariſſ. jacturam fecit. Maximè Abneri verba v.26. notanda ſunt: *An non noſti quod extremum & exitus erit amarus?* Item memorabile eſt, quod Iotham Iudic. 9. prædicit, nempe ignem ex Abimelecho proditurū, qui conſumpturus erat Sichemitas,& viciſſim à Sich. qui conſumpturus eſſet Abimel. Et illud Apoſt. ad Gal. *videte, ne, ſi invicem mordeatis, ab invicem conſumamini.*

Hinc liquet, quod ſit officium circumſtantium & ſpectatorum, cum litigantes vident; nempe operam dare, ut litem componant. Sicut enim ad incendium, ſeu ad aquarum colluvionem omnes accurrunt ſic &c. Contra tamen fit ſæpe, ut nequam homines oleum igni infundāt loco aquæ.

V. 15. *Iuſtificans improbum, & condemnans [pauperem] juſtum abominatio Iehovæ etiam uterque.*

In מצדיק (*juſtificans*) & מרשיע (*condemnans*) eſt metony. effect. videl. pronunciandi aliquem juſtum,aut improbum; & 1. aut pœna afficiendi pro eo, qui efficit juſtum eum,qui improb. eſt; aut improbum, qui juſtus eſt. Ubi obiter confirmatur ſignificatio juſtificationis, qua nos à Deo juſtificamur per fidem; quam tantoperè Pontificii averſant,& quo nomine Euang. oblatrant.

Summa eſt; in judicando recto pede incedendum, ut neq; ad ſiniſtram juſtum condemnando, nec ad dextram improbum abſolvendo deflectamus; cum utraque res ſit Deo perinde odioſa.

Iudicium autem hoc eſt;

aut.

aut { *privatum*, *publicum*,

quod ad { *omnes* Matth. 7. *Magiſtratum tantum* } *pertinet.*

Qui judicium hoc poſterius exercent, cogitare debent, ſe Dei perſonam ſuſtinere, cum judicandi partes Dei ſint 2. Chron. 19. 6. 7. Quamobrem illis omni cura & cogitatione incumbendum, ut judicium & jus dicatur tam purum & illibatum, ut ab ipſo Deo profectum videatur, & illo non indignum, Hic ſiquis excipiat, *Deum impium juſtificare*, Rō. 4. 5. eoque ipſo jus in Repub. dicēti idem licere: is intelligat primò Deo licere, quod hominibus nefas eſt: deinde Deum impium juſtificando eū ex impio juſtum reddere, &, per ſoluto pretio, impietatem expiare; præterea aliam mentem, quam prius habuit, ei indere. Quod cum nemo mortalium faciat, vanum eſt Dei exemplum obtendere, & ad ſui patrocinium raptare.

Iuſtificat impium, & condemnat juſtum aliquis multis modis. Et primo quidem, cum, ſententia injuſtè lata, illam exequitur: Deinde hoc fit juris dilatione, & diem eximendo & prorogando. Quamdiu enim judicium ſuſpenſum tenetur, tamdiu, qui juſtus eſt, ſæpe pro injuſto habetur; & contrà injuſtus pro juſto. Hac igitur cunctatione & juris procraſtinatione juſto ſua juſtitia detrahitur, & injuſto juſticia adjungitur. Denique hoc fit, cum, ſententiâ ritè & debitè lata, ſententiæ exequutio aut omnino non conſequitur, aut tempeſtivè & maturè exequutioni non mandatur. Unde eſt, ut ſcript. una & eadem voce culpam & pœnam complectatur, eo declarans, eum pro inculpato haberi, cui pœna nulla irrogatur. Hinc etiam eſt, quod 3. 1. tab. mand. pœnam interminans illi, qui Dei nomen violaverit, eandem his verbis ſubindicet atq; ſubinnuat; *Deum illum non habiturum pro innocente.* Quo deteſtabilior eſt Pontif. blaſphemus error quo Deo hanc injuſtitiam imponunt; fideles in judicio (pœnâ reſervata) abſolvendi.

Quod autem dicit, utraque Deo abominationi eſſe, in eo depravato hominum judicio occurrit, & illud injuſtitiæ convincit. Homines enim in quibus veſtigium aliquod & ſignificatio virtutis apparet, hoc ferè animo ſunt, ut indignum facinus eſſe ſtatuant juſtum condemnare; ſed ab improbi tamen abſolutione non perinde abhorrent. Hominis enim ſpecie, & dignitate capti, aut meritorum in bello, quę aut fecerunt olim, aut quæ in poſterum eſſe poſſunt, intuitu, ad miſericordiam flectuntur, aut aliorum poſtulatis aliquid concedunt: quod omne Deo abominatio eſt, à quocunque illud fiat, ſive pio, ſive impio. Nam, utcunq; pii Deo ſemper chari ſunt etiam tum, cum ea admittunt, quæ abominationi ſunt; tamen, quæ mala faciunt, non minus odio habet, quam quæ ab impiis improbè aguntur: eoq; etiam magis, quo illud malum declinandi pluribus officiis devinciuntur. Nam cum improbi abſolvuntur, primò ipſi abſoluti ferè ſemper deteriores evadunt. 2. probi partim hac indulgentia triſtantur, partim ſibi fræna ad nequitiam laxant. 3. improbi præcipites in ſcelera ruunt.

Quod ſi, qui alterutrum horum committit, abominationi ſit coram Deo; qui in utroque prolabitur, Dei indignationem majori menſura in ſe accerſit.

V. 16. *Quorſum eſt pretium in manu ſtulti? Ad acquirendum ſapientiam? Sed non eſt illi cor.*

In יד (*manu*) eſt metaph. pro poſſeſſione quia quod quis habet, videtur quaſi manu tenere. Item in לב (*cor*) eſt meton. ſubj.

ſubj. pro animi dotibus, intelligentia & voluntate.

Summa eſt; ſtulto, ſeu improbo divitias nihil boni conferre, ſed ob eam cauſam officere, quòd ſcientiâ illis utendi deſtituitur.

In priore parte Proverbij docet, improbo nullum juſtum & legitimum uſum eſſe divitiarum & dignitatis. Quod eo fortiùs confirmat, quo illud ἐρωτηματικῶς proponit, tanquam omnes in certamen provocans, ecquid poſſint cōtrà proferre, quo doceant, hujus vitæ commoda improbo uſui eſſe: tanquam diceret Sal, non magis divitias & honorem ſtultum decere, quam bovem clitellæ. Cum enim divitiæ & honos hominibus conceſſa ſunt primo quidem, ut Deus his colatur & honoretur, Pro.3.9. improbus opum ſuarum impendio Deum ignominia pro virili afficit, & pecunias ad Dei gloriam obſcurandum diſtrahit. Deinde cum dati ſunt, ut ipſius ſalutem provehant, contrà fit, ut horum poſſeſſione aditus ad regnum cœlorum illis inacceſſus & intercluſus reddatur. Marc.10.23. Nam divitiis confidendo. v.24. idololatræ ſunt, Eph.5.5. aut illas voluptatibus perſequendis profundunt, aut illis freti ſuperbiunt, & alios præ ſe aſpernantur; aut modo quopiam alio ad ſuam perniciem abutuntur. 1. Tim.6. 17.18. Denique ad alios opprimendum, aut luxu & libidine corrumpendum illis abutuntur: 1.Sam.25. vid. exempl. Nab. Merito ut quæri poſſit; *Quorſum pretium in manum ſtolidi inderetur?* Nec enim illi magis proſunt, quam ſiquis gladium in infantis, vel furioſi potius manum inſereret, qui illo aut non omnino uti, aut ad ſuam & aliorum perniciem abuti norunt.

Occurrat hic aliquis, impios veluti villicos eſſe & quæſtores, qui in uſum piorum pecunias colligunt, domos ædificant &c. Reſp. hoc Dei ſolius beneficium eſſe, illis etiam invitis.

Occurrat iterum multos amicos (ex Proverbio) hoc modo colligi. Sed Reſp. veros illos amicos non eſſe, ſed aſſentatores, qui divitiarum nomine nos amant.

In poſt. hem. eſt prolepſis cujus occupatio eſt; ſtultus pretio poteſt ſapientiam ſibi comparare: ſubjectio eſt; ſed quî poteſt ſapientiam comparare, cum vecors ſit, nec ſapientiæ percipiendæ facultate præditus; nedum ut ejus aliquo ſtudio teneatur? Quo in dicto Sal illud nobis confirmatum redditur, quod ſuperius dictum eſt, divitias idcirco à Deo nobis datas, ut earum ſubſidio ad pietatem provehamur. Hoc etiam loco illud confirmatur, nullum nobis ad pietatem aditum patere proprio marte, aut viribus propriis, antequam Deus nos ſua gratia proveniat, non magis quam ſtolido aut morioni, ut profundiſſ. & abditiſſ. rerum maximarum cauſas perſcrutetur. Unde etiam naturâ bruti à S. Sancto appellamur, Ier.51.17. Prov. 30. 2. antequam Deus Spiritus ſui fulgore mentes noſtras illuſtraverit.

Deinde illud etiam emergit, nos divitias non alia lege, aut conditione expetere debere, niſi cum divitiis Deus una donum illis probè utendi donaverit: niſi fortè tã malè feriati ſimus, ut noſtram ipſorum peſtem & exitium expetamus.

Præterea & illud docemur, neq; Principes in Repub. nec parentes in familia ſuas ſeu dignitates, ſeu patrimonia in improbos, ſeu ſubditos, ſeu filios conferre oportere; niſi hoc cum ſuo probro, tum Reip. damno facere illis adhibuerit.

Hic tamen quis excipiat, Deum divitias, honores, & alia hujus vitæ commoda promiſcuè in bonos ſimul, & malos conferre; eoque illis licere, quod à Deo fieri, compertum habent. Reſp. ſæpe dictum, Dei exemplum nobis ad imitandum proponere ſine ejus mandato tutum nō eſſe. Quod in hac re liquidiſſ. perſpicitur. Nã ſi Dei exēplū hic imitemur, nos in divitiis &

honoribus conferendis erga improbos magis profuſos convenit, quam erga probos: quandoquidem improbi hujus vitæ commodis plus affluunt, quam pii Pſal. 17. 14. Deinde Deus illos his beneficiis onerat, ut magis inexcuſabiles reddat: præterea ut piorum patientiam exerceat: Pſal. 73. quæ hominibus facere fas non eſt.

Verſ. 17. *Omni tempore diligit amicus, & frater in afflictione enaſcitur?*

In אח *(frater)* eſt metaph. ſumpta ab his, qui ſanguine nobiſcum conjuncti ſunt, & ad eos, qui voluntate & amore nobiſcum conjuncti ſunt, traducta. Item in יולד *(enaſcitur)* eſt altera metaphora. Quemadmodum enim cum quis in lucē editur, tum primum cernitur & oculis conſpicitur: ſic verus amicus tum maxime diſcernitur; ut qui tum ad opem ferendum accurrit, tametſi prius nullum amicitiæ ſpecimen, aut indicium præbuerit.

Summa eſt; verum amicum in amore conſtantem, tum illum maximè teſtari, cum ejus maximus uſus eſt.

In amore Deum, qui amorem mandat, imitari pulchrum eſt. Nam ille in amore erga ſuos (quos omnes *amicos* vocat) Ioh. 15. 14. 15. perſtat. *Ego Deus, qui non mutor: nec in illo variatio ulla vel viciſſitudinis umbra invenitur.* Iacob. 1. 17. Hoc autem loco videtur interiorem illum & arctiorem dilectionem indicare, qui eſt inter eos, qui in ſingulari amoris nexu & vinculo colligantur. Ioh. 13. 14.

Sunt plerique, qui amicitiam, & aliorum interiorem amorem ſimulant, cum revera amici non ſunt, ut qui vel proprię aut utilitatis, aut voluptatis, aut honoris ergò ad amandum ducuntur; quæ ſi deficiunt, ilicò in amore frigent. Sunt alii, qui ſimilitudine conditionis vitæ, morum & ingenii ad alterius amorem impelluntur, quorum tamen amor inſtabilis eſt. Illa autem amicitia, quæ ex virtute & pietate initium, & fundamentum habet, ſola eſt vera amicitia, quia, pietate nunquā deficiente, quæ nos ad alicujus amplexus adduxit, neque amicitia, quæ tali fundamento innititur, labefactari poteſt. De his igitur dicitur, illos in amore conſtantes eſſe, amare cum divitiis affluunt, cum pauperes ſunt; cum honorati, & cum inhonorati ſunt; cum proſpera, aut adverſa fortuna fruuntur. Quamobrem iſta paulo interius inſpiciamus. Et primo quidem utcunque amicitia vera in proſperis alterius rebus vix cerni, aut dijudicari poſſe videtur, propiùs tamen intuentes animadvertemus, non leve momentum veræ amicitiæ in eo collocari, ſi amici proſperitatem æquè & læte ferat. Sunt enim plerique, qui alios ejuſdem ſecum ordinis charè complectuntur, quibus potiorem, quam ſua eſt, conditionem invident. Exemplo eſt Saul, qui primo Davidem amavit, 1. Sam. 16. 21. 22. ſed poſtquam fœminarum judicio ſibi præpoſitum intellexit, ilico ejus amor in mortale odium converſus eſt. 1. Sam. 18, 6, 8. Hinc eſt quod Ionathani ſummæ laudi tribuitur, quod Davidem ſibi in regno præponendum amare non deſtitit. Sed præcipuum amicitiæ experimentum ex afflicta amici conditione capitur. Qua in re videmus eximium exemplum in Abrahamo, qui Lotum captivum eruit è poteſtate hoſtium; Gen. 14. in Ittai & Chushi amicis Davidis; 2. Sam. 15. 21. 37. in Ionathane, qui ſe vitæ periculo expoſuit pro Davide. Hujus etiam exemplum proponitur in Iohanne, quem Chr. amicum deligere ſibi dignatus eſt; qui ad extremum uſque Spiritum Chriſtum in carne non deſeruit, cum cæteri diſcipuli illum deſertum paſſi ſunt. Hoc etiā aliquouſque in virgine cernitur; item

item in Nicodemo, & Arimatheo, qui, cum clam Chriſtum totam vitam profeſſi ſunt, poſt tamen apertè & confidenter illud præſtiterunt.

Ad hoc Proverbiũ etiam ſpectat, quod non præſentes, ſed abſentes; Gal. 4.18 1. Theſſ. 2. 17. non vivos ſolum, ſed & mortuos diligere debemus, & charitate complecti. Ruth. 3.19.

Quamobrem ſumma cautio eſt in delectu amicorum adhibenda, ut hi ſint, quibus fas eſt in ſummo ipſorum diſcrimine ſuppetias ferre; quia omnis ſubvẽtio Proverbio *uſque ad aras* circũſcribitur.

V. 18. *Homo vecors complodit palmam, fide jubet fidejuſſione ante proximum ſuum [ideſt antequam proximus hoc ab illo poſtulat.]*

In תקע כף (*palmam complodit*) eſt metony. adj. pro *ſpondet*, ſeu *ſe ſponſorem interponit*.

Summa eſt; homines improvidi & inconſulti eſſe ſe temerè pro ære alieno ſponſorem interponere, aut aliena pericula ſua facere.

Nemo exiſtimet, Sal. prophetiæ cancellos hoc loco tranſilire, & in alienam meſſem falcẽ immittere, cum œconom. præcepta tradat: quamdoquidem Apoſt. 1. Tim. 5. in eandem præcipiendi rationẽ incidat, cum doceat, Ethnico pejorem eſſe, qui ſuæ familiæ non proſpicit. Eaq; eſt Eccleſiæ cum œcon & Polit. adeoq; arcta colligatio, ut, unâ labefactata, alteram ruere & in deter. vergere neceſſe ſit. Vnde etiam c. 6. hujus li. vehementer hortatur, ut fidejuſſione & ſponſione implicatus operam ſtrenuam navet, ut ſe quam primum explicet, nedum ut, illis vinculis ſolutis, iterum ſe iiſdem temerè induat. Quod tamen in eam ſententiam accipi non debet, ac ſi fidejubere fas non ſit. Cum enim vitam pro amico exponere officium ſit, certè ut jacturæ periculum ſubeat recuſandum non eſt.

Temeritatem autem & præcipitantiam damnari, non rem ipſam purè, 2. argumentis evincitur; uno quod verbum præſenti tempore poſitum aſſiduitatem & frequentiam in fidejubendo deſignet; altero quod illi hanc vecordiæ notam inurit, qui etiã non rogatus ſe huic periculo ingeret. Sic enim converti oportere, docet ille locus; Joh. 10. 8. *Quotquot ante me venerunt, fures ſunt.* &c. Sicut & ille locus hujus Proverbij phraſi & loquendi formula illuſtratur.

Hic igitur circumſpectè conſiderandum, quis ſit, pro quo fidejubemus; quod ejus erga Eccleſiam, aut Rempub. aut deinceps extare poterit meritum; an luxu & profuſione ad inopiam redactus ſit & patrimonium decoxerit; an Dei aliquo ineluctabili judicio attritus ſit. Vbi oblivioni tradendum non eſt, eum, qui ſe ſponſorem conſtituit, ſecum reputare debere, & rationem non aliam inire, quam ſi proprio nomine debitum foret; nec minus de illo diſſolvendo laborare, quam ſi propria debitio eſſet. Quod ab omnibus ferè negligitur, qui pro aliis ſpondent plus quam ipſi diſſolvant; & qui ita ſtipulantur, ac ſi de ſolutione per eum, pro quo ſtipulantur, certi eſſent.

V. 19. *Diligit defectionem, qui diligit jurgium: ampliat januam ejus qui quærit fracturam.*

In פתחו (*januam ejus*) מגביה (*ampliat* eſt allegoria pro eo, quod eſt defectionẽ lõgè lateq; propagat; ſicut qui januã dilatat, viã plus in domũ inferẽdi aperit. Deinde vide-

tur eſſe ὑςερφᾶπς in utraq; parte proverbii, ut prædicatum ſubjecto utriuſq;axiomatis præponatur.

Eſt ut virtutum inter ſe colligatio, ſic etiam vitiorum. Nam qui una modo vere imbutus eſt virtute, is reliquarum virtutum ſtudio non duci non poteſt, quo ad ſibi illæ innotuerint: ſic qui vitium unum modo adamaverit, is, prout opportunum erit, à nullo ſcelere abhorrebit. Quod igitur hoc loco dicitur, *hominem jurgia amantem, amare defectionem*,id κατ' ἐξοχὴν intelligendum eſt,hominem jurgio deditum majori quadam ratione pleriſque aliis peccatis ſe implicare; &non tantum potentiâ alia in ſe vitia habere,ſed illis prorſus addictum eſſe,& ea exercere. Quamobrem Propheta impios in Deum & in homines improbos deſcribens illos vocat *turmam arundiferam, & populum,qui bellis oblectantur*,Pſal. 68.30.ut qui pugnæ ſtudioſum& cupidũ dixit,is omni vitio quodammodo coopertum dixit. Et quidem hoc ipſo libro accepimus contentioſum eſſe ſuperbum, Prover.3.10. Quod vitium,ut tetrum eſt & ſumme exoſũ Deo, quem rectà petit, & cui Deus in faciem reſiſtit;ſic non ſine magno aliorum peccatorum comitatu ſtipatum conſpicitur. Deinde hoc contendendi ſtudium alio loco promanare dicitur ab otio & deſidia,Prov.6.12.Otioſus vero eodem loco dicitur homo multis ſceleribus coopertus איש בליעל(*homo belialis.*)Vnde non incommode diaboli pulvinar à quibuſdam appellatur, quod immundus ſpiritus,toto iniquitatis pondere illi incumbat & innitatur.

Qui autem contentioſi ſunt, non unius generis ſunt.Nam ſunt, qui ipſi pugnare nolunt per ignaviam quandam & timiditatem ingenitam, ſed tamen qui contentionẽ inter alios ſerunt, &veluti belli & pugnæ faces ſunt, ut ex aliorum diſſidiis & diſcordiis commodum capiant,In quo genere erant & nunc ſunt Pontif. Rom. qui ſuam tyrannidem Regum & Principum inter ſe digladiatione mirificè auxerunt, maximè Germanorum. Alii ſuis viribus & animoſitate freti ad pugnandum parati ſunt, & contendendi anſas aucupantur,qui iidem non invitè aliorum inter ſe diſcordias intuentur.

De his autem dicitur, illos portam multis & infinitis malis introducendis aperire. Priùs dictum eſt eum, qui contendendi anſam præbet,laxare ſtagnum, quod,ubi velit,obſtruere & obturare nequit;nec ignem,ſeu flammam contentionis extinguere: quo nomine lites vehementer fugiendæ ſunt. Hoc autem loco majus & gravius malum indicatur, nempe eum, qui diſſociationem eorum, qui inter ſe conjuncti ſunt quærit, januam multis aliis malis intromittendis recludere. Fit enim ut contentiones de re privata poſt ad Reipublicæ graviſſ. damnum ſerpant,dũ, his privatim litigantibus plerique hinc inde ſe adjungant; unde Reſpubl.ſcinditur. Deinde cum decertant hi,qui in Republ,præſunt, illa eſt naturæ noſtræ perverſitas, ut ob diſſenſionem in rebus privatis,etiam in ſententiis de Republ.dicendis diſtrahamur, Quod etiam gravius eſt, domeſticæ lites ſæpe nos in ipſis Dei,& religionis cauſis dirimunt atque disjungunt, ut ſi adverſarius rectè de religione ſentiat, nos in contrariam partem impetu quodam perturbato rapiamur & ruamus. Vnde Apoſt.ut nos in unitate fidei retineat, vehementer ad concordiam hortatur,1.Cor.1.10.

V. 20. *Perverſus corde non inveniet bonum; & varius lingua ſua cadet in malum.*

In עקש(*perverſus*)eſt metaph. à perverſitate rerum materiatarum ad animum, qui expers eſt materiæ.

Summa

Summa eſt; excidere & fruſtrari ſpe ſua, qui fraude & ſimulatione cùm incommoda declinare, tum commoda conſequi exiſtimant.

Quis ſit perverſus corde, facilè colligitur ex Proverb 11.20. ubi opponitur homini aperto, ingenuo & integro. Quamobrem perverſus corde eſt, qui, abjecto fræno timoris Dei, ad id, quod bonum ipſi videtur, ſe accommodat, & (ſi uno verbo placet accipere) hypocrita. Idemq́ue eſt, quem Propheta *profundum corde* appellat, Pſalm. 64.6. cujus animum ſermone & lingua ejus, veluti ſitulus, aut hauſtro penetrare, aut explorare nequit, Eſai. 29. 15. Propheta alio loco eum deſcribens duplex illi cor attribuit: perinde ac ſi uno corde lingua impelleretur, altero ſenſus animi reconderetur, Pſal. 12.2. Quo dicto Spir. ſanctus hypocritam portento aſſimilans illum omnibus exoſum & odioſum reddit. Si enim hominibus deforme ſit bicipitem eſſe, quod natura cuique unicum caput attribuit, nedum coram Deo turpem aſpectum habiturus eſt, ſiquis 2. animas habeat. Vnde etiam Prov. 11.20. dicuntur *Deo abominabiles eſſe qui ſunt perverſi corde*.

Varius lingua ſua idem eſt, qui prius perverſus animo dictus eſt. Eſt enim effectum hypocritæ bilinguis & multilinguis eſſe. Hi enim ſunt, qui ad gratiam aſſentatorie loquuntur, qui, prout ſunt, quibuſcum converſantur aut commerciū habent, ſic ſermones ſuos accommodant, ſive de rebus, ad futuram, ſive præſentem vitam ſpectantibus quæſtio habeatur. Vnde exiſtit ut ſicut a corde lingua diſcrepat, ſic ipſa lingua, tanquam diſciſſa à ſeipſa disjungatur, 1. Timoth. 3. 8. Ex quo aliud etiam monſtrum naturæ naſcitur, ſicut etiam Apoſtolus alicubi adnotavit, Iac. 3.10, 11.

Quod ſiquis excipiat, neminem eſſe, qui aliquando non ſecus loquitur, atque ſentit; nec quærendo invenire poſſe, qui ſibi per omnes totius vitæ ſermones conveniat; Reſpon. Prophetam illis modo hoc ſcelus impingere, qui hanc ſimulationem, tanquam artem aſſiduè exercent, & illi ſe, tanquam mancipia addicunt. Alioquin Abraham, Iſaac, & Iacob aliter loquuti aliquando comperiuntur, quam ſenſerunt.

Iam pœna ſequitur his perverſis propoſita: illa autem graviſſima deſcribitur. Primum enim dicitur, illos bonum non conſequi; deinde in malum incidere: quę 2. conjuncta ſummam infelicitatem conſtituunt. Qua in re Propheta, illos ſua ſpe excidere docet, quam animo ſuo confinxerunt. Nam iſtiuſmodi homines ſuis fraudibus, & ſimulatione, & in omnes quaſi formas converſione exiſtimant ſe, quodvis bonum, quod appetunt, conſequi poſſe; quodvis item malum, quod metuunt, declinare. Vnde eſt illud, quod apud quendam Prophetam jactant *ſe lingua ſua prævalituros*, Pſal. 12. 4. Contra vero ſcriptura docet, hypocritas iſtos multilingues à propriis ipſorum linguis conficiendos & configendos eſſe, Pſal. 64.8. 2. Sam. 1.16. & 4.8, 9 Mat. 25. Quod ut ſæpe uſu venit in hac vita, ſic multo magis futurum eſt, cum omnes improbi coram tribunali Chriſti ſiſtentur extremā condemnationis ſententiā accepturi.

Et hoc peccatum tanto graviùs Deus perſequitur, quod hominum judicio, aut caſtigationibus non eſt obnoxium.

V. 21. *Gignens ſtolidum* [*gignit*] *ad mærorem ſibi; & nō lætaturus eſt pater ſtulti.*

In אבי (*pater*) & ילד (*gignit*) eſt ſynecd. partis pro utroque parente. Sic in כסיל (*ſtolidum*) & נבל (*ſtultus*) ſynecd. pro utroque ſexu.

Summa eſt; in κακοπαιδείᾳ tantummodo ſuppetere argumentum mœroris.

Cum *omnes ſint naturâ filii iræ*, Eph.2. 3. & omnes ab Adamo oriundi, perinde ut Adamus, Gen. 5. 3. liberos ad ſuam imaginem proſeminent, id eſt corruptam & depravatam; videri poteſt hoc Proverbio omnium ad liberos gignendum ſtudium frangere. Reſp. omnes in ſe natura filios iræ, ſed tamen ratione gratuiti fœderis pios nonnunquã naturâ Iudæos, Galat.2. 15. ſeu Chriſtianos gignere, id eſt eos, quos Deus gratuito ſuo ſpiritu ſanctificat, ſimulatque generantur.

Quamobrem non tam de πολυτ. laborandum, quam de pia prole. Proinde primò, cura adhibenda, ut juſto matrimonio liberi in lucem prodeant: quandoquidẽ ſpurii arcana Dei maledictione maxima parte improbi & ſcelerati evadunt. Deinde delectus habendus conjugis piæ, Math.2. 15. quòd ex inæqualibus conjugiis defectores ferè naſcuntur, Gen.6.2. Math.2. 11. Tertiò precibus connitendum & contendendum eſt, ut Deus noſtri miſertus nobis hujuſmodi liberos cõcedat, quos ipſe à nobis viciſſim accipere dignabitur, 1. Sam. 1. 11. Denique ſumma cura ſuſcipienda eſt, ut in timore Dei, & in doctrina, & monitis Domini erudiantur, Epheſ.6.4.

Prov.10.1. dicitur, *ſtolidum filium matri mœrori eſſe*. Scimus autem fœminas naturâ molliores & magis delicatas eſſe, facilius contriſtari, quam viros. Deinde non tam prudentia valentes eſſe, ut moleſtias ſibi à ſtultis liberis illatas depellant. Quamobrem hoc Proverbio Salomon docet, ne viros quidem ipſos tanta aut prudentia, aut animoſitate præditos eſſe, ut mœrori, quem ſtolidi liberi illis inferunt, queant reſiſtere, quo minus vel inviti cogantur ſuo malo liberorum ſtultorum incommodum experiri: Ita ut, qui inſtar ſagittarum futuri eſſent, quibus hoſtes ſuos transfigant, Pſal,127.4. in ſagittas convertantur, quibus parentes ipſi transverberentur.

Atqui videmus Eſavum ſuâ in venando peritia patri Iſaaco grandævo delicias, quibus ſe oblectavit, ſuppeditaſſe: Nec dubium eſt, quin David incredibili pulchritudine ſui filii plurimum oblectatus ſit. Reſponſio. Non loquitur Propheta de oblectationibus, quæ percipiuntur ſæpe, ſed quæ percipi debent. Deinde momentaneam & vanam oblectationem, quam parentibus attulerunt, graviſſimis & diuturnis doloribus compenſarunt; ut Eſavus, cũ uxores accepit Hittæas, & fratrem Jacobũ exulare coëgit; & Abſhalom Ammonis cæde, in patrem proditione, concubinarum congreſſu, denique formidabili & horrenda morte.

V. 22. *Cor lætum bene medicinam facit: & ſpiritus æger exiccat os.*

In גרם (*os*) eſt ſynecdoch. membri.

Summa eſt; lætitiâ honeſta & licita recuperari labefactam valetudinem, & contrà non neceſſaria animi ægritudine convelli bonam valetudinem.

Omnes paſſim in hanc ſententiã eunt, cordis, ſeu animi hilaritatem plurimum valere ad ſanitatis conſervationem; quinetiam in animi jucunditate magnum pondus ineſſe ad amiſſam valetudinem recuperandum. Unde, ut facete, ſic non omninò, ineptè à quodam dictum eſt. 3. Doctores ad amiſſæ ſanitatis reſtitutionem deſiderari, D. Quietem, D. Diætam, D. Jocularem, ſeu facetum, vulgariter, *Doctor diet, D. quiet and D. merryman*. Hoc autem cum inter omnes conſtat, tum illud non perinde convenit, quænam illa hilaritas eſt, qua animus tantopere reficitur & recreatur. Omnem autem hilaritatem va-

letudini

letudini amicam eſſe pernegatur. Hilaritatem enim, quæ eſt in compotationibus, luxurie, & vagis libidinibus, valetudini etiam infeſtam, & quandoque lethalem, multis experimentis edocti ſumus.

In quo autem lætitia potiſſ. conſiſtit, qua ſanitas procuratur, Sal. priùs docuit; nempe in bona conſcientia, quæ inſtar jugis convivii eſt, Prover.15.15. quo quis noctu & interdiu exhilaretur. Hinc eſt, quod Salom. timori Dei, qui bonæ conſcientiæ individuus comes eſt, hunc effectum attribuat, ut umbelicum ſanum reddat, & oſſa pinguedine & medulla ſuffuſa, Prov.3.7.8. & 4. 22. Ex hoc fonte promanat illa item promiſſio de ſuavi & dulci ſomno, Prov.3.23.24. qui ſingulare ſanitatis ſubſidium ab omnibus agnoſcitur. Hinc eſt, ut panis & vini, & aliorum alimentorum veluti baculus, ſeu virtus ſuam ad nos paſcendum vim obtineat, Eſa.3.1. ſicut ex adverſo conſtat Aggæ.1. Denique non aliunde provenit, quod veſtibus à frigore tuti ſimus, ſicut ex Agg. itidem conſtat liquidiſſimè. Exempla hujus doctrinæ luculentiſſ. extant in Calebo, qui obſequium Deo præſtitit, cum alii defecerunt, qui octogenarius perinde validus erat & vegetus, quam cum 40. annos natus eſſet, Joſ.14.6. Item in Moſe, cujus acies oculorum in ſumma ſenectute non omninò caligaverat, & qui eundem virorem vigoremque obtinebat 120. annos natus, atque unquam ante. Item in Davide, qui dicit, ſe quodammodo recreatum & renovatum ex ſenſu miſericordiæ divinæ, Pſal.103.5.

Quæ non ita dicuntur, ac ſi præſidia externa ſanitatis in ciborum ſalubritate, corporis exercitio, animi remiſſione à gravioribus ſtudiis, denique medicinæ ſcientia, cum valetudo labefactata eſt, abjicienda eſſent, (hoc enim eſſet Deum tentare,) ſed ut intelligatur præcipua valetudinis & bonæ corporis habitudinis firmamenta in illa lætitia collocari, quam Deus in animos piorum infundit ex teſtimonio bonæ conſcientiæ per fidem in Chriſtum perpurgatæ: ſine qua qui valetudinem & vires quærunt, perinde faciunt, ut qui capitis dolorem curare cupientes emplaſtra exterius adhibent, ventriculo, unde materies doloribus ſuppeditatur, minimè perpurgato.

Prius hemiſt. poſteriore confirmatur ab adverſo; ſicut & poſterius à pr. mutuam confirmationem accipit. Proverbio enim apud nos celebratur, [dolorem ſeu mœrorem ſiccum eſſe.] Siccitas autem illa, tametſi ore præcipuè percipitur, penetrat tamen ad omnes corporis partes etiam maximè intimas & ſucci pleniſſ. Hinc eſt, quod Propheta queritur, præſtantiſſ. humorem ſuum in æſtus æſtivos converſum eſſe, Pſal.32.4. & alibi [oſſa queritur, inſtar foci exardeſcere; cor, tanquam herbam exareſcere, & os adhærere carni] Pſal. 102. 4,5,6. Hinc, quod Chriſtus dolore exhauſtus tanta ſiti conficeretur, Math.27. Hic igitur forte quærat aliquis quo jure Miniſtri verbi de dolore incutiendo in animos hominum tantoperè laborant. Videntur enim hoc modo vitam hanc illis eripere, aut certè mortem accelerare, quod inhumanum eſt. Reſp. dolorem ob peccata acceptum, cum à Deo præcipiatur, valetudini non officere, ſed dolorem ex rebus mundi plurimum nocere, 2.Cor.7.10. Brevis enim dolor officioſè acceptus magno & diuturno gaudio compenſatur.

V. 23. Munus è ſinu improbus accipit ad pervertendum itinera judicij.

In חיק (*ſinu*) eſt metaph. ad notandum occultam ſeu furtivam doni ſeu dationem, ſeu acceptionem; quia quod eſt in ſinu,

ſinu, occultum & abditum eſt. Item in ארחות *(itinera)* eſt metaphora pro proceſſu multiplici.

Summa eſt;in improbis habendum, qui dando, aut accipiendo munus, jus violat.

Jus Deo ſacrum eſſe, ex multis Scripturæ teſtimoniis oſtenditur. Quanto autem res hæc pretioſior eſt, ad ſanctam ſocietatem tuendam apprimè neceſſaria,tanto ſceleratior eſt improbitas eorum, qui ejus veluti virginitatem & integritatem conſtuprare conantur. Iſtius verò juris amplitudo & majeſtas aliquouſq; adumbrata eſt in illo auguſtiſſimo ſolio, quod Salomon ſibi ex ebore & puriſſ.auro extrui curavit, unde jus populo diceret, 1. Reg. 10. 18. Quæ ſolij præſtantia cum judices inprimis, tum litigantes & jure diſceptantes admonebat, nequid indignum tanta amplitudine facerent. Hujus auri ſplendor ſemper nobis ob oculos obſervari debet, ut nobis reverentiam injiciat,ne qua improbitate noſtra ſolium hoc deturpemus. Sed illud maximè nos permoveat, quod Deus in ſolio judicij conſidet omnia undique, quæ in judicio fiunt, aut dicuntur, obſervans, ut mercedem debitam reponat.

Sicut autem multis modis violatur jus, ſcilicet inſcitia juris,invidentia, odio, levitate,& tumultuaria juris tractatione;ſic inter alia munerum corruptelâ conſtupratur judicium.Quod quidem non uno modo fit. Nam non tantum vitiatur,cum is, qui judex pro tribunali ſedet, munus accipit; ſed cum actor, vel reus in jure diſceptantes munus judici offerunt.Uterq; enim munus accipit; diſceptator, ut det; judex verò, ut illo perfruatur. Nec tantum violatur, cum in cauſa mala datur, aut accipiatur; ſed vel tum, cum, ut bonam cauſam obtineamus, munus inſtruimus. Actor. 24 26. Neque tum ſolum, cum ipſi hoc facimus; ſed cum illud per alios fieri procuramus; quinimo ſi, quoad in nobis eſt,illi corruptelæ obviam non eamus. Hoc Prov. confirmatur generalis illa doctrina: *non facies malum, ut inde eveniat bonum*, Rom. 3. 8.

Quod dicitur, *improbum è ſinu munus accipere*, videtur prolepſis eſſe, cujus occupatio ſilentio præterita hæc eſt; pro improbo jure habendum, ſi munus, retecta facie & perfricta fronte, dat, aut accipit: ſed non perinde pro improbo habendum, ſi clam aut occultè hoc facit. Subjectio eſt, illum etiam improbum cēſendum eſſe, qui illud clàm aut dat, aut accipit. Apertè enim hoc, & meridie facere deploratæ & perditæ ſpei hominem declarat. *E ſinu enim accipere* videtur opponi ei, qui ex loculis, aut crumena munus deſumptum illud aut dat, aut accipit. In quo docemur, eos, qui peccata tam tectè & occultè admittunt, ut hominum notitiam fugiant, non ob eam rem abſolvi. Sic tamen ferè homines comparati ſunt, ut de Dei notitia non laborent, dūmodò homines celent; de Dei tribunali non ſint ſoliciti, dummodò in jus coram hominibus non vocentur; glorioſos Dei oculos non reverentur, dummodo mortalium ſe oculis eripiant.Quum ad ebrietatem uſq; biberint, dummodo ſe clam, & aliis non conſciis in cubicula ſua recipere poſſint, ubi vinum ſuum edormiant, etiamſi morbum ex ebrietate contrahāt, tamen veluti ſtupidi non ſemel contremiſcunt. Et verendum eſt, ne ſi non maturè reſipiſcant, tandem illos Deus juſto judicio in reprobum ſenſum tradat,ut coram ſole, & meridie improbè facere non reformident. Mirum autem eſt,homines Chriſti fidem profitentes ne tum quidem Dei aſpectum reformidare, cum in cœtu Eccleſiaſtico verſantes propiùs Dei præſentiæ admoventur, ut colludere, ſubridere, dormire non erubeſcant, dummodo hominum oculos fugiant. Hoccine eſt *continenter coram Deo ambulare; & ſe inte-*

integros præſtare? Quod tamen ab omnibus fidelibus, tanquam Abrahami filiis requiritur.

Quod dicit, hanc munerum corruptelam itinera juris pervertere, eo docet, non tantum jus perverti munerum datione, aut acceptione; ſed porrò nihil tam parvum, aut exile eſſe in judicio & jure dicundo, quod pretio redimi fas ſit: ne, ut æquè & patienter audiatur, aut ſententia juſta acceleretur. Quod voce ארחות (*itinera*) deſignari videtur.

V. 24. *Adeſt faciei intelligentis ſapientia: ſed oculi ſtulti ſunt ad extremitatem terræ.*

In פני (*faciei*) eſt ſynecd. pro omni corporis compoſito ſtatu habituque; ſed de facie κατ' ἐξοχὴν dicitur, ſapientiam ibi reſidere. Eadem ſynecd. in עיני (*oculi*) In קצה ארץ (*extremitatem terræ*) eſt item ſynecd. & illa hyperbolica.

Summa eſt; ſæpe ex corporis geſtu compoſito, aut incompoſito dignoſci ſapientem à ſtulto.

Vidimus ſupra 6. 13. & 10. 30. ſigna nequitiæ dignoſci ex corporis habitu & geſticulatione. Quod ipſum hoc loco plenius docetur, & ſuo adverſo illuſtratur; pietatis ſcil. & ſapientiæ ſignificationem eſſe in ipſo vultu & aliis corporis partibus ordinatè & compoſitè moderatis.

Sed antequam longiùs progrediamur, diſſolvendus nodus eſt, quem nobis locus Prophetæ nectere videtur & veluti manum injicere, ne ex vultus intuitu de quopiam ſtatuamus. Nam de Chriſto domino affirmatur, *illum neque ex oculórum aſpectu, neque ex aurium auditu ſententiam laturum*, Eſai. 11. 3. Quò accedit quod Sam. à Deo coarguitur, quod ex aſpectu de Regis conveniente delectu judicabit, 1. Sam. 16. 6. 7. Reſp. Chriſto καρδιογνώστῃ nihil opus eſſe ſenſuum adminiculo ad rei alicujus perveſtigationem; ob eamque cauſam non eſſe ad nos illud contorquendum, quod de Chriſto enunciatur. Deinde tametſi ex unico obtutu non ſit fas de dignitate & virtute alicujus judicare, (quod Sam. fecit,) tamen ex diuturna vultus geſtuſque obſervatione judicium ſaltem probabile ferri poteſt.

Quod igitur hoc loco dicitur à Salom. alicubi confirmatur, ubi ſapientiæ commoda admirans affirmat, [ſapientiam illuminare, & illuſtrem facere vultum hominis, & illa duplicari firmitatem vultus,] Eccl. 8. 1. Hujus rei illuſtre exemplum extat in Iobo, qui ea in vultu gravitate erat, ut vel tum, cum rideret, illum non riſiſſe, aut jocatum fuiſſe exiſtimarent, qui cum illo conſueſcebant, Iob. 29. 24.

Quod de vultu intelligentis dictum, ad alia corporis membra accommodari debet. Nam cum ratio initur de vultus modo compoſitione, eaque ad ſapientiæ & pietatis normã exigenda ſit, quid eſt tam tenue & contemptum in toto curſu humanæ vitæ, quod ab ejuſdem ſapientiæ moderamine eximatur? Quamobrem mirum videri non debet, ſi capillitium ad hanc regulam revocetur. Utcunq; enim *humanæ leges de minimis non curant*, nihil tamen tam minutum & leve eſt, quod ad Dei tribunal non ſiſtatur.

Hoc porrò confirmatur ab Adverſo, cum dicit, *oculos ſtulti ad extremitatem terræ excurrere*. Quo dicto primum videtur ejus inconſtantiam perſtringere, dum huc illuc animo incertus vagetur, nec quid certi habet quod ſequatur: nunc animum ad hanc rem adjicit, mox illius tædio affectus ad aliam transfugit, & tanquam Euripus in omnibus ſuis conſiliis fluctuat. Solum in inceptis plurimum ſe profuturum ſibi in animum ſtultè inducit; cum tamen quocunque ſe recipit, ſtultitia ſua ad calces ipſum premit; nec animum mutat, cum cœlum mutavit.

Deinde hac formula loquendi videtur ejus inſcitiam in eo traducere, quod, ſpretis his, quæ ante pedes ſunt, & penes ipſum, ad illa ſe refert, quæ captum ipſius, & vires ſuperant. Omninò enim ad ultimas terræ partes oculorum acies penetrare nequit. Quod nos Proverbio dicimus; *ædificat arces in aëre. He buildeth Caſtles in the ayr.*

V. 25. *Vexatio patri ſuo eſt filius ſtultus, & amaritudo genitrici ſuæ.*

In ממר *(amaritudo)* eſt metaphora ab alimentis acerbis ad animi cruciatus graves tranſlata.

Sicut 16.25. dictum eſt, unum idemque Proverb. iiſdem prorſus verbis repeti, ut Proverbii præſtantia & eximius uſus indicetur, idem quoque in hujus Proverbii repetitione cenſendum eſt. Quo accedit, quod Spiritus ſanctus proſpiciens hominum in parentum obſequio defectum frequentem eſſe, & parentum in liberorum educatione ſtultam indulgentiam hac Proverbii reiteratione huic malo occurrendum judicavit.

Quanquã videtur in hoc Proverbio amplificatio, quæ in ſuperioribus Proverbiis non habetur. Plus enim eſt in verbis כעס *(vexatio)* & ממר *(amaritudo,)* quam in ſuperioribus vocibus, quibus dolorem, aut mœrorem, aut gaudii vacuitatem & privationem ſignificavit.

Quo admonentur hi, qui liberis carent, æquiùs ferre ſeu ſterilitatem, ſeu orbitatem liberorum, quos proſeminarunt: illi vero, quos Deus hoc beneficio afficit, ut magna cura & cogitatione incumbant in piam lib. ſuorum educationem, qua una malum hoc declinent atque effugiant.

Cùm porro *amaritudo* matri attribuitur (qua voce major doloris acerbitas deſignatur, quam in voce vexationis, quæ patri aſſignatur,) Dei juſtiſſ. judicium elucet, quo fit, ut illa cruentetur magis, quę magis ſuâ iudulgentia corrumpit liberos.

Denique hujus repetitionis, ut illius Proverbii, quod eſt 16. 25. præcipua cauſa eſſe videtur, ut Proverb. proximè inſequens ſuo nexu & collatione illuſtret; ſicut in illius Proverbii explicatione perſpicietur.

V. 26. *Etiam mulctare juſtum quempiam non eſt bonum, percutere ingenuos præter rectum.*

Summa eſt; rem eſſe Deo ſummè diſplicentem inſontes tanquam ſontes punire.

In communi omnium ſenſu poſitum eſt, rem perquam exoſam Deo & hominibus eſſe, cum liberi in parentes ingrati non tantum vices pietatis non rependunt, & mutuis benevolentiæ officiis parentum in ſe beneficia non proſequuntur, ſed eorum etiam in ſe largitionem maleficiis & ſcelere compenſant. Quod quidem cum omnes non ferini & belluini ingenii homines libenter agnoſcunt, tũ vero parentes ipſi, qui hac injuria affecti ſunt, interiori quodã & teneriori hujus rei ſenſu tanguntur. Nec ſanè Deo minus exoſum & infeſtũ eſt, parentes ſeu domi propriis liberis præfectos, ſeu in Repub. civibus imperantes (erga quos parentis animum induere decet) innoxios pœna & ſupplicio afficere.

Apoſt. docet, eos, qui in principatu cõſtituti ſunt, non eſſe formidini bene operantibus, ſed male; & unicam viam eſſe, qua ſe à metu Magiſtratus eximant, *ſi benè faciant*, Rõ. 13. 3. Cum vero plectuntur pii & juſti, convellitur penitùs & labefactatur Dei conſiliũ in principatu inter homines inſtituẽdo. Præterea tibi (inquit)

qui

qui bene facis, Magiſtratus tuo bono ordinatus eſt. Quamobrem malo ob juſtitiam affectus in peſtem vertitur qui ſalutem populi procurare debet. Hinc eſt, quod Salom. *vanitatem ducit, quod viderat probum, cui accidit, quod impio ; & contrà*, Eccleſ.8 14. Grave eſt mercedem juſtitiæ & recte factorum non accipere , ſive laus illa ſit, ſive pręmiũ aliud virtuti & pietati debitum. Loco antem præmii pœnâ mulctari multo adhuc gravius & ab omni juſtitia abhorrens eſt. Sic enim fiet, ut juſtitiæ ſtudiũ hac juſtitia retuſum langueſcat: imo vero ſæpè in improbitatẽ deflectet. Neque vero ad illũ modo hujus rei damnũ perveniet, aut in illius perſona hęrebit, ſed ſe ad quamplurimos diffundet. Nã & improborũ manus ad flagitia perpetrãda confirmabuntur, & juſtorũ in innocentia perſequenda ſtudiũ vacillabit.

Injuſtitiæ eſt , & alios ad injuſtitiam admittendum ſtimulat, cum virtutis præmium juſtum tempeſtivè & expeditè non redditur ; nedum cum præmii loco pœnam mercedem accipit, Eccl. 8. 11.

Ecquis eſt tam ferreus , ut equo ſua ſponte & quidem celerrimè currenti calcaria addat , aut flagellum: aut canes ſagaciſſ. & venationi ex voto inſervientes baculo feriat? Quod quidem ſi abſurdum videatur , multo magis abſonum & alienum eſt juſtitiæ operam navantem mulctare.

Hic tamen nos cogitatio præmii olim à Deo reddendi in officio & juſtitiæ ſtudio continere debet, utcunque ab hominibus inique accepti ſimus.

V. 27. *Cohibens verba ſua novit ſcientiam(probè ſcitus eſt) & frigidus ſpiritu vir eſt intelligentiæ.*

In קר רוח (*frigidus ſpiritu*) metaph. eſt ab aquis frigidis , quæ præ bullientibus placidæ & quietæ ſunt.

Summa eſt ; linguæ moderationem à ſpiritu ſedato & placido profluentem præclaræ ſapientiæ indicium præbere.

Parcus linguæ uſus in univerſum præcipitur. Quod enim dicitur Eccleſ. 5. in cultu Dei præcipitur, ut [verba ſint pauca, quia ut ex commerciorum multitudine naſcuntur inſõnia, ſic ex multis verbis oratio ſtolida;] ſed & latius patet, & ad illos etiã ſe extendit ſermones, qui cũ hominibus ultra citraque habẽtur. Et Jac. 1. præceptũ videtur ſuo ambitu & cõplexu omne ſermonis genus cõprehẽdere.

Vnde etiam natum eſt tritum ſermone Proverbiũ, *vaſa, ſeu dolia vacua plurimum roſonare*; contrà verò plena vino, aut ſalubri liquore ſtrepitum non edere. Hoc autem officioſum ſilentium ut in omnibus laudabile; ſic potiſſ. inclareſcit, cum quis , præbita occaſione ex injuria , aut contumelia ipſi illata, ſilentio illud prætereit, aut certè verborum acrimonia illam non proſequitur.

Atq; ut nos Spir. ſanctus ad hoc officium extimularet , illud ſummis laudibus effert, & eximiæ cuidam & ſingulari ſcientiæ & prudentiæ attribuit. Nam cum dicat, eum ſcire ſcientiam, & virum intelligentiæ eſſe, hanc linguæ moderationem in gradu ſapientiæ excelſo admodũ conſtituit. Omnes contendunt fore, ut ex ſapientiæ opinione celebres & nominati evadant. Quin ergo demus operam , ut injuria provocati & irritati linguam ab acerbitate cohibeamus. Quod ſi nos in hujus rei diſciplinam tradere velimus; ecce Davidem , qui ejus informandæ ſcholam aperit , pſal. 39. Ubi primum documentum eſt, nos ejus exemplo hoc cum noſtris animis conſtituere oportere. Sic enim loquitur; *Dixeram* id eſt animo penitus decrevi. Hoc enim eſt principium bene agendi. Vid. Act. 11. Plerique enim ſunt, quos pudet pro placidis & manſuetis haberi. Mallent enim ſicariorum

 appel-

appellatione inſigniri, quam manſuetorũ. Quinetiam non deſunt, qui, cũ vecordes & ignavi natura ſunt, tamen malunt pro fucatis gladiatoribus haberi, quam inter patientes numerari. Secundum documẽtum eſt, eum conſtituiſſe per totum vitæ ſuæ curſum hoc facere. Tertiũ illud decreviſſe facere, nec velle patientiam ſuam interrumpere, tametſi millies ab improbis injuriis laceſſeretur. Quartum capiſtrum ori, & linguæ ſuæ adhibiturum, quo linguæ petulantia conſtringeretur, & domaretur ferocia, id eſt tametſi grave & moleſtum foret linguam comprimere, tamen non deſtiturum à propoſito ſibi ſilentio. Poſt docet, quid effecerit, nẽpe cohibuiſſe linguam vel tum, cum juſtiſſ. defenſionẽ & apologiam texere potuerit. Ejus rei vide. exempl. Pſal. 38. 13. 14. 15. Vbi quod ſæpius à ſe factum fuit, profitetur. Exemplum vero ſpecialius luculentiſſ. reperitur 2 Sam. 16. 5. 6. 7.

Fontem vero & ſcaturiginem hujus tantæ ſapientiæ docet eſſe ſpiritum frigidum, id eſt, qui non facile irâ incaleſcit. Quando enim irâ accenſi ſumus, intus in inteſtinis noſtris æſtum & calorem inſolitum & minimè naturalẽ perſentimus. Vnde etiam Propheta Pſ. 39. docet, ſe, poſtquam incaluerat, & ignis intùs veluti ardere inceperat, aliquantulum à propoſita patientia & ſilentio deflexiſſe, & in verba temeraria & incõſulta prorupiſſe, quorum veniam deprecatur. Quiſquis igitur ſpiritu placido & compoſito non facilè ad iram incitatur, is eſt, qui hujus eximiæ virtutis apicem attingit. In quo genere præter Chr. qui ut agnus mutus coram tonſoribus, infinitas injurias pertulit, Moſem fuiſſe comperimus, qui omniũ hominum mitiſſ. manſuetiſſimuſq; perhibetur. Num. 12. Nam animo ſemel ita accenſo, ilicò erumpunt convitia, ut Chriſtus Mat. 5. docet. Ira enim æſtus animi malus eſt loquẽdi magiſter. Sicut enim in aquarum illuvione omnia præcipitanter feruntur: ſic ira, tanquam impetuoſo impulſu verba temerè & confuſe ejaculantur. Vnde alibi urbi aſſimilantur muro carenti, qui ſuum Spiritum cohibere nequeunt. Prov. 25. ult.

Hic autẽ excipiat aliquis, quoſdam naturâ ita eſſe compoſitos, ut placidiùs ferant injurias, nec ita citò exardeſcant: ſe vero ita malum eſſe & conſtitutum, ut ſuos motus frænare & compeſcere nequeat. Equidem non inficior, quin quidem ſint natura & corporis conſtitutione ad iracundiam magis incitati & irritabiles. Sed hæc natura, cum vitioſa ſit, cohibẽda nobis, & ſubjuganda, tantoq́ue magis contẽdendum, ut huic refractariæ naturæ obſiſtamus, neque Dei gratia nobis cõnitentibus & cõtẽdẽtibus deerit, Iacob. 2. 4. 5. 6.

Deinde cum Sal. hic loquatur de ſcientia & intelligentia cælitus demiſſa; quamplurimi homines ſunt, qui ab hac gratia excluſi ſunt. Tam enim hi, qui cholerici ſunt, quam qui ſunt phlegmatici, ejus participes ſunt. Quod tum apparebit magis, ſi ex Davide cauſam placidi & frigidi ſp. conſideremus. David enim Pſ. 38. 16. cauſam patiẽtiæ & placiditatis reddens, quod ſurdus & mutus fuerit, cum improbi illum damno afficiebant, hanc conſtituit; quod Deum expectavit & præſtolatus eſt, ut eum exaudiret. Infidelitati igitur tribuendum erit, quod homines tam irritabiles ilicò ad vindictam & convitia proſiliant. Cor enim hominis fide purgatum iſtos furores, & animorum ferventes motus reſtingueret, certè plurimum refrigeraret.

Hic videmus, quid Spiritus Sanctus à ſuis requirit, ut non tantum à maleficiis, ſed etiam à convitiis & probris abſtineant, qui injuria affecti ſunt.

Sed hæc intelligenda ſunt de illa animi manſuetudine, quæ in propriis injuriis perferendis cernitur. Cũ enim de Dei

gloria,

gloria, & Eccleſiæ bono agitur, ſilentium hoc non eſt lenitati, ſed lentitudini ducendum. Quamobrem Moſes in propria vindicta perſequenda inſtar agni mitis & mutus, in Dei cauſa ulciſcenda inſtar leonis rugiebat.

V. 38. *Etiam ſtultus ſilens ſapiẽs reputabitur: obturans labia prudens.*

Prioris Proverbij confirmatio à compar. minoris, ſive generaliter & γενικῶς, ſive εἰδικῶς, de quo Vid. Iob. 15. 5. Vel enim (inquit) ſtultus pro ſapiente &c. In quo Proverbio videtur eſſe prolepſis cujus occupatio tacita ab adjuncto ita inſtituitur; Atqui ſi acceptâ injuria, illam neque verbis, nec verberibus rependero, pro bruto, pro fuco, & fungo & ſtolido habebor. Subjectio eſt à comp. majoris. Non modò ſtultus, neutiquam haberis, ſed porrò vel ſtultus, ſeu improbus ſe non vindicans pro ſapiente & intelligente reputabitur. Nam poſt vitiatam ab Ammone Thamarem quis Abſhalonem virum bonum non exiſtimaſſet, quandiu injuriam ſibi in ſorore illatam diſſimulavit? 2 Sam 13. Quicquid igitur improbi judicant de conniventia ad acceptam injuriam, & utcunque ſtultitiæ, aut amentiæ deputent, hoc tamen Dei, Angelorum & piorum hominum judicium eſt, eum in ſapientibus eſſe, qui ſuas injurias nec re, nec verbis perſequitur. Quamobrem age, alterutrius ex his optio datur, veliſne Deo, & ſanctis Angelis, & piorũ choro ſapiens haberi, an ab hominibus impiis Deo & Angelis exoſis.

Sed hoc loco alia difficultas oboritur, quæ nos in hoc Dei obſequio tardiores facit: quæ à Petro tacitè ſubindicata ab eodem diſſolvitur. Subit enim animos noſtros, hac manſuetudine nos hominum injuriis expoſitos & proſtitutos eſſe, qui nullum injuriam inferendi finẽ, aut modum ſtatuent, dummodo illis hoc impunè facere licuerit. Atque *quis* (inquit) *vos affliget; ſi boni imitatores eſtis?* 1. Pet. 3. 13. Atque illud ex Pſal. egregie confirmat. Ubi maximum ad vitæ quietem compendium eſſe docet; ſi linguam cohibeas, pacem quæras, & illam fugientem perſequaris. Pſal. 34. 13. Cujus illuſtre exemplum extat in Syris qui humaniter à Rege Iſraël accepti ita illa humanitate liqueſcebant, ut deinceps diu à bello movendo interquieverunt, 2. Reg. 6.

Nihil tamen impedit, quo minus duo hæc poſtrema hujus capitis Proverbia ad ſilentium juſtum & debitum in omni negotio, & ad animi frigiditatẽ in quovis officio referatur. Docemur enim hoc proverbio, ea animorum ſedatione eſſe, quæ omnes ſubitos animi motus & perturbationes cohibeat, ut iræ, ſic amoris; ut gaudii, ſic mœroris, metus &c. Vna etiam prohibemur, ne his animi motibus impulſi aliquid temerè effutiamus, ſive in laudem, ſive in vituperium, ſive ſit ad gaudium noſtrum teſtandum, ſive ad prodendum dolorem &c. Tum vero ſilentium ſtulti vel maximè in laude eſt, cum conſcientia imbecillitatis & inſcitiæ ſuæ ſilet, ut ab aliis, qui ſapientiâ pollent, informetur. Quod ſi alio conſilio taceat, ut ſuam ſilentio ſtultitiam non prodat, ita ſapientiæ tribuendum non eſt.

CAPVT XVIII.

V. 1 *Pro libito quærit, qui ſe ſeparat; in omne, quod eſt, ſe immiſcet.*

Summa eſt; hominem ſuis ſtudiis delectatum & alios præ ſe ſpernentem, dum illa ſequitur, quæ animo ſuo collibita ſũt, ſe omnibus temerè, tanquam πολυπράγμονα ingerere.

Homines ad ſocietatem & communionem inter ſe tuendam & conſervandam nati ſunt. Quod quidem adeò verum eſt, ut non defuerint viri prudentiſſimi & ſummi philoſophi, qui aut Deum, aut feram beſtiam eſſe, qui ab aliorum ſocietate ſe diſiungit, Ariſt. polit. 1. dicturi potiùs aut Deum, aut dæmonem eſſe, ſiquidem de dæmonibus damnatis aliquid cognoviſſent. Tametſi hoc proverbium videtur, non de eo ſolum intelligi, qui ſe ab aliorum hominum conſortio dirimit, ſed & de his, qui ſua quædam ſtudia, in quibus ſe ab aliis diſiungere conãtur, ſequũtur. De utriſque verò dicitur, eos res inquirere & perveſtigare pro ſuo libito: deinde ſe in omnia negotia immiſcere. Ubi ex mala cauſa peſſimi effectus conſequuntur: cauſa autem facilè elicitur, in ſe, & ſuâ ſapientia fiducia: quod Sal. magnoperè improbat. Prov. 3. 5. 6.

Deinde prior effectus eſt, illum res pro libito ſuo inquirere & inveſtigare. Qui enim animo elato ſunt, & majus aliquod de ſe animis concipiunt, hi hac animi elatione inflati arbitrantur, ſe ſibi natos eſſe, ſibi vivere & mori oportere. Quinimò alios etiam ſuæ libidinis miniſtros & præbitores eſſe oportere rentur. Ab iis ſi facti ſui cauſam repoſcat quis, nihil illis magis conſuetum eſt, quam ut ilicò reſpondeant, hoc & illud ſe facere, quod illis ita collibitum eſt. Cujus rei exemplum vide 2. Sam. 13. 28. Ubi mandati de Ammone interficiendo non aliam cauſam affert, quam quod ipſe hoc fieri juſſit. Atqui ſi ſub parentum, aut domini poteſtate ſit, ad illorum nutum ſe & ſua ſtudia dirigere debeat; quod ſi ſui juris ſit, non tamen quod ei collibitum eſt, illicò ſuſcipiendum, ſed vires & facultates, quibus præditus ſit, excutiendæ, & quæ in nos Dei dona collata ſunt, pernoſcenda, ut ad illa potiſſ. nos conferamus, quibus tractandis & conficiendis maximè inſtructi ſumus, ut nobis & aliis quam maximè proſimus.

Alius porro effectus eſt, quod omnibus ſe ingerit & immiſcet cum ſuis, tum alienis. Illi enim prorſus conſtitutum eſt ſibi obſequi, & animo ſuo in omnibus placere: unde ſi quando ſuarum rerum tædium illum ceperit, ad alienas res tranſvolat. Hinc eſt, quod Apoſt. Rom. 12. ut Eccleſiæ cives quoſque ad ſuas res tractandas revocaret, illos ad modeſtam & mediocrem de ſe exiſtimationem adhortatur. Et David, ut ſe ab ambitione alienum probaret, nec altiora ſe quærere, ſui animi humilitatem allegat, ſeque animo tam humili fuiſſe confirmat, atque infans recens à matris lacte depulſus, Pſal. 131. Contra autem in Monachis ſe ab hominum conſortio & ſocietate abſtrahentibus vidimus ſtudium ſibi & ſuo animo, genioque placendi; deinde in ſummo otio irrequietum ſtudium ſeſe his immiſcendi, quibus impares planè erant. Seſe enim ingerebant omnibus ferè antiquorum ſcriptis, quæ aut perfidè; aut per inſcitiam corruperunt. Nimio etiam ſtudio ſui placendi nonnulli ſe ad Magiam, & Epheſinas (quod dicitur) artes contulerunt.

V. 2. *Non delectatur ſtultus intelligentiâ; ſed ut continenter retegat cor ſuum.*

Summa eſt; hominem impium animum ab omni bono alienum gerentem in malis admittendis penitùs oblectari.

Priori parte Proverbij omnibus in univerſum impiis competere docetur, nulla oblectatione duci pietatis & virtutis. Non negatur, quin poſſint, quæ ſunt pietatis diſcere, & illa etiam percepta & comprehenſa habere; ſed nec illud illis denegatur, quin poſſint ſe forinſecus in pietatis

exercitiis

exercitiis occupare : ſed illis non convenit omnino , ut benefaciendo oblectentur. Hoc enim proprium & peculiare eſt Dei filiis (ut in lege Dei) Pſal. 1. ſic in aliis pietatis & probitatis fructibus cum oblectatione & animi alacritate verſari. Ioh. 4. 34 Illis enim pro cibo & potu eſt mandata cæleſtis patris exequi , imo pro melle & favo. Improbi vero , tanquam jumenta quæ ſtimulis, aut mancipia , qui flagellis impelluntur , in Dei cultu verſantur.

Cui quanquam repugnare videatur , quod eſt Mat. 13. de improbis, qui cum gaudio ſermonem Dei audiunt , & quod ſcribitur de Herode Mar. 6. eum libenter Iohannem audiviſſe, & pleraq; illi imperata feciſſe: tamen huic Sal. Proverbio ſua veritas firmiſſ. conſtat. Oblectatio enim illa nõ erat in ipſo Dei ſermone, qua tenus Dei ſermo erat, ſed quod vel commodũ, vel voluptatem vel dignitatem afferebat, vel ſpẽ aliquã hæc conſequendi. Nec ſibi ante oculos proponebant Deo ſua ſtudia probare, & vitæ ſuæ rationem ad verbi divini amuſſim exigere: aut ſi hoc fecerunt, tamen Dei amore impulſi hoc non fecerunt , ſed duntaxat ut aut mortem declinarent , aut vitam æternam conſequerentur nullo ſtudio Deo obſequendi adducti.

In poſteriore parte docet , impium ſumma voluptate & oblectatione perfundi nequitiam cordis ſui dictis, aut factis prodendo. In piorum exercitiis veluti peregrinus , vel exul potiùs invitus occupatur ; in impiis , tanquam in proprio ſolo, & domi ſuæ libenter ſe impendit , & ad illa toto impetu fertur atque ruit: ad pietatis exercitià, veluti urſus ad palum alligandus accedit ; ad improbitatem, tanquã aquila ad prædam advolat. Qua in re mirum videri poteſt, homines , quos natura docuit corporis turpitudinem abdere , & ab oculorum ſenſibus removere , ita tamen deſipere , ut cor ſuum omnium turpiſſ. & omnis turpitudinis ſemen & cauſam omnium oculis & notitiæ objiciant; nec cogitare cordis nuditatem & turpitudinem Deo magis exoſam , quam hominibus corporis partes hæ , quæ deformem aſpectum habent. Sed ſi noſtrã pravitatem , quæ natura eſt , reputemus , omnem illam admirationem ponemus. Aut enim tanquam infantes nuditatem noſtrã non perſentiſcimus , aut tanquam furioſi & lunatici de noſtra nuditate (cujus nos pudere debet) gloriamur ; idque nobis accidit , quod Judas de quibuſdam commemorat , ut noſtrum ipſorum dedecus deſpumemus non ſecus, quam effera maria ſpumam ejiciunt. v. 13.

Hic igitur excutiamus nos ipſos quo animo ad ſacros cætus , & alia pietatis exercitia venimus, qua delectatione, quo animo in illis manemus. Quod ſi totum diem in cordis noſtri inſcitia prodenda libenter conſumimus , idque ſine ulla ſatietate ; nec poſſumus tamen æquè & placidè ferre, ut horam unam aut alteram in divino cultu ſine ſummo faſtidio & nauſeâ collocare , caveamus ne adverſus nos teſtimonium improbitatis & impietatis colligamus , & nobis conſcientia noſtra allatret, noſque teſtimonio reprobationis feriat. Ubi tamen ne cui laqueus temerè nectatur ſeipſum ſtrangulandi , ſciendum eſt, pios non ea promptitudine & alacritate Deo arcanam ſuam ſapientiam pandenti auſcultare , qua improbi ſuam impietatem eructant. Cujus cauſa eſt , quod improbis toto impetu ad malum accurrentibus vel advolantibus , pij parte quadam ſui renati & repurgati , altera vero in cœno concupiſc. hærentes non perinde ad bonum , ut improbi ad malum præcincti ſunt. Hac autem inhærente in nobis naturæ noſtræ labe altero pede veluti luxati, & tanquam pennis inciſi , nec tam celeriter ad bonum , ut illi

ad malum, aut currere, aut volare poſſumus. Contra quam naturæ corruptelam manibus nobis, pedibuſq; luctandum eſt.

V. 3. *Cum venit improbus, venit etiam contemptus, & cum viro ignominiæ probrum.*

Summa eſt; contemptum individuum eſſe comitem improbitatis; & pro ratione auctę improbitatis augeri contemptū.

Omnes naturæ ductu honorem expetunt, contemptum fugiunt. Atqui cum & honoris ſtudio ducuntur, & animum gerunt à contemptu abhorrentem, tamen viam non ineunt, quo vel honorem adipiſcantur, aut contemptum declinent. Nam cum Dei in manu ſit cum honos, tum contemptus; quorum illo probos coronat, 1. Sam. 2. 30. hoc verò improbos cingit circuitque, quotus quiſque invenitur, qui aut probitatem perſequitur, ut honore afficiatur; aut ab improbitate recedit, ut contemptum & ignominiam à ſe amoliatur? Quod gravius & tetrius eſt, quotus reperietur, qui compendioſum ad honorem & gloriam conſequendum iter non exiſtimet eſſe à mandatis Dei deflectere, & longiſſimè à contemptu, cum à Dei obſequio ſe procul abjunxerit? Quod omnium graviſſimum & teterrimum eſt, non deſunt, qui unicam ad honores viam improbitatem ducant, & ſolo Dei contemptu contemptum à nobis depelli & propulſari poſſe.

Horum omnium ut opinio minuatur, aut potius convellatur penitus hoc Proverbio effecit Sal. Nec ſatis admirari datur hominum inſcitiam, vel veſaniam potius, qui, cum inficias ire non poſſint, quin exaltatio nec ab oriente, nec ab occidente &c. proficiſcatur, ſed Deum eſſe judicem, qui hunc deprimit, illum vero attollit, Pſal. 75. 6. 7. tamen iter ad honores tam perverſe inſtituant, ut ab hominibus honorem adipiſcantur, ſe ad eorum voluntatem accommodant, ut contemptum, quem ab illis inferendum metuunt, declinent, ab illorum vel minima offenſione cavent. Et Deo juſtiſſimo ſimul & ſapientiſſimo judici poſſuntne ita illudere, ut ſua in illum rebellione fontem benignitatis & largitionis ipſius eis expoſitum & reſignatum iri arbitrentur? Quid autem hoc aliud eſt, quam honorum diſtributionem, & contemptus effuſionem, quam ore Deo deferunt, cordis ſcelerati perfidia adimere?

Quamobrem Sal. ut hanc ſceleratam opinionem frangeret, orationem figuratam, & ea figura coloratam adhibet, qua hominum animos permoveat percellatque, proſopopeiam ſc. de qua formula loquendi, vide ſupra, quæ annotata ſunt in 11. 2. Ut neque leporarius, nec ſagax, aut odorus canis majore aut contentione, aut pernicitate leporem inſectetur, quam improbum contemptus & ignominia, vel potius, collato pede, ad latus eum cingit manus ſuo tempore illi injecturus.

Nec vero ulla tanta verſutia eſt, qua quiſquam, cui infamia debetur, ſe eximere poteſt, neque cujuſquam tanta potentia, aut vires, ut irruentem in ſe ignominiam depellat. Nam cælitus à Deo immiſſus contemptus, non magis repelli poteſt, quam pluvia, aut fulmen, aut quidpiam hujuſmodi, quin illud exequatur, cujus cauſa immiſſum ſit: Unde eſt, quod dicitur, [Deum effundere in principes contemptum] Iob. 12. 21. Teſtes ſunt Rex Babilonius, & plerique Reges Iſraël, & Iud.

Hujus rei veritatem confirmat, quod ne piis quidem & electis Deus ita parcat, quin ob maleficia, quæ admittunt, ignominia eos afficiat, & contemptū immittat. Nam adulterium Davidis illum dignitate

& ho-

& honore, quo præſtabat, ita nudavit, ut in illum primum proprius filius, deinde ſervus conjuravit, ut Shemei convitia in illum jecerit. Eidem etiam ob numeratum populum ſupplicium propoſitum eſt ignominioſæ coram hoſte fugæ. Quod tamen non fuiſſet, niſi illud promeritus fuiſſet. Quod ſi probi ignominiam non effugiunt, qui improbitate leviter aſperſi ſunt; quid improbis fiet, qui ſceleribus ſunt cooperti?

Sed occurritur hoc loco, pios ob ſuum in pietate ſtudium ſæpe ludificari, ut David à ſua uxore Michole, 2.Sam.6.2. & Iudæi reduces à Samballato & Tobia, aliiſque; Neh. 2. 19. & Propheta graviter conqueritur, ad ſaturitatem Eccleſiam à ſupinis & ſuperbis hominibus veluti paſtam fuiſſe. Pſal. 123. 4. Reſp. plurimum intereſſe inter hunc contemptum, & illum, qui improbis debitus illis obvenit. Contemptus enim quem improbi piis impingunt, facilè excutitur. Tanquam enim veſtimento, cui villus non eſt, diutius in piis hærere nequit. Neque enim atri hi colores, qui nullo veritatis oleo ſuperinducuntur, diu durare queant, ut qui levi momento, tanquã aqua abluuntur. Deus enim ſuorum innocentiam, tanquam ſolem in meridie lucere faciet. Pſa.37.6. Contra autem contemptus improborum hic inchoatus nunquam excutitur; & tanquam dibapho tinctus nunquam elui poteſt. Tanquam enim oleum ad ipſorum eſſe & medullam penetrat. Deinde cùm ob juſtitiam probro & ignominia afficimur, lætandum nobis, atque adeò geſtiendum & exultandũ erit, [quia Spiritus gloriæ Dei requieſcit ſuper nos] Math.5.11. 1.Pet.4.14. Quod etiam reſponſum eſt his, qui excipiant, improbos ſępiùs honore veluti onerari, qui citò evaneſcit, ut pappus ſenecionis.

Hæc ſententia latiùs patet. Nam nno tantum ad contemptum & probra, quibus improbi afficiuntur, ſed quibus alios, maximè pios afficiunt, pulchrè referri poteſt. Utrumque enim ſenſum complecti, dum verba hoc ferunt, nihil impedit. Quod etiam Proverbiis præcipua quadam ratione competit, cujus ſumma laus eſt, multa paucis ſuccinctè comprehendere.

V. 4. *Aquæ profundæ ſunt verba in ore præſtantis viri; torrens eructans eſt ſcaturigo ſapientiæ.*

In מקול (*torrens*) eſt metaph. Quemadmodum enim ſcaturigo eſt cauſa & origo profluentis aquæ: ſic animus hominis principium eſt, & cauſa ſermonis.

Summa eſt; ex animo ſapientia abunde inſtructo ſermones manare plus ſapientiæ complectentes, quam prima facie apparet, & qui exhauriri nequeunt. Salutari enim ſermone informantibus nihil deperire poteſt, neque fons liberalitatis exhauriri unquam; imo potiùs augeri, ut quanto in alios effuſior ſit, tanto magis illi ſuppetat, quo & ſe ſuſtentet, & aliorum inopiæ ſubveniat. In quo aquarum ſcaturigines ſuperat, quæ largè profluentia aut deſiccantur, aut certè minuuntur. Unde in Achabi tempore aquæ parabiles non erant.

Verba ſapientis & præſtantis ſimilitudine aquæ profundæ exornantur, quia ſicut in aqua profunda fundum & baſim non facilè penetres, aut pertingas: ſic ſermones ſapientis vim & pondus non facilè pervideas, aut perſcruteris. Dictum prius eſt, ſapientis ſermonem parcum eſſe, & eum magno ſilentio uti. Videtur autem alienum eſſe, ut paucis verbis & magno ſilentio tanta ſapientia, quanta hic prædicatur, inſit. Sed memoria tenendum, aquas maximè tranquillas, & eaſdem

anguſtis ſpatiis incluſas profundas eſſe. Quamobrem mare mediterraneum anguſtioribus alveis conſtrictum, & minus ſtrepitus edens tradunt oceano magis & dilatato & ſtrepero profundius eſſe.

Hujus rei documentum extat in Sampſone, qui ænigma propoſuit, quod nullus ex 30. ſodalibus ejus explicare potuit, Judic. 14. 15. Item in Salom. cujus tam acutis & ingenioſis reſponſis Regina Sabæ ita obſtupuit, ut ſpiritus ejus ſermones ipſius expendendo penitus exhauſtus eſſet, 2. Chron. 9. Hinc eſt, ut diu poſt acceptũ præſtantis viri ſermonem ex eventu aliquo inſigniori memoriâ recolimus, quem prius ab illis accepimus, tanquam minus à nobis perceptum tum, cum primo proponebatur.

Hoc autem veriſſimè illorum ſermonibus competit, quos Deus ſibi ſcribas ad Scriptur. literarum monumentis conſignandum delegit. Illorum enim ſermones nunquam cujuſquam intelligentia plenè percipi poſſunt, nulla ſitula humani ingenii exhauriri. Unde etiam viri præſtantes profeſſi ſunt, ſe revelata Dei voluntate pauxillum percepiſſe, Iob. 4. 12. Deinde in poſter. part. Proverbii videtur cauſam indicare tam reconditæ ſcientiæ verbis ſapientum proditæ & propoſitæ, animum ſcil. ſcientiâ abundè inſtructum, unde manant ſermones: & ſimul notat, tanta copia ſapientiæ refertum eſſe eorum animum, ut ſermones ex animis veluti eructent & ebulliant. Qua in re videtur contravenire Proverbio ſub finem antecedentis cap. explicato, ubi ſapienti tribuitur, quod cohibeat & comprimat ſermones. Sed illa cohibitio & compreſſio non eſt alia, quam quæ cum Dei gloria, & proximorum ædificatione probè conveniet. Nam cum illa in diſcrimen adducuntur, qui verè ſapientes ſunt, non magis bona verba & ſalutares ſermones comprimere queunt, quam ardentes carbones, aut vinum muſtum, cujus vas rumpitur, niſi ſit ſpiraculum, Ierem. 20. 7. Act. 17. 16. Iob. 4. 2. & 32. 19.

Hinc diſcimus primò, quanta attentione verba ſapientũ ſunt accipienda, quam alte memoriâ condenda, quam crebra commentatione pertractanda, maximè quæ nobis in Dei nomine Miniſterio proponuntur.

Deinde quomodò qui in ſermone ſicci & jejuni ſunt, flumẽ ſalutaris ſermonis ſibi comparent, nempe ſi in verbo Dei aſſidui ſint. Quo uno David profitetur, ſe tantum ſapientiæ theſaurum comparaſſe, ut Principes ſubditus, præceptores diſcipulus, & juvenis ſenes ſuperarit, Pſal. 119.

V. 5. *Accipere vultus improbi non eſt bonum, pervertere juſtum in judicio.*

In נשׂא (*accipere*) eſt metaphora, ubi elatio deſignat honoris exhibitionem, quia efferendo & attollendo aliquid illi honorem habemus. In פני (*vultus*) eſt ſynecd. partis pro omni re, quæ cum cauſa conjuncta non eſt. Eſt etiam ellipſis in poſter. parte. Repetendum enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ אל טוב (*non bonum.* Eſt porro μείωσις in לא טוב. Plus enim & gravius aliquid intelligi vult, quam quantum exprimitur. In quo genere exemplum habuimus 17. 26.

Summa eſt; rem Deo ſummè deteſtandam, improbum in cauſa ſuperiorem eſſe; & juſtum in bona cauſa cadere.

Proverbium, quod præceſſit 17. 15. ejuſdem ferè ſenſus eſt cum hoc, quod in manibus habemus. Diſcrimen autem eſt, quod illud θετικῶς, hoc autem ὑποθετικῶς proponitur. Nam ibi in omnem juſti declarationem, & improbi juſtificationem invectus eſt; hoc autem loco de illa in judicio

judicio loquitur corruptela, quæ ex προσωποληψίᾳ manat. Quæ quidem perſonarum acceptio Deo odioſior eſt, quã cum per inſcitiam, & juris ignorationem in judicio peccatur.

Accipere perſonam eſt alicui gratiam facere extra cauſæ ſuæ meritum, ſive animi, ſive corporis bonis allecta & evocata ſit hæc gratia; quod cum ne in juſti quidem hominis injuſta cauſa faciendum ſit, nedũ in improbi gratiam hoc facere cum officio juſti judicis pugnat.

Jehoſaphatus ſui temporis judicii caſtitatem adhortans illos ab hac προσωπ. qua judicium violatur & conſtupratur, dehortatur. Ad quam rem efficiendum illis Dei exemplum, qui perſonas non accipit, ob oculos proponit. Is enim cum ſit totius mundi judex, qui à recto & æquo ne latum quidem unguem diſcedit, ſed nec diſcedere poteſt, ad ejus imitationem homines (quoad mandatur) ſe componere & ſua judicia exigere convenit maximè. Is autem perſonam viri, aut fœminæ; ſenis, aut juvenis; pauperis, aut divitis; Principis, aut ſubditi; nobilis, aut ignobilis; docti, aut indocti non accipit. Hic forte quis excipiat, Deum προσωπολήπτην videri poſſe, quandoquidem homines æquo jure filios iræ judicio diſcrevit & diſparavit hos ad vitam, illos ad mortem deſtinando. Reſp. Deum (aliis præteritis) alios elegiſſe ſe ſolum, & ſuum beneplacitum reſpicientem, cum perſonam reſpicere ſit aliquid in eo, cujus perſona accipitur, intueri, & illius intuitu ei præter æquum facere.

Occurritur porrò, [Deum pauperes in mundo, divites in fide elegiſſe, Jac. 2. 5. & non multos nobiles, non multos ſapientes, &c. ad vitam deſcripſiſſe] eoque ipſo perſonam accipere. Reſpon. Deum non moveri horum divitiis, ſapientia, aut nobilitate, ut illos repudiet; aut illorum paupertate, inſipientia, ignobilitate, ut eos admittat. Nam tum omnes pauperes ſervaret, & divites exitio addiceret; ſed tantum ut gloriæ ſuæ hoc modo conſulat, dum infirmis & ignobilibus potentes & nobiles pudefacit.

Hic ſi quis inſiſtat, & perſonam à Deo accipi contendat, cum aliquid præter cauſæ meritum intueatur, aut reſpiciat, quod naturâ par & æquale eſt in omnibus; is intelligat, Deum meritum cauſæ ſolum intueri. Nam impios exitio devovet, dum peſſimorum operum nequitiam reſpicit, in electis verò Chriſti paſſionis meritum fidelibus imputatam conſiderat, ad quod oculos adjiciens illos non ſervare nõ poteſt, niſi præter cauſæ ſuæ meritum ſententiam ferret. Cum igitur Deus ad προσωπολ. declinandum unigenitum ſuum filium ad mortem tradiderit, nihil nobis tam charum eſſe debet, quo non libenter careamus, ut perſonarũ acceptio vitetur. Hoc ita ad eos, qui in Eccleſia & Republ. præſunt, pertinet, ut ad omnia etiã Eccleſiæ membra in quotidiano vitæ uſu locũ habeat; quemadmodũ Jac. docet, ca. 1. 2.

V. 6. *Labia ſtulti veniunt in contentionem; & os ejus ad contuſiones vocat.*

In שפתי (*labia*) & פי (*os*) eſt meton. cauſæ pro verbis. Item in יבאו (*venient*) metaph.

Summa eſt; linguæ intemperantiâ pacem violari, & ad manus veniri.

Superbo ſapiens tribuit, quod pacis & concordiæ tam infeſtus hoſtis ſit, ut illi perimendæ operam det, quam viator, qui inſiſtit viæ, quam conficere conſtituit. Atque, ut ejus ſtudium magis incenſum & incitatum declararet, adjungit, illum non contentũ hac veluti proceſſione, ut obviã eat contentioni & diſcordiæ, eam porrò accerſere & advocare; nec verò tantũ ad verborũ lites & jurgia, ſed etiã ad verbera & contuſiones vocare, nec vocare ſolùm, ſed etiã inclamare. Quid enim aliud

volunt hæc verba, quæ crebrò audiuntur: Adde verbum, ſi audes; percute, ſi audes; fac hoc, aut illud, ſi audes? Túne homuncio, vel (ut hoc infœlici ſæculo obtinuit) ſcabies, etiam in me? Egóne hoc patiar præſertim à te? & 600. hujuſmodi probroſa convitia; quibus quid aliud faciunt, quam veluti tympaniſtæ & tibicines ad arma conclamant? Ut non ſine cauſa hujuſmodi convitia & probroſa verba prunis & gladiis comparentur; & illis attribuantur celeres pedes ad effundendum ſanguinem, ut [contritio & calamitas ſit in viis eorum, ut qui viam pacis nō agnoſcunt,] Rom. 3.15. Quod ſi hi, qui vocati ad pugnas veniunt, in ſtultorum numero habendi ſint, næ illi egregii ſtulti ſunt, qui alios ad pugnas provocant: & ſi priores Dei juſtiſſ. judicium non effugient, quid iſtis fiet, qui faces pugnæ & belli admovent: ſi ſupplicio digni ſunt, qui ignē contentionis non reſtinguunt, quid illis obveniet, qui ignem incendunt, & tanquā admotis follibus, inflammāt; & filii ſunt diaboli, Ioh. 8.44. qui homicida ab initio fuit?

Contrà verò ſi ſapientes inter haberi velimus, & illis adnumerari, à lite & contentione procul abſiſtamus, ab illa incurrente procul recedamus, litigantes ad pacem exhortemur, & receptui canamus. Sic filii pacis erimus, & Deus pacis nobis aderit.

V. 7. *Os ſtulti contritio illi eſt; & labia ejus ſunt laqueus animæ ſuæ.*

In מחתה (*contritio*) eſt metonym. effecti. In מוקש (*laqueus*) eſt metaph ab aucupibus, ſeu piſcatoribus, qui ſuis retibus beſtias illaqueant.

Summa eſt; ſtolidum ſuis imprudentibus & litigioſis convitiis ſępe ſibi malum, atque adeò mortem conſciſcere.

Frequens eſt (in Pſal. præſertim) improbum in foveam, quam excîdit & excavavit, incidere; item lapidem, quem jactat, ſeu ſagittam, quam excutit, in proprium ipſius verticem recidere. Quod verò alibi ſæpe de improbo dicitur, hic ſpeciali quadam ratione de maledico, aut quopiam alio linguæ petulantia delinquente affirmatur: ut nō ſine cauſa dictum ſit, penes linguam eſſe vitam & mortem.

Videtur porro ſpecialius reſtringi ad illum linguæ abuſum, qui in virulentis & maledicis convitiis & irritationibus cernitur, ut cum Proverbio ſuperiore conjungatur; Stolidum ſuæ linguæ petulantia, qua ad contuſiones provocat, ſibiipſi ſæpe exitium accerſere. Iniquè ferret quis, ſi alterius verbis, tanquam laqueo involveretur, nec tantum ſibi proſpicientiæ ſuppeteret, qua tendiculas ſibi ab alterius ſermone poſitas declinare poſſet. Sed ſibiipſi & collo ſuo laqueum circumponere maximè dedecoroſum. Adhuc etiam gravius non tantum ſeipſum ſtrangulare, ſed porro illud laqueo à ſe nexo & contexto facere. Et certè ſi oculos circumferre velimus, animadvertemus ſæpe fieri, ut qui alterum aculeatis verbis provocat, is ſuorum conviciorum pœnas luat: Quanquam pœna maledicæ linguæ debita hujus vitæ diſpendio non terminatur, ut quæ ad Gehennæ ignem pervadi. Exemplo ſit Goliath. 1. Sam. 17.

Diſcamus igitur linguæ noſtræ aculeum eximere, ejus aciem & mucronem hebetare & retundere, ignita ſpicula animi manſuetudine & placabilitate reſtinguere.

V. 8. *Verba ſuſurronis ſunt tanquam continenter contuſorum, ſed deſcendunt in penetralia ventris.*

Summa

Summa eſt; ſuſurronem plus damni afferre, quam convitiator afferre poteſt.

Comparatio hic inſtituitur inter ſuſurronem, & illum, quem ante deſcripſit Salomon, convitiatorem, utpote qui ab illo plurimum diſcernitur. Nam convitiator animi ſui virus palam & aperte deſpumat; ſuſurro vero ſtimulum ſuum & aculeum occultè infigit. Vnde comparatur viro verberibus & plagis frequentibus veluti contuſo, qui (ut Propheta loquitur) *veluti è terra & pulvere muſſitat, & ſubmiſſa voce pipit*, Eſai. 29.4.

Quicquid enim loquitur, id omne in aurem alterius inſuſurrat, eoque cavet ſẽper ne ſe aut authorem, aut indicem prodat: in hoc ſerpentis ſibilum & obſcurum ſonum imitans, & canum eorũ ingenium, qui mordent, antequam allatraverit. Deinde non injuria videntur hujuſmodi homines veluti contuſi ſuas calumnias diſſeminare non tantum vocis ſubmiſſione, ſed ipſo ſermonis argumento. Nam calumniam ſuggeſturi ſolent præfari, ſe nõ, niſi dolentes, invitos, & veluti malo coactos loqui, ſe de eo, quod recitabunt non ſecus affici, quam ſi magnum aliquid malũ ipſi accepiſſent; optimè illi cupere de quo inſtituũt ſermonẽ facere. Deinde hac præmunitione uſi linguæ virus expuunt.

Eſt autem ſuſurro convitiatore deterior 1. quia clàm & inſidioſè ſtimulum inferens caveri nequit. 2. quod hypocriſin loquatur, & in ſummo maleficiendi conatu id aget, ut benevolus nobis videatur. Vt verè dicatur de eo, quod Propheta cecinit, ut ejus os butyrinum ſit, cum bellũ ſit in animo; ut verba ejus ſpecie molliora ſint oleo, cum tamen reipſa diſtricti gladii ſint, & in intimas partes & penetralia pertineant. 3. quod ſuſurro non tãtum famam ejus lædit, de quo ſermonem facit, ſed illius animum corrumpit, & eum ab officio boni viri, abducit apud quẽ inſuſurrationes ſuas deponit.

Quamobrem omnibus cavendum 1. ne hoc malum tam odioſum nobis adhæreat. Deinde hi præſertim excubias agant, qui rerum potiuntur, ne hujuſmodi ſuſurrones alant, ſed illos procul à ſe Davidis exemplo, Pſal. 101. 5.) abigant: nec illud modò, ſed ne à ſua familia, alienis aures præbeant, quandoquidem genus hominum ſit hoc, quod menſas exquiſitas & pinguem offam conſectetur.

Nec tamen hoc ita intelligi debet, ac ſi omnes delatores, & qui clam aliorum peccata detegunt, ſuſurronum loco, aut cenſu habeantur. Videmus enim Ioſephũ fratrum ſuorum improbitatem clam illos patri indicaſſe. Qui enim aliorum crimina deferunt, ad eos, quorum intereſt de his ſcire, & quidem eo, quo decet, affectu, ut ſcil. ad frugem redeant & revertantur, hi certè in ſuſurronum numero, & ordine habendi non ſunt.

Hoc autem luctuoſo, utcunque ſimulato ſuſurronis ſibilo admonemur nos, in fratrũ peccatis prodendis & proponẽdis mœſtos nos præſtare. Suſurro enim ficta hac & fucata doloris ſimulatione, ſatis docet, quod ſit boni viri officium. Quamobrem illi longè ab officio boni viri abſunt, qui ſe in aliorum peccatis recẽſendis vel intus animo geſtiũt, aut foris exultant; cum non niſi verberibus veluti contuſi & adacti gloriæ divinæ, & ædificationis utilitatiſque proximi malè de alio loqui debeant. Deinde coarguimur, & tenemur ſceleris, qui die jejunii dolorem præferentes, intus tamen, & cordis penetralibus non compungimur.

V. 9. *Etiam remiſſe ſe gerens continenter in opere ſuo frater domini diſperditionis.*

In רפה (*remiſſe*) eſt metaph. ducta ab his qui manus pendulas, aut nõ ſatis arrectas

 habent:

habent ad rem illam tractandam, quam ex vocationis ratione aggrediuntur & ſuſcipiunt. Item in אח (*frater*) eſt metaph. ducta ab iis, qui pari ratione vivunt, & traducta ad res ſimiles, adeo ut res inanimatæ æquales ſtructurâ ſorores dicantur. Porro in בעל משחית (*domini diſperditionis*) eſt item metaph. tranſlata à dominis & poſſeſſoribus alicujus rei ad eos, qui in re aliqua inſignes & notabiles ſunt.

Summa eſt; tam eſſe in vitio, & eodem ferè compendio, aut certe non minore certitudine ad paupertatem redigi, qui ſenſim deſidia & incuriâ jacturam rei familiaris facit, quam qui illam largitione, & luxu prodigit. Qui largitione effuſa & mediocritatem excedente, ſe & rem familiarem exhaurit, facilè deprehenditur ad raſtra (quod dicitur) olim detrudendum deturbandumque eſſe. Eſt enim in promptu omnibus, largitionem fundum non habere. Quamobrem omnes vel luſci facilè proſpiciunt, rem ei ad manticam redituram, ſive (quod dicitur) ad incitas redigendum eſſe.

Sed eſt aliud malum latens & inſidioſum, quod non niſi ab hominibus acrioris judicij, & magis oculatis cernitur, quo homines, quibus amplum eſt patrimonium, & ſupellex lauta, ſuis poſſeſſionibus non minus certo evertuntur, nempe cum in opere, quod illis incumbit, faciundo, remiſſi & diſſoluti ſunt. Sicut enim ſuperius habuimus, manum induſtriorum ad opus admotam hominem ex paupere locupletem reddere. Proverb. 10. 4. ſic ab adverſis conſequitur, manum remiſſam in opere pauperem ex divite reddere. Et ſicut homines induſtrij non ſubito, aut repentè divites evadunt, ſed temporis juſto intervallo locupletãtur & diteſcunt; ſic etiam deſidioſi divites non ſubito & repentè ſuis facultatibus nudantur, ſed temporis proceſſu illis penitùs exuuntur.

Quamobrem bonorum effuſio & luxus apoplexiæ, aut peſti, aut aliis violentis morbis aſſimilari poteſt. Sicut enim illi vitam; ſic largitio rem familiarem anguſto temporis ſpatio perdit: cum hæc in rebus ſuis incuria, aut deſidia tabi potius ſimilis ſit, quæ ſenſim & lentè valetudinẽ labefactat, ad eum modum, ut morti ſæpe propinquus ſit, antequàm vel laborare morbo quis percipiatur.

Quod ſi dives otio & incuria exhauritur, quid deſidioſo & otioſo fiet, qui omnium rerum indigus eſt? An unquam ille paupertatis & mendicitatis manus, quę illum calcibus premit, effugiet? Quamobrem quiſque rem hanc probe expendat, ut ſibi ab otio & deſidia caveat, quæ non tantum paupertatem, ſed paupertatem ignimioſam affert. Quod cum omnibus cavẽdum ſit, tum vero nobilium ſervis & ſatellitibus tanto magis, quod illa vitæ conditio nec eſt inter maximè quæſtuoſas vivendi rationes, & huic tamen otij morbo maximè eſt obnoxia.

Hic mihi videor aliquem audire, ſe induſtrium præſtare non poſſe dicentem, ut qui non habeat, quo ſe & induſtriam ſuam exerceat. Et certè utriuſque & domini & ſervi vitio fit, ſi nihil operis ſit, in quo te occupes, cum Apoſt. ut furtum deflectas, ut in re bona & utili operam tuam colloces, te adhortatur. Sed ſunt, qui ſe ad majora natos exiſtimantes res parvas contemptui habent, ac ſi parum dignæ ſint illorum ſolertia: quaſi vero non ſit maximum compendium ad majora tractanda, ſi te diligentem & operoſum in re parva præſtiteris. Sic enim Chriſtus promittit ei, qui vel uno talento frugi negotiatus fuerit, fore ut pluribus augeatur. Contra etiam dicitur, eum, qui in parvo fidelis non fuit, ne in magno quidem fidelem fore.

Quamobrem, fratres, procul ab otio abſiſtamus. Si enim res parvas tractantes otio aſſueſcemus, illud ſemel contractum

non

non poterimus tum deponere, cum majora tractandi poteſtas fuerit.

Hoc etiam ad cęleſtes divitias accommodàri poteſt. Nam ei, qui oſcitanter & frigidè ſe in religione gerit, verendum erit, ne illi frater & ſimilis ſit, qui momento, vel ſpe boni alicujus, vel metu mali Deum abnegabit. Et quid intereſt, ſi navis, coorta tempeſtate, uno momento aquis obruatur, aut ſi perforata, aut diffiſſa ſenſim influente aqua ſubmergatur?

Hoc itidem ad negligentes magiſtratus, & Miniſtros oſcitantes accommodari poteſt, qui ſua incuriâ & negligentia in procuranda Republica & Eccleſia non minùs ſunt pernicioſi, quam qui hoſtes utriuſque exiſtunt. *Qui enim non colligit, diſſipat.*

V. 10. *Arx roboris eſt nomen Iehovæ: ad illam accurret juſtus, & in editum locum efferetur.*

In מגדל (*arx*) eſt metaph. tranſlata à terrenis propugnaculis ad Deum, qui aſylum & perfugium eſt eorum, qui ad illum ſe recipiunt. Item in עז (*roboris*) eſt meton. effecti. In שם (*nomen*) porro eſt metony. adj. nominis ſc. divini pro Deo. Item in ירוץ (*accurret*) eſt metaph. tranſlata à curſum accelerantibus, cum periculum ab hoſte imminet ad eos, qui in periculo ullius generis ſe ad Deum precibus referunt. Denique in voce נשגב (*efferet*) eſt etiam metaph. ducta ab arcibus in eam altitudinem elatis, ut eam nemo attingat; ad Deum, cujus è manibus nulla aut vis, aut fraus eripiat.

Summa eſt; Deum, ſe vera fide invocantes, à malo tutos & incolumes ſervare.

Nomen Dei pro Deo poni, vide Exod. 23. 22. ſicut & nomen hominis pro homine, Actor. 1. 15.

Omnibus fere hominibus natura ingeneravit ſtudium ſui tuendi ab injuriis aliorum, qui ipſorum fines invadunt. Unde etiam arces, turres, & aggeres extruunt, quæ graſſatoribus opponant, & ad que, ſe, cum opus fuerit, recipiant. Quod etiam tum faciunt, cum nulla illis cum quoquā lis, aut cauſa belli intercedat: & quidem hoc infinito & ſumptu & labore ſuo faciunt. Quamobrem inertiæ damnandi ſumus, ſi aſſiduum & irreconciliabile bellum cum Satana, & tota inferorum cohorte gerentes de arce, aut turre nobis non proſpicimus; maxime vero cum illa, nullo nec ſumptu, nec labore noſtro nobis obvia & expoſita ſit; & ſine quâ vana & caſſa ſunt omnia, quæ extruimus, propugnacula.

Auget porro noſtram ignaviam, quòd Deus arx & turris noſtra tanti roboris eſt, ut nunquam aut fraude occupari, aut vi expugnari poſſit. Quamobrem, hunc torporem & ſecuritatem pellamus, nec ſimus Lachiſhi civibus ſimiles, qui per oſcitantiam ἀδιωτὶ καὶ ἀκοντὶ ſubito circumventī & oppreſſi ſunt, Iudic. 18. 7.

Hic quærat aliquis, qui fit, ut tam multi pereant, cum Deus cœlum & terram implens omnibus ſervandis abundè ſufficiat? Reſpon. juſtum tantum ſe ad Deum, tanquam ad aſylum conferre; ſeu, ingruente hieme, ad illum tanquam in hiberna confugere.

Hic iterum quærat aliquis, quid opus ſit ad Deum currere, cum Deus ubique ſit, & apud Davidē, dicitur *propugnaculum valde promptum*, vel *paratum* ſeu *propinquum*? Illud enim in propugnaculo & aſylo eximium eſt, ſi propè adſit, ne, ſi longiuſculè remotum ſit, aut vires nos deficiant, & defetiſcamur, antequam illud recuperemus, aut hoſtis nos inſequens conſequatur. Reſp. curſum hunc non conſici pedibus, nec eſſe motum à loco in locum, ſed *invocationem nominis divini* ex fide

fide provenientem, Actor. 2. 19,20,21. Quod hoc Proverbio confirmatur, cum dicit: illum in editum locum attollendum eſſe, quo periculum appropinquare & pertingere nequit. Unde Deus dicitur *arx in edito loco ſita*, Pſalm. 18. Gen. 11. Homines inſani machinati ſunt turrim hujuſmodi extruere, quæ in tantam altitudinem attolleretur, ut nemo illam expugnare poſſet, & quæ ſua altitudine ſuos ſtructores ab omni periculo liberaret: ſed ſtultè, cum Deus ſuperne habitans illorum capitibus imminebat. Tantum qui ad Deum fideli invocatione currit, ab omni ictu liber & immunis eſt.

Hic porrò notandum eſt, periculum in mora eſſe, ſi ad Deum precibus non feſtinemus. Cujus eximium exemplum eſt, Num. 17. 11. 12.

Verſ. 11. Divitiæ divitis ſunt urbe roboris ſui; & ſicut murus editus opinione ſuâ.

Summa eſt: omnem ſpem, quæ extra Deum ponitur, vanam eſſe.

Hujus rei exemplum ſtatuitur in divite, qui ſuis facultatibus, quibus abundat, confidit; & priori Proverbio adnectitur, ut illam doctrinam illuſtraret.

Homines naturæ inſtinctu ſibi ſuæ infirmitatis conſcii firmamentum aliquid quærunt, quo tremefacti ſuſtententur, & cui confidant. Quicquid autem arripiunt, cum à Deo vivente diſceſſum ſit: illud veluti *arundo Ægyptiaca eſt, quæ ei innitentem non ſtatuminat*. Hi in curribus, hi in equis, alii in amicis, in divitiis autem quamplurimi. Qui omnes ſummæ in Deum ingratitudinis rei ſunt, ut qui Dei largitione abutuntur in defectionem ab ipſo; dum animo à Deo ſubtracto, ad dona, quæ in ipſos contulit convertuntur ſordidas meretrices imitati, quę dona ab amatoribus collata pluris faciunt, his ipſis à quibus ditatæ ſunt.

Cum autem pleraque in mundo ſunt, quibuſcum mortales ſcortantur, tum nihil eſt, in quo majore aut numero, aut impietate homines conſtuprantur, quam divitiis, quæ res mortuæ ſunt, & ſenſus expertes. Cujus ratio apud Salomonem aſſignatur, quod pecunia & divitiæ omnibus reſpondeat: ut qui pecunia & divitiis abundet, ei neque equi, nec currus, nec milites, nec amici deeſſe putant: Deindi quod mali ſit, quod ſuis divitiis propulſare & propellere poſſunt. Quo accedit, quod in divitiis ſpem ponens ſit avarus, eoque ipſo idololatra. Nemo enim eſt, qui non mordicus illud retinet, in quo ſpem ſuam locat. Diviti igitur perdifficile eſt ſe cohibere, ne fiduciam divitiis apponat.

Hinc eſt quod Chriſtus rem ἀδύνατον eſſe confirmat, *ut divites regnum cœlorum ingrediantur*, Mat. 19. Item quod Apoſt. hortatur Tim. ut *divites admoneat, ne ſuperbiant, nec fiduciam ponant in incertis divitiis*, 1. Timoth. 6. 17. Cujus alios eoſque multiplices uſus & fines præſtantes aſſignat. 1. ut illis ipſi fruamur, & qui nos attingunt. 2. ut divitiarum beneficio, quæ bona ſunt, operemur, atque adeo bonis operibus locupletes ſimus. 3. ut ſimus faciles in dando. 4. ut ſimus ad cœtus & ſocietates ineundas commodi & idonei. Freti enim divitiis poſſunt ſe audacius in hominum notitiam & familiaritatem inferre, cum pauperes pudore prohibentur. 5. ut theſaurum nobis colligamus, qui nobis venturo ſæculo opportunus ſit.

Quicquid autem divites præſidii in divitiis ponunt, tamen nihil illis firmitatis ſubeſt. Tantum enim imaginarium eſt, quicquid ſibi affingunt & animo comminiſcuntur; nec magis illis prodeſt, quã famem ſedat, aut ſitim, quod quis per inſomnium

ſomnium

omnium edere & bibere ſibi videtur. Omninoque phreneticos imitantur, qui in ſumma mendicitate ſe Reges & Monarchas eſſe delirè exiſtimant.

Quamquam verò ſatis fuerat ad nos à ſpe & fiducia divitiarum abducendum, quod nos non fulciant, tamen plus momenti in eo eſt, quod ſuum dominum non modo non ſuſtentent, ſed porro etiam illi ruinam ſtruunt. Sunt enim ſpinæ quibus ſemen verbi divini ſuffocatur, Math. 13. Et Eccleſiaſtes queritur, *malum grave ſub ſole eſſe, cum divitiæ ad interitum ejus, qui illas poſſidet, accumulatæ aſſervantur*, Eccl. 5. 11.

Quamobrem meminerimus dictiApoſtoli, ut *habentes ſimus tanquam non habentes, utentes mundo tanquam non utentes.*

V. 12. *Ante confractionem cor viri efferet ſe: & ante honorem eſt abjectio.*

In שבר (*confractionem*) eſt metaph. a rebus corporeis fractioni obnoxiis tranſlata ad interitum & internecionem hominis notandum. Deinde ἓν διὰ δυῶν. Nam caſus etiam, quæ eſt confractionis cauſa cum ipſa confractione comprehenditur, & impactione, quę eſt cauſa caſus. Deinde in גבה (*efferet*) eſt metaphor. à rebus corporeis in altitudinem elatis ad animum tranſlata, qui ſuperbia ſupra modum attollitur.

Prior pars hujus Proverbii propoſita eſt 16. 18. poſterior verò 15. ult. Quæ autem ibi diviſim, hic cõjunctim uno Proverbio connectuntur. Quod quidem partim fit ob doctrinæ præſtantiã, quæ ſæpius iterari meretur, ut Chriſtus illud Proverbium ſępius, & ad plures uſus uſurpavit: *qui ſe exaltat humil.* &c. partim etiam ut proximè ſuperioribus Proverbiis hoc accommodaret, doceretq; ſe invocatione divini nominis abjicientẽ exaltandum, & turgentẽ fiducia divitiarũ deprimendum.

Summa eſt; ſuperbum robuſta Dei manu impulſum ex caſu perire; ſicut manſuetus & ſubmiſſus animo eadem Dei valida & præpotenti manu honore cumulatur.

Superbia eſt peccatum, quo quis nimia ſui exiſtimatione inſoleſcit. Quod quidem opinione ſeu vera ſeu falſa ſit, tamen Deo non eſſe exoſus non poteſt. Nam ut ſtultum eſt de his quæ non ſunt ſuperbire, ut ille, qui quamvis navem ſuam dixit: ſic ſacrilegum eſt de acceptis à Deo gloriari, quod gratiarum actionis argumentum præbere debebat.

[Alibi in ſcript. qui hic dicitur alto animo eſſe, dicitur corde lato eſſe,] ſeu tumido & inflato ſui immoderata opinione veluti turgente: ſic fit ut ſuperbia animus hominis tanpuſtula quam ultra juſtam altitudinem attollatur, & veluti fermento injecto diſtendatur. Quemadmodum vero carneum cor in corpore humano aut elatum extra ſedem, quam illi natura attribuit, aut etiam præter modum diſtentum & turgidum interitum toti corpori affert, maximè ſi utroq; vitio laboret: ſic animo elatus & intumeſcens ab exitio & interitu procul abeſſe nequit. Quod autẽ cordis carnei morbus propter multiplices corporis cruciatus ſentitur, cum animi veluti luxatio, ſeu diſtenſio ſine ſenſu & dolore ſit; tantum abeſt ut meliori conditione ſit, ut porro etiam ex hac indolentia & ἀναισθήσει majore in periculo verſetur.

Cum autem confractionem ei tribuit ſapiens, illa confractione 1. impactionẽ, deinde lapſum, ſeu caſum involutum & implicatũ continet. Quod noſtro Proverbio aptiſſimè reſpondet, *pride will have a fall.* Qui enim capite elato & erecto admodũ incedunt, nec in terram oculos demittunt, impactioni obnoxii ſunt. Qui itẽ

ſcandendi, & ſcalas aſcendendi ſtudio producuntur, hi (ut notum eſt) ad caſum proclives & propenſi ſunt. Dei enim juſtiſſ. judicio fit, ut non tantum honore & dignitate careant, quam tantoperè conſectantur, ſed porrò ad infirma quæque deturbentur. Quamobrem cavendum, ne in his ſimus, qui nos ipſos ingeramus, nobis ipſis coronam ſeu corollam imponamus, ſed Dei potius manum præſtolemur placidè: cavendum, ne in honoratiorem ſedem nos inferamus, ne cogamur patrisfamilias juſſu inferiorem capeſcere. Expectemus potius, quoad ille nobis dixerit; ſurgite, & ſuperiorem locũ capeſſite.

Deinde quod ſuperbus ſuo caſu non quaſſatur modo, & concutitur, ſed porro in minutiſſ. particulas confringitur, vel potiùs pollinarium in morem commolitur: id etiam aptiſſimè congruit priori metaph. de animi altitudine. Nam qui ex alto loco decidit, vel ſtatura præaltus eſt, is graviori & magis pernicioſo lapſu cadit, quam qui ſtatura curtus eſt, aut ex loco parum elato decidit. Decidunt autem non in terram modo, ſed in imum inferorum fundum, unde nulla eſt reparatio, aut reparationis ſpes.

Hujus doctrinæ exempla plurima in ſcript. extant, in Abſhalome, Adoniah, Nabuch. Dan. 4.26.27. &c. Hammane Eſt. 5.21.22. & 6.10.11. &c. & 7. verſ. ult. in Herode Act. 12. Nec vero in capita tantum Deus ſeveritatis ſuæ exemplum ſtatuit, ſed in urbes, ut in Capernaum Mat. 11. ſed in regna ipſa potentiſſ. ut in Moab. regno cernere licet Ier. 28. 29. Ubi liquet, etiam peccatum hoc graviter puniri vel in his, qui notitiæ Dei expertes ſunt, nedum in illis, qui notitia Dei imbuuntur.

Cujus confractionis cauſa eſt, quod Deus ſuperbis reſiſtit, Iacob. 1. Eſai. 2. ut nulla vis, aut robur, cui ſuperbus innititur cum Dei manu contendat.

Hoc ſuo adverſo confirmàtur, quia honore afficiuntur, qui animo ſunt abjecto & ſubmiſſo. Ubi vox illa, quam uſurpat Propheta, videtur à verbo deduci, quod afflictionem deſignat, quia ferè fit, ut afflicti & Dei manu cœſi, iidem etiam ad animi ſubmiſſionem erudiantur. Homines hanc ferè opinionem induunt, ut putent eum, qui animo manſueto & ſubacto ſit, nunquam quicquam aſſequuturum, nunquam ad honoris faſtigium perventurum; eum verò, qui ſpiritum ſumit, & ſibi de ſe perſuadens ambit & captat munus aliquod, ſeu honorem, & (ut loquuntur) ſeipſum ingerit & infert, honoribus & muneribus affici. Quamobrem Spiritus Sanctus huic malo occurſurus contra docet viam ad honores maximè perviam eſſe, ſiquis ſubmiſſe ſentiat. Cum enim nec ab oriente, nec ab occidente, &c. fit ad dignitatem & munera provectio, ſed Deus ſit, qui hunc attollit, illum deprimit, quis eſt (ſi verè judicare velimus) honoribus accipiendis aptior, aut magis idoneus, quam qui ſe Deo, & officia ſua probat? In officiorum apud homines diſtributione annon Regi ſe gratos præſtare ſtudent, qui ad munerum conſequutionem animum adjiciunt? Atque adeò ne à mente & ratione alieni ſunt, ut ſe Deum irritando benignum ſibi, & benevolum reddere poſſe ſperent, & ut ab illo præmia dignitatum & honorum auferant? Aut Deum putant uſque eo ſuorum cultorum immemorem eſſe, ut in diſtribuendis muneribus illorum curam abjiciat, ſi quidem illis, ut non honoribus utantur, expediat?

Nemo eſt, qui inficias eat, quin mira ad cæleſte regnum (quod omnium honorum ampliſſimus eſt) via ſit, ſiquis animo humili & abjecto ſit. Si igitur, quod eſt maximi honoris animo ſubmiſſis tribuat, quę ſunt viliora (dummodò illis prodeſſe poſſint) denegabit?

Hic

Hic ergo probè meditandum erit, *Deum humilibus dare gratiam, ſicut ſuperbis obſiſtit*, 1. Pet. 5.

Quod ſi ad honoris faſtigium aliunde aſcendatur, quam animi hnmilitate & manſuetudine; perinde aſcendunt, ut qui ſcala crucem ſcandunt, ut poſt præcipites deturbati miſerè pereant.

V. 13. *Reſpondenti verbum cum nondum audiverit, ſtultitia ei eſt, & ignominia.*

In אולת (*ſtultitia*) & כלמה (*ignominia*) eſt metonym. adj. In שמע (*audiverit*) eſt ἐν διὰ δυο. Nam verbo audiendi etiam rei intelligentiam unà complectitur; ſicut verbum audiendi uſurpatur 1. Cor. 14. 2.

Summa eſt; de rebus non plenè perceptis ſententiam ferre ſimul cum ſtultum, tum ignominioſum eſt.

Prov. 21. 28. habetur aliquid huic non diſſimile; ubi dicitur, eum, qui audit, perpetuo loquuturum. Pleriq; reperiuntur, qui, ut ſapientiæ & acuminis exiſtimationem venentur, alterius ſermonē, quo rei alicujus narratio inſtituitur, abrumpunt & iniquè ferunt cum illis pluribus agi; unde etiam accidit, ut de re non plenè cognita reſponſum aptant. Venantibus vero famā & opinionem ſapientiæ juſto Dei judicio contrarium obvenit ut reſponſo parum accommodato & inconcinno pro ſtultis egregiis habeantur. Cumq; ex ſapientiæ opinione gloriam & laudem aucupentur, ignominiâ & pudore ſuffundantur. Quod ſi æquis auribus totam narrationem pertextam acceperint, tamen, re nondum ſatis percepta, narrationem iterari detrectant, ne aliis ſtupidi videantur, unde reſponſum edentes eandem & ſtultitiam, & ex ſtultitia ignominiam incurrunt, quam priores illi.

Quod ſi quis excipiat, quod eſt tritum ſermone Proverbium, dictum ſapienti ſat eſſe; equidem ſapientis eſſe agnoſco ex uno verbulo de re tota conjecturam facere, cum plurium aut copia non ſit, aut rem pluribus proponi à periculo non abeſt: ſed hoc locum non habet, cum uberioris narrationis poteſtas ſit, & rem fuſiùs exponi abs re non ſit.

Homines etiam hac ſtultitia ſæpe ſe obſtrictos reddunt animi perturbatione, ita maximè; qui ſiquid de alio acceperint, quod ipſis diſplicet, & quo commoventur, ilico (ſi non aurem, at certè) animum occluſum habent adverſum omnia, quæ ad cæptam opinionem deponendam à quoquam adferri poſſunt.

In hoc genere peccavit Putaphar, qui juſtam Joſephi defenſionem audire recuſavit, poſtquam ira ex uxoris calumnia accenſus fuiſſet: item David, qui ſimul atque Zibæ adverſus Mephiboſethum calumniam auribus hauſiſſet, illico adverſus Mephib. indicta causâ, reſponſum dedit. Idem de aliis animi perturbationibus dicendum eſt. Quæ omnes cum accuratam & diligentem rei, quæ proponitur, auditionem ſaltem æquam impediant, hujuſmodi ipſis laboranti ſtultitiæ & ignominiæ notam impingunt.

Hæc cum omnibus cavenda ſunt, tum maximè his, qui authoritate pollent, quorum ſubita & improviſa reſponſa cum Reip. damno conjuncta ſunt. Tantoque hoc magis illis cavendū, quod reſponſum temerè redditum (honoris ſui tuendi cauſa) non facilè retexunt, aut retractant: ut non ſolum in Regibus & Præſidibus impiis, Herode & Pilato uſuvenire ſolet, ſed etiam in Davide, qui ſententiam ſuā corruptiſſ. pronuntiatam penitus revocare noluit. Ob eamq; cauſam iterū iterumq; cogitandum & recogitandum eſt, nequid non accuratè priùs auditum, intellectum plenè & maturè deliberatum ſtatuant.

Hoc in Miniſtris verbi ſingulari quadam ratione obſervandum, ne quid non

plenè compertum, atq; perſpectũ in Eccleſia proponãt, & illud diligenter obſervẽt, quod Chr. de ſe & Ioh. Bapt. affirmat Ioh. 3. 11 & quod Ioh. Bapt. de Chriſto verſ. 32. Quo accerſendi, qui docẽdi partes ſibi vendicant, priuſquam didicerint.

Emphaticon etiam eſt, quod dicit, ne verbum quidem reſpondendum eſſe, priuſquam rem plenè perceptam quis habeat, nedum longam (ut fit) orationem de rebus incognitis texere convenit.

V. 14. *Spiritus viri ſuſtentat ægritudinem ipſius: ſed Spiritum fractum quis attollat?*

In רוח (*ſpiritus*) eſt meton. effect. Nam Spiritus pro animo hominis ponitur, quia anima cauſa eſt reſpirationis. In נכאה *fractum* eſt met. à reb. corporeis fractioni obnoxiis, tranſlata ad animum dejectũ & ex dejectione, ſeu conſternatione perditũ. In ישאנה *attollat* eſt itèm met. à reb. corporeis ex imo in altum locum elatis tranſlata, ad animum ex miſera & afflicta conditione ereptum & in veterem pacem, & tranquillitatem reſtitutũ. In יכלכל (*ſuſtentat*) eſt metaph. à rebus corporeis, quæ nutantes ſuſtentantur. In מחלה (*ægritudinem*) eſt ſynecd. ſpeciei pro omni genere malorum, quod extrinſecus evenit.

Summa eſt; ad vitam cum præſentem, tum futuram conducere, ut quis forti & alacri animo ſit.

Adverſus morbos medicinam certam & exploratam rem longè exoptatiſſ eſſe in confeſſo eſt, præſertim ſi medicamentum, ſeu pharmacum πάγχρηστον ſit, & omnibus morbis fugandis idoneum. Hoc cum præſtet viri Spiritus, operæpretium eſt hujuſmodi Spiritum comparare. Quãobrem videndum eſt, cujuſmodi Spiritus, ſeu anima ſit, quæ tanti & tam multiplicis uſus ſit. Hoc autem facilè liquet ex poſt. hem. Nam cum doceat, ſpiritum fractũ nulla re ſuſtentari poſſe, & in priſtinum ſtatum reſtitui, non obſcurè docet, ſpiritum illum, qui ægritudinẽ ſuſtẽtare debet eſſe oportere ſanum, integrũ, & bene conformatum. Hic igitur nova quæſtio naſcitur, quis ſit ille ſpiritus, qui hac virtute & robore inſtructus ſit? In hãc rem inquirens nihil eſt, quod quærendo invenias præter Deum, qui unicus tantam molem & pondus, quale eſt animæ, ſuſtinere queat. Hinc eſt, ut, cum anima Davidis intra ſe trepidaret & tumultuaretur illam alloquens jubeat in Deo ſpem & fiduciam collocare Pſal. 42. Hinc illud Prophetæ ſe tum demum dextra Deî ſuſtentatum eſſe, cum anima ipſius Deo adhæreſcens illum ſequeretur. Pſal. 63. 9. Vnde fluxit illa ſcript. adhortatio, nos ipſos in Dei veluti ſinum & gremium conjiciendi: ſimul etiam precatio Prophetæ, ut animum ipſius Deus ſibi aduniret, ut ejus nomen modò revereretur. Sicut enim corporis vita & ſtatumen eſt anima: ſic animæ vita & columen eſt Deus: & ſicut corpore ab anima ſeparato, corpus nihil aliud eſt, quam fœtidum cadaver: ſic, anima à Deo divulſa, & diſtracta in animis & vitæ expers exiſtit. Quod quidem alia illuſtri metaph. explicatur apud prophetas ſuperiori adunitioni penitus adverſa: Vbi Dei à populo diſtracti laxationi unius membri à reliquo corpore comparatur. Ier. 6. 8. Ezek. 23. 11.

Hinc tertia dubitatio oritur, quomodo Deus nobis & animis noſtris, & animæ noſtræ Deo aduniantur; præſertim cum certum ſit, Deum ubique & omnibus in locis præſentem omnibus vel maximè impiis adeſſe, & impios in ipſo eſſe, vivere, & moveri. Act. 17. Equidẽ non diffiteor, quin Deus omnibus præſens ſit; ſed præſentia gratioſe & ſalutari ſuis tantũ adeſſe affirmo. Atque utcunque Deus in impiis ſit, tamen illis (ut fidelibus non adunitur, nec cum illis in unum ſanctiſſimo & arctiſſimo

ctiſſimo Spiritus ſui vinculo coaleſcit. Nã fide in cordibus electorum Chriſtus modo habitat: Epheſ. 3.17. Cujus Chriſti interventu cum Deo patre per Spiritum Sanctum adunimur. Ex hac fide pullulat bona conſcientia, 1 Tim. 1.8. quæ (referente Sal.) juge conviviũ eſt Pro. 15.15. quo & roboratur & exhilaratur animus.

Huc igitur Proverbium redit; vera pietate, vel anima vera pietate imbuta & inſtructa maximum & ſubſidium & præſidium adverſus omnia, quæ extrinſecus infortunia obtingere poſſunt, comparari. Animum vero advertamus, quantum momenti ſit ad vitæ præſentis commoditatem & fœlicitatem, ſiquis ſe in Dei obſequium ttadat. Deut. 28. Levit. 26, Primum enim morbos & mala externa fugat &, ne ipſum incurrat, procul abigit. Deinde cum neceſſe ſit piis omnibus per afflictiones ad regnum cælorum tranſire, malorum omnium acerbitatem & aſperitatem mitigat & emollit ad eũ modum, ut gaudium doloribus & cruciatibus præponderet. Unde illud Iaco. 1. ut *in omne gaudium æſtimemus, cũ in varias tentationes incidimus*. Item quod, quam pacem Deus dat, nunquã adimit. Ioh. 14.27. Vnde illud dictum Apoſt. *afflicti, ſed in anguſtias non redacti ſeu minime coarctati; hæſitamus, ſed non prorſus dæremus; perſequutionẽ patimur, ſed non deſerimur; dejicimur, ſed non perimus*, 2. Cor. 4.8.9. Deinde etiã hinc fit, ut, tametſi ſepties in die cadamus, tamen reſurgimus: & Rõ. 8.37. *in omnibus* ὑπερνικῶμεν: Quod majus adhuc eſt, etiã in 6. & 7. [calamitatibus ſi ſis, tamen te malũ nõ attinget] Iob. 5.19. Quod omniũ præſtantiſſ. eſt, *in bonum etiam cooperantur*. Rõ. 8.28.

Hinc fit, ut cum naturæ inſtinctu, corporis viribus morbo, aut ſenio confectis, & exhauſtis, anima etiam ſit ad omnia pietatis officia averſa & inepta magis, Eccl. 12. tamen ſemel virtute Spi. Sancti inſtaurata & confirmata (ut dictum eſt) tanto magis corroboratur & vireſcit, quanto corpus viribus languet & debilitatur magis. 2. Cor. 4.16.

Quamobrem deſipere planè oportet eos, qui, animæ cura abjecta, omnem cogitationem ſuam, & ſtudium omne ad corporis cultum convertunt. Corpus ut benè & laute paſcatur, cura ſuſcipitur; cũ ad animæ famem profligandũ nulla cura adhibetur: ut corpus benè & ſplendidè veſtitũ tectumque ſit, multus & aſſiduus labor adhibetur; cum interim anima aut nuda, aut peccatorum pannis obſita incedat: ut corpus validũ ſit, & vegetũ, ſtudioſè agitur, quod tamen marceſſere neceſſũ eſt; ut anima vero vigeat & floreat, quæ ad immortalitatẽ nata eſt, nemo ferè ſolicitus eſt. Corpori ædes ſplẽdidæ extruũtur: cũ interim anima in fœculento & fœtido corpore ſceleribus confecto, tanquã in ſyguria, aut potius hara habitet. Si corpus morbo corripiatur, ilicò medicus arceſſitur, pharmacum adhibetur; anima autẽ ad mortem æternã laborante, de medico nulla mentio, ſpõte ſe offerens ægrè admittitur; medicina, quam admovet, ſi paulo amarior ſit, reſpuitur. Ad hoſtiles ictus propulſandum armatura omnibus partibus abſoluta induitur; cum interim anima inermis hoſtium inſultibus opponatur. Quod tanto magis damnandum quod inferorum acies Satanas, caro, mundus prælium adverſus animam inſtruit. 1. Pet. 2.11. Sicut enim hoſtiliter pugnantes ſemper caput, aut cor petunt, ut vitam adimant: ſic hoſtes ſpirituales animæ plagam καιρίαν infligere expetunt.

Contrà animâ paſta, veſtita, curatâ, propugnata &c corpori per omnia cõſulitur. Quare amẽtiæ eſt vel maximè, animâ neglecta, in corporis curã incũbere, quæ irrita prorſus & inanis eſt; nec irrita modo, ſed ad ipſius corporis exitium ſpectans. Potius operam animæ excolendæ navemus, qua cum anima corpus conſervetur.

In poſt. hem. aliud argumentum eſt, quo S. Sanctus noſtam in animæ corroboratione induſtriam exacuit; quod anima dejecta & quaſſata nunquam inſtaurari, aut erigi poteſt, ut quæ tanquam lapis, aut plumbum in imum inferorum fundum demerſa peſſundatur. Videmus enim homines integerrima valetudiue & forma præditos, qui, ſimulac animi dolore & ægritudine cruciantur, ilicò (ſed ſenſim) meacerantur & tabeſcunt, quo ad mortem cum vita commutarint; qui omnes ciborum delicias faſtidiunt, quibus omnis hujus vitæ faſtus & pompa inviſa ſunt, quibus jucundiſſ. amici & propinqui faſtidio ſunt muſica odioſa. Deo enim adverſo & infeſto, quid eſt, aut quis eſt, qui illi levationem adferat?

Sunt quædam ita comparata, ut collapſa inſtaurari denuo poſſint; unde eſt ut de eorum incolumitate & conſervatione non tam ſimus ſoliciti: ſed ſiquid hujuſmodi ſit, ut fractum refici, & refingi nequeat, curam adhibemus magnam, ne caſu aliquo inconſultè frangatur; ut in vitreis vaſis cernere licet. Quãta igitur cura adhibenda eſt, ut anima, adverſus omnem caſum & contritionem muniatur! Quod enim pretium dabit quis pro anima? Aut quomodo damnum hoc reſarcietur, cum igne divini judicij, tanquam Sodoma &c. conflagrabit?

Quid igitur? An deſperandum eſt, cum in gravem animi cruciatum incidamus; &, ſpe omni abjecta, noſmet angoribus obrui patiamur? Minimè vero. Nã Deus unus animum fractum, & quaſſatum erigere & reſtituere poteſt, idque verbo ſuo, cui innitentes è naufragio emergemus, & caput attollemus. Sed cavendum, ne, ſi Deum ſe nobis offerentem rejicimus, ille ſe neceſſario noſtro tempore ſubducat ſubtrahatque. Potius in ſumma pace, tanquam rerum omnium affluentia conſolationes Dei coacervatas in animæ noſtræ cellis & veluti granariis recondamus, ut die tentationis, tanquam fame nos infeſtante, non deſint, quibus ægram animam noſtram ſuſtentemus.

V. 15. *Cor prudentis poſſidet ſcientiam, & auris ſapientum exquirit ſcientiam.*

In לב (*cor*) eſt ſynecd. partis, affectus ſc. animi pro animo. Item in אזן (*auris*) pro eo, cujus eſt auris.

Summa eſt; verè prudentem eſſe, qui, ſcientiâ in imis animi penetralibus recondita, illam porro auditione verbi ſitienter & avidè perſequitur.

Prudentiam Salom. in eo collocans, quis illam corde poſſideat, plurimorum vanam & frivolam fiduciam perſtringit: ſunt enim qui ſibi ſatis eſſe putant, ſi prudentiæ auditores ſint modo, ut nihil amplius percipiant, ut ſtulti de docto præceptore gloriantur, à quo tamen nihil didicerint, nihil retinuerint. In quo genere ſunt hi, qui *ſemen ad viam tritam accipiunt.* Matth. 13. Alij Spiritus ſumunt, quod, quæ aut legerint, aut audierint, memoriâ retinentes illa memoriter recitare poſſint, tametſi non magis quam pſittici quicquam eorum, quæ ore pronuntiant, mente & intelligentia comprehendant. In quo genere non pauci inveniuntur noſtra hac ætate: qui ad priores non incommodè revocari poſſunt, cum perinde valeat, nihil tenere memoria, & retenta non intelligere. Eſt tertium genus hominum, qui, quod audiunt, memoria retinent & ſimul, quod dicitur intelligunt, ſed interim nulla ſubjecta fundamenta & baſes habent; qui præcipua religionis capita tenent; & interrogati de illis reſpondebunt; ſed ſi rationem ab illis quæras, & quibus ſcripturæ teſtimoniis doctrina,

doctrina, quam profitentur, innititur, nihil reſpondere norunt. Atque hi ſunt, qui ſemen verbi in terra petræa accipiunt, in quibus verbi ſemen radices non agit. Quartum genus eſt eorum, qui, quæ docentur, memoria ſepiunt, intelligunt probè, ſubjectas ſingulis myſteriis rationes perſpectas habent, ſcript. teſtimoniis eam confirmare & munire valent, de his accuratè diſſerere norunt; cum tamen interim nullo doctrinæ ſanctæ ſtudio, aut affectu ducantur, qui terræ ſimiles ſunt, qui ſemen ſatis profundè admittunt, ſed quod amoris & affectus defectu ſuffocatur rerum mundanarum ſtudio & deſiderio. Quamobrem hi veri ſapientiæ, & genuini filii ſunt, qui audiunt, audita memoria retinent, retenta memoria ſubjectis rationibus intelligunt, benè intellecta ſtudio & amore proſequuntur. Hi demum ſunt, qui prudentiæ poſſeſſores & juſti domini ſunt; quibus nemo poteſt, quam prudentiam compararunt, ulla aut vi, aut fraude eripere; qui ſuam prudentiam non commodato accipiunt, ut illam poſt reddant & reſtituant. Hinc eſt, quod Sal. doceat, *arborem vitæ his eſſe, qui prehendunt ſapientiam & illum beatum eſſe, qui illam firmiter retinet.* Prov. 3. 18. Fœmina neque ſemen accipiendo concipit, nec illud retinendi ad juſtum partum & tempeſtivum viribus inſtructa eſt, ex conceptu nihil præter mœrorem accipit.

Quid autem ſit ſapientiam poſſidere, Sal. ipſe videtur non obſcurè ſuis partibus deſcribere: ſc. non oblivіſci, nec ab illa deflectere, non relinquere illam, & illius amore teneri. Prov. 4, 5, 6.

In altero hem. docetur, eum, qui verè ſapiens eſt diligentem eſſe ſapientiæ auditorem; & illam ut argentum, & theſaurum exquirere, Prov. 2. 4. Qui igitur ſaturi ſunt, & ad ſatietatem didicerunt, indicio eſt, eos nihil ritè ex Euang. percepiſſe. Hinc eſt, quod David inſtructiſſimus mirifico deſiderio audiendi & diſcendi tenebatur Pſa. 42. 1. 2. & 119. 27. 33. 34. Plerique ſunt, qui in una arte diſcenda totam ætatem conſumunt, nec illam plene perceptam habent. Quanto magis convenit in hoc ſtudio divinæ ſapientiæ conſeneſcere, cum ejus ſtudio in dies ſapientior evadat? Prov. 1. 5.

Hic condemnantur hi, qui ſuis ſe ſtudiis & meditationi addicentes Miniſterium verbi aſpernantur, cum ex auditione ſapientia vel maximè acquiratur, Rom. 10. 17.

V. 16. *Donum hominis dilatat ei [viam,] & coram magnatibus deducet eum.*

In ירחיב *(dilatat)* eſt met. ab his, qui in anguſtiis compacti poſt in ſpatioſum & amplum locum veniunt, tranſlata ad eos, qui, cum calamitate premuntur, poſt illâ erepti commoda fortuna utuntur.

In מתן *(donum)* eſt προσωποποιΐα. Muneri enim tanquam homini manum affingit, qua datorem, quo vult deducat.

Summa eſt; munus plurimum momenti habere ad illud, quod cupimus, efficiendum.

Cap. 17. v. 8. & 23. docetur, munerum corruptelas magnam vim habere ad jus pervertendum: hoc loco de munere doctrina proponitur generaliùs. Docetur enim donum ad rem quamque perficiendam opportunum eſſe, ſive licitam & conceſſam, ſive prohibitam vetitamque. Nam munus inſtruere ἐκ τῶν μέσων eſt; & proinde, prout adhibetur ad cauſas honeſtas, aut inhoneſtas, ita in laude, aut vituperio eſt. Laudi .n. ducitur Iacobo, quod ad ſedandum fratris Eſ. furorem donum inſtruxit & apparavit: item Abig quod ad flectendum Davidem munus ſuum præmiſit. Contrà vero Zibæ munus, quo Davidis

vidis animum ad calumniam adverſus Meph.accipiendum pertraxit, vituperio ducitur. Neq;enim donorum abuſus legitimum eorum uſum tollit.

Interim hominum ingenium taxatur à S. Sancto, quod eſt ferè ad munera accipiendum plus ſatis propenſum. Nihil n.impedit, quo minus in vitio ſæpe ſint, qui munera accipiunt, cum tamen culpa vacant, qui illa mittunt. Atque etiam in illis ipſis donis, quæ abſque injuria accipiuntur, ipſa tamen cupiditas dona accipiendi à vitio non abeſt. Atq ; hoc eſt, quod hoc Proverbio perſtringitur. Nam hoc loco innuitur, viam veluti anguſtiorem eſſe , quam ut quis ſe inferre poſſit, niſi dono dilatetur, & ſpatioſa reddatur; portam veluti obſeratam eſſe,niſi munere,tanquam clavi reſeretur; adeò ut per eam ſoli intrant portantes ; magnates veluti in edito, & inacceſſo loco eſſe, quem nemo poſſit,niſi ſcalâ muneris adhibita,aſcendere. Hanc cupiditatem accipiendi reſtinguere voluit Chriſtus inſigni dicto , quod Paulus commemorat; *beatius eſt dare , quam accipere*. Act. 20. 35.

Iſta modò cupiditas ſi abſit, donorum datio & acceptio non nunquam in laude ſunt. Cujus gen.ſunt ſtrenæ,quæ divites divitibus mutuò vel ad ineundam, vel firmiùs devinciendam amicitiam dant , atque accipiunt. In quo gen. ſunt illa dona,quæ in Eſter.præcipiuntur. Item cum dona exilia & minuta exporrecta fonte alacri animo accipiuntur. Eſt enim quoddam munificentiæ genus à paupere munus parvum quo gratitudinem ſuam teſtari vult,boni conſulere.

Deniq; in accipiendis muneribus optandum eſt,eos qui accipiunt,ita eſſe cõparatos,ut Deus in muneribus accipiendis. Is enim diſertè præcepit, ne quiſquam ſolemn bus feſtis vacuus munere coram ſe compareretExod.23 15.& 34. 20. Sed hoc totum non alio conſilio exigit,quam ipſorum bono,qui munus illud afferunt, ſc.ut, hac occaſione arreptâ , in illos munificentia utatur,& eos ſuis bonis locupletet. Idem animus eſſe debet,qui inChriſto fuit,qui aquæ frigidæ cyathum à fæmina petiit,ut illam auguſtiſſ. & pretioſiſſ.Spiritus Sancti dono remuneraret. Ioh.47,14.

V.17. *Juſtus videtur,qui eſt prior in lite ſua : ſed venit proximus ejus & perveſtigat eum.*

Summa eſt;niſi causâ prius diſceptata utrinque, & plenè percepta, nihil eſſe in alterutram partem ſtatuendum.

Sicut ſuperiore Proverbio perſtringitur cupiditas munera accipiendi:ſic&hoc Proverbio temeritas de rebus dubiis ſtatuendi. Taxatio vero iſta, cum ad eum, qui prior cauſam ſuam dicit : tum vero præcipuè ad judicem ſpectat. Hinc Proverbio apud nos celebratur ; *the firſt tale is good, untill the ſecond be heard*. Et quidem , quod ad actorem attinet, tametſi nemo alterum in jus vocare debet,quem non imbuerit aliqua perſuaſio juſtitiæ illius cauſæ, quẽ in judiciũ adducit, tamen non convenit, ut nimium ſit in cauſa ſua præfidens, &judicis officiũ præripiat ſibi de re controverſa certũ aliquid ſtatuẽs.

Sed majus periculum eſt in judice, ne præjudicio occupatus ex actoris narratione erga reum ſe iniquum præbeat. Cũ enim varie & multifariam à judicibus in utroq;diſceptatore ęque peccetur perſonarum acceptione& munerũ corruptelis tum hoc peculiare periculum eſt inActore;ne ſe ab illo præoccupari ſinat.In quo lapſus proclivis eſt ob duas cauſas: Prior eſt,quia in mentem venire probabili conjectura poteſt, eum, qui litem in judicio intendit, non facilè id facturum, niſi injuriâ laceſſitum. Vbi tamen ſuccurrat, quod

quod proverbio noſtro jactatur, eſſe hominum genus, qui ſimul & mordent & plorant; Apud nos: *He will bite and whine.* Poſterior lapſus cauſa eſt quia oratio & narratio actoris probabilitate perfuſa facilè animum judicis illabatur: Unde fit, ut, qui animum integrum & erectum ad judicium attulit, hoc modo ad alteram partem inclinet.

Hic igitur Dei juſtiſſ. judicis exemplũ nobis ad imitationem proponendum erit: ad quem quanquam clamor peccati (tanquam accuſatio gravis) Sodomæ & Gomorræ perveniſſet, tamen ſe deſcendiſſe profitetur, ut ſciret, an res ita ſe haberet, Gen. 18.20.21.22: & 11.5. Quod dictum ἀνθρωποπαθῶς judices admonet, nequid temerè & fortuito conſtituant.

Deinde tenendum illud inſigne dictũ Levitæ; [adhibete animum, conſilium inite, & ſententiam dicite, Iudic. 19. 30. Vide exemplum hujus in judicando æquitatis, 1. Regum 3.

Poſt ſubnectitur, reum venire, & cauſam ſuam dicere; quo ſubindicat, reum præſentem actoris accuſationem auribus accepiſſe. Quamobrem illud nunquam ſatis laudatum jus eſt, quod etiam apud Romanos obtinuit, ut neutra pars in judicio audiretur, niſi utraque præſens & coram eſſet. Nam cum periculum ſit, ne judicis animus ad actoris cauſam inclinet ob eam tantum cauſam, quod prior dicit, nedum gravius periculum imminet, ſi, reo abſente, accuſatoris oratio (ſumpto ſpatio temporis) apud judicem pernoctans altiùs inhæreat, quam ut poſt animo ejus (quantumvis juſta defenſione) eximi poſſit, & expectorari.

Quod Salom. non dicit, illum, qui poſterior dicit, cauſam obtinere, quanquam juſtam afferat defenſionem, videtur corruptelam præjudicii notare, qua ſæpe fit, ut judex ſuperiore accuſatione abductus & abreptus ad defenſionem minus attentus & æquus ſit. Quod ut omnes fugiamus (omnes certe velle debemus) cavendum eſt, nequid præcipitemus, quo, quid animi habemus in illa cauſa, palam proferamus. Tanta eſt enim φιλαυτία nobis innata, ut nos noſtraque omnia valere & firma eſſe cupiamus. Quamobrem cavendum, ne verbulum nobis excidat, quo, quid ſententiæ habeamus, intelligatur. Prov. 20. Salom. remedium adverſus vindictã præſcribens cavere jubet, ne hoc ſe facturum minetur. Quod non minore prudentia & cautione ad hanc rem transferri poteſt & debet: ſicut etiam transfertur ad alia, quæ patrantur, ſcelera.

Verſ. 18. Contentiones ceſſare facit ſors, & inter robuſtos dirimit.

Summa eſt; ſingularem eſſe ſortis uſum in componendis litibus, maximè cum inter Magnates contentio oboritur.

Cap. 16. ult. accepimus, ſortem eſſe Dei mundi judicis quaſi vicarium, qua Deus ipſe de rebus dubiis, & nulla hominũ arte, aut ingenio inveſtigandis decernit. Hanc rem confirmat Salom. præſenti Proverbio cum eo, quod anteceſſit, comparato. Nam ſuperiore Proverbio de ordinaria litium finitione doctrinam inſtituens hoc loco remedium his præſcribit, quæ teſtibus, aut rationis magiſterio definiri nequeunt: ut ipſa Proverbii poſitio & connectio nobis ad hunc Proverbii uſum ediſcendum præluceat.

Deinde uſum magis particularem ſortis deſignat, litium diremptionem. Valet ad rerum reconditiſſ. perveſtigationem, quemadmodum ſæpe ad eam rem adhibita eſt. Valet porro ad concordiam alendam, ubi prius culta eſt, ut in hæreditatibus dividundis. Hoc autem loco ſpecialem uſum deſignat, dirimendi controverſias, quæ inter Magnates incidunt.

Quod ſiquis quærat, annon etiam robur

habeat ad ſedãdas lites inter infimæ conditionis homines? Omninò valet. Excipienti rurſus, cur non illud in genere tradidit Salom. cum illud ἐπιστημονικώτερον ſit, quam in ſpecie doctrinam tradere; Reſp. plus prodeſſe ad ſcientiam ingenerandam aliquando ſpeciatim aliquid dicere, quod γενικῶς dici poſſit, maximè cum ſpecies illa non modò genus ſuum arguat: ſed etiã habito reſpectu ad reliquas ſpecies alterius argumenti vim obtineat (ut hîc) majoris: maximè cum veritate in ſpecie cognita, illud in toto gen. percipi neceſſum eſt, ut in hoc exemplo. Nam ſi lites ſors inter Magnates dirimit, nedum inter infimi ordinis homines.

Hac autem εἰδικωτέρᾳ tractatione innuitur nõ obſcurè, quod univerſali tractatione non emerſiſſet, ſcil. lites inter Magnates ægrè & difficulter tolli.

Quo docemur concordiam & pacem ut inter omnes, ſic præcipuè inter Magnates, & eos, qui principatum obtinent, colendam & fovendam eſſe, ut quæ difficulter ſemel violata recuperatur & redintegratur, quod clientelis, ſocietatibus, pecuniæ confiſi mutuò non cedunt, & cedere ſibi infamiæ ducunt, cum quod ſorte dirimitur, ad neutrius infamiam redundat. Neutrius enim aut ſapientiæ, aut potentiæ, aut opibus in hoc judicio præjudicatur. Deinde quod contentio ab illis initium capiens longe lateq; ad omnes, qui illis ſubſunt, ſerpit & pervagatur. Quẽadmodum ſi Rex cum altero Rege inimicitias exerceat, in idem odium omnes utrinque ſubditi pertrahuntur: Si lis inter Eccleſię gubernatores intercedat, Eccleſia in partes diſcinditur: ſi in familia lis ſit marito cum uxore, tota familia diffinditur. Secus eſt, ſi inter ſubditos, cives Eccleſiæ, aut ſervos diſſentio oriatur. Nec enim tam latè ſe diſpergit & diſſeminat. Sicut enim pretioſum unitatis unguentum capiti affuſum ad omnia membra celeri curſu defluit; & ſicut pluvia ſuper montem Hermonis cœlitùs demiſſa ad omnes convalles decurrit: ſic contrà contentio in Principibus, tanquam capitibus populi, & Magnatibus, tanquam montibus reſidens ad illos, qui ſubſunt, tanquam ad inferiora membra, & convalles dilabitur & deſcendit.

V. 19. *Frater defectione provocatus [firmior] eſt urbe munitionis: & contentiones ſunt tanquam vectis arcis.*

In אח *(frater)* eſt ſynecd. part. pro ſorore, & omnibus, qui ſanguine nobiſcum arctè copulati ſunt.

Summa eſt; quo quis arctiore vinculo cum alio devinctus eſt, eo magis irreconciliabilis exiſtit, poſtquam ſe à ſuo propinquo læſum animadvertit.

Homines id ingenii habent plerunq;, ut animi, aut commodi ſui cauſa illos non dubitant injuriis laceſſere, quos ſibi conjunctos eſſe norunt. Nam aut minime offenſos fore ſperant, aut ſi abalienatum animum gerant, tamen cito cum illis in gratiam redituros ſibi perſuadent. Quorũ utroq; illos errare & decipi ex hoc Proverbio conſtat. Nam & offenſionem accipere, & acceptam mordicùs retinere hoc Salom. dicto confirmatur.

Hujus rei cauſa in promptu eſt, quod ubi plus gratiæ & beneficentiæ repoſitum reconditumque eſſe in animum nobis induximus, ab illis, ſi non modo nihil accipimus beneficii, ſed porro injuriis immerentes oneramur, vix dici poteſt, quanta ira & excandeſcentia exardeſcimus. Omnino enim fit, ut qui ad iram concipiendum tardiores ſunt, poſtquam conceperint, illam non facile deponunt. Funis, qui ex multis filis contortus eſt, non facile ſeu ſecatur, ſeu rumpitur; ſed diſſectus aut

aut ruptus ſemel non tam facile innodatur, ut quod tenue eſt, & uno alterόve filo conſiſtens.

Hujus exemplum illuſtre eſt in Eſavo, qui à Jacobo nonnulla injuria irritatus illam offenſionem accepit, quam nunquam depoſuit, & quam ad poſteritatem transmiſit ad eum modum, ut fratribus ſuis tranſitum per regionem ſuam non conceſſerint, Num. 20.

Quamobrem danda opera eſt illis, qui interiore amore ſanguinis, aut affinitatis conjuncti ſunt, ne illos, quibuſcum conjuncti ſunt, temere irritent, & injuriis provocent, ne ſuæ ſtultitiæ præmium auferant, dum inde grave incommodum accipiant, unde ſingulare vitæ præſidium expectabant.

Hoc autem Proverbio notatur naturæ noſtræ pravitas, quæ ſe recolligi & reconciliari non patitur cum his, cum quibus conjunctiſſime vivere debet; nec cum illis in gratiam redire, quibuſcum præcipua quædam redintegrationis adminicula habet, Gen. 13. 8. & 50. 17. Nam ſuave nomen fratris illos deberet ad ſe conciliandum permovere. Quamobrem tantam diſtractionem fieri, ut facilius ſit munitam urbem occupare, aut arcis vectem ferreum aut chalybeum perfringere, inſignem duritiem, & à charitate averſionem arguit.

Hic vero expendenda nobis venit ſpiritualis cognatio, quæ tam firma eſt, ut nullis injuriis diſſolvi, aut perfringi poſſit: & nullas eſſe tantas & tam confirmatas inimicitias reputemus, quas Chriſti ſanguis non extinguat; aut adamantinas, quas non perfringat.

Verſ. 20. Ex fructu oris cujuſquam ſatiabitur venter ejus, proventu labiorum ejus ſatiabitur.

In פי (*oris*) & תבואת (*proventu*) eſt metaphora ab hortis & agris ad ſermonem hominis tranſlata. In פרי & שפתיו (*labiorum ejus*) eſt metonym effic. In בטנו (*venter ejus*) eſt ſynecd. part. non diſſimilis ei, quam communi ſermone uſurpamus, *he shall have his belly full.* Item in שבע (*ſatiabitur*) eſt continuatio metaph. fructus & proventus.

Summa eſt; hominis ſermonem plurimum noſſe in utramque partem, vel ad bene beateque, vel contra vivendum.

Cum fructibus & proventui, ſeu vectigali ſermonem comparet, docemur, in ſermone aliquid eſſe, quod noſtro aut bono, aut malo cedat; quandoquidem in his fructibus & proventu longè ſecus ſit, quam in terreſtribus, quos aut guſtare, aut repudiare liberum eſt; cum hos percipiendi, & veluti eis veſcendi neceſſitas inevitabilis incumbat. Cum autem addit, ventrem ſeu quemque hoc fructu & proventu ſatiari, docet, plurimum, vel omnia potius in uſu ſermonis poſita eſſe, quibus vel ad miſeriam, vel ad beatam conditionem itur.

Quamobrem diligenter nobis circumſpiciendum erit, ut ſermone ſic utamur, ut nobis ad interitum fatalis non ſit. Et quidem quis ſit natura, quam virulentus & purulentus; quam in cœlum & terram, in Deum & homines blaſphemus & inſolens, cum ex Prophetis, tum Apoſtolis liquido conſtat, Rom. 3. 13. Quod ſi illa pravitas, quæ natura illi inhæret, uſu & conſuetudine, & imitatione malorum confirmetur, toxicum & aconitum adhuc magis lethale & mortiferum efficitur, eoque citius ad maturitatem & ſatietatem homines provehit.

Ubi tamen quæritur, quomodo verum ſit, quod de ſatietate & ſaturitate hoc loco affirmatur: quandoquidem ingenium eſt eorum, qui ſermone peccant (ut in omni peccati gen.) fame quadam & ſiti maledicendi corripi. Sicut etiam qui fideles

deles ſervi Dei ſunt, quod ſanctum eſt, retinere & comprimere nequeunt. Reſp. Satietatem hanc & ſaturitatem Salom. metonymicè intelligit pro effect. ſermonis ſc. conpenſatione & remuneratione, qua Deus ſermonem purum, aut impurum, caſtum, aut pollutum præmio, aut pœna afficit.

Lingua igitur, ſeu labium, ſeu os eſt auguſtus admodum agellus ſed mirum in modum fœcundus, ut qui fructum & proventum edit, quo totum corpus, atque adeò anima ipſa ſatiatur. Hoc igitur noſtram induſtriam excitare & exacuere debet, ut puro, lecto & pretioſo ſemine conſeratur; quandoquidē proventum ubertimum fert. Atq; hoc eſt, quod Iacobus. 3. docet linguæ moderationē totum reliquum corpus ſequi. In homine prima cuſtodia & primæ excubiæ ſunt in corde, ſeu in animo, ut Sal. requirit 4. 23. Sed in corporis partibus præcipua cura poni debet in linguæ cultura. Magnū eſt in agricultura, ſiquis in terrā feracē incidat quæ, tametſi anguſtis finibus & clauſtris contineatur, tamen meſſem inde percipiat, qua ſe, & totam familiam alat. Atque hujuſmodi ager eſt lingua, cujus ſancto uſu & ſibi, & ſuis, & aliis pleriſq; prodeſſe poteſt. Quamobrem noxiæ herbæ illi evellendæ ſunt; & primum quidem urtica vanitatis verborum, deinde lolium mendacii, ſpinæ blaſphemiæ.

V. 21. *Mors & vita ſunt in manu linguæ: & quiſquis amat ea uti, comedet fructum ejus,*

In יד *(manu)* eſt metonym. ſubj. pro adj. poteſtare. In אכל פריה *(comedet fructum ejus)* eſt allegoria de his, qui mercedum juſtam factorum ſuorum accipiunt, ducta ab illis, qui fructum percipiunt ex arboribus, quas ipſi conſeverunt.

Summa eſt; ex ſermonis uſu & exercitatione recta, aut prava, aut vitam, aut mortem; juſtificationem, aut condemnationem tanquam præmium redundare.

Sicut paterfamilias ſæpe famulas admonet, ut ignem diligenter ſuperinductis cineribus obducant, ne, ſi emanet, incendio excitato, longè pervagetur: ſic Deus per Salom. homines appellat ſubinde, ut linguam ſervent.

Priore parte verſus definit fructum linguæ, quo homines ſatiari docuit ſuperiore verſ. Vita enim eſt fructus, quē percipit quis ex puro ſermonis uſu; prout mors ex impuro. Sicut igitur ſuperiore Proverbio induſtria frænandi linguā exacuebatur, quod uberrimus fructus inde proveniat: ſic hoc Proverbio ſtudium accenditur, quod fructus, quem percipimus tanri ponderis & momenti ſit. Eſt enim arbor vitæ his, qui illa bene utuntur; arbor vero mortis ea abutentibus. Et vita quidem provenit cum præſens, (ut conſtat Pſalm. 34.) tum futura; (ut liquet Math. 12. 36. 37.) ubi eſt ſaturitas vel maxima. Unde conſtat, beatum illum eſſe, & perfectum, qui lingua rectè utitur, ut Iacobus loquitur. Nam comedere ex fructu arboris vitæ non datur, niſi victoriam reportanti ex diabolo, carne, & mundo, Apoc. 2. 7.

Quod autem dicitur, in poteſtate linguæ vita & mors, nihil momenti habet ad liberum arbitrium aſſerendum. Nā cum lingua naturâ noſtra venenum aſpidum ſub ſe cōtineat, cum ſit ſepulchrum apertum guttur, quid boni inde proficiſcitur? Deinde non loquitur de ulla linguæ in utramque partem facultate, ſed tantum de præmio puræ, & pœna impuræ, quæ neceſſario, non autem ex delectu, cuique, prout lingua uſus eſt, obtingit: ut ſenſus non ſit, penes quemque eſſe eligere, quod bonum eſt, aut malum; vitam, aut mortem; ſed quemque in poſſeſſionem mitti

mitti vitæ, aut mortis, prout aut naturæ inſtinctu intemperāter lingua abuſus eſt, aut Dei gratiâ cœlitus dimiſſa eâdē moderatè uſus eſt. Poſſeſſio autem non eſt ſemper voluntaria, aut arbitrii noſtri.

In poſteriore parte Proverbii docet, qui ſint, qui vel vitam ex recto, aut mortem ex depravato linguę uſu percipient; nempe qui ſtudio aut hujus, aut illius tenentur, ſcil. rectè, aut perperam loquendi. Quamobrem non omnis, cui excidit ſermo depravatus, morte mulctabitur; nec qui bona verba loquitur, vitam ſemper conſequitur: ſed qui ſtudio & amore hujus, & illius tantum ducuntur. Moſes enim & David temerè quædam effutiebant, nec tamen mortui ſunt: Judas & Balaam multa præclara dixerunt, qui tamen non vivunt. Quod quidem non minus verum eſt de his, qui audiunt ſermonem alterius, quam de eo, qui loquitur.

V.22. *Qui invenit uxorem, invenit bonum, prout provenit benevolentia à Iehovah.*

Summa eſt; uxorem rem in ſe bonam homini quærenti obvenire, prout Deus benevole hominem proſequitur.

Bonum eſſe viri cum fœmina in matrimonio conjugationē, docetur Dei ipſius authoritate Gen.2. idq; cum adhuc nulla peccati labe infectus erat: nedum jam bonum eſſe oportet, quandoquidem quęcunque cauſæ hujus bonitatis & commoditatis primo extiterunt, illæ omnes peccati labe magis adhuc urgent, quam olim ante peccati ingreſſum. Magis enim jam eget auxilio uxoris, quam tum, ad vitæ ſocietatem. Orbitas etiam liberorum acerbior jam eſt ob mortem, cui homines obnoxii ſunt, quam futura eſſet, ſi homo ſemper vixiſſet: quandoquidem proles & poſteritas aliquam adverſus mortem levationem adfert. Ad hanc bonitatis accretionem acceſſit nova cauſa, ſcil. remedium adverſus fornicationem, 1. Timoth. 4.3. Quamobrem Pontificii merito damnantur, qui matrimonium non paucis prohibent. Quandoquidem omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione ſumitur. Huc accedit, quod Salom. de ſocietate κοινῶς dicit, conditionem ſolitariè viventis incommodam, & duorum inter ſe conjunctorum ſocietatem multifariam conducere, Eccl. 4.9.

Deinde quod dicit, eum invenire, ſubinnuit uxorem quærendam eſſe. Quærendi autem ratio in ſcripturis exponitur. Nam Judic. 14. Sampſon parentes rogat, ut illi de uxore proſpiciant. Præcipua vero quærendi ratio eſt per preces ad Deum fuſas. Cujus exemplum extat Geneſ. 24. ubi in procuranda pro Iſaaco uxore preces ad Deum inſtituuntur, eæque multiplices, primum ab Abrahamo: deinde ab Eleazaro Abrahami ſervo, præterea ab Iſaaco, denique à parentibus Rebeccæ. Quamobrem ſimul ac ſubit animum ducere uxorem, ſimul animum ſubintret cogitatio cauſam hanc connubialem Deo precibus commendare.

Quum quis operam dedit quærendæ uxori, & quidem illam à Deo precibus obtinuit, tamen hoc totum, quicquid eſt boni, à mera Dei benevolentia & voluntate proficiſci docetur. Primum enim *omnis donatio bona, & omne donum perfectum cum ſit à patre luminum*, Jaco. 1. uxorem bonam, quam Sal. facultatibus ſimul & hæreditati præponit, Prov. 19.14. ex Dei largitione manare neceſſum eſt. Sicut autem à Deo manat, ſic à gratuita Dei voluntate ſine ullo cujuſquam merito provenit. Sicut enim odio Dei fit, ut quis in ſcortum incurrat; Prov. 22.14. ſic ejus gratuita voluntate uxorem conſequitur.

Quamobrem Deo nos gratos ob tan-

tum beneficium prẹſtemus; & ut uſus cibi nobis licitus non eſt, niſi precum, & gratiarum actionis interventu; ſic neque matrimonii 1. Tim. 4. 4. 5.

Sed hic quẹritur, num, ſiquis in uxorem moroſam, & difficilem, rixoſam & contentioſam inciderit, illa etiam in beneficiis numeranda ſit? Reſp. omninò ſi ſit uxor, quoad uxor eſt, in bonis cenſenda; eoque ipſo eam fovere & amare tenetur, dummodo ſe caſtam ſervet. Nemo autem fovere & amare tenetur, niſi quod bonum eſt. Sicut igitur Magiſtratus, eo quod Mag. eſt, nulla ſua improbitate efficere poteſt, ut aliquid boni ad homines ejus præfectura non redeat: ſic neque uxor, quantumvis ſe moleſtam exhibeat, irritam omninò Dei beneficentiam faciat.

Quod ſi uxor, quatenus uxor eſt, in bonis & beneficiis numeretur; nedum bona & pia & obſequens uxor. Nihil tamen obſtat, quo minùs certis perſonis & temporibus virginitas præferri poſſit.

Quod de uxore dicitur, idem parva verbornm inflectione de Maritis affirmari queat.

V. 23. *Supplicationes eloquitur pauper: at dives loquitur robuſta.*

In רש (*pauper*) & עשיר (*dives*) eſt ſynecdoch. pro omni calamitoſo, aut hujus vitæ commodis externis abundante. In עזות (*robuſta*) eſt meton. ſubject. robuſtorum ſcil. pro duris. Sicut autem *blandis & mollibus verbis ira frangitur*, Prov. 15. 1. ſic duris excitatur ira, & ex ira rixæ, ex rixis verò cædes proveniunt. Quamobrẽ divites plerumque homicidas eſſe efficitur, niſi Deus unà cum divitiis & potentia animum largiatur mendicitatis ſpiritualis intuitu domitum & ſubactum.

Summa eſt; plus mali in divitiis eſſe, quam in paupertate, niſi quis diligenter & circumſpectè ſibi caveat, ne in ſuperbiæ crimen incidat.

Servator Chriſtus non ſine cauſa dixit, *divites difficillimè regnum Dei intrare*, Matth. 19. 23. Cujus unam ille cauſam modò aſſignat (ſed illam planè præcipuam, & unde reliquæ pullulant,) fiduciam in ſuis divitiis. Sed ex hac ſentina pleraque alia mala manant, quæ hominibus aditum ad regnum cœlorum intercludunt. Quibus ut Spiritus ſanctus divitiarum ſitim & famem ſedare conatur: ſic nonnullis paupertatis commodis, præut quæ divitibus obveniunt, mortales ad patientiam in ferenda paupertate erudit, ut quod aptiores ſunt Euangelio accipiendo, Math 11. 5 quod in Reipub. incendio & per hoſtes vaſtatione mitiùs cum illis agatur, quam cum aliis, Ierem. 39. 10.

Huc refertur, quod hoc Proverbio proponitur, nempe quod pauperes non ſunt tam obnoxii ſuperbiæ, quæ duros ſermones parit, quàm divites.

Quamobrem utramque Proverbii partem ſeorſim excutiamus, quò utriuſque veritas magis eluceſcat. Et quidem quod ad pauperes attinet, 2. cauſæ ſunt, quæ illos ad ſupplices ſermones impellunt. Prior eſt conſcientia imbecillitatis ſuẹ divitum & potentium vim ſuſtinendi, ſi ſemel illos durioribus verbis laceſſerint: Altera inedia eſt, & inopia rerum, quibus ad commodè vivendum deſtituuntur, ne, ſi verbis irritent eos, penes quos illa ſunt, illis penitùs priventur. Quibus adjungi poteſt, quod paupertatis malo domiti & ſubacti minùs ſunt efferi & ſuperbi his, qui in omnium rerum, affluentia vivunt: De his loquor, quos Deus ſuo ſpiritn nondum ad animi ſubmiſſionem erudivit. Atque hoc eſt, quod præcipitur à Salo. ut is faciat, qui pro alio fidejuſſit; ut ſcil. humi ſe proſternat, & eum, cui ſe obnoxium reddidit, extollat verbis, Prov. 6. 3. Proverbio jactatur, nimium eſſe eum ſolvere,

ſolvere,tum ſupplicare, vulgariter, *It is too much to pay & pray too*: cum igitur pauper non habeat, quod ſolvat; ut ſupplex ſit,rectum eſt.

Hujus illuſtre exemplum eſt in Iacobo, qui ſibi & ſuis ab Eſavi ferocia metuens, ſe & ſuos omnes coram illo veluti ad genua provolvens illum ſæpiùs dominum ſuum appellat,Geneſ.33.3. Sic Ioſephus à fratribus vinctus & in puteum projectus illos ſuppliciſſimis verbis rogabat,ut ſe miſſum facerent, neque cum illo tam inclementer & inhumane agerent,Geneſ. 42. 21. Hoc porro in Jobo, Principe regionis, quam incolebat, eluceſcit, qui ſupplex à ſervis ſuis opē petiit, & uxorem per liberos,quos à ſe ſuſcepit, obſecravit, Iob. 19. 16,17. Sed Benhadadi Regis Syriæ exemplum hujus veritatem vel maximè confirmat, qui cilicio ſe induebat, & (ut videtur) funem collo impoſuit, & Regem Iſrael.dominum ſuum vocavit, aut vocari juſſit, 1.Reg. 20. 32, 33.

Ex hoc Proverbio diſcimus, quam nos ſupplices eſſe convenit, cum ad Deum accedimus. Si enim mortalibus tam nos ſubmiſſos & humiles præbemus conſcientia paupertatis noſtræ, & imparitatis cum illis; quanto nos magis coram Deo hoc facere debemus! Scilicet nobis incumbit 100. genua (ſi illa nobis ſuppeterent) coram illo flectere,&verba exquirere,quæ maximam animi ſubmiſſionem teſtentur. Major eſt enim infinitis gradibus imparitas inter Deum & nos,quàm potentiſſimo & auguſtiſſimi Principi cum mendiciſſimo & pannoſiſſimo errone,qui unquam extitit. Præterea paupertas, aut potiùs mendicitas, maximè eorum, quæ ad vitam æternam ſpectant, multo major quam abjectiſſimi homuncionis cujuſlibet in iis quæ ſunt hujus ævi. Sumus enim cæci,ſurdi,claudi,nudi,ulceroſi, omnibus bonis privati, oppleti quoque malis omnibus. Et quidem mortales ſupplicatum accedimus nullis aliquid auferendi promiſſis fulti, aut ſuſtentati; cum tamen ad Deum ſupplices accedentes promiſſis munimur vota noſtra conſequendi.

Hi,qui meritis ſuis confidūt, nunquam ſupplices accedunt,ſed ſuo jure poſtulant, vel efflagitant præſtantiſſ. quæque dona, imò vitam æternam.

In altera parte Proverbij ſpectandum proponitur divitum & potentum ingenium, qui elati fiducia, & potentia, qua pollent.& aliis antecellunt,durè loquuntur,& ruſticè. Deinde temeraria audacia ſibi à paupere & afflicto non metuunt. Poſtremo quod ſibi in ſeipſis αὐτάρκειαν & ſufficientiam affingunt,ut pauperum operâ neutiquam unquam indigeant. Hujus exemplum extat in Nabale, qui legatis à Davide non modò nihil dedit, ſed porro duris conviciis Davidem affecit, 1.Sam. 25. Tanto autem intolerabilior eſt hæc divitum in loquendo inhumanitas, quoad pauperum ſupplicationibus & blandis ſermonibus ad conſimilem in ſermone facilitatem provocantur. In magno autem errore verſantur. Nam pauper illis ad multa utilis eſt. Deinde præterquam quod pauperis opera juvantur,aut læduntur,non reputant, dominum Deum eſſe pauperam,qui vel minimas illis illatas injurias ulciſcitur probè.

Iacobus cap.2. 15. tanquam charitatis chriſtianæ expertes arguit, qui pauperes blandis verbis à ſe ablegant & amandant; nedum illi damnandi ſunt, qui nihil dantes duris eos verbis excipiunt. Nobis autem incumbit, ut benefactis bona verba conjungentes inter hilares datores cenſeamur,quos Deus amat,2.Cor. 8.

V. 24. *Vir amicorum ſe amicum præbere debet. Nam eſt amator, qui plus,quam frater,adhæret.*

ריעים

איש רעים (*vir amicorum*) eſt Hebraiſmus, eſtque meton. ſubj. pro eo, qui lætatur & gaudet amicitiis. In דבק (*adhæret*) eſt metaphora petita à rebus glutine quodam, aut bitumine, alióve tenaciſſimo vinculo conjunctis.

In אח (*frater*) eſt ſynecdoche pro naturâ conjunctiſſimis.

Summa eſt ad alendam & confirmandam amicitiam mutua officia poſtulari, quandoquidem ejus tam præſtans uſus ſit inter homines.

Poſterior pars Proverbij, tanquam prioris cauſa primo tractanda. Ubi pretium & præſtantia amici proponitur & arguitur ab argumento minoris, quia firmiùs adhæret quam frater. Qua loquendi formula illum efficaci amore præfert his, qui nos conſanguinitate quam proximè attingunt. Et alio loco Spiritus ſanctus amicum præferre videtur non fratri tantum, ſed filio etiam filiæve, imo aliquouſque firmitate illum uxori, quæ eſt in ſinu ejus, Deut. 13. 6. cum gradatim aſſurgit à fratre ad filiam, ab his ad uxorē, ab uxore ad amicū, quem ut animā ſuam charum habet. Quod ſi quæras, cur igitur non dixit, quam filius, aut filia: pater, aut mater; Reſpond. delegiſſe fratris nomen præ illis ob paritatem & æqualitatem, quæ eſt inter fratres, quæ eadem etiam viget inter amicos. Et certè videmus Jobum ab uxore ſua, & domeſticis omnibus derelictum, tamen ab amicis comiter & benignè acceptum, utcunque errore decepti illius mœrorem auxerint. Vide exemplum Jonathanis, qui Davidi non tantum regno conceſſit, ſed ſe mortis periculo pro eo objecit. Vide etiam exemplum Johan. Euang. qui Chriſto ad extremum ſpiritum adhærebat, cum fratres illum reliquiſſent.

Hinc conſequitur, amicitias diligenter & ſolicitè colendas eſſe mutuo congreſſu, & mutuis beneficiis arctiùs devinciendas, ſine quibus ſenſim diſſuuntur initia & ſemina amicitiarum. In his enim valere debet, quod Joſaphat parum commodè Ahabo reſpondit: *Ego ſum ut tu, equi mei, ut equi tui, ſervi & ſubditi mei ut ſervi & ſubditi tui*: 2. Chr. 18. 3. Et quod Deus Abrahamo pollicitus eſt: *ero amicus amicis tuis, & hoſtis hoſtibus tuis*. Quanquam nos ita amicitiam colere decet, ut illam cautionem adhibeamus, ne amicorum ſtudio veritati nos hoſtes conſtituamus. In amicitia igitur conſtare nos oporter, ſed ad aras uſque, & quoad etiam honeſtatis fines non tranſiliamus, ut Jehoſaphat fecit, & Judæ amicus Gen. 38. v. 20. 21.

CAPUT XIX.

Verſ. 1. *Melior eſt pauper ambulans in integritate ſua divite perverſo labiis ſuis, quia eſt ſtultus.*

SUmma eſt; pietatem cum paupertate conjunctam divitiis à pietate diſtractis pręponendam.

Divitiæ periculum ſtruunt domino & poſſeſſori ſuo ex ingenita cuique naturæ pravitate, qua dives fiducia divitiarum intumeſcit & inflatur. Periculum hoc in ſe grave gravius efficitur ſtulta aliorum hominum de divitibus opinione & immoderata exiſtimatione: quam propheta hoc Proverbio perſtringit & pervellit.

Nullum Dei donum eſt, quod non eſt ab hominibus æſtimandum, eoque ipſo illis donis præditi pro donorum pręſtantia & diverſitate complectendi & æſtimandi ſunt. Quamobrem non eſt contra officium, ſi dives pauperi aliquouſque præferatur, dummodo cæteris pares ſint. Sed ut omnia Dei dona complectenda & honore proſequenda ſunt; ſic etiā quodq; donum,

donum, ut eſt præſtantius, & ad Dei gloriam exornandum, aut hominum emolumentum procurandum accommodatius, majore in pretio habendum. Hinc eſt, quod Apoſt. Cor. exagitet, quod linguarum donum, quod plus oſtentationis habet, dono Prophetiæ, quod plurimum ad ædificium Eccleſiæ confert, antepoſuerint, & quod charitatem utrique non antetulerint. 1. Cor. 13. & 14.

Si, cum ſtrenæ, aliáve munera Regibus exhibentur, pluris fieret figulinum vas, quod ſocius obtulit, tuo, quod donaſti, aureo; an non hoc te ureret & pungeret acerrimè? Quanto magis meritò ſuccenſeat Deus, cum ejus munera infra dignitatem æſtimentur;

In hoc igitur peccant homines graviter, cum diviti ſtulto pauperem probum poſtponunt. Eccl. 9. & alibi Sal. prudentiam quandam civilem & polit. quæ cernitur in rebus hujus ſæculi cōmodè procurandis, divitiis & potentiæ externæ præponendam judicat; nedum ſapientiam illam, quæ ſola ſapientiæ nomen meretur. Si igitur peccant, qui prudentem pauperem non præferunt diviti, nedum peccant gravius, qui pauperem pium & probum diviti improbo non anteponūt. Quid enim profuerint divitiæ, ſi animæ jacturā feceris, ut totū mundū lucrifacias?

In hoc genere cum multi peccent, tum nulli gravius delinquunt, quam hi qui pietatem profitentur, & pietatis cultores haberi volunt. Sicut enim militaris diſciplinæ peritus plus cæteris omnibus culpatur, ſi militem ſtrenuum & bellicoſum pro merito non æſtimet: ſic Eccleſiæ cives jure optimo damnantur, ſi majorem divitiarum, quam pietatis rationem habent. Hinc eſt illa Iacobi acris reprehenſio c.2. Contra laudi immortali ducitur Moſi, quod paupertatem cum populo Dei theſauris Ægyptij prætulit Heb.11.

Deinde occurritur alteri malo. Nam ut divitem honorāt ſupra modum, quod dives; ſic ſi ad divitias accedat perverſitas quædam & vulpeculina calliditas, qua ſe ad omnia accommodare norit, & tempori, tanquam ſcenæ ſervire, illum adhuc pluris faciunt (certe quidem ſe facere ſimulant,) ne divitiæ cum fraude conjunctæ illis noceant: Contra pauperem, quod pauper ſit, aſpernentes illum porro magis contemptui habent, quod diſſimulare neſcit, neque ſe in omnes formas convertere: ut pauperem vafrum & ſubdolum, & ſe huc illuc verſantem minus contemnant, quam eum, qui integre & incorrupte ſe gerit.

Ex hoc Proverbio diſcant pauperes, ne animos deſpondeant. Utcunque enim illos homines contemptui habeat, tamen Deo, Angelis & piis hominibus chari ſunt, dummodo pietati ſtudeant.

V. 2. *AEquè, cujus non dignoſcit animus, quod non eſt bonum, ac præceps pedibus aberrat.*

Subaudi à ſcopo, quem ſibi proponit.

In רגלים (*pedibus*) eſt metony. ſubj. & ſynecd. partis. Nam per pedes intelligit omnem aggreſſum negotij, ſeu exequutionem rei animo deſignatæ. Videtur etiā metaph. eſſe à feſtinatione pedum unde impactio ſequitur, ad ſubitam & fortuitā alicujus rei procurationē traducta.

Summa eſt; ad rem bene gerendam opus eſſe cum γνώσει, tum σοφίᾳ, rei ſcilicet notitia, & judicio.

In confeſſo eſt, hominem, qui in rerū ignoratione & inſcitia verſatur, nihil unquam facturum, quod frugi hominem decet. Tanquam enim captus oculis, Andabatarum more incertis ſedibus oberrat, & in ſingulos paſſus impingit, aut in foveam cadit. Hic igitur primo rei tenēturPontificij, qui in implicita fide Eccleſię acquieſcunt; & pręſertim qui non du-

bitarunt ignorantiam voluntatis divinæ matrem devotionis appellare: Deinde Euangelici, qui anguſtis finibus notitiam Chriſtiani hominis circumſcribunt; cum à piis requiritur, ut πάσῃ γνώσει, ſeu συνέσει pleni ſint, Eph. 1. 17. Coloſſ. 1. 9. ut non tantum inter bonum & malum, ſed vel minimum malum, idq; ſpeciem boni præ ſe ferens à bono diſcernamus.

Nec tamen ſatis eſt rem quamque ſcire, niſi judicium & ſapientiã adhibemus, qua, quid, quo tempore, loco, quibus perſonis, quibus mediis exequendum ſit, cognoſcamus. Hæc enim 2. diſcreta & diſtincta dona ſunt. In horum verò donorum poſterius peccat is, qui præceps eſt in agendo.

In hoc autem præcipitium impelluntur omnes, qui ſuis affectibus indulgent, ſeſeque ab illis præcipitari ſinunt, ira, amore, odio, invidia &c. Quamobrem diligenter nobis excubandum eſt adverſus iſtos affectus, ne nos tranſverſos agant, & oculos nobis veluti configant.

Ideò verò converti potius *æquè aberrat*, quam ut alii, *æque peccat*, quia uti vox Hebr. utramq; ſignificationem complectitur, ſic hoc loco hæc ſignificatio magis idonea videtur ob eam cauſam, quia qui per temeritatem & inconſiderantiam peccat, magis in vitio putandus eſt, quam qui per inſcitiam (modò ſimplicem) à via deflectit.

Verſ. 3. Stultitia hominis pervertit viam; & adverſus Iehovam indignatur cor ejus.

In דרכו (*viam ejus*) metaph. eſt uſitatiſſ. ad deſignandum ſuſcepta & inſtituta cujuſque.

Summa eſt; homines in Deum conferre ſua infortunia, quę in ſeipſos conferenda eſſent.

Hominum improbitatem eſſe cauſam, cur male illis ſuccedat in ſuis, quas procurant, & quas tractant, rebus, pluribus Salom. & aliorum Prophet. teſtimoniis confirmatur. Prov. 5. docetur, juſtitiam integri dirigere viam ſuam, & ſua improbitate concidere improbum. Et Pſal. 1. viro pio, & ſe ab omni cum improbis communione abducenti tribuitur ſumma in omnibus quæ ſuſcipit, aut aggreditur, proſperitas: improbis non item. Vide porrò, quod ſcribitur Deut. 28. Levit. 26. de fœlici in omnibus ſucceſſu eorum, qui Deum timent; & contra erga eos, qui frænum timoris divini abjiciunt. Peccatũ enim Dei maledictionem attrahit, quæ veluti tinea veſtes, aut ærugo ferrum, opera noſtra exedit, & tanquã ignis cælitus deſcendens omnia opera manuum noſtrarum conſumit & (ut hoc loco dicitur) viam & inſtitutum noſtrum pervertit, facitque ut noſtrum in malum cedant, quæ à nobis ad noſtrum bonum deſignantur & inſtituuntur.

Huic ſtultitiæ, qua opera & inſtituta ſua diſſipant homines, inſaniam & furorem addunt, dum averſis à ſe oculis, ad Deum malorum ſuorum cauſam referentes illi iraſcuntut, & indignantur. Vide Eſai. 59. 11. fremimus inſtar urſorum, & gemimus ut columbę. Vide Apoc. 16. 21. Cujus rei exempl. vide in Adamo & Eva.

Nec tantum Deo indignantur, cum in Deum directè feruntur, ſed cum obliquè in ſervos ejus Miniſtros & Magiſtratus. Vide Exod. 16. ubi Moſes apertè pronuntiat, obmurmurationes Iſraël. contra ſe & Aar. in Deum ipſum directas & vibratas fuiſſe: nec verò cũ in homines ſolum, ſed etiam cum in belluas dirigitur, ut in Balaamo legimus, qui in ſuam aſinam efferbuit, illamq; verberibus oneravit (illam porro interfecturus) cum culpa penes ipſum hæreret, quod in itinere ſe Angelus oppoſuit, Num. 22. Quid, quod illa eſt humani ingenii perverſitas, ut in res

etiam

etiam inanes, ſiquid damni ex ſua incuria per illas acceperint, excandeſcunt, & illas aut abjiciunt, aut tanquam vindictam de illis ſumpturi diffringunt, aut in ignem injiciunt. Huc aggregandi ſunt hi, qui omnia ſua mala in caſum, fortunam, aut planetas conjiciunt, dicuntque, ſe ſub infœlici planeta natos eſſe.

Hæc nobis tanto magis obſervanda ſunt, quod pii aliquando fraude Satanæ, & carnis infirmitate circumveniuntur, ut de Davide 2. Sam. 6. legimus, qui excanduit, quod Deus rupturam feciſſet in arcæ deportatione; cum hoc ipſius & aliorum inſcitia evenit, qui arcam non ſuper humeros ſacerdotum, ſed ſuper plauſtrum portari & transferri curavit. Idem videmus in Iona eveniſſe per totum cap. 4. Idem uſuvenit Iobo, qui execrans præſtantiſſimas Dei creaturas in Deum ipſum obliquè latus eſt.

Sed hic quærat aliquis, quidni in Deum ferantur, cum Deus omnia gubernans, & pro voluntate ſua moderans hujus infœlicitatis author ſit, [nec ſit malum in civitate, quod non facit dominus.] Reſp. Deum quidem hoc facere, ſed facere ut juſtum judicem, eoq; illi ob eam rem ſummam laudem juſtam & debitam eſſe: tantum abeſt, ut homines illi ob eam cauſam indignari debeant. Quamobrem memorabile eſt, quod ſcribitur lament. 3. à verſ. 27. ad 43. maximè verò verſ. 39. 40. 1. 2. 3.

Cavendum autem, ne ex proſpero rerum, quas ſuſcepimus, ſucceſſu nobis imponamus & adulemur, cum ſępiſſimè fiat, ut via impiorum proſpera ſit. Vid. Pſ. 37. & 73. & Ioh. 21. & Luc. 13.

V. 4. *Facultates addũt multos amicos: ſed tenuis à ſuo amico diſparatur.*

In הון יֹסִיף (*facultates addunt*) eſt metonym. effecti. In דל (*tenuis*) eſt item metonym. ſubjunct. tenuis ſcil. & pauperis pro tenuitate & paupertate.

Scopus eſt; neque divites ex πολυφιλίᾳ ſpiritus ſumere, nec tenues ex amicorum deſtitutione animum deſpõdere debere.

Divites amicorum caterva cincti exiſtimant, ſe & virtutes ſuas hanc illis gratiam conciliare & in hominum admirationem attollere: unde ſpiritus ſumunt ſuperbiuntque & majus quiddam & magnificentius de ſe ſentiunt, quam veritas patitur, ſed craſſe hallucinantnr. Nã Sal. hoc Proverbio docet divitias eſſe, non virtutem, quæ illos in amoribus & deliciis eſſe effecerunt, quo, ut ad prædam aquilæ, & ad cadavera corvi omnes convolant: eoque ipſo cavendum eſſe, ne ex omnium rerum affluentia intumeſcant.

Simul etiam divites admonet, quam malè fida & firma eſt amicitia illa, quæ apud illos magni æſtimatur. Hujus rei illuſtre exemplum eſt in Repub. & Eccl. Iſraël. quæ ſicut rebus lætis in ſumma laude & admiratione vixit; ſic contra triſtibus & afflictis ſolitaria deſidebat ab omnibus, quibus olim colebatur, amicis deſtituta. Quod gravius eſt, amici ejus in inimicos verſi ſunt. Huc accerſe Iobi exemplum.

Contra pauperes aut nullis amicis minuti, aut à ſuis deſerti abjectique hanc ferè ſecum rationem ineunt, ut ſuas perſonas contemptui haberi exiſtiment; nulla Dei in eis dona quærendo inveniri poſſe, quæ illos apud homines in gratia ponant. Hinc eſt, ut de ſe & ſuis donis abjectè ſentiant; qui illos ſenſus ſæpe ad deſperationem ſolicitat. Sed cogitare debebant, non ſe, ſed ſuam tenuitatem & paupertatem pedibus proteri & proculcari; & ſe à ſuis non ſecus, quam à ſoricibus granaria deſeri, quæ vacua frumento, utcunque ſplendidè extructa, deinceps non frequentantur.

Eſt porrò in bonis pauperi ducendum,

quod hàc ſua pauperie ſatis bene munitus & armatus eſt adverſus fictas& ſimulatas amicitias, adverſus periculoſas |& pernicioſas aſſentationes, quibus divites obnoxii ſunt. Huc accedit,quod pauperes, ſi quo vitio inficiuntur, de ſuis illis, quibus laborant,vitiis liberè &confidenter admonentur .Primum enim inimici nullo metu,quo minùs hoc faciant,cohibentur. Quod ſiquis officio & conſcientia boni viri adductus illum admonere paratus ſit, quo minus id officij præſtent, nullis obſtaculis vel potentiæ,vel terroris objectis impeditur. In divitibus autem longè ſecus eſt. Cum enim paucos hoſtes habent, qui ſimultates cum illis exerceant, metu tamen conſtringuntur, ne ſua illis crimina obijciant.Qui verò amici ſunt, quandoquidem utilitatis causâ amant,& non tam illis,quam divitiis amici ſunt,cavebunt ſatis,nequid,quòd divitem offendat, loquantur. Quinetiam periclitantur,ne de maleficio benè audiant.

V. 5. *Teſtis falſitatum non erit innocens,qui conflat mendacia, non eripiet ſe.*

In ינקה (*erit immunis*) eſt metony.cauſæ. In שקרים(*falſitatum*)eſt metony. adjunct.

Summa eſt; mendaciis deditum, ſive publicè, ſive privatim id faciat, non laturum impunè.

In voto eſt, ut homines odio maleficii à malo abſtinerent, ut nulla tranſgreſſionis pæna conſtituta eſſet: ob eamque cauſam ut *quiſque proximo ſuo* veritatis ſtudio adductus *verum loqueretur, cum ſimus alij aliorum membra.* Eph.4. 25. Sed cũ hoc ab hominibus obtineri nequeat, Deo viſum eſt pœnæ comminatione illos in officio retinere. Cumque ad omnia vitiorum genera habenas ſibi laxent homines,tum verò in mendaciis nectendis & concinnandis omnem libertatem vel licentiam potius ſibi aſſumunt. Cujus ſi cauſa inquiratur,hęc eſt;quod mendaciis dicendis nulla ferè nec civiliter, nec eccleſiaſtice pæna irrogata ſit. In Moſis id eſt in Dei repub. lege cautum eſt, *ut quiſquis in judicio alium accuſaverit,eadem pæna plectatur, ſi cauſam non probaverit,* qua reus plectendus foret, ſi intenti criminis convictus teneretur,etiam ad capitis pænam.Deut.19.Sed ſanctiſſ.hæc lex paſſim pene obſolevit hac pręſertim perdita ætate,in qua Machiaveliana diſciplina locum obtinet, quæ omnium ora ad accuſationes & informationes(impunitate propoſita)aperit.acſi Reipub. ſalutare, ut accuſatores, qui quavis vel minima ſuſpicione inducti accuſent, magno numero ſint. Sed quod ad mendacia attinet,quæ privatim ſparguntur,vix ulla hominum ſocietas invenietur, quæ pænam tranſgreſſoribus conſtituat. Quod quidem Deus per Prophetam, tanquam ex ſpecula præſcientiæ ſuæ proſpiciens huic malo medicinam facere voluit. Perinde enim eſt,ac ſi dicat; utcunque falſa teſtimonia& mendacia omnis generis ab hominibus nullis ferè pænis conſtringuntur, tamen ego mundi judex hanc improbitatem inultam eſſe non patiar.Quamobrem ſi falſo dicendo nobis ab hominibus non metuimus, non tamen ob eam cauſam ad maleficia perpetranda audaciores eſſe debemus; quandoquidemDeus vindex & ultor exiſtit, qui peccantem impunitum non dimittet: ut præſtabilius fuerit ab hominibus pænas ſumptas fuiſſe, quam in Dei viventis manus incidere: quandoquidẽ pæna hæc &certior& gravior eſt,quã ſi ab hominibus infligeretur.

In hoc autem genere non uno modo peccatur.Præterquam enim quod maxima pars hominum, abjecto Dei timore, ſe mendaciis addjicit; inveniuntur etiam alij,

aliij, qui, tametſi Dei timore aliquouſque in officio continentur, à certi tamen generis mendaciis, tanquam licitis & conceſſis non abſtinent. In quo genere ſunt jocoſa mendacia, itemq́ue quæ dicuntur officioſa; quorum altero ſe reos teneri non exputant, altero etiam laudem, tanquam virtutis præmium aucupantur. Horum opinio minuenda eſt; quandoquidem mendacium omne cujuſcunque generis ſit, cum in veritatem feratur, in Deum etiam, qui veritatis author & patronus eſt, ferri eſt neceſſe.

Notandum etiam eſt, in pari gradu improbitatis conſtitui cum falſum teſtē, tum eum, qui mendaciis dicendis linguā ſuam laxat. Tametſi enim poſſit quis mendacium ſubinde dicere, qui in judicio conſtitutus falſum teſtimoniū exhorrebit, tamen qui falſa dicendo privatim aſſueſcit, publicè in judicio eandem conſuetudinem perſequi non pudebit.

V. 6. *Multi precantur faciem principis; & unuſquiſque amicus eſt viro doni,* [*ſeu munifico.*]

In פני (*faciem*) eſt ſynecd. part. cujus ratio eſt, quod ſupplicaturi in faciē ejus, cui ſupplicant, oculos defixos tenent. In מתן (*doni*) eſt meton. adjunct.

Scopus eſt; plus virium eſſe in liberalitate ad hominum benevolentiam cōciliandū, quam in nobilitate & principatu.

Hoc inſpicere & intueri Proverbium, ex vocum comparatione רבים רכל (*multi & unuſquiſque*) colligitur. Nam Nobiles & Principes adeunt quidem plurimi, ſed non omnes tamen. Sæpe enim inveniuntur quidam ita ingenio comparati, ut ſe & ſuis rebus delectati Magnatum gratiam non venentur; uſque eò, ut graviter ſe urgeri & premi patiantur potiùs, quam ad Principum gratiam & patrocinium confugiant. Ad munificos vero, & liberales omnes, ſi non pedibus, ut ad Principes, animo tamen, & affectu accurrunt. Et quidem Principum faciem quærunt hi tantum, qui eorum opera vel ad bonum conſequendum, vel ad malum declinandum uti cupiunt. Ad munificos vero animos (ſicut dictum eſt) appropinquant non hi ſolum, qui munificorum largitione uti expetunt, ſed qui ſuis rebus contēti dona etiam oblata repudiarent. Præterea ingenuos & Principes ſupplices accedunt, qui quidem foris amplū honorem exhibentes intus perexili ſtudio & amore illos complectuntur; cum munificos omnes certatim benevolentia exoſculentur.

Hinc primo Nobiles & Principes admonentur, ut, cum multi ſupplices libellos illis offerant, & crebras petitiones inſtituant, ſapientiam & judicium comparent, cujus adminiculo, quid cuique aut annuendum, aut abnuendum ſit, intelligant.

Deinde munifici cavere debēt, ut, cum multi eorum largitione & munificentia uti velint, eam in dando moderationem adhibeant, qua liberalitatis fontem non exhauriant: Deinde ut prudentiam ſimul adhibeant, qua fontem liberalitatis aut recludere, aut occludere norint. Poſtremo ut in eos, in quos beneficia collocant, judicio utantur, quo ſcienter, quid cuique aptum ſit, & idoneum, dijudicent.

Hoc Proverbio inertia noſtra inſigniter coarguitur. Primum quidem quod Deum nobiliſſ. & omnis nobilitatis authorem, Principum Principem, & Regem Regum non precamur, omneſque noſtras petitiones & vota in ſinum ejus non deponimus, invitati præſertim & promiſſionibus communiti, fore ut quicquid legitimè in nomine Chriſti petierimus ab illo auferamus. maxime verò cum is ſit, ſine quo non modò non bene eſſe, ſed ne eſſe quidem poſſumus.

Deinde cum Deus mortales omnes largitione & munificentia infinitè ſuperet, ut qui vel in hoſtes ſuos dona eximia conferat; pauci tamen reperiuntur, qui illũ amore & benevolentia complectuntur, atq; in ejus amore hærere expetunt.

V. 7. *Omnes fratres pauperis odio eum habent, nedum ſinguli ſociorum ejus procul ſunt ab eo: perſequens eos verbis, ipſi non ſunt:*

Subaudi nec fratres, nec ſocij.

In אחי (*fratres*) eſt ſyn. partis fratrum pro omnibus, qui cũ ſanguine aut affinitate conjuncti ſumus. Item in רש (*pauperis*) eſt ſyn. pro afflicto & calamitoſo. In רחק (*procul*) eſt met. ducta ab his, qui magno locorum intervallo diſiuncti ſunt, ut opitulari non poſſunt, ad eos, qui ſtudio & voluntate longè remoti ſunt.

Summa eſt; ut quis meliora ſibi & firmiora præſidia comparet, quam quæ à mortalibus petuntur.

Magna eſt hominum perverſitas, & ingenium tortuoſum & protervum, illos odio habere, quos Deus maxima parte amat; & illos averſari, quos Deus ferè cõplectitur. *Deus enim elegit pauperes divites in fide.* Iacob, 2. 5. Et planè, ſi verum fateri velimus, indicio eſt non obſcuro, homines Deum ipſum odio proſequi, cum ſint in illos, quos ille diligit, tam iniqui. Quod etiam melius perſpicitur, quod fratrem & cognatum, tametſi turpiter prolapſum, & facinus atrox deſignantem non abijciunt, nec deſerunt.

Imo, quod gravius eſt, eum in eo, in quo prolapſus eſt, defendere parati ſunt, utcunque ſcelus admiſſum non probent: ſicut in Benjaminitis experimur, qui ſuos fratres homines nequam, qui vim concubinæ Levitæ ad mortem uſque prodigioſa libidine intuliſſent, non dubitarunt cum ſummo vitæ periculo à pæna illis debita eripere. Judic. 19.

Quamobrem operæpretium eſt illius admonitionis ſæpe meminiſſe, qua cautum à Deo eſt, *ne in hominibus, aut filijs hominum ſpem collocemus*; ſed ut Deum pro perfugio, pro aſylo, & propugnaculo ſemper habeamus, ad quem tempore calamitatis recurramus.

Deinde obſervandum eſt, S. Sanctum odio dare, ſiquis laboranti opem non ferat. Neque enim inficias ire poſſumus, quin fratres & ſocii laboranti fratri & ſocio bene precentur, & illis ſucceſſum ferè cupiunt, alioqui prodigioſa res eſſet. Sed Spiritus Sanctus hac loquendi formula odii reos agit, qui fratri, aut ſocio laboranti non ſubveniunt. Vnde etiam ex duabus uxoribus minus amata à viro, exoſa dicitur. Quamobrem videmus odium, quod homicidii ſpecies eſt, latius patere & ad plures ſe diffundere, quam plerique exiſtimant, qui ſe odio abſolvunt, niſi aliquid in alium hoſtile machinentur, tametſi nullum illi ſubventionis officium præſtent.

Deinde ingrati animi labem aggravat, quod ſanguine, affinitate, aut vitę ſocietate ei quam proximè accedentes, tamen tempore neceſſario tam longè abſunt, ſuam, quam præſtare debent, operam denegantes ſanguine propinqui, & voluntate remoti; affinitate conjuncti, & ſtudiis disjuncti, ſocietate devincti, & officio diſſociati. Paupertas igitur & calamitas ejus, qui multis conſobrinis ſtipatus eſt, conſobrinorũ intus latentem ἀστοργίαν prodit.

Majorẽ autem & arctiorem conjunctionem fratrum, quã ſociorum eſſe apparet: unde ſocietate conjuncti ſe quodãmodo abſolutos ingratitudinis culpa exiſtimãt, quod fratres deſertores eſſe animadvertunt. Quãobrẽ fratres & propinqui genere non tantum propriæ deſertionis rei ſunt, ſed quod ſociis deſertionis & defectionis

occa-

occaſionem præbent. Vide Apoc. 18. 10. quomodo *Reges* verſ. 15. *Mercatores* & *Nautæ* verſu 17. *procul ſtabunt* tempore Romæ everſæ.

Perſequitur, verbis ſcil. ſupplicibus & ſubmiſſis, ut eſt 18. 23. nec tamen ſe aut fratres, aut ſocios præſtant. Ipſa ſeu paupertas, ſeu calamitas per ſe, ut ipſe taceat, loquitur, & ſonorè illos inclamat. Et ſiquid humani ineſſet ad paupertatis clamorem accurrerent, nec expectarent, quoad verbis & petitionibus ſolicitarentur; maximè vero cum plerique, præſertim qui in affluentia olim & honore vixerunt, pudore quodam ſubruſtico impediuntur, ne petitionibus & precibus ſibi proſpiciant, ad eum modum, ut ſæpius emori fame, aut inedia expetant, quam ut ſubventionem petant. Sed illorum ingratitudo adhuc atrocior eſt, qui verbis & petitionibus rogati non flectuntur tamen. Quãobrem his cogitandum eſt, quod Sal. alio Proverbio celebravit; aurem Domini illi obturatam iri, qui ſuam adverſus pauperum clamorem obſtruit. Vide Iob. 6. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20. quæ ad amoris inconſtantiam referuntur.

V. 8 *Qui acquirit cor, amat animam ſuam; ſervans intelligentiam eſt ad inveniendum bonum.*

In לב (*cor*) eſt meton. ſubject. pro ſapientia, quæ animo inſidet. In נפשו (*animam ſuam*) eſt ſynecd. partis.

Scopus eſt docere, tutiſſimam & firmiſſimam poſſeſſionem eſſe Dei timorem; quo imbutus (cum alia eum deficiunt) bono perfruetur.

Quod admonemur cor comparare, apparet quales naſcimur nempe excordes, ſeu cordis expertes: unde ſæpe ante, & quidem cap. 10. bis & ter dicitur, improbum corde deſtitui. Hinc eſt, ut animalis homo *brutus* appelletur, ut alibi, Pſ. 82. 7. 73. 22. Sic Prover. 30. 2. & 12. 1. Specialius adhuc Iob. 11. 12. comparatur *ſilveſtri aſino*: & Pſal. 32. *mulo & equo* comparantur, quibus peccata remiſſa non ſunt. Expendamus igitur quanti æſtimatur à Spir. ſancto homo ingenio acutiſſimus, opibus, & honore & literarum ſcientia inſtructiſſimus, qui idem pietatis expers eſt, ut animum noſtrum veræ ſapientiæ acquirendæ adjungamus. Moleſtum nobis eſſet ab hominibus pro brutis, pro aſinis haberi; Quanto nos magis urat in hoc ſenſu apud Deum, qui falli nequit, manere? Quanquam benè cum improbis ageretur, ſi ut ferinam vitam egerunt, ſic morte aſini, aut alterius bruti morerentur.

Quod dicit, eum, qui ſapientiam & timorem Dei comparat, ſeipſum amare; non obſcurè indicat, unumquemque, qui hoc non facit, odio ſeipſum habere. Et certè cum ſine pietatis ſtudio, quamcunque quis viam init, rectà ad mortem tendit; annon ſui & animæ ſuæ oſor apertè comprobatur, tametſi viam ad honores, ad opes, ad gloriam compendioſiſſimam ingrediatur? Αὐτοκτόνοι ergo ſunt omnes improbi vel hoc ipſo, quod veræ ſapientię ſtudioſi non ſunt; nedum, quod ſe maleficiis patrandis dedunt, & maleficio veluti paſcuntur. Obliquè autem perſtringit eum, qui ſe divitiis, honoribus &c. conquirendis addicit, præteritâ ſapientia cœleſti.

Sed cum his pugnare videtur, quod eſt Matth. 18. *qui amat animam ſuam, perdet eam.* Reſp. anima eo loco accipitur pro vita: Deinde amorem illum tantulum vituperat, quo Deus nobis ipſis poſtponitur.

Deinde docet, non ſatis eſſe, ſi pietatem comparet quis, niſi illam firmiter & mordicus teneat. Solus enim *qui ad finem perſeverarit, ſalvus erit*; Marc. 13. 13. ſicut contrà

contra præſtitiſſet, nunquam pietatis curſum & iter ingreſſum eſſe, quam ejus ſtudium tædio, metu, aut alia animi perturbatione abjicere, 2. Pet. 2. 2.

Quod dicit, hujuſmodi hominem bonum inventurum, videtur illi opponere. qui à ſuis deſertus boni omnis expers eſt, quia ſtipatus multorum clientelis & benevolentia in illis acquievit nihil de pietate ſolicitus. Hujus autem boni conſequendi ratio in promptu eſt. Nam parta & conſervata ſapientia cœleſti Deum ſibi propitium habet, qui illum nullo bono deſtitui patietur, Pſ. 34. 10.

Verſ. 9. Teſtis falſitatum non erit inſons, &c.

Idem prorſus cum quinto, niſi quod pro לא ינקה (*non effugiet*) ponitur יאבד (*peribit.*) Quod ſi quæratur, quorſum tantulo intervallo illud repetiit, videtur ratio repetitionis ex circumſtantiis Proverbiorum antecedentium petenda. Ferè enim fit, ut, rebus ad voluntatem affluenentibus omnes ſuam operam his, qui opibus abundant, fidelem & perpetuam polliceantur & profiteantur: quam tamen poſt perfidè fallunt, cum divitiæ, tanquam arreptis alis, avolarint. Hanc perfidiam Deum ulturum Salom. hoc Proverb. confirmat, & ſuperiorem theſin ad hypotheſin accommodat. Neque Dei vindictam evaſuros docet, utcunque Deus calamitoſo benè proſpiciat, & is à Deo bonum conſequatur: quod per perfidioſos non ſtetit, quo minus ſua illa calamitate non perierit is, qui fortunâ ſua exutus eſt.

V. 10. Non decet ſtultum oblectatio; nedum ſervum ut imperium obtineat in Principes.

In תענוג (*oblectatio*) eſt metonym. effect. pro omni eo, quod oblectationem afferat. In עבד (*ſervum*) & משל (*imperium*) eſt metaphora traducta à corporea ſervitute, & dominio ad animi ſervitutem, & dominium.

Scopus eſt; improbos pœnis deprimẽdos, pios præmiis ad pietatatem ſectandam animandos, & excitandos eſſe.

Homines ferè plurimum moventur decoro; ut plus decoro ſæpe tribuant, quam juſtitiæ, ſi quando, quod ſpeciem & ſimilitudinem decori habet, cum eo, quod juſtũ eſt, pugnare videtur. Quamobrem ut improborum elationem & delicias nobis exoſas redderet, docet, rem eſſe, quæ turpem & deformem aſpectum habet. Sed quia de decoro homines variè ſentiant, ut quod quibuſdam decorũ videtur, aliis deforme appareat, & contrà; intelligendum eſt, Dei, Angelorum, & piorum hominum oculum, tanquam judicem hujus decori à Salom. conſtitui, qui acutè & clarè unumquodque, ut res eſt, intuentur; non autem obtuſos & lippientes hominum improborum oculos.

Senſus igitur eſt; in oculis Dei, Angelorum, & hominum piorum, ut improbis bene ſit, ut deliciis paſcantur, ut ſplendidè veſtiantur, ut molliter cubent, ut ad omnem animi remiſſionem deſcendant, rem eſſe indecoram; contra rem eſſe in Dei Angelorum, & piorum judicio ſpectabilem & decoram, ut parcè & duriter vivant, & pane & aqua afflictionis vitam degant, veſtitu viliore & craſſiore utantur, ſtrato duriore cubent, ab his luſibus, qui ingenuos decent, arceantur. Hoc vidimus prius 10. 13. ubi flagellum dorſo ſtulti, ſeu improbi convenire docuit, & 26. 3. docet, quantoperè ſtultum decet virga, ſeu correptio. Perinde enim decere affirmat, ut equo flagellum ſeu calcar, aut aſino capiſtrum aptum & accommodatũ eſt. Sicut igitur indecorum eſt

eſt ſequi ceſſorem nec calcare, nec virga munitum eſſe, aſinum farragine paſcere, cui carduus aptiſſimus eſt, aut fræno deaurato ornare, cui capiſtrum convenit; ſic indecorum eſt, improbum oblectamentis delinire. Contra piis decora eſt oblectatio.

Hujus ſi cauſa quæratur, reſpondet Eſai. 26. 10. His enim oblectamentis abutitur ad animi obfirmationem in ſceleribus, & ſibi adulatur, ſeque tam molliter & delicatè tractatum Deo non eſſe ingratum, in animum ſuum inducit. (Fit aliquando ut pii hujus mundi proſperitate corrumpantur, nedum improbi.) Contrà verò ſæpe fit, ut dorſo virga adhærente, ad reſipiſcentiam proficiat; ut in Manaſſe, & Iſraëlitis in captivitatem abductis cernere licet. Oblectationem verò piis convenire, inde liquet, quod illos in pietatis officiis ad fatigationem occupatos refici, & oblectamentis recreari æquum eſt.

Hinc perſpicitur, quam perverſè res hic in mundo cum in familiis, tum in Rep. & Eccleſ. adminiſtrantur, ubi in promovendis & evehendis mortalibus pietas non ſpectatur, ſed noſtra commoda, aut quidvis potius, quam pietas, quæ maximè ſpectanda eſt.

Quod ſi ſtultum non deceat levis in cibo, potu, veſtitu, cubitu oblectatio, nedum principatus: ſi pœna & ignominia illi juſta & debita eſt, multum abeſt, ut debeat honore cumulari. Qui enim priore parte Proverbii *ſtultus*, in poſteriori *ſervus* appellatur. Et quidem hujus mundi ſapientes non eos modo, qui lege, aut conditione ſe ſervituti addixerint, ſervos appellant; ſed illos etiam, qui ſtupidi & hebetes exiſtentes ad ſervitutem & mandata capeſcenda, non ad imperium nati ſunt: unde etiam corporum nomina obtinuerunt tanquam qui ſunt ad onera modo idonei. Quos autem ſcript. hoc & aliis locis *ſervos* nuncupat, hi jure optimo ſervi & mancipia nuncupantur, ut, qui peccati ſervituti, ipſi diabolo mancipati ſunt. Ut de his veriſſimè dicatur, quod de Canaano ſcript. prædixit, *eum ſore ſervum ſervorum*. Quam autem deforme & ſpectatu turpe hoc eſt, docet illud, quod ſcribitur Eccleſ. 10. 3. ubi Salom. rem ſe indigniſſ. vidiſſe profitetur, *ſervos* ſcilicet *equis vehi, cum Principes illis à pedibus eſſent*.

Sed hic naſcitur difficultas, quod Deus improbos bonis & commodis hujus vitæ onerat: idemque Saulem & Ieroboam, & Iehu Reges conſtituit. Quidni igitur hominibus hoc liceat aliquando præſertim, quod Deus tam ſæpe facit? Reſp. nobis incumbit Dei mandata ſemper ob oculos habere, ut illis obſequium præſtemus; non autem omnia Dei facta nobis ad imiationem proponere, ſed illa modo ad quorum imitationem mandato munimur & invitamur, Deus enim ſæpe improbis omnia ad animi voluntatem elargitur, ut illos poſt graviùs & atrociùs ſupplicio afficiat: quod hominibus non licet: Deus hypocritas populo præficit, ut populi peccata & ingratitudinem ulciſcatur; quod hominibus conceſſum non eſt.

Verſ. 11. Intelligentia hominis prorogat iram ſuam, & decus ejus eſt tranſire per defectionem.

In עבור (*tranſire*) eſt metaphora, ducta à viatoribus, qui aliquem illis notum in via occurrentem tanquam ignotum prætereunt.

Scopus eſt, pios ad manſuetudinem & patientiam animare, & quæ huic virtuti adverſa ſunt, propellere.

Salom. cauſam longanimitatis aſſignat hominis ſeu viri, ſeu fœminæ intelligentiam.

tiam. Hinc eſt,quod Iacob.cap.1.ad tolerantiam adhortans ilicò adjungit, *Si cui ſapientia deeſt, eam à Deo petat.* Quamobrem ſapientiæ, & quidem cœlitùs demiſſæ atque delapſæ deputandum eſt, ſiquis malum malo non compenſat. Omnes captant & aucupantur gloriolam ſapientiæ & intelligentiæ; quam pauciſſimi tamen ſunt, qui hanc viam ineunt, quæ ad ſapientiam ducit: Matth. 7. 15. Quod tamen facerent, ſi qua in re læſi ſe gravius in Deum peccaſſe, & hoc ipſum Dei caſtigationem eſſe ſecum reputarent, Pſal. 39.10. in quorum conſideratione hæc intelligentia excernitur.

Hac porro ſententia Salom. illis occurrit, qui plerunque ſtupiditati dant, nonnunquam timiditati & ignaviæ, ſiquis ſit animo ad injurias placidè accipiendas compoſito. Ad quas tentationes retundendum ſuccurrat nobis Sp. ſancti veriſſimum & incorruptiſſimum judicium, qui patientiam ad alium fontem non refert, quam ad ſapientiam. Hinc eſt, quod David 1.Sam.25. Abigailis conſilium, quo à furore, quem animo cõceperat, revocatus eſt, ad Deum, tanquam ad unicum authorem & fontem retulit, & illud eximiè celebravit. Interim perhorreſcant hi, qui Dei opus ad Diabolum referunt.

Quod ſi intelligentia & ſapientia hominis ſit, quę iram prorogat, ſequitur ſtultitiam & inſcitiam hominis eſſe quæ illum iracundum & commotum reddit. Homines plerumque ad animi fortitudinem & animoſitatem referunt. Unde etiam jactatur apud nos, *he hath metall in him.* Et quidem *metallum* eſt, ſed ex imis inferorum fodinis effoſſum; *metallum* ſcilicet reprobum & vile, quod nunquam Spiritus Sancti imaginem & characterem inſculptum admiſit. Qui hanc iracundiam non omni ex parte probare videri volunt, illud ad naturæ ſuæ peculiarem quendam affectum referunt; eoque ſe aliquouſque defenſos & excuſatos putant. Sed dicant potiùs, quod res eſt, ſtultæ & maledictæ ſuæ naturæ hoc eſſe, ut pudore rei tam turpis ſuffuſi reſipiſcant.

In poſteriore hemiſtichio declarat effectum manſuetudinis & tolerantiæ, *tranſire* per alterius *defectionem.* Non deſunt enim qui dicant, ſe in illos, à quibus offenſi ſunt, ira commotos non eſſe, & interim tamen nolle illis parcere, ſed injuriam acceptam retaliare. Salom. autem docet, germanum fructum eſſe manſuetudinis & longanimitatis *tranſire per defectionem.*

Ubi etiam notanda eſt vox *defectionis*, quâ non quodvis delictum, ſed gravis offenſio ſignificatur. Nam plerique ſunt, qui profitebuntur, ſe manſuetudinis ſuæ documenta edituros, ſi pecuniola modò offenſi fuiſſent, ſed tanto damno affectos ſe non poſſe continere, quin in eum involent. Alii dicunt, ſe in bonis ſuis affectos injuria æquè laturos fuiſſe, ſed fama & nominis exiſtimatione læſos nõ poſſe, quin ultionem ſumant. Atqui Salom. dicit, defectionem eſſe prætereundam. Quò accedit, quod ſuperiùs dictum eſt, *charitatem multitudinem tranſgreſſionum operire;* 1. Pet.4. 8. Item quod eſt Math.18. *non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties condonandum eſſe fratri.*

Ad hanc rem aliud argumentum affert ab adjunct. decore. In quo occurrit & occupat, quod homines huic ſpiritus manſuetudini objiciunt, nempe rem dedecoroſam eſſe, ſi quis ad illatam injuriam & præbitam offenſionem gravem pręſertim conniveat. Spiritus Sanctus contrà, hoc eſſe confirmat honori & decori, ſiquis defectionem ſilentio præterit, tanquam illius conſcius non eſſet. Sicut enim equi generoſitati tribuitur, quod canum latratus quietè & placidè pertranſit: ſic etiam magnanimitatis eſt aliorum contumeliis non commoveri. Vide 1.Sam.10.27.

Hæc tamen ita intelligẽda ſunt, quoad

injuriæ

injuriæ illatæ in noſtris duntaxat perſonis hærent, neque ad Deum, aut Eccleſiam ſe diffundunt.

V. 12. *Rugitus tanquam juvenis leonis eſt indignatio Regis: & tanquam ros ſuper herbam benevolentia ejus.*

In מלך (*regis*) eſt ſynecd. pro omni eo, qui rerum ſumma potitur.

Scopus eſt omnibus timorem Regiæ poteſtatis injicere.

Rugitus leonis cujuſque formidabilis eſt, ſed præſertim juvenis leonis, quia ipſe in ἀκμῇ & vigore virium exiſtens tonat fortius; ſicut legimus Eſai. 15. vitulæ triennis mugitum fortiſſimum & maximè ſonorum eſſe. Cum igitur indignatio Regis rugitu juvenis leonis repræſentatur, rem formidabilem eſſe oportet. Quis enim tam cordatus eſt, qui ad rugitum ferociſſimi leonis non contremiſceret? Unde etiam ſcriptur. ut Chriſtum omnibus Eccleſiæ hoſtibus terribilem proponeret, illum *leonem ex tribu Iudæ* appellat. Leo hoc habet, ut non priùs rugitum edat, quam de præda capienda ſit certus, ſitque tam prope admota præda, ut ejus ungues effugere nequeat. Vnde Amos 3. 4. ſic ſcribit; *num rugiet leo in ſilva, ut prædam non aſſequatur: An præſertim juvenis leo vocem edet ſuam, ut prædam non capiat?* Qui rugitu excellit ad terrorem injiciendum, quo beſtiarum curſus retardatur, & quidem earum, quæ ſua velocitate & pernicitate leonem ſuperant.

Stulti homines, ut honorem & timorem hunc Regi debitum, & à Sp. ſancto imperatum, 1. Pet. 2. 17. Rom. 13. 4. excutiant, ſic ſecum ratiocinari ſolent: Quis ille eſt? Annon, ut reliqui, filius Adami? Annon ſpiritus illi eſt in naribus? Annon eſt (quod aliquãdo fit) ignobilis viri filius? (unde ſeditioſi à Davide deficiebant 2. Sam. 20. 1.) Sed meminerint tamen eum Regem eſſe, & Regiam dignitatem illi tantam potentiam & majeſtatem ex ordinatione divina adjungere, ut illum meritò in tanta ſupra ſubditos eminentia collocet, quanta leoni eſt ſuper reliquas agri beſtias; qui etiam omnium ferarum Rex dicitur.

Quamobrem conſilium illud Salom. quod alibi proponit, Eccleſ. 8. 2, 3, 4. ſequendum eſt. *Quod ſi Regis indignatione aliquando premaris, ſupplex ad ejus genua te advolves, ut gratiam conſequaris & iram ejus places.* Sicut enim ſcribunt, leonem, utcunque ferocem & prædæ cupidum, tamen eum, qui veluti mortuus corã procidit, intactum præterire: ſic ad Regis indignationem declinandum nulla aptior, aut compendioſior ratio eſt, quam ut quis ſubmiſiſſima ſui abjectione cum illo in gratiam redire ſtudeat.

Quod ſi ad hominis rugitum contremiſcendum, quid nobis faciendum, cum Deus è cœlis rugiat? (Vide Amoſ. 1.) maximè verò cum rugiet formidabili illa voce; *ite maledicti, &; ligatis manibus & pedibus, &c?* Math. 25.

Quod ſi quæratur, an Reges non debeant frænum iræ & indignationi ſuæ injicere æquè atque plebeii; reſpondeo; tanto magis in eam partẽ incumbere debent, quam ſubditi, quod ipſorum indignatione infinitè plus incõmodent, quam ſubditi. Sed non tam hoc loco quæritur, quid Reges debent facere, quàm periculum ab oculos proponitur, quod ex ira eorum juſta, ſeu injuſta naſci ſolet: ut ſicut conſcientia officii nos maximè in officio continere debet; ita illud præſidium negligendum non eſt, quo mortales (iræ & indignationis habita ratione) ſibi cavere ſolent, Rom. 13.

Præterea non hæc eo dicuntur, ut metu Regis ab officio à Deo imperato vel

latum unguem diſcedamus. Ob eamque cauſam ſupra Eccleſ. 8. audivimus, obſequium noſtrum erga Principes cancellis fœderis noſtri cum Deo icti circumſcribi, & conſuli, ut in mala cauſa non perſiſtat quis.

Prius hemiſtichium ex adverſo in poſteriore confirmatur, quia Regis benevolentia non tantum in vivis quis conſervatur, ſed porro exhilaratur & floret, non ſecus, quam rore cœlitus demiſſo herba & vivit & viret vigetque. Vide Proverb. 16. 15. Atque in Principis benevolo intuitu, tanquam Dei exporrectam frontem & vultum jucundum aſpicere quodammodo conceditur. Hoc confirmat ratione appoſita præcepto quinto, nempe in obſequio parentum cum vitæ diuturnæ tum commodæ mercedem paratam eſſe. Quod ſi Regis benevolentia triſtem vultum recreat reficitque, quid placidus Dei, & ſerenus vultus efficiet?

V. 13. *Ærumnæ patri ſuo filius ſtolidus; & ſtilla continua jurgia uxoris.*

In בן (*filius*) eſt ſynecdoch. Item in אבי (*patri ſuo*) & אשת (*uxoris.*

Scopus eſt, ut nos ad piæ uxoris perveſtigationem, & filiorum religioſam educationem Spir. ſanctus extimulet.

Sæpius in Proverb. ſtultorum filiorum improbitas parentibus permoleſta decãtata eſt. Cum enim in ſummo liberorum obſequio gravi cura ex educatione torquentur parentes, quanto cruciatu exagitari oportet, qui ſceleratos habent liberos, maxime vero cum hoc parentum culpâ fit; Nunc autem videtur comparatio inſtitui inter moleſtiam, quam afferunt filij immorigeri, & quam exhibet rixoſa uxor. Videtur autem plus mali eſſe in uxore rixoſa, quam in ſtultis filiis. Et quidem Propheta ingenuè agnoſcit, ſtultum filium rem eſſe moleſtiarum plenam, unde plurali numero utitur, qui ſæpe gradui ſuperlativo exęquatur. Verumenimvero ſi comparatio inſtituatur, ex duobus malis quodnam eſt deterius, rixoſa mulier in malis ſtulto filio eſt præponenda. Ratio autem eſt, quia eſt veluti continuum ſtillicidium, quod ſenſim & pedetentim virum ſuum (ut gutta lapidẽ) exedit. Atque ut ædes continua, & minimè intermiſſa aut interpolata ſtillâ putreſcunt & corrumpuntur: ſic &c.

Ratio autem, cur *continuæ ſtillæ* illam aſſimilat, alibi (ſicut videbimus) apertius deſignatur, hic vero obſcurè indicatur; ſcilicet quia ab illa disjungi, & diſſociari nequit. Stolidum quidem filium poteſt ſuis ædibus fugare, & quidem expellere debet ex lege, Deut. 21. 18. Sed uxorem rixoſam, quæ adultera non eſt, à ſe & ſuo lecto, nedum ab ædibus mandare nequit. Vt dubitari poſſit, majuſne malum ex adultera, quam ex rixoſa, quæ ad frugem revocari nequit, viro immineat: ſicut addubitari poteſt, an optabilius gravi plaga ſemel feriri aut acrius pungi, quam indies, atque adeo in horas obtuſis doloribus, & ictibus levioribus obtundi.

Quod ſi moroſa uxor per ſe ſola tantum malum viro afferat, luctuoſum eſt liberos ſimul & uxorem inobſequentes habere. Quamobrem danda opera, &c. ut ſupra in ſcopo Proverbij.

Hæc omnia in maritum difficilem & moroſum conferri poſſunt.

V. 14. *Domus & ſubſtantia ſunt hæreditas patrum: ſed à Iehovah eſt fœmina intelligens.*

In אבות (*patrum*) eſt ſynecd. partis patrum pro majoribus cum maſculis, tum fœminis.

fœminis. In הון (*ſubſtantia*) eſt item ſynecd. pro omnibus vectigalibus; ſic in אשה(*fœmina,*)pro matrimonio conjuncta.

Scopus eſt ſingulare beneficium uxoris. Deum timentis commendare,& hominum errorem abjectiùs ſentientium corrigere.

Superiori Proverbio Propheta beneficium præſtantis & prudentis uxoris ex adverſo ſtultæ & inſipientis uxoris exornavit: hoc autem loco illud beneficium amplificat ex comparatione minoris boni, quod tamen apud mortales pluris æſtimatur,quam pia & prudens uxor.

Hic ſcrupus nobis ſubdifficilis occurrit, quomodo Salomon hoc Proverbio Deum majoribus opponat,domus &ſubſtantiæ beneficium ad majores, uxoris prudentis & piæ donum ad Deum referens; hoc ipſo per ſpeciem Deo detrahens & derogans, quod illi ſummè competit. *Omne enim donum perfectum & omnis donatio bona de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum*,Iac. 1.17.

Cum igitur domus & reditus &vectigalia ſint in bonis, à Dei beneficentia profluant, neceſſe eſt. Huc referuntur frequentes ſententiæ in ſcripturis potiſſimum in Moſe & Iehoſ. de hæreditate terræ Canaan in genere Iſraeli in ſpecie vero ſingulis tribub. à Deo attributa: adhuc ſingulatim Davidi dicitur, *Deus dediſſe eum uxores, tum domum domini ſui Saulis*,2. Sam. 12. Reſp. duabus de cauſis hominibus hoc loco domus &c.donationem, non Deo aſſignari. Prior eſt, ut doceat tantum intervalli eſſe inter domũ &c. & uxorem prudentẽ,ut domus &c. præ uxore pia humanum ſit, & pia uxor prę illis divinum quoddã bonum ſit:Non quod domus &c.ſimpliciter & purè non ſit etiam Dei donum. Deinde quod major quædã & oculatior ſit Dei in uxorum piarum conſequutione providentia, quã in hæreditatis conſequendæ ratione. Nam hæreditas ferè aut patria lege, aut conſuetudine, aut ſingulari parentum charitate ad liberos devolvitur, ita ut diu antequam hæres,quis teſtamento aut diplomate ſcribatur, quis ſit, cognoſcatur. In uxoris verò acquiſitione ſæpiſſimè fit, ut conjugio conſocientur,qui propter locorum intervallum & conditionis diſſimilitudinem omnium minimè ſeu parentum ſeu conjugum judicio conjungendi viſi ſunt;ut donumDei ſit magis immediatè ab eo proveniens, quam hæreditas.

Hic igitur diſcamus errorem noſtrum, quo domus quidem &patrimonii poſſeſſioni pretium magnum conſtituimus,cum prudentis & piæ uxoris merces vulgares & contemptas ducimus. Quotus enim quiſque invenietur, qui in conjugio non maximam rationem aut dotis, aut generis,aut formæ habeat potius quam pietatis & prudentiæ? Si egregiè dotata ſit, illuſtri loco nata,ſi formoſa, ilico eam omnes certatim ambiunt parum ſoliciti de pietate.Contra ſi pia &prudens ſit,& dote nuda & patrimonio, contempta & ſpreta jacet: Ubi tamen notandum eſt, piam &prudentem fœminam longe cum patrimonio & vectigalibus, tum vero opibus & divitiis patrimonio conjunctis & conſociatis præponi.

Eccleſ. 7. 13. prudentia quædam, & ſolertia in rerum adminiſtratione pecuniæ longe præponitur;& melius eſſe docet Salom. in ſapientiæ, quam pecuniæ umbra deliteſcere, cum ſcientia hominẽ in vita conſervet ſæpe,quod pecunia non facit,quæ illum in periculum&diſcrimen vitæ conjicit. Quamobrem mulier civiliter prudens, & in familiæ adminiſtratione perita diviti fœminæ eſt præponenda;nedum ſapientia illa,quæ eſt cœleſtis, & cum timore Dei conjuncta,maxime ſi in unam coincidant.

Hinc efficitur ſpeciali quadam ratione à Deo per preces uxorem ſuam & prudentem

dentem quærendam eſſe. Quæ omnia de uxore dicta ad maritum item Dei timentem, & ſolertem transferenda ſunt, cùm ſit utriuſque par ratio.

Hic quærat quis, annon mala & ſtulta uxor ſit item à Domino? Reſpon. eſt illa quidem à Deo, ſed impiis pœnæ nomine, piis verò exercitationis cauſa immiſſa: eoque hoc malum placidè & patienter ferendum.

Verſ. 15. Socordia cædere facit altum ſoporem: & anima doloſa eſuriet.

In נפש (*anima*) eſt ſynecd. partis.

Scopus eſt; tam pigritiam, quam fraudulentam occupationem & vivendi rationem ad extremam paupertatem & inopiam hominem adigere.

Communis ratio docet, laborem honeſtum & moderatum ſpiritus acuere & excitare; contrà verò otio & ignavia ſopiri ſpiritus & hebetari. Nam capitis gravedo, & humorum in cerebro abundantia ex otio proveniunt. Hinc eſt, quod Salomon Proverb. 6. inerti & pigro ſuam ſomnolentiam exprobrat verſ. 9. 10. eumque ex immodico ſomno ludificatur. Hinc eſt, quod non defuerint inter hujus mundi ſapientes, qui affirmarunt, vitam ignavi & otioſi quandam mortem eſſe, & otioſum quodammodo ſeipſum ſepelire vivum.

Deinde ex poſteriore parte hujus Proverbii definitur vox famis, quæ huc traduci debet, ut doceat, qnis ſit ſocordiæ ſimul & immodici ſomni fructus. Nam cum otium ſit paupertatis parens, paupertatis verò proles fames, fit, ut, cum paupertatem arceſcat ſomnus immodicus, famem etiam arceſcere neceſſe ſit. Unde Proverb. 6. 11. docetur, pauperiem, tanquam viatorem ſubitò otioſo obrepere, & illum inevitabili quadam vi adoriri, ut ſolet armatus miles nudum & inermem invadere. Hinc etiam eſt, quod 20. 13. dicat, *eum, qui amat ſomnum, tenuem fieri*.

Hinc conſequi videtur, illum, qui ad omnes diteſcendi artes, & opportunitates excubat, rerum omnium in affluentia vivere, & manum illam, quæ irrequieta eſt, ditatam iri. Minimè, inquit Salomon, ſi doloſè ille agat, ſi integrè & incorruptè in re familiari augenda non verſetur. Tam enim compendioſè ad paupertatem itur per maximos & improbos labores, quam per otium, ſi ſit occupatio illicita. Hæc ſi ſecum fures, latrones, piratæ reputarent, qui parvo momento magnis ſe prædis & ſpoliis onerant; ſi, qui, ut lucelli aliquid acquirant, diem Domini violant; ſi, qui in commerciis, emptione, aut venditione ſuos proximos, etiam fratres circumveniunt; nunquam ſe captandis hujuſmodi commodis fatigarent.

Ergo unica ratio, & compendium divitem evadendi eſt, ſiquis in honeſta & licita arte cum diligenter, tum incorrupte ſe occupet.

Verſ. 16. Cuſtodiens præceptum cuſtodit animam ſuam: qui autem vias eius contemnit, morietur.

In נפשו (*animum*) eſt ſynecd. partis. In דרכיו (*vias ejus*) eſt ſyn. gen. pro mandato Dei.

Scopus eſt; hominem ſeipſum aut ſervare, aut perdere, quoad Dei mandata in vitæ ſuæ directione ſtudioſè obſervat, vel diſſolutè negligit.

Obſervanda eſt prima formula loquendi, qua præceptum in genere ponitur pro Dei præcepto. Ea enim formula indicit, Dei mandatum ſolum dignum eſſe, quod mandati nomen obtineat. Sicut enim verſ. 14. hæreditas & ſubſtantia

præ

præ pia uxore non meretur vocari Dei donum: ſic hoc loco hominum mandata per Dei mandatum indigna ſunt, quæ in mandatis habeantur. Hinc eſt, quod ſacra ſcriptura ſola *Scripturæ* nomen obtinet, & communi ſermone *per verbum verbumDei* intelligimus.Unde apud Hoſ. mandata Regis per contemptum צו(cum 2. literulis) appellantur. Quod quidem inde conſtat, quia Principum mandata non ſecus ſervanda ſunt, quam ut Dei mandato probè conſentiunt.Quoad cum Dei mandato conſentiunt; Dei ipſius authoritate muniuntur;ſed ſi &c.

De hoc Dei mandato præcipitur, ut illud obſervemus; eoque ipſo jubemur tum illud probè cognoſcere, tum cognitum memoria retinere.Nemo enim præceptum obſervabit, quod aut ignorat, aut memoria non retinet. Deinde quod adjungit, ſe & vitam ſuam ſervare, qui pręceptum ſervat,docet,qua cura,&quo ſtudio accenſo & excitato hoc faciat. Diligens rei cuſtodia alicubi cuſtodiæ pupillæ oculi aſſimilatur,quam etiam homines ſtudiosè & ſolicitè cuſtodiunt: ſed cuſtodia vitæ, ſeu animæ noſtræ multo magis nobis commendata eſt: maximè vero cum,hac vitâ ex contemptu mandati amiſſa, ſimul etiam vitæ futuræ jactura fiat.

Sunt quædam hominum mandata,quibus obſervandis magnum præmium propoſitum eſt; ſed illorum violationi aut pœna nulla,aut levis conſtituitur: Sed in Dei præcepta obſequendo,ut maximum præmium proponitur, ſic ejus violationi graviſſima pœna indicitur, mors ſcilicet æterna.

Deinde notandum eſt,pręceptum hoc tanquam normam omnibus actionibus& negotiis tranſigendis adhibendum eſſe; ut nihil tam aut magnum,aut parvum fit, quod ad præceptum, tanquam ad canonem non exigatur.

Denique notandum eſt, eum contemptui habere præceptum, qui illud non obſervat,etiamſi illud probè intelligat,& probe ejus meminerit; quandoquidem contemptus præcepti hic præcepti obſervationi opponitur. Unde ſub contemptu neglectum mandati contineri neceſſe eſt. Vid. Hebr. 2. 3.

Verſ. 17. Mutuat Iehovæ, qui gratiosè largitur tenui; & beneficium ipſius rependet illi.

In מלוה (*mutuans*) eſt metaph. à creditoribus ad Deum tranſlata propter beneficium, quod is, qui pauperi ſubvenit, à Domino conſequitur, ſicut à grato & memore debitore creditor.

Scopus eſt hominum erga pauperes ſiccitatem pervellere, quæ inde naſcitur, quod omne, in quo pauperi gratificantur,perire exiſtimant.

Viſcera noſtra in pauperes conſtringit & obdurat,oculos noſtros ab illis intuendis deflectit, manum noſtram adverſus eorum ſubventionem occludit, quod nihil, unde mutuo nobis gratificentur,illis ſuppetit. Semper enim in gratificando oculum ad remunerationem adjicimus, haud ſecus, quam ad mercedem mercenarius; quæ ſi nulla nobis affulgeat, ilico benignitatis noſtræ fons obturatur. Et quidem hoc hominum genus durum & ferreum eſt. Sunt alii qui paulo mitioris ingenii ſunt, qui libenter aut darent, aut mutuarent, dummòdo de illo,quod dant, aut mutuantur redhibendo conſtaret penitùs: quibus nihilo magis pauperes juvantur, quam prioribus illis, qui quæſtum conſectantur. Sed hoc genus hominum in improborum& peccatorum cenſu Chriſtus connumerat Luc. 6. 34.

Deus, ut hunc errorem penitus inſitum animis noſtris evellat, varias ſimilitudines,

tudines, tanquam imagines ob oculos noſtros proponit, quibus animis noſtris perſuadeat, non perire beneficium, quod in indigos confertur; ut quod ſemen terræ mandant, idque feraci admodum & irriguæ; 2. Cor. 9, 6. 9. Eccl. 11. 1. item quod theſauros congerant tutiſſime & inexpugnabili loco repoſitos; Mat. 6. 20. præterea quod ſibi amicos parant, qui illos in tabernacula æterna accipere prompti ſunt. Luc. 16. 9. Sed haud ſcio, an ulla illuſtrior & efficacior aut vehementior ſit ad hoc efficiendum ratio quam quæ hoc loco adhibetur, ubi is, qui pauperi re aliqua gratificatur, Iehovæ mutuare dicitur.

Hinc eſt, quod Chriſtus mandet, ut *omni petenti demus*, Luc. 6. 30. *& mutuo demus, & ut nihil* (ne caput quidem) *redhibeamus*; & Luc. 14. hoſpitem, à quo invitatus erat, doceat, conviviũ inſtituturus convivas adhibeat, nõ divites vicinos, ſicut more receptum eſt; ubi ratio, quam exponit, memorabilis eſt; ne, inquit, illi te iterum convivam adhibeant, & par pari reddant, eam rationem illos non invitandi attexens, qua ſola homines impulſi illos convivas adhibent. Contrà jubet adhibere pauperes eam rationem illos invitandi ſubſtituens, qua ſola homines ab illis invitandis deterrentur, ſc. quod nihil illis ſuppetat, unde compenſationem faciant.

Quid igitur? An, (inquis) peribit, quod aut do, aut mutuo? Minime inquam. Si enim tam durus ſis, ut nihil dare velis, niſi ſpe lucri, promiſſo muniris, te multiplicem fructum accepturum, nempe centum pro uno Mat. 19. 29. quæ uſura eſt hactenus inaudita.

Plerumque autem fit, ut pauperes inveniantur, qui mendicare pudore prohibiti, tamen aliquid pecuniæ mutuò accipere cupiunt. Hanc tu, niſi obſide dato, renuis dare mutuo? Ecce tibi prædem ipſum æternum Deũ, qui hoc Proverbio ſe ſponſorem pro tenui offert. Quid An non tibi certus & idoneus videtur, cujus unius eſt, quicquid uſpiam aut auri, aut argenti eſt, quicquid uſpiam terræ, aut vectigaliũ invenitur? parum fidus, qui nunquam fidem fefellit; qui etiam quod nunquam promiſit, aut dare ſuſcepit, ſponte dedit qui vel in hoſtes ſuos beneficus exiſtit? cujus tu ſyngraphum ſcriptuꝛam habes, promiſſionis ſigilla ſacramenta?

Huc accedit, quod præterquam quod hoc pacto rem facis, ſingulari tibi honori eſt Deum quodammodo tibi obnoxium habere. Quis enim ſibi honori non ducit ſi Regi ditiſſ. & potentiſſ. mutuo aliquid dederit, quo ille non incommode carere poteſt? Quid, quod Deus ſibi non tantum commodatum, ſed veluti datum reputat, quod in pauperes confertur? Mat. 25. 4.

Sed quæritur, quando Deus beneficium hoc compenſabit? In hac vita ſæpe Pſ. 112. 9. ſemper autem in reſurrectione juſtorum Luc. 14. tum ſc. cum tua maxime intererit. Multi ſunt, qui prædia, & vectigalia magno redimunt, quibus ipſi in multos annos non fruentur; imo quæ non, niſi illis mortuis, ad ſuos aut liberos, aut nepotes devolventur. Quãto nos magis expectatione divinæ conpenſationis, quæ certiſſ. eſt, acquieſcere æquum eſt?

Verſ. 18. Caſtiga filium tuum, dum eſt ſpes; & ad morte afficiendum eum ne condonet (ſeu tolleret([*anima tua.*]

In בן (*filium*) eſt ſyn. pro liberis Item in נפשך (*anima tua.*)

Scopus eſt parentum ſtultam indulgentiam redarguere.

Quæritur hoc loco primum cur in univerſum jubeat Deus liberos corripi & caſtigari, cũ potius dicendũ videbatur, caſtigandos

gandos & corripiendos eſſe, qui delinquunt, & ab officio diſcedunt? Reſp. negari non poſſe, quin magnum ſit diſcrimẽ ingeniorum in pueris & puellis, & pleroſque multo eſſe magis tractabiles, & manſuetiore natura, quam ſunt alii, qui natura ſua ſunt magis pervicaces & refractarii, eoque culpandos eſſe parentes, & pręceptores, qui eandem legem docendi & correctionis omnibus ex æquo adhibent. Hic enim æqualitas ſumma inæqualitas eſt; multique, dum ſe vitia flagellare putant, naturæ flagellatores & carnifices reperiuntur. Sed in hac naturæ & ingeniorum varietate nullos tamen reperiri certum eſt, qui ob inſitam illorum animis, & natura infixam pravitatem caſtigatione non egent. Vid. Prov. 22. 15. Sicut enim nullus ager tam ferax eſt, ubi ſpinæ & cardui (ſaltem aliqui) non proveniunt, eoque ipſo runcatione indigeat; ſic nullum eſt pueri, aut puellæ tam facile & ſubactum ingenium, ut caſtigationem & ferulam non poſtulet.

Deinde docet, hanc caſtigationem tẽpeſtive & opportune adhibendam eſſe, id eſt, maturè antequam animi ejus pravitas conſuetudine & diuturno uſu robur & vires acceperit, antequam adultior factus exultandi quadam ferocia indomitum ſe præſtet. Sicut enim tempus quoddam putandi & ſarmenta luxuriantia reſecandi obſervari debet, quo neglecto, arbores ſectæ & putatæ intereunt; & ſicut planta, cũ tenera eſt, facilè ſua curvitate curatur, quæ, ſi adultior facta ſit, citiùs frangitur, quã ad rectitudinem flectitur; denique ſicut juvencus jugo ferendo docilis eſt, qui poſt bos factus jugũ ſubire reſpuit: ſic, niſi à teneris annis corripiantur pueri, ut ad frugem revocentur, deinceps refractarii, & effractores evadunt, qni ſe cohiberi, & in ordinem cogi non patiuntur. Hinc eſt, quod Prov. 13. 24. non tantum docet parenti virgam non eſſe inhibendam, ſed porro jubeat, ut manum adhibeat.

Poſt ab adjuncto periculo hanc pręceptionem probat: ubi prolepſin quandam Propheta adhibet, cujus occupatio parẽtum perſona inducitur: Atqui præ animi mei indulgentia & ſingulari in liberos amore non poſſum illos caſtigare, maximè cum me ſupplices, & genibus flexis dulciſſ. verbis pænam deprecentur. Maximè verò quis ejus lachrimis, aut ejulatu non liqueſceret, aut frangeretur animus? Subject, à Deo adhibetur: verũ enimvero niſi hoc fecerit, de filio, aut filia tua penitus actum eſt. Hac enim indulgentia tua rectà ad ejus interitum itur aut in hac vita, aut in futura, aut in utraque, quod ſæpe factum videmus. Optio igitur tibi datur, num malis filium tuam iram, an Magiſtratus, aut Dei furorem; tuam caſtigationem an à Magiſtratu, aut Deo ſummo judice & vindice, aut utroque exitium; utrum virgam tuam, an eorum gladium & ſecurim experiri. Exempla ſunt Abſh. & Adoniah, quorum uterque patris nimia indulgentia in pueritia corrupti perierunt.

Hoc ad Magiſtratus transferatur, qui conſtituta impunitate, homines in iræ divinæ diſcrimen certum conjiciunt.

V. 19. *Si magnus æſtu condonans [illi] pænam: ſi illum liberaveris, deinceps [pænam] augebis.*

Scopus eſt docere, parentes poſſe aliquando pænam liberis delinquentibus condonare; ſed non ſine indignatione cum vultu, tum verbis declarata.

Hoc Proverbio videtur prolepſis adhiberi ad ſuperius argumentum, cujus occupatio eſt; nullus igitur veniæ admiſſâ culpa, locus relinquitur? Subj. imò verò eſt ubi culpã condones, ut prima quaq; vice, qua quis deliquit, aut ſi per impru-

dentiam, aut aliorum allectamentis potius, quam deliberata malitiâ aliquid cõtra officium, admittitur.

Sed non ſine cautione: Cautio autem eſt ut iram ſuam profiteatur; deinde ut νουθεσίαν, ſicut Apoſt. docet, adhibeat; Epheſ.6.4. quæ ut nunquam, nec in caſtigatione, nec in culpæ condonatione prætereunda eſt: ita copioſior & uberior adhiberi debet, cum, quæ verberibus fit caſtigatio omittitur.

Hic ſi quærat quis; an non liceat aliquando ad puerorum delicta connivere, & per illa tanquam non animadverſa tranſire, maximè vero cum aſſiduis caſtigationibus ſeu verbis, ſeu verberibus puer callum contrahit, & quodammodo obtunditur; Reſp. hoc non licere ſolum, ſed expedire etiam. Sed tum potiſſ. hæc conniventia adhibenda eſt, cum nihil contra Deum, aut contra proximum ſed tantum cum in civilem quandam diſciplinam in menſa, aut veſtitu, aut capitis pectinatione, aliiſque domeſticæ οἰκονομίας non diſſimilibus legibus peccatur.

V. 20. *Auſculta conſilio, & accipe correptionem, ut ſapias in extremo tuo.*

Scopus eſt; veram ſapientiam in mandatorum obſequio, & correptionis æqua & patiente toleratione gigni & cõparari.

Quamobrem duo ſunt, quæ hoc Proverbio S. Sanctus proponit. 1. adhortatio. 2. promiſſio his facta, qui adhortationi parent.

in adhortatione duo ſunt, ut { *conſilio auſcultent,* / *correptionem admittant.* }

In priore de auſcultando conſilio non obſcurè comprehenditur auditio. Verbũ Dei igitur audiendum, & quidem diligenter, aure ad rem, quam audimus, accommodata & inclinata penitus. Ex auditione enim legis ſcientia, & ex ſcientia conſcientia peccati; ſicut ex promiſſionis auditione fides ingeneratur. Meminerimus igitur, quod Chriſtus dicit; *qui habet aurem, audiat.* Mat.13 Qua ſententia docere vult, auris opificium ideo à Deo factum & formatũ; ut verbo Dei audiendo inſerviat: contra autem à nobis ad omnia captanda & accipienda potius quam verbum Dei adhibetur. Et uſque eo aures noſtras rerum periturarum auditione implemus, ut verbo Dei audiendo nullus locus relinquatur. Unde eſt ut aures ad audiendum verbum graves & incircumciſas afferamus. In quo genere ſunt, qui ſemine ad ſtratam viam projecto adumbrantur. Mat. 13.

Sed non ſatis eſt, ſi verbum audiamus, niſi illi porro auſcultemus, id eſt, ut inſtar theſauri illud in intimis animi penetralibus reponamus, vel ut pretioſum ſemen in porca & ſulco animi noſtri condamus, ne diabolus, tanquam avis illud auferat. Vide Pſa.119. ſect. 2.v.3. ubi uſus & finis indicatur, ne ſcil. peccet in Deum. Sic Eſai.2. 3. ille docebit nos de viis ſuis, & nos in illis ambulabimus. Hinc beati pronuntiantur, qui audiunt verbum, & ſervant illud. Luc.11.28. & Iac.1.22. eſtote factores verbi, & non tantum auditores vobis ipſis imponentes.

Deinde notanda eſt vox *conſilij*, qua verbum Dei inſignitur. Multa ſunt in ſcript. præſertim Pſ. 119. quibus varii & diſcrepantes verbi divini effectus delineantur, ut quod viæ dicitur, ut illis inſiſtendum eſſe doceamur; teſtimonium, ut ad cauſas noſtras vel probandum, vel refellendum illud adhibeamus; judicia, ut lites noſtras verbo finiendas & decidendas eſſe indicet. Appellatur autem hoc loco

loco conſilium, ut, quoties dubij & hæſitantes ſumus, quam viam in rebus noſtris tranſigendis ingrediamur, ad Dei verbũ, quod unicum oraculum eſt, recurramus. Hinc eſt, quod Chriſtus nobis à Deo conſiliarius datus eſſe dicatur, Eſai. 9. & Pſal. 119. dicuntur ſcript. viri conſilii Davidis, & veluti ſanctior ſenatus.

Hic prædicanda eſt Dei in ſuos munificentia, qui omnibus fidelibus non tantum ex Angelis ſatellitium, ſed ſanctum etiam ſenatum attribuit, ut nõ titulo tantum Reges, ſed Regiis privilegiis inſtructi dignoſcantur.

Sed Pontificius error nobis diligenter cavendus eſt, ne comminiſcamur Dei conſilia arbitraria eſſe, nec ulla nos neceſſitate illis obtemperandis teneri; ob eamque cauſam illos, qui illa opere implent, non ſolum Deum promereri, ſed porro theſaurum meritorum ſibi tantum comparare, ut inde aliis indigentibus erogent. Sed parum reputant, à quo hoc conſilium prodit, nempe à Deo, cujus conſilio inobſequentem eſſe nefas eſt. Si enim verum illud verbum eſt ἀι τῶν κρατώντων δεήσεις ἀναγκαὶ, nedum hoc de Dei & Chriſti conſiliis verè affirmetur: & ſi Sal. ſapientiſſimi conſilium repudiare ſuperbum foret, imo periculoſum ipſius filio Rehob. eorum conſilio non acquieſcere, qui Salomoni patri à conſiliis erant; nedum damni plenum eſt Dei conſilium reſpuere. Et, ne longius abeam, cum ſapientia nulla, niſi auſcultatione conſilii divini paretur, quæ vera & ſolida ſit, palàm eſt, hoc conſilium non eſſe arbitrarium niſi fortè liberum nobis exiſtimemus ſtultis eſſe & inſipientibus.

Secunda pars adhortationis eſt de admittenda correptione: ubi quærat quis quid opus ſit caſtigatione, cum quis verbum non tantum attentè audiat, ſed porro ſtudioſè illud obſervet? Currenti inquies, quid opus eſt calcar addere? Reſp. nullius obſequium ita ſuis partibus & numeris abſolutum eſſe, quin in pluribus delinquat: ob eamque cauſam opus eſſe caſtigatione. Si enim ad civilẽ quandam diſciplinam informandam opus eſt in generoſiſſ. ingeniis ut aliquando correctio præceptis tradendis aſpergatur; quanto nobis magis caſtigatione opus eſt, ut cæleſtem diſciplinam imbibamus, à qua multo ſumus naturâ noſtra alieniores, quam à civil. præceptiunculis, quarum ſemina nobiſcum naſcuntur!

Correptio verò hæc vel à Deo immediatè, vel mediatè proficiſcitur. Immediatè per morbos, naufragia, incẽdia &c. Mediatè cum domeſtica à parentibus, vel publica ab Eccleſia, aut Repub. inferatur. Quæ poſterior vel tum placidè ferenda eſt, cum ſine cauſa infertur; quia, utcunque homines injuſti ſunt, tamen Deus juſtus eſt, qui hominum etiam iniquorum actionibus juſtiſſimè moderatur; dummodo pœnæ nomine non infligatur quid, quod ab officio boni viri declinat. Contrà verò videmus juvenes his potiſſ. oblectari, qui illis adulantur, & voluptatum adminiſtri ſunt.

Sequitur promiſſio adhortationi adjuncta, fore ut ſapiens evadat. Hujus rei veritas comprobatur Pſ. 119. ſ. נ. ubi David docet, ſe ſuis hoſtibus, inſtitutoribus, denique ſenibus ſapientiorem extitiſſe, quod præceptis Dei operam navaſſet.

Sed notandum eſt, quod dicat, eum ad extremum ſapientem fore. Quo teſtatur, non brevi tempore hanc ſapientiam acquiri; ſed ſiquis in ſchola Chriſti aſſiduus & conſtans auditor ſit. Multi ſunt, qui Euang. & ſapientiæ huic acquirendæ primò ſtrenuam operam dant, qui iidem diſciplinam Eccleſiæ ſubeunt, & illius jugum admittunt; qui tamen quod non ilico, quem cupiunt & expectant, fructum auferant, ab hac Chriſti ſchola deficiunt: Quibus ſatis eſſe debet, ſi

tandem ſapiant. Quantum temporis collocant in abjecta & illiberali arte diſcenda? Quot æſtus & frigora patiuntur? & tamen ad artem artium diſcendum vix unum, aut alterum annum rectè collocatum putant. Quod illos redarguit, qui, jactis religionis Chriſtianæ fundamentis & primis elementis perceptis, de reliquo ædificio extruendo parum ſoliciti ſunt.

V. 21 *Multæ ſunt cogitationes cujusque: ſed conſilium Iehovæ ſurget.*

In תקום (*ſurget*) eſt metaph. à rebus corporeis ad ſpirituales traducta, qua rei illius firmitatem & complementum repræſentat, quæ ex Dei voluntate & conſilio decernitur.

Scopus eſt; conſilia illa modo firma & rata fore, quæ verbo Dei congruenter ſumpta & inſtituta ſunt.

Vox conſilij Dei dupliciter in Script. ſumitur, aliquando pro voluntate Dei arcana, quam nulli mortalium communicat, ut ex Eſai. 40. 13. 14. & Rom. 11. 34. & Eſai. 46. (*omnis voluntas mea fiet*) cōſtat: huic voluntati non magis obſiſti poteſt, quam ſolis, aut fluviorum curſus retardari: aliquando verò pro voluntate Dei revelata, ut ſuperiori verſu. Quamobrem & vocem *conſilij Iehovæ* in hoc verſu eodem ſenſu legēdam exiſtimandum, quaſi aliquid affinitatis hic v. cum ſuper. habeat, ut nos ad verbi divini amplexus incenderet hoc Proverbio, & ſtimulos adderet ad Deum in verbo in omni negotio conſulendum.

Quoties improbi de rebus dubiis conſilium capiunt, toties aut corruptæ, aut perverſæ ſuæ rationis diſcurſationem, aut conſuetudinem aut ſuperiorum temporum experientiam in conſilium admittunt, omni voluntatis divinæ mentione aut penitùs repulſa, tanquam quæ ab illis ignota ſit; aut certè aliunde provenientibus conſiliis poſtpoſita. Piis etiam, quia carnem & corruptionem circumgeſtant, multa in mentem veniunt, quæ veterem Adamum reſipiunt redolentque. Vid. Pſ. 13. 3. qui etiam non raro illa carnis conſilia, relicto Dei ſalutari conſilio, ſequuntur. Vid. Gen. 13. 10. & 1. Sam. 27. 1.

Quamobrem ut nobis non metuamus à callidis improborum conſiliis; deinde ut omnia noſtra conſilia, & cogitationes ad verbi & conſilii divini amuſſim exigamus, iſtud Proverb. ob oculos proponamus. Quod multis ſcript. cum teſtimoniis, tum exemplis confirmatur. Nam Eſai. 8. 10. jubentur *impij conſilium inire*; ſed ſubjicitur, *irritum & diſſipatum iri*, quia Deus à partibus ſui populi eſt. Contrà vero Pſal. 1. dicitur, omnia, quæ juſti ſuſcipiunt, in manus illis proſpere ceſſura; & Pſal 33. 10. 11. utrumque complectitur, & proſperitatem conſiliorum, quæ ſecundum Deum inſtituta ſunt, & diſſipationem conſiliorum improborum. Exempla vero paſſim extant in libr. Sam. Reg. & Chron. Tametſi enim improbi aliquando vireant & floreant, tametſi impiis ſuis conſiliis proficiãt, & provehantur, ut Pſ. 73. & exemplo civium Ai & Benjamitarum, tamen gaudium illud momentaneum non ita multo poſt in luctum convertitur Sicut contra piis ex verbo Dei vitæ rationem inſtituentibus nonnunquam parum proſpere ſuccedit, ut Deus fidei & patientiæ eorum experimentum capiat; quibus ad extremum bene eſt, 1. Sam. 4. 5, 6.

V. 22. *Deſiderium hominis eſt benignitas ejus: & melior eſt pauper viro mendacij; [vel nobili, qui mendax eſt.]*

In תאות (*deſiderium*) eſt Hebraïſmus pro eo, quod ſummè quis deſiderare debet,

bet, & eſt meton. adjunct. In רש (*pauper*) eſt ſynecd. ſp. pro omni eo, qui deſtituitur commodis hujus vitæ, quæ ſuo ſocio abundè ſuppetunt: & מוב (*melior*) איש (*viro*) eſt idem Hebr. & tropus, qui eſt קאוח ארמ.

Scopus eſt homines ad beneficentiam in indigos extimulare.

Cum dicit, deſiderium hominis eſſe benignitatem, ſeu beneficentiam illud indicat, quod homo deſiderare debet, non quod quiſque expetit: quandoquidem illud paſſim ferè obtinet, quod Eſai. 1. 23. pronuntiavit; omnes ſcilicet munerum corruptelas perſequi, & ferè fieri, ut quo quis locupletior, & meliore loco ſit, ita potiſſimum ad munerum acceptionem animum attollere ſoleat, uſque eo, ut ſibi quodammodo injuriam fieri in animum inducat ſuum, niſi munerum frequenti acceptione honoretur, atque augeatur. Contra hoc Proverbio ſtatuitur, cujuſq; incenſum & incitatum ſtudium eſſe debere, ut in alios benignus & liberalis eſſe poſſit: ut ſi divitiæ & vectigalia homini expetenda ſint, ob hanc cauſam potiſſimum ſint expetanda 1. ut ſapientiã comparet, Prov. 17. 16. Deinde ut hoc loco docetur, ut in alios beneficus ſit, maximè eos, qui ſunt ex domeſticis fidei. Hinc eſt quod divites admonentur, *ut bona faciant, & bonis opibus divites ſint*, 1 Tim. 6. 18.

Hæc doctrina mirificè confirmatur memorabili Chriſti dicto, *beatius eſſe dare, quam accipere*, Act. 20. 35, Quæ doctrina quia hominibus paradoxa videtur, paulo altius repetenda erit, & rationes conquirendæ, quibus illa innitatur, & confidat. Et 1. quidem hoc ipſo benignitas & liberalitas commendatur, quod eâ cœleſtem patrem imitemur, qui in omnes liberalis a nemine quidquam accipit. Quo exemplo quid poteſt eſſe aut auguſtius aut laudabilius? Si enim ad terreni Regis exemplum orbis componatur, quanto magis ad cœleſtis Regis imitationem omnes ſe conformare debent? Et ſi in laude ducat quis terreni parentis virtutem imitari; nedum cœleſtis imaginem gerere. Hic ſiquis forte excipiat, Chriſtum cœli & terræ dominatorem & hæredem ex alieno victitaſſe, ut qui hoſpitium aliunde mutuatus ſit, cum nulla domus illi, qua caput ſuum reclinaret, ſuppeteret Matth. 8. 20. eique & diſcipulis ſumptum & viaticum adminiſtratum fuiſſe à matronis quibuſdam opulentis Luc. 8. ejuſq; exemplum (qui etiam homo ſit) nobis ob oculos ſpectandum eſſe potius, quam Dei, cujus viæ imperveſtigabiles ſunt; is reſponſum ferat, Chriſtum oportuiſſe hanc conditionem ſubire, *qui pro nobis pauper factus eſt*, 2. Cor 8. quippe quod peccatorum noſtrorum meritum in hanc vilem & contemptam conditionem illum neceſſario detruſit: cum nos alia conditio manet, ut (quoad datur) demus operam, ut ex benedictione, qua nobis benedixit Deus, aliis ſubſidio ſimus.

Secunda ratio eſt, quia ſibi quis hoc modo teſtimoniũ colligit, ſe in Dei obedientia continendi, quandoquidẽ expreſſè dicitur in lege, eum, qui in Dei obſequio manet, à Deo ita cumulandum eſſe opibus, ut aliis poſſit & erogare & mutuum dare, Deut. 21. Lev. 26. Quo referendum erit, quod Pſ. 112. 5. Propheta canit, *juſtum quemque gratioſè largiri, & mutuò dare*. Quantum autẽ, & quã amplum beneficium homini ex peccatorum multitudine & gravitate de bonitate Dei fluctuante Dei gratiam intus in animo obſignatam gerere! Unde etiam Apoſt. 1. Tim. 6. 19. divites beneficos affirmat theſaurum ſibi in cœlis ſua beneficentia recondere, ut vitam æternã conſequantur. Vid. Math. 6, 20. Non quod aliquid ſit bonorum operum meritũ, ut Pontificii falsò & ſtultè ex hujuſmodi locis colligunt, ſed

quod Deus hanc beneficentiam gratuita, & ex beneplacito voluntatis ſuæ remunerat. Atque hæ rationes præcipuæ ſunt, ut quæ ad vitam perennem referuntur. Sunt&aliæ,quæ ad hujus vitę aut incommoda declinandum vel emolumenta perſequendum non parvum momentum habent.

Et quidem ad mali declinationem illud ſpectat, quod qui dona accipit, ſe quodammodo ſervum ei conſtituit, cujus beneficentia & largitione adjutus eſt. Nam ſi,qui mutuo accepit,ſervitutis vinculo ſe conſtringat, ut Proverb. 22.7.nedum qui dono accipit. Ex quo illud etiam conſequitur,eum,qui liberalis,& beneficus eſt, ſuam libertatem apud homines tueri, & alios ſibi devinctos reddere.

Aliud hujus vitę commodum eſt,quod multos amicos ſibi conciliat, quibus hæc vita munitur, & confirmatur. Hinc eſt illud Prov. 19. 6. ubi præfert Salom.homini honorato, & in authoritate conſtituto, qui idem munificus non eſt, hominem liberalem ; cum non diffitetur,quin multi ſupplices, & genibus flexis ad tales Magnates accedant, ut ſuas cauſas obtineant; ſed eos demum amicos plurimos colligere affirmat,qui perquam liberales ſunt.

Denique *beatius eſt dare,quam accipere*, quia dando plurimum divitiis auctior eſt. Quod ſi παραδοξότερον videatur, quam illud ipſum,quod hoc loco diſceptandum proponitur, tamen & firmiſſ. teſtimon. ſcript. incumbit, & multis experimentis confirmatur, Proverb. 11. 24. *Eſt,qui diſpergit, & augetur magis, cum, qui plus æquo cohibet, id ad inopiam arceſcendam faciat*. Item Pſ. 112 : & 2. Cor. 8. comparatur juſtus agricolæ qui hilariter & copioſe ſemē per agrorum ſulcos diſpergit. Quo effecto obviam itur his,qui excipient, largiter dando opes minui, aut etiam fontem ipſum exhauriri.Quamdiu enim quis conſcientia in Deum erogat, illum opes non deficient.Siquidem, ſicut paulo ante accepimus,eum domino commodato dare, qui in pauperem beneficus eſt. Neque enim intelligendum eſt, liberalem promiſcuè omnibus dare,ſed(ut eſt Pſal. 112.) *res ſuas cum judicio, & delectu adhibito adminiſtrat*. Aliud enim eſt liberalem eſſe, aliud prodigere,& temerè omnia profundere.

Ex his liquet, quo loco haberi debet voluntaria paupertas Monachorum, fratrum,& totius catervæ religioſæ profeſſionis Pontificiæ; & quam turpe & fœdum ſit illud, in quo maximè gloriantur: quandoquidem eam ſe rationem inire profitentur, qua ex aliorum labore victitent uſque eo, ut ſuis patrimoniis renuntient, ut ex Eccleſiæ eleemoſynis vivant.

In poſteriore parte Proverbij alia doctrina proponitur,quę tamen exProverb. deducitur, nempe potiorem eſſe conditionem pauperis & deſtituti hujus vitæ commodis,cui adeſt benefaciendi voluntas, quam viri dignitate, & divitiis præſtātis, qui aut per ſpeciem ſimulatæ paupertatis maximè hujus vitæ ſubſidia denegat, aut ſi illa largiatur, tamen benevolè & alacriter non præſtat, ſed gravatè & animo reluctante facit. Nam voce mendacij comprehenditur uterque, cum is, qui paupertatem ſimulat, cum dives ſit,tum ille, qui gravatè,& non ex animo largiatur.

Quamobrem ſicut *beatius eſt dare,quam accipere*; ſic beatius eſt(per inopiam)accipere, quam operam tuam aut indigenti denegare, aut non ex animo, & cordatè illam pręſtare.Quamobrem non eſt,quod pauper ſua paupertate nimium deprimatur, aut divitibus præſertim avaris,& tenacibus invideat,cum potior ſua ſit,quam illorum conditio: Et ſimul reputare convenit, non ſine paterna Dei providentia paupertatem illi obtigiſſe,quia,utcunque

animum

animum in paupertate gerat ad gratificã-dum aliis propenſũ promptumq́;, neſciat tamen, an eundem animum habiturus foret, ſi illi ad dandum facultates ſuppetiiſſent, ut qui nullas latebras & receſſus in animo habeat, quorum ipſe inſcius & ĩgnarus eſt.

V. 23 *Reverentia Iehovæ ad vitam ſpectat; & ſatur pernoctabit, ne malo viſitabitur.*

In יראת (*reverentia*) eſt ſynecd. part. pro univerſo Dei cultu. In ילין (*pernoctabit*) eſt item ſynecd. part. noctis ſcil. pro omni tempore vitæ, ſive noctu, ſive interdiu. In יפקד (*viſitabitur*) eſt metaphora, vel proſopop. potius, qua malo pœnæ amici perſona affingitur, qui animum ob conjunctionem interiorem inviſum venit.

Scopus eſt nobis pietatem erga Deum quam commendatiſſ. ex ejus præclaris effectis reddere.

Hic conſiderandum venit de { *reverentia Dei.* / *ejus præſtantibus effectis.* }

De priore parte Proverbii, vide quæ ſuprà dicta ſunt, 14.26, 27.

De primo effectu vitæ, vide quæ ſcripta ſunt, 10.27.

De ſecundo effectu, vide quę annotata ſunt, 3.16, & verſ.23: & 13.13.

De tertio effectu, vide Pſal. 34.10: & Prov. 2.12.

V. 24. *Abdit piger manum ſuam in manica: etiam ad os ſuum non reducet illam.*

Scopus eſt pudore pigrum afficere, ut cum ipſum ſuæ deſidiæ pœniteat, tum alii deſidiam, tanquam rem pudendam fugiant.

Cap. 6. hujus libro probro datur otioſo, quod in multam lucem ſtertat, & ægrè à lecto abducatur. Conveniebat autem, ut diutius, quam par eſt lecto, & ſpondæ affixus tum demum, cum experrectus à lecto ſurrexerit, operam ſtrenuam in obeundis negotiis poneret, ut, quod diuturniore ſomno ceſſatum eſt, improbo importuno labore ſartiat. Ecce autem quomodo, relicto lecto, ſe proripiens nondum ſomnum penitus excuſiſſe videri jure poterit, ſed vigilans dormire.

Quod dicit, eum *manum in manica*, aut ſinu abdere, videtur ad geſtum deſidioſorum alludere, quibus ferè mos eſt manũ in ſinum aut manicam inferre, aut ſub axilla tenere. Qua in re pigri inſuetam & inſolentem vitæ rationem indicare videtur, quia natura & lege omnium nationum vultus & manus nudari ſolent, non ut cæteræ corporis partes, veſtiri & operiri; maximè manus nudantur, cum quis ad opus aliquid obeundum ſe accingit. Hac igitur manus in manica occultatione ſummam otio, & ab omni negotio vacationem deſignat Salom. quia manu omnes ferè honeſtæ & legitimæ artes exercentur. Hinc eſt quod Proverb. 13. 11. *divitiæ manu acquiſitæ* laudentur, & divitiis opponantur vanitate partis: & Pſalm. 90. idem confirmatur. Verſ. ult. Propheta à Deo omnium ſtudiorum & laborum fœlicem ſucceſſum apprecans ab eo, ut opus manuum dirigat, atque confirmet, vehementer ſupplicat, Epheſ. 4. 28 Quãobrem ut præſtans fœmina apud Salom. Prov. ult. commendatur, quod *manum ſuam immittit ad verticulum & ad fuſum*, ſic viri cujuſq; laus eſt ut manum admoveat aratro, ligoni, &c.

Etiam ad os ſuum, &c. Eſt hyperbole elegantiſſ. qua ſummam deſidiã otioſi hominis

minis adumbrat. Vſque eo enim ab omni labore abhorrere affirmat, ut ægrè manum ſuam admovere velit, ut ſe paſcat; ut inſtar infantium in cunis vagientium non inquè ferret cibum illi in os inſeri; & ſi ſemel tentat hoc facere, tamen poſt manum ægrè reducere velle. Qua hyperbole ſignificat, otioſum ne minimum & leviſſimum laborem obire libenter velle. Vnde grave illis eſt caput pectere, faciē & manus lavare, lectum ſternere. Et certè ita à labore abhorrent, ut ne victus ſui, & neceſſarii paſtus cauſa ſe ad opus accingere velint; cum natura duce, *nemo comedat, qui laborare nolit*, 2. Theſſ. 3. 10. & æterno Dei decreto conſtitutum ſit, ut quiſque *in ſudorem vultus ſui panem ſuum comedat* Gen. 3. Quod quidem ea accuratione Deus obſervari vult, ut ne lactentibus infantibus lac ex mammis matrum largiatur, niſi illud magna virium contentione attraxerint. Ex quo fit, ut attrahendo, & ſugendo defeſſi infantes reſpirent, & ſumpto ſe recreandi ſpatio, ſubinde mammā & uber matris repetant.

Hoc autem tanto eſt otium intolerabilius, quod plures cauſæ ſunt, quæ illum ad laborem impellant. Suis enim aut domeſticis, aut propinquis conſulere debet, & eorum cauſa ſe in opere faciendo exercere, *cum ſit Ethnico, ſeu infideli deterior, qui ſuis maximè domeſticis non proſpicit*, 1. Tim. 5. 8. Deinde debet aliquid ad cultum Dei conferre, ut provehatur & amplificetur Dei honos & gloria Prov. 3. 9. Denique laborandum ei erit, *ut aliquid egentibus diſtribuat*, Eph. 4. 28. Tametſi enim *qui nolit laborare, manducare non debet*, tamen ſunt multi, qui præ ætate aut tenella aut decrepita, præ morbis, & aliis infirmitatibus laborare nequeunt, quibus valentium & robuſtorum induſtria ſubveniendum eſt.

V. 25. *Percuties deriſorem, & fatuus fiet aſtutus; & corripiendo prudentem intelliget ſcientiam.*

Voce פתי (*fatuus*) aliud quiddam ſignificatur, quam quod ſtultum ſæpe convertimus. Illa enim voce intelligimus improbum, qui legem agnitam oppugnat; hac autem voce eum, qui imprudens, & incautus facilè ad id, quod malum eſt, prolabitur. Vide 9. 4. Quis autem ſit deriſor, vide ſupra.

Scopus eſt docere præclarum uſum animadverſionum, & caſtigationum omnis generis quæ tempeſtivè, & cum delectu adhibentur.

Varii ſunt fines caſtigationum & animadverſionum. Vnus eſt malum è medio illius loci, ubi malum patratur, auferre Deut. 7. 13, 14: & 9. 19, 20. quia Deus in peccatis palam admiſſis niſi pœnâ delinquentis, nunquam illi ſeu familiæ, ſeu urbi, ſeu Eccleſiæ, ubi flagitium deſignatum eſt, reconciliabitur. Alius uſus eſt, ut timorem incutiant omnibus, ad quos animadverſionis fama pervenerit, ne quid ſimile admittant. His duob. finibus à Moſe præſcriptis Salom. Proverbio hoc tertium adjicit, eumque longè præſtantiſſimū, nempe quod his caſtigationibus fatui ad frugem & reſipiſcentiam adducuntur. Hujus vero effecti, tam præſtantis duæ cauſæ aſſignantur: Prior eſt, cum in deriſorem ſeverius verberibus animadvertatur: Altera eſt, cum prudens vir, & intelligens verbis corripitur.

Et quidem quod ad priorem attinet, percommodè & opportunè Salom. deriſorem verberibus & plagis ſive ad carcerem, ſive ad fuſtē, ſive deniq; ad mortem cohibendū & conſtringendum eſſe monet. Nam cap. 9. docuerat, illum non eſſe verbis admonendum verſ. 7. 8. Quamobrem deriſor non eſt ita perditæ & deploratæ ſpei, quin poſſit aſperioribus medicamentis

dicamentis ad frugem adduci, tametſi verbis non moveatur.

Hinc docemur, quæ ratio nobis tenenda eſt in pœnarum inflictione, ut qui gravius delinquunt, hi primi ſint, qui juſtum & debitum ſupplicium luant: Quod contrà ferè fit, ut columbas cenſura vexet, cum corvis condonetur, maximè cum, qui ſcelus admittit, potentia aut divitiis polleat. Vetus eſt Proverbium, *canem coram leone vapulandum*: ſed potiùs docemur loco, leonem cædendum eſſe plagis, ut canis ſibi caveat. Nam quanto is, qui peccavit, melioris notæ eſt, tanto magis in ejus perſona ſceleris admiſſi punitio alios omnes ad cautionem erudit.

Hujus rei documentum proponitur, Num. 25. 4. ubi, ſcortantibus Iſraelitis cum filiabus Moabitis & ad cultum Baalis pellectis jubet Deus Moſi, ut, prehenſis omnibus principibus, illos in crucem agat, tametſi Principes ipſos ſcortatores fuiſſe non omninò conſtat. In abjectorum enim & pauperum ſupplicio nobiles & divites in officio non continentur, nec à ſcelerum admiſſione retardantur: Contrà verò, ſi in divites, & potentiores ſupplicium ſtatuatur, inferioris ordinis homines in officio manent, aut certè à malorum perpetratione deſiſtunt.

Deinde idololatræ, ἄθεοι, adulteri vix appellantur, cum furunculi morte mulctentur, &c. qui tamen ſceleratorum illorum gravi ſupplicio ad cautionem erudiendi erant.

Fatuus autem plagis deriſoris cautior redditur, dum reputat ex pœnæ gravitate ſceleris atrocitatem, dum pœnæ formidine ab ejus perpetratione arcetur. Vide 1. Sam. 6. 6.

Quamobrem non ſatis conſideratè faciunt, qui ideò à deriſorum improborum ſupplicio deſiſtunt, quia illi eo non emendentur, tamen alii ad frugem educuntur.

Alia ratio informandi, & ad reſipiſcentiam erudiendi fatuum eſt, ſi prudentem paululum declinantem verbis corripias. Nam fatuus inde ſecum in iſtum modum ratiocinabitur; ſi tam virtute præſtans correptione dignus ſit, quid de me fiet, qui illi longe vitæ integritate poſtponendus ſum? Si ille de tam levi delicto corripitur, quanto magis vituperio dignus ego ſum, qui his graviora admitto? Si ille æquè fert, atque adeò corripientem ſe amat (ut eſt Proverb. 9. 8. 9.) quanto magis mihi, hoc ut faciam, incumbit. Ex reprehenſione itaque ſapientis duplex fructus exiſtit. Nam & ipſe emendatur (ut qui plagis non eget) & fatuus & incautus reſipiſcit.

Ex quo illud etiam liquet, quemque, ut eſt inſtructior, & in voluntatis divinæ cum notitia, tum praxi & obſequio locupletior, ita faciliùs correptionem admittere. Quod illos merito coarguit, qui, cum corripiuntur, ilico excipiunt, ſe, ut fruſtra ſit monere, ſcire probè, quod ſui eſt officii; item ſe non adeo ab officio ſuo diſcedere, ut hac correptione egeant, præſertim cum illud in pręſentia aliorum ſit, non tam, ut illi ſunt, in pietate provectorum. Sed meminerint, ſe hoc ipſo ſtultos prodere, quandoquidem vir prudens illum complectitur, qui eum corripit, Proverb. 9. 8. Deinde ut tu hac correptione non egeas, tamen patienter & æque ferenda erat propter alios, qui circumſiſtunt, fatuos præſertim: cumque tu te injuria affectum putas, longe ſecus eſt. Nam quod, aliis præteritis, tu culparis, indicium eſt tuæ pietatis.

Ex utraque proverbii parte colligimus inſignem doctrinam; ſcilicet verberibus & plagis graviſſimis quoſque peccatores primos eſſe debere; in verborum autem caſtigatione, cum plures peccant pios, qui ad ſolam admonitionem reſipiſcunt, ut illos non percutias, & illos

cum primis corripiendos, qui minimum ab officio deflectunt, quod eorum reprehenſione alij coarguuntur.

Deinde & illud obſervandum eſt, homines non tantum ex ſuis, & proprijs, ſed ex aliorum caſtigationibus ad reſipiſcentiam proficere oportere. Quod illos coarguit, qui tam longe abſunt ut proficiant, ut ſociorum ſuorum correptionem, ſeu domeſticam, ſeu publicam, Eccleſiaſticam aut Civilem probroſè oggerant.

Eſt denique notandum, ſimplicem & ignarum cautiorem tantum fieri plagis, non vere ad Deum converti: ſed reprehenſione ſapientis poſſe ad frugem adduci. Nam pœnæ non poſſunt hominem ad ſalutem erudire, quod verbi divini virtute modo efficitur, ut hoc loco confirmatur.

V. 26. *Devaſtat patrem, fugat matrem filius pudefaciens, & probris afficiens.*

In אב eſt ſynecdoche partis pro utroque parente: Idem intellige in voce אם (*matrem.*) Idem intelligendum in voce בן filij pro liberis utriuſque ſexus.

Scopus eſt hinc parentes ad piam liberorum educationem, iſthinc liberos ad pietatem in parentes ex vita ſanctè & incorruptè acta exacuere.

Cum in utrumque parentem quadrat, quod de alterutro prædicat, quæri poteſt, cur patri attribuat, quod filius eum devaſtat, ſeu bonis evertit; matri vero, quod illam fugat, atque à ſe abalienat? Ad priorem difficultatem reſpondeo, idcircò patrem devaſtari dici potius, quã matrem, quia jus bonorum & vectigalium proprie ad patrem ſpectat, ad eum modum, ut mater, niſi ex patris præſcripto, aut conſenſu, nihil largiri, aut erogare queat. Ejus enim partes ſunt à marito importata fideliter aſſervare.

Ad alteram quod attinet, reſpondeo, alienationem voluntatis ideo matri attribui quia mater ex multorum malorum ſenſu, in conceptu, geſtatione, puerperio, & lactatione paſſa eſt, ardentius amat liberos, quam pater. Vnde Propheta & Apoſtolus matris charitatem in liberos præcipua quadam ratione nobilitant, Eſai. 49. 15.: & 66. 13.: 1. Theſſalon. 2. 7. Vt facile intelligi poſſit, patris animum à filio acolaſto abalienatum iri, ſi matris voluntas erga illum mutata ſit.

Jam videndum, cujuſmodi ſit, qui malum hoc infert parentibus. *Filius* (inquit Propheta) *pudefaciens & probro afficiens*, ſcilicet cum ſe, tum ſuos parentes. Nota enim infamiæ, quam ſibi ſua nequitia inurit, in parentes redundat. Debebat ex Dei mandato parentum honorem procurare. Quamobrem illos non tantum honore non proſequi, ſed porro pudore & contumelia afficere res indigniſſima eſt. Debebat item ex ejuſdem mandato præſcripto parentibus ἀντιπελαργεῖν, & illos hujus vitæ commodis deſtitutos ſublevare, 1. Timoth. 5. 4. idcirco illos ſuis bonis & fortunis evertere prodigioſum plane eſt.

Cujus tam perditæ filij converſationis hic fructus & effectus eſt, animum parẽtum à ſe alienum & abhorrentem reddere uſque eo, ut ne ejus aſpectum quidem ferre poſſint. Sicut enim fratrum diſſentientium inimicitiæ irreconciliabiles Proverbio Salom. dicuntur; ſic parentum erga liberos odium planè vatinianum exiſtit, poſtquam frequentibus liberorum inobſequiis, aut atrocioribus ſceleribus irritati fuerint. Quo enim arctiora naturæ vincula, quibus homines inter ſe devinciũtur, ita, illis ruptis, & effractis, odia magis

magis infeſta naſcuntur. Quod liberos admoneat, ne parentum charitati præfidentes,ac ſi nulla pertinaciâ, & petulantiâ eorum charitas exhauriri poſſet, temerè ſe ad quamvis parentum offenſionem proſtituant.

Deinde,quantum malum ſit parentum animos, & vultus abalienatos experiri, docemur exemplo Micæ, qui tametſi idololatra,& veræ religionis ſenſus inanis eſſet, tamen, auditæ matris execratione formidabili, qua illum execrata eſt, qui 1100.argenteos ſuos abſtuliſſet, ſic hac maledictione perculſus eſt,ut ilico argẽtum matri reſtituerit,Iudic.17.1.*Et ſi gemitus operariorum,qui mercede ſua fraudantur,Deus exaudit,*Iacob 5.*& clamor eorum in cœlum aſcendit,qui veſte ſua,quā ipſi ſponte oppignerarunt deſtituuntur* nedum hæc tam inſignis in parentes injuria, qui Dei ipſius perſonam erga liberos ſuſtinent, vindicabitur.Quod ex adverſa parentum amico vultu,& exporrecta fronte percipitur. Nam ſi Iacob.in fratris placido,& fraterno aſpectu ſibi viſus ſit Dei ipſius ſerenam & lætam faciem conſpexiſſe,& contemplatum eſſe;nedum in parentum hilari & alacri intuitu hoc magis conſpicitur.

Hic admonemur parentes, ut liberos in timore Dei, & in domini diſciplina enutriamus, ne acolaſti & ganeones evadant. Quod ſi in liberos decoctores, & nepotes incidant parentes,ne tamen ſtulta indulgentia, & amore imcompoſito, & perverſo eorum prodigioſis ſumptibus, & effuſioni pecunias ſuppeditent, quod poſt,cum ſuis fortunis everſi ſint odium implacabile ingeneret.

Quinetiam liberis ſui ipſorum curam ſuſcipere convenit, ut mutuis adhortationibus & admonitionibus ad pietatem proficiant; ne, ſi unus aliquis parentibus unice charus in vitæ luxum prolabatur, ſua profuſione parentum bona obliguerit, reliquos ſuo in paternis bonis jure fraudet.

Verſ. 27. Deſine fili mi (ut auſcultes eruditioni) aberrare à ſermonibus ſcientiæ.

In בני eſt ſynecd. pro filiis ſimul,& filiabus.

Scopus eſt hominum animos ad ſapientiæ,& timoris divini ſtudium cōparare.

In filii & filiæ blanda appellatione,qua Deus in Prophetæ perſona omnes fidei domeſticos compellat, ſingularem Dei erga nos charitatem declarat , qui in Chriſto unigenito in filiorum ſortem adoptavit,hoc honore,quem nobis habet, nos ad ſui obſequium invitans, Eoque magis refulget hæc Dei charitas, quo illos filiorum cenſu habet,qui adhuc peccato non penitus nuncium inferunt:quod verbo *deſinendi* non obſcure indicatur. *Si enim carnis parentes reveriti illis morigeros nos præbemus,nedum cæleſti patri nos obedientes præbere oportet.*

Quod *deſiſtere* monet *aberrare* , meminerimus,quod Apoſt.nos commonefacit, *ſatis nobis eſſe debere,quòd exacto jam tempore ſtudiis Gentium nos conformavimus,dū ambularemus in omni gen.petulantiæ,concupiſcentiæ,vino lentiæ, gulæ,compotationum, & nefariæ idololatriæ.*1.Pet.4.3.Eſt enim ſingularis in hero humanitatis, ſi ſervum multos annos nō inutilē ſolū,ſed damnoſum gratū habere velit,dummodo, quod ſupereſt vitæ ejus,ſedulo incūbet,ut hero fideliter ſerviat. Huc pertinet æquiſſima illa Apoſtol.poſtulatio , qua à piis omnibus propter carnis imbecillitatem exigit, *ut ſicut membra ſua mancipia præbuerint iniquitati ;ſic &c.* Roman.6.19.maximè,cum improbitatis,& impietatis nullus fructus exiſtit præter mortem ; obſequii vero in Deum multo maximus ſit

cum in hac, tum in futura vita verſ. 21. 22. Quo referendum, quod ſcribitur Eph. 5. de redimenda opportunitate, maximè cum dies mali ſint.

Denique notandum, *auſcultare eruditioni* adverſum eſſe *aberrationi à ſermonibus ſcientiæ*, ut ſimul conſiſtere nequeant: Ut neceſſe ſit, eum, qui eruditioni animũ adjicit, protinus errori & vitæ corruptelis valedicere. Vide Matth. 6. 24: & 2. Corinth. 6. 14, 15, 16: & Rom. 6. 20. Quod ob eam cauſam dictum eſt, quod plerique ſunt, qui ſimulant pietatem, cum interim improbitatem exerceant, ut meretrix Proverb. 7. quæ cultum religi. vel tum præ ſe tulit, cum ſocium adulterii perquiſivit. Alii ſunt, qui ajunt, ſe tanta facultate agendi præditos eſſe, ut & Deũ ſatis ſuperque colere, & ſuo etiam genio indulgere, aut animo in conquirendis divitiis inſervire valeant. Res ardua eſt duas artes, ſeu occupationes cum laude exercere, quæ tamen diverſæ modò ſunt: Pauci etiam inventi ſunt ea ingenii & induſtriæ fœlicitate, ut cum voluptate utilitatem conjungere norint. Qui autem Dei cultum cum mundi ſtudio &c. conjunxerit inventus eſt nemo: quandoquidem iſta diverſa non ſunt, ſed ex diametro pugnant.

V. 28. *Teſtis nequam ludificatur judicium; & os improborum abſorbet iniquitas.*

In יבלע (*abſorbet*) eſt metaphora ducta ab immanibus beſtiis, quæ alias feras uno rictu deglutiunt, tranſlata ad iniquitatem, quæ ſic tota poſſidet os improborum, ut nihil præter iniquitatem eructare novit. Eſt etiam meton. adject. Iniquitas enim dicitur deglutire os pro eo, quod os deglutit iniquitatem, quam poſt regurgitat.

Scopus eſt teſtem nequã ad ſummam illius deteſtationẽ ob oculos proponere.

In peccatis eſt, falſum dicere, tametſi privatim dicatur, tametſi nullius alterius incommodo fiat. Quamobrem publicè coram omnibus non ſine gravi diſpendio non unius modò, ſed multorum hoc facere grave, & ſceleratum facinus eſt; maximè ſi exputetur, Deum in judicio & conſeſſu judicum ſedere, cujus nos reverentiâ duci oporteret, ut humani judicij frænum abjeciſſemus. Deinde ut per infirmitatem quis hoc faciat metu, aut amore adductus, tamen grave, & acerbum foret: nunc autem, cum homini hoc pro ludo, & joco ſit, nefandum certè flagitium exiſtimandum erit. Denique ſemel hoc tantum feciſſe atrox facinus cenſendum eſt. Cum igitur (quod fere fit) ut ad unius mendacij patrocinium multa alia mendacia accumulentur & concinnentur ſæpe, & repetitis vicibus fit, perditæ & deploratæ malitiæ attribuendum erit.

Huic autem loquendi formulæ, qua iniquitas dicitur os improborum abſorbuiſſe, ſimiles ſunt illæ Marc. 1. 23. homo in immundo ſp. & Act. 8. 23. *Video te eſſe in felle, & nexu iniquitatis.* Qua formula loquendi inſignis improbitas indicatur. Plus ſatis enim eſt peccatũ nobis ineſſe, & nobis adhærere; ſed nos in peccato eſſe, & ab eo poſſideri, ut pro ſuo libito nos huc, illuc transferat, majoris cujuſdam improbitatis exiſtit.

V. 29. *Præparantur iſtis deriſoribus judicia, & contuſiones tergo ſtultorum.*

In גו (*tergo*) eſt ſynecd. partis pro toto homine.

Scopus eſt cautos nos reddere adverſus ſuperius peccatum de ludificatione judicii.

Leg

Lege talionis judicia minatur his qui judicium ludificati ſunt: ut qui Dei judicium reveriti non ſint, cogantur formidabile Dei ipſius judicium ſuo magno malo experiri. Deinde cum ſuperiore verſu dixerat, *teſtem nequam judicium* (ſingulari numero) *ludificari*, nunc hoc verſu *judicia* (plurali numero) teſti nomine pœnæ denuntiat.

Cum autem, *judicij*, vox variè accipiatur, qua acceptione, & ſignificatione hic ſumenda ſit, voce *contuſionum*, ſatis apertè indicat. Hæc autem judicia ſive contuſiones aliquando hominum miniſterio infliguntur: potiſſimum vero hoc loco videtur illa judicia & contuſiones complecti, quæ cælitus demittuntur, eo docens teſti improbo non profuturum, ſi hominum manus effugiat, qui Dei vindicta opprimetur: ut præſtabilius fuerit ſupplicium ab hominibus illatum ſubiviſſe, quam Dei horribilem ultionem experiri.

Subinde in ſcript. dicitur, Deum hominum improbitatem in ſuam ipſorum faciem retaliaturum: quod autem hoc loco affirmatur, *contuſiones in eorum tergora imponendas eſſe*, pœnæ & ultionis ſeveritatem non minuit. Nec enim tergoribus tantum ſuis, ſed ventribus & inteſtinis & ipſa demum anima vapulabunt. Sed tergorum præcipue mentionem fecit, quod alibi, ſtultorum tergoribus flagellum debitum & juſtum eſſe, teſtatus eſt; idque ad majorem ignominiam. Tergo enim vapulare magis eſt ignominioſum, quam ſi coram cædatur, & in faciem. Neque hoc tantum; ſed ut hac loquendi formula inevitabilem Dei manum non obſcurè indicaret. Qui enim à tergo cæduntur, illatas ſibi plagas repellere nequeunt, ſicut ictum declinare ſolent, qui coram & in facie petuntur.

Quod *præparari judicia* dicit, non parum momenti habet. Peccandi enim licentiam parit ſupplicij effugiendi, aut certè retardandi ſpes, atque opinio. Quod enim homines tam temerè ad falſa teſtimonia proſiliunt, eo fit, quod ſpem impunitatis proponunt. Cum autem affirmat Propheta *judicia, & contuſiones jampridem præparata eſſe*, omnem illam vanam & futilem hominum imaginationem penitùs convellit. Quam enim ſtultè ſomniant, ſe pænis eximendos eſſe; cum pœnæ, tanquam virgæ, aut ſecures pridem collectæ & fabricatæ ſunt. Sicut enim parentes in familia, & Magiſtratus in Repub. ſuas habent, quas prægeſtari jubent, virgas, & ſecures, antequam quis delinquat, ut hoc modo omnibus metum injiciant, ſe, cum peccârint, plectendos eſſe: ſic Deus ſuas quaſi virgas & ſecures apud ſe repoſitas, & reconditas habet, quas oppurtuno tempore in lucem proferet. Sunt autem iſta ſupplicia præparata hominibus nequam ante jacta mundi fundamenta. Quod enim Mat. 25. de æterno exilio diabolo, angelis ejus, & impiis hominibus ante mundum conditum deſtinato Chriſtus affirmat, illud analogicè ad ſupplicia omne genus, quę in hoc ſæculo exercentur, verè accommodari poteſt.

CAPUT XX.

Verſ. 1. Vinum eſt deriſor, & potus inebrians tumultuator: ideò qui oberrat in eo, non ſapiet.

In לץ *(deriſor)* & המה (*tumultuator*) eſt metony. effecti.

Scopus eſt à luxu, qui eſt in potu inebriante, homines abſterrere.

Vinum, cum ſit magnum humanæ vitæ præſidium & ſolamen, & ſingulari Dei

beneficentia hominibus conceſſum; ſit ut ejus abuſus Deo perquam odioſus ſit. Uſus vini quis ſit, vide Iudic. 9. 12. ſcil. ut homines & Deum exhilaret. Tametſi enim vinum Deo non jam libatur, tamen cum vini ſingularis uſus ſit in cæna Domini, & idoneum propterea ſit ad hominum animos exhilarandum, quo ſint in Dei laudibus (moderato ejus uſu) concinendis alacriores, fit ut non minor ſit hodie vini in cultu divino uſus, quam olim fuit ſub lege. Quamobrem gravis injuria fit, cum ad hos fines non accommodatur; ad contrarios vero uſus adhiberi injuria atrocior eſt. Hoc autem fit, quoties homines modum in vini uſu excedunt: Quod Sal. Proverbio confirmatur vel maximè. Vide enim amabo, quot, & quam putres fructus ex vinolētia proveniunt.

Primum vinolentus ſuis ex vini exceſſu ſordidatis moribus ſe omnium, atque adeò ſuorum ipſius neceſſariorum ludibrio, & irriſioni exponit, ut liquet in Noachi exemplo qui à ſuo filio Chamo irriſus & ludibrio habitus eſt. Lotus autem ex ſua ebrietate illam ſibi ignominiæ notam contraxit, quæ, utcunque coram Deo deleta ſit, apud homines tamen cum ſuæ ipſius perſonæ, tum maximè toti Am. & Moab. poſteritati adhærebit. Cum igitur cuique incumbat, non proximi tantum, ſed & ſuam etiam honeſtam exiſtimationem tueri, fit ut, qui in vini uſu modum excedit, ſibi infamiæ notam inurat.

Secundus fructus eſt, quod hominem reddat ludificatorem. Ebrioſi enim ſunt ſuperbi. Unde Eſai. 28.1. Ephr. ebrioſi iidem ſuperbi appellantur. Nam ebrietas inducit oblivionem tum virtutis & præſtantiæ alienæ, tum propriæ infirmitatis & defectus. Hinc eſt, quod Hoſ. 7. 5. Rex vino confectus dicitur manum ſuam cum irriſoribus extendiſſe. Hinc eſt, quod 1. Sam. 25. expreſsè dicitur, Abig. noluiſſe Nabalem ſuæ inſipientiæ admonere, quoad ſuam ebrietatem edormiviſſet. Prudenter enim cogitabat; eum omnem redargutionem irriſioni habiturum.

Tertius fructus eſt, quod tumultus & turbas excitat. Quod confirmatur Proverb. 23. 29. *Quibus eſt væ* &c. Vide etiam Hoſ. 4. 18.

Ultimus effectus eſt, quod non ſapiet, qui vino deditus eſt. Obſtaculum enim eſt, ne quis ſapientiam imbibat, quandoquidem vini abundans exhalatio ingenium hebetat. Imo vero ſapientia præditos ad inſipientiam, aut inſaniam redigit. Hoſ. 4. 11. Cui optimè convenit, quod Proverbio noſtro celebratur, *cum vinum intrat, exit ingenium* ut apud nos, *when the wine is in, the wit is out*. Quod eos erroris convincit, qui ſemel in menſe ad ebrietatem potant, quo ingenium exacuant. Atque ut ingenium inde comparetur, tamen tanto offenſionis divinæ pretio redimendum non erat.

Cum vero omni hominum generi vini exceſſus noxius ſit, tum nulli magis, quam Magiſtratibus, & Miniſtris, quibus rerum divinarum & humanarum judicium commiſſum eſt. Vide Proverb. 31. & Levit. 10. Vide Eſai. 28. de Prophetis &c. Ubi præcipuè notandum, quod dicat, vinum non tam illos ſorbuiſſe, quam à vino abſorptos eſſe. Nam homo ſapientia deſtitutus, veluti nullus eſt. de Regibus. Vide 1. Regum. 16. de Baaſa.

V. 2. *Rugitus veluti juvenis leonis eſt terror Regis: qui provocat eum ad furorem, peccat in animam ſuam.*

Scopus eſt homines ad Regis & Principum legitimum obſequium erudire.

Prior pars hujus Prov. eadem eſt cum 19. 12;

19.12; tantum pro indignatione, quæ illo loco habetur, hoc loco ſubſtituitur *terror*; effectus ſcilicet pro cauſa. Nam ex Regis indignatione terror conſequitur. Inde enim frontis contractio, inde minæ Regis, inde apparatus mortis, quę omnia terrorem injiciunt fortiſſimo, cuique ut in Joabo viro bellicoſiſſimo experimur, qui, ut Regis indignationem perceptam & cognitam habuiſſet, ilico ad altare accurrit. Quamobrem ut huic terrori occurratur, quoad datur, & per legem Dei conceditur, illi in omnibus obſequium diligenter & ſtudioſè pręſtandum eſt. Quod ſi obſequio in Deum, & religione impediamur, ne ejus libidini pareamus, in cauſæ noſtræ juſtitia & innocentia noſtra ſingulare præſidium poſitum eſt adverſus terrorem. Iuſtus enim ut leo juvenis confidit Prov. 28. 1. Quamobrem non tantum valebit ad terrorem indignatio Regis, quantum ad fiduciam, & animi pacem & tranquillitatem nihil mali conſcire: maximè cum bonitas cauſæ noſtræ ex fide juſtificante promanavit, quæ pacatas conſcientias reddit, ſine qua nulla noſtra innocentia nos à Regis terrore ſecuros reddat.

In ſecunda parte Proverbii eſt magna affinitas cum 16.14. & priore illius Proverbii hemiſt. ubi Propheta affirmat, excandeſcentiam Regis eſſe certum mortis nuncium: Sed hoc intereſt, quia videtur hoc loco vocem adhibuiſſe, quæ altiorem veluti gradum iræ ſignificat. Nam illo Proverbio excandeſcentia, ſeu æſtuans ira proponitur, quæ tametſi ſimplici ira magis incenſa & intenſa ſit, tamen furore (qui hoc loco proponitur) ſeu ira omnem modum excedente gravitate vincitur. Unde colligimus non oportere nos præcipites ruere in Regis & Principis indignationem, ſi per imprudentiam, & inſcitiam in ejus offenſionem incidimus. Sunt enim homines incõſulti, & temerarii, qui cum ſemel Principis iram in ſe cõcitaverint, deinceps non admodum laborant, ne offenſionem offenſioni addant, & accumulent; perinde ac ſi res ſuæ pejore loco eſſe non poſſent. In quo plurimum hallucinantur. Nam Reges irati non ilico in ſubditos irruunt. Tametſi etiam excanduerint, & æſtuarint, tamen (ut 16.14. dicitur) ſapiens illam æſtuantem iram expiare novit, ſicut experimur in Saule tiranno, qui Ionath. prudenti oratione Davidi conciliatus eſt, ut ſupra dictũ eſt. Vid. 1. Sam. 19.4, 5, 6. Verum ſi repetitis, & ſæpe iteratis defectionibus in furorem impellatur, tum demum uſque eo incaleſcit, & inflãmatur, ut, quæ iræ ejus incendium extinguat, ne ulla quidem mollis, & prudentis orationis aqua inveniri poſſit.

Quod dicit, peccare talem in animam ſuam, non tantum ad vitæ præſentis, ſed & ad futuræ interitum commodè referri poteſt. Nam cum vox נפש cum vitam, tum animam ſignificet, fit ut defectione à Rege (cui propter conſcientiam in Deum parendum eſt) Rom. 13. 5. non tantum Regis, ſed Dei irritetur furor.

Hic etiam diſcendum, quanto in periculo verſamur, ſi Deum Regem Regum, & Dominum dominantium non tantum ad iram, & excandeſcentiam, ſed etiam ad furorem provocemus. Vide Amos 1. v, 3.6.9.11.13. & 2.1.4.

V. 3. *Honor eſt viro ſuperſedere à lite: quiſquis autem ſtultus eſt, immiſcebit ſe.*

In לאיש (*viro*) eſt ſyn. part. pro homine, viro, ſeu fœmina. Item in יתגלע (*immiſcebit ſe*) eſt metaph. à liquoribus, qui ad miſtionẽ incommodi ſunt tranſlata ad homines lite inter ſe nequiter commiſſos.

Scopus eſt nos hortari, ut, declinata contentione, pacem ſectemur.

In

In verſ. 11, cap. præced, poſt. hem. eſt ſententia priori hem. preſentis proverbij perſimilis: ubi dictum eſt, ornamento eſſe viro defectionem præterire, Sed diſcrimen eſt, quod in illo Proverbio laudatur vir, ſi ad injuriam ſibi illatam conniveat, & illam ſilentio tranſeat (cujus egregium, & illuſtre exemplum extat in Saule. 1. Sam. 10. 27.) hoc autem Proverbio docemur à lite ſuſcepta & iam utrinque diſceptata diſcedere. Sicut enim plerique, qui propriæ quietis ſtudio, aut etiam religione adducti injuriam ſibi illatam præteribunt; qui tamen, cum ſemel litem orſi ſunt, ab ea non diſcedent. Ad quod hominum ingenium Chriſtus alludit. Mat. 5. 25. Arbitrantur enim aliquid eorum vel potentiæ & viribus detrahi, vel opulentiæ ſuæ opinionem apud homines minui, vel denique ſapientiæ & prudentiæ, vel conſtantiæ exiſtimationē lædi, vel denique hæc omnia labefactari exiſtimant, niſi quā litem ingreſſi ſunt, illam ad extremum perſequantur. Horum ſtultis cogitationibus opponit Propheta hanc ſententiam, qua (ut utilitatem taceam) docet, honori homini eſſe, ſi à lite exercenda deſiſtat. Majoris enim cujuſdam virtutis eſt liti ſuſceptæ ſuperſedere, quam illam præterire. Sicut enim laxatas aquas recolligere difficilius eſt, quam illas collectas ſuis conceptaculis clauſas tenere: ſic difficilius eſt à lite ſuperſedere, quam illam non inire. Vide Prov. 17. 14.

Hujus rei eximium exemplum extat. Ier. 28. 11. ubi Propheta cum pſeudopropheta diſceptans ei importuno locum ceſſit. Quod noſtram, quæ hodie obtinuit, perverſitatem redarguit, quibus ſolemne eſt in diſceptando poſtremum verbum jactare, in pugnando poſtremam plagam, aut alapam impingere; quodque adhuc gravius eſt, hoc non dubitabunt apertè & confidenter profiteri.

Poſteriori hujus Proverbii hemiſtichio perquam affine eſt illud 18. 6. [labia ſtulti ingrediuntur litem, & os ejus ad contuſiones advocat:] niſi quod ibi ſpecialius dicitur de linguæ petulantia lis cientis; hic generaliùs de omni ratione miſcendæ litis enuntiatur. De hac ſtultitia miſcendi lites vide exemplum Nabalis 1. Sam. 25. qui blandiſſimè & honorificentiſſimè verbis ſalutatus litem Davidi intendit: item Regis Chanun. de quo ſcribitur 2. Sam. 10.

Vſ. 4. Piger non arabit præ hieme: mendicabit in meſſe, cum nihil aderit.

In יחרש (*arabit*) eſt duplex ſyn. partis ſpecialis pro genere, id eſt, orationis pro tota ratione agriculturæ, & agriculturæ pro omni honeſta arte, quia agricultura eſt inter illiberales maximè ingenua. Item in חרף (*hyeme*) pro omni duro & difficili tempore.

Scopus eſt homines ad honeſtum laborem cohortando à pigritie, & deſidia abſterrere.

Piger dupliciter deſcribitur, primo ab effecto ſecundo ab adjunct. pœna.

In priore parte, quæ eſt de effecto quo negatur, illum honeſtis occupationibus exerceri, affirmatur, illum aut lecto ſomniculoſum cubare, aut cubito ſuo otioſum incumbere, aut ſiquid ſit, cui animum ſuum applicat adjicitque, illud eſſe aut in ſceleribus patrandis, aut in ludis partim illicitis, ut ſunt alea, & chartæ pictæ, partim quæ animi tantum cauſa ſuſcipiuntur, ut ad laborem obeundum alacriores ſint. Sic enim iſtis hominibus ſcriptura honeſti laboris fugæ notam inurit, ut interim illos περιέργους & πολυπράγμονας eſſe ſolere confirmet. Prov. 13. 14. 1. Tim. 5. 13.

Hujus

Hujus effecti cauſam aſſignat, quod frigoris impatiens ſit: qua una re illud omne ſuo complexu ambit, quod dolorem, aut moleſtiam affert. Qua enim ratione laborem propter nimium & intenſum frigus refugit, eadem in æſtate & autumno propter crebros imbres à labore abhorrebit. Hanc artem averſantur, quod tota ſedentaria eſt; illam, quia aſſiduam ſtationem requirit, tertiam, quia corporis incurvationem exigit, (ut, niſi aliquam artem reſupinus, aut in alterum latus cubando exercere poſſit, nullum opus admittat;) unam, quia domi eum inſtar mulierum incluſum tenebit; alteram, quia in agro inſtar ferarum illum perpetuo detinebit, accuſabit.

Sequitur adjunctio pœnæ, quæ duplex eſt; prior quod mendicabit, altera quod mendicando nihil obtinebit.

In mendicatione eſt ignominia & pudor, ſicut in communi ſenſu omnium hominum, & dicto illo injuſti œconomi liquet. Luc. 16. Sic videmus pigrum & deſidioſum ſua inertia ſibi notam infamiæ inurere. Aut enim ad manticam reducitur, aut furti peractus in crucē agitur.

Ubi tamen quærat quis, quomodo hoc fiat, cum in Repub. Dei præſertim bene inſtituta, (ſicut factum eſt ſub Sal. & aliorum piorum Regum dominatu) mendicis locus non erat Deut. 15.4. Act. 4.34. Cui reſponderi poteſt, utcunque mendicitatem profiteri palam non ſit per leges auſus, & ſtipem oſtiatim petere, tamen poterit hinc inde clam eleemoſynā petere. Deinde proſpiciebat Sal. hanc legem Dei juſtitiſſimam pleriſque in locis, & ætatibus neglectam iri. Denique quid in omnibus rebus accidit tam profanis, quam aliis demonſtrat.

Hæc mendicitas amplificatur adjuncto temporis, quod tempore meſſis, cum omnia abundantiſſima hominibus ſuppetunt, eum mendicaturum, nedum hieme, cum granaria, & caveæ vinariæ pene exhauriuntur. Quo fit, ut, qui frigus perpeti noluit laborando, illud mendicando ſubire cogetur.

Altera pœna eſt, quod hac ſua tam ignominioſa mendicatione nihil cōſequetur. Primum quidem quod ſalutaribus legibus cautū eſt, *ut non manducet, qui laborare nolit*. 2. Theſſ. 3.10. Deinde quod juſto Dei judicio omnium hominum viſcera etiam eorum, qui, ad miſerationem propendent, adverſus deſidioſos clauſa, & veluti contracta ſunt. Ubi etiam temporis adjuncti pondus addit, quod ne meſſe quidem ipſa, quo tempore propter ſummam copiam jumentis ipſis metas & manipulos in horrea plauſtris convehentibus, liberalius quam reliquo tempore profici ſolet. Quo etiam tempore ex lege cavetur, ut pauperibus aliquid ex frugibus vineis, & olivetis relinquatur.

Hoc Proverbium non incommode ad ſpirituale otium, & ceſſationem à bonis operibus transferri poteſt, ut qui per bona opera hic non arat, nec ſementem facit, in futuro ſæculo ne granum quidem conſolationis meſſurus, quo ſe adverſus animæ & corporis exitium tueatur. Tunc ut dives in Evang. & ſtultæ virgines Mat. 25. mendicabit, ſed fruſtra: maxime cum mundus hic (ſi pios reſpicis) merito hiemi aſſimilari poſſit, & futurum ſæculum & dies judicii meſſi; ut non ſemel in ſcripturis. Mat. 13. Cant. 2. Nam bonis operibus ſe nemo, niſi cum aliqua difficultate & labore tanquam frigore, exercere poteſt. Ad hanc igitur claſſem non inſcite revocentur, qui præ aut nimio frigore, aut æſtu, ſomnove ſe ab Eccleſiæ ſacris conventibus ſubducunt; aut illis oſcitantes adſunt.

V. 5. *Aquæ profundæ ſunt con-*

filium in corde viri: ſed vir intelligentiæ exhauriet eas.

In איש (*viri*) eſt ſynecd. frequens. In דלה (*exhauriet*) eſt metaph. ducta ab hauſtris & ſitulis, quibus aquæ, utcunque profundæ è puteo extrahuntur, & tranſlata ad prudentiam, tanquam ſitula latentes ſenſus animi alterius in lucem evocantur, & tanquam bolide, ſeu fune in profundum demerſo explorantur.

Scopus eſt nos ad veram prudentiam ex præſtanti ejus fructu cohortari.

Pſal. 64. 7. confirmatur, quod hoc loco dicitur, hominis cor profundum eſſe. Et Jerem. 17. 9. Propheta cor hominis fraudulentum præ rebus omnibus eſſe affirmat, & multas latebras & receſſus habere. Quod hoc Proverbio illuſtri metaph. amplificatur, cum aquis in puteo profundè demerſis & deliteſcentibus, quę ſitulâ eductæ apparent, comparetur.

Sed quod ſequitur, contrarietatem videtur continere huic Prov. Quærenti enim Prophetæ, quis cognoſcit illud, reſponſum eſt dominum illud perſcrutari, & veluti bolide omniſcii oculi ſui illud explorare & ejus fundum penetrare: Cui conſentit illud, quod 1. Reg. 8. & Act. 1. ſcribitur, unum Deum eſſe, qui cognoſcit corda hominum. Quod cum verum ſit, quomodo conſiſtit quod hoc Prov. affirmatur, virum prudentem illud exhaurire? Reſp. prophetam hoc loco non complecti quicquid in animo hominis deliteſcit, ſed illa modo, quæ hominũ ſcire intereſt. Deinde Dei cognitio ſe extendit ad ea, quę unquã deinceps in toto vitæ curriculo animũ hominis ſubibunt; cum hominis cognitio illa ſolum expiſcatur, quæ in præſentiarum in animo verſat. 3. Propheta non loquitur hoc loco de accurata & exacta cordis cognitione, quæ Deo ſoli competit, ſed de probabili conjectura & divinatione, ad quam homo pervenire poteſt.

Prudentia enim & intelligentia in animo mortalis cum ſit particula quædam divinæ imaginis, non mirum videri debet, ſi mirabiles fructus & effectus ad rerum occultarum perſcrutationem ſortiatur. Quod ſi quærat quis, unde, & quibus artibus ad rerum tam occultarum cognitionem perveniat quis? Primum quidem ſingulari Spiritus ſancti dono, quod olim, naſcente Eccleſia, Deus pleriſq; contulit quod Apoſt. διάκρισιν πνευμάτων appellat, 1. Cor. 12. 10. de quo tamen hic locus non eſt intelligendus, ut quod ſine ulla hominum opera, aut induſtria uno momento cælitus delapſum ſit. Sal. autem loquitur de illa ſpirituum diſcretione, quæ, utcunque Dei donum in homines collatum ſit, non tamen, niſi hominum ſtudio & labore, præſertim legis divinæ meditatione provenit. In quo cognitio hiſtoriæ, maximè ſacræ plurimum profuerit; deinde collatio rerum priùs ab eo, quem perſcrutari volumus geſtarum cum his, quas jam inquirimus; denique vultus, & nictationis oculorum, & labiorum morſus obſervatio 16. 30. Priore enim indicatur, mali excogitatio; poſteriore ejuſdem mali machinatio. Item ex ipſo inceſſu (ut eſt Eccl. 10. 3.) & Prov. 6. 3. ex aliis corporis geſtibus; deinde ex comitatu (quandoquidem talis quiſque cenſendus eſt, quales ſunt hi, quibuſcum conſueſcit Prov. 13. 20. Unde non difficile eſt eos prodere, qui cum Euang. profiteantur, tamen ſuos cum officiarios, tum ſatellites pontificios alunt,) Sic etiam ex affinitate contracta judicium de animo fieri poteſt. (Vid. 2. Reg. 8. 17. Jorami exemplo, qui uxorem duxerat ex familia Achabi;) denique quæſtionibus prudenter propoſitis, quibus, tanquam aliud agens quod cupit quis, expiſcatur. Hac autem intelligentia hi potiſſimum inſtructi ſunt, qui

qui in verbo Dei ſtudioſè & aſſiduè meditantur, & ad Dei ſe obſequium componunt. Pſ. 119. ſ. 13.

V. 6. In hominum multitudine quiſq; proclamat benignitatē ſuam: ſed virum fidelitatum quis inveniat.

In איש אמונים (*virum fidelitatum*) eſt metonym. adjunct. pro viro, qui ſincerè & verè liberalis eſt; & eſt ſynecd. gen. fidelis in gen. pro eo, qui in liberalitate fidelis eſt.

Scopus eſt fucatam liberalitatis larvam damnando ad verā, & ſincerā cohortari.

Fucata & larvata liberalitas multifariam arguitur. Et 1. quidem ex cauſa efficiente cum, quod datur, ab amore in eum, in quem confertur, non proficiſcitur; nec ex commiſeratione inediæ & paupertatis alienæ. Quod enim ex dilectione non promanat, benignitatis & beneficentiæ nomine indignum eſt, 1 Cor. 13. Item ex fine, cum non tam juvandi cauſa, & ſublevandæ alterius neceſſitatis, quam oſtentatationis, & propriæ gloriæ venditationis causâ fit, ut convivium, quod Ahaſuerus inſtruxit Eſther. 1. vel ut paria, aut etiam majora his, quæ donat, ab eo accipiat, in quem beneficus extitit: quo caſu negotiatio potius, quam benignitas appellanda erit: maximè verò cum ideò largitio fit, ut aliquem illaqueamus, & tanquam murem decipulis & illecebris fraude intercipiamus: unde illud inimicorum δῶρα ἄδωρα Proverb. celebratur. Hic principem locum obtinet Pontific. eleemoſyna, quam ut vitam æternam mereantur, & infernum declinent, erogare ſolent. Tertio à forma, ut cum dona ejus gen. ſunt, quę beneficio affecto non proſunt, ut ſunt pecuniæ divitibus; canes, accipitres, quæ adoleſcentibus dantur, quibus uti probè neſciunt, & quibus eorum animi plus ſatis voluptatibus & luſibus addicti, magis ad ſectandas voluptates accenduntur; fructus puellis, &c. Quod etiam ad alios provectiores ætate accommodari poteſt. Cū enim animadvertunt, aliquem mirificè venationi, aucupio, & aliis animi remiſſionibus oblectatum, in more poſitum eſt illis hujuſmodi muneribus gratificari, quibus ſtudium accendatur, quod aut ſuâ ſponte incitatum eſt aut modū tranſeat. Vide Prov. 17. 16. Quarto in ſubjecto, in quod benignitas iſta confertur, nempe eos, qui ejus non indigent, ut qui prædivites & opulentos muneribus onerant. Quorum igitur largitio vel tantum, vel maxima parte ad divites extenditur, his certè cum liberalitate nulla ſocietas, nullum commercium. Quod ſi in indigos aliquid conferant, tamen illud in errones & otioſos collocant; idq́; ad portas, ut ab omnibus ſpectentur; eoq́ue ipſo Phariſęos imitantur, qui non, niſi tubæ ſonitu eleemoſynam largiuntur: quod hoc Proverbio diſertè notatur. Tametſi enim eſt eleemoſyna, quæ publicè & omnium conſpectu danda eſt, tamen qui non etiam è ſinu ſuo pauperibus erogat ad eum modum, ut ſiniſtra neſciat, quid dextra faciat, eum certè nunquam verè aliquid dediſſe, comprobatur.

Quæ cum ita ſint, illud efficitur, quod in poſter. hem. proponitur, rarò inveniri, qui verè liberalis eſt, & qui re ſit, quod vultu & verbis in dando præ ſe fert. Vide Luc. 21. 1. 2. 3. 4 Ex quibus illud porrò liquet, quàm turpiter hallucinantur, qui exiſtimant, Pontificios ferè omnes fuiſſe perquam in pauperes liberales. Nam cum Sal. in ipſa Dei Eccleſia rarum hoc fuiſſe, neque facile inveniri potuiſſe aſſerat, nedū in Synag. ſatanæ inveniri poteſt. Una etiam elucet, quam pauci juſti ſunt; quandoquidē qui juſti ſunt, eoſdem etiam liberales eſſe neceſsū eſt, Pſ. 112. & 37. 27.

Verſ. 7. Iuſtus continenter ambu-

 lans

lans in ſua integritate; beati ſunt filij ejus poſt eum.

In מתהלך (*continentur ambulans*) eſt metaph, uſitata. In בניו (*filij ejus*) eſt ſynecd. duplex filiorum pro filiis & nepotibus & pro filiabus.

Scopus eſt propoſito ſingulari conſtantis pietatis præmio omnes ad perſeverantiam in curſu pietatis ſemel ſuſcepto excitare.

Hic primum conſideratur, quod Deus exigit, deinde præmium obſequii Deo præſtiti.

Cum dicitur, juſtum in ſua integritate, vel ſimplicitate ambulare, non autem in integritate, aut ſimplicitate, videtur non obſcure indicare, eſſe quandam ſimplicitatem & integritatem, quæ non eſt juſti, ſeu fide juſtificati. Ea autem eſt, cum quis rem aliquam facit etiam iniquam & injuſtam, ita tamen ut nullius mali ſibi-ipſi conſcius ſit, ut qui per ignorationem hoc facit. Cujus rei exemplum extat in Abimelecho, Geneſ. 20. quē cū Deus afflixerat, quod Saram mœchari conſtituerat, reſpondit, ſe in ſimplicitate & rectitudine cordis hoc feciſſe, ignorans ſc. eā alterius mariti uxorem fuiſſe. Hæc autem ſimplicitas non eſt in laude cum Deus gravi plaga illum affecerit, & porro affecturus erat, ſi quod animo deſignarat, re impleviſſet Sic plerique Pontificii ſunt, qui in ſimplicitate cordis ſui vitam inſtituunt idololatriā ſectantes, quā ſibi perſuadent Deo gratam eſſe, qui tamen non ideo formidabile Dei judiciū effugient. Nam ſi Abimelech. cum tota familia punitus ſit tantum quia conſtituit (ignorans) adulterium admittere, quid Pontif. fiet, qui ſpiritū adult. avidè ſectantur, & nunquā eo exſatiari queunt? An putāt, ſe Dei ultricem manum effugere poſſe cum ipſe tam ſeverè ultus ſit voluntatem tantum peccādi, quę ab ignoratione profecta eſt? Verum quidem eſt, mitius cum illis actum iri, quam cum illis Pontif. qui perversè, & tortuosè in viis ſuis incedunt aliud animo ſentientes, aliud vultu ſimulantes; ſed interim Dei judicium in hac præſertim tanta Euangelii luce non evadent.

Quamobrem ad promiſſionem hanc conſequendam, quæ hoc Proverb. proponitur, non ſatis eſt, ſiquis rotunde & aperte converſetur, niſi porro fide juſtificatus ſua vitæ inſtituta ad normam legis divinæ, quam ipſe cognitam & perceptā habet, exigere ſecum ſtatuat; & diſpulſa hypocriſi, ſincere vitam inculpatam tranſigat.

Sed neque illud ſatis eſt, ſiquis fide juſtificatus, & rectam viam ingrediens illam vitæ rectitudinem maleficiis interrumpat. Deus enim hoc ab Abrahamo exigit ut *continenter coram ipſo in integritate ambulet*, Geneſ. 17. Quod non faciunt omnes juſti, tametſi vere iuſti ſint, & fide juſtificati; non autem hi, quorum iuſtitia eſt quaſi ros, qui cito evaneſcit: de quo juſto Ezek. 18. 5. &c. copioſe diſſerit. David enim juſtus erat, & fide iuſtificatus tamen juſtitiam & integritatem ſuam aliquot ſceleribus admiſſis interpolavit, adulterio, homicidio, idq; nō unius, ſed plurium, qui in bello cum Vriah ceciderunt. Quo ſpectat etiam quod fidem juramento Ionath. datam aliquouſq; fefellit temere Mephib. patrimonium Zibæ ſervo abjudicans; itē populi illegitimo cenſu. Salom. itē vir juſtus erat, ſed qui à recto tramite plurimum, idque bonam magnamque vitæ partem deflexit. Idem de Iehoſaph. dici poteſt. Abrah. vero præſertim, Iſaac. Iacob. & Iobus conſtanter in viis domini perſtitiſſe leguntur, nec unquam graviore aliquo crimine ſe contaminaſſe.

Iam videndum de promiſſ. ubi beatitudinem ejus qui continenter ambulat in integritate ſua tacitus præterit. Nā ſi beati ſunt qui omne tempus vitæ ſuæ impiè agentes

agentes ad extremum, &, in vitæ clauſula ad Deum per reſipiſcentiam redeunt; & ſi, qui juſtitiam ſuam interrumpunt, beati ſint; nedum hi, qui totum vitæ ſuæ curſum incorruptum agunt.

Quod autem ad eos attinet, qui totum vitæ ſuæ curſum improbè agentes tamen ad Deum convertuntur, ſicut qui juſtitiam & innocentiam ritè inchoatam ad tẽpus intermittũt, non raro accidit, ut Deus, illis præteritis in ipſorum poſteritatem animadvertat; ut in Iehoſ. Sal. & aliis liquet: contra vero preclarè ceſſit poſteritati Abr. Iſaaci, & Jac. filiis, &c.

Quod tamen non ita intelligendum, ac ſi juſti ſuis operibus ſupererogationis hoc beneficium promeriti fuiſſent, ſed quia gratuita Dei miſericordia tanta eſt, ut à parentibus in liberos redundet. Quod quidem vel inde intelligi poteſt, quod Deus in Iehu impij idololatræ poſteritatem beneficus extitit, tantum quia hoc gratuito illi promiſerat

V. 8. *Rex ſedens ſuper thronum judicij ventilat oculis ſuis omne malum.*

In מלך (*rex*) eſt ſynecd. pro omni ſupremo gubernatorum. In יושב (*ſedens*) eſt duplex ſynecd. ſeſſionis pro ſtatione & ſeſſione ſimul, & quidem illius pro ſẽtentiæ dictione & exequutione; cujus ratio eſt, quia qui in ſolio ſedet, ei etiam incumbit jus dicere. In מזרה (*ventilat*) eſt metaph. à colonis, qui ventilando grana paleam ab illis excernunt. In עיניו eſt metonym. cauſæ oculorum pro inſpectione.

Scopus eſt Principes ad jus propria perſona dicendum & exequendũ ex ſingulari fructu inde proveniẽte adhortari.

Reges & Principes plerique putant, ſe in ſoliũ Regium elatos eſſe, ut delicias ſectentur (vide 1. Samuel. 7.) Sed Propheta alium hic finem indicat, quem amplificat eximie Prophet. Ierem. 22. 15. 16. & ipſum ſolium in ſublime elatum illos admonet, ejus juſtitiæ ſe adminiſtros eſſe, quæ cœlitus deſcendit.

Deinde maxima parte putant, Reges vitam otioſam & plenam voluptatibus traducere, nullis curis & ſolicitudinibus torqueri, unde ſuum erga ſuos Principes in precando officium negligunt.

Denique cum dicit, ſuis oculis hoc facere, docet, quod ſit officium Principum per ſe, & propria perſona ſine vicaria opera judicium exequi debere. Id videmus factum à Moſe Exod. 18. item à Samuele, qui *regnum Iſraelis* tum domi ſuę populum judicaſſe dicitur, tum etiam per ſingulas tribus regnum luſtrâſſe, ut jus diceret, quoad ſenio confectus coactus fuerit judicandi partes ſuis filiis demandare. Sic Iotham. non ob aliam cauſam in Vzziæ patris ſolium ſuffectus & ſurrogatus eſt, niſi quia pater per lepræ plagam ex lege hominum cœtu, & communione ejectus erat, & non poſſet amplius judicandi partes obire. Sic David lecto affixus propter ſenium, & ſummam corporis imbellicitatem Sal. in ſolium ſuum extulit. Si enim in agricultura verum ſit verbum, [veſtigia domini optimam eſſe agri ſtercorationem, & domini oculum equum perpræpinguem reddere; quanto hoc magis intereſt in negotio tam ſancto & auguſto fieri. Hinc eſt, quod lege Dei, ut intuente Magiſtratu, & judice, fuſtuarium ſuum munus obeat, caveatur. Vide quantum in diſcimen populus Iſrael. incidit ex Moſis abſentia per quadraginta dies.

Hoc ſi in jure dicundo obſervandum eſt, nedum miniſterio Eccleſiæ *tanto* magis retinendum eſt, quanto pluris intereſt hominibus ab exitio externo, quam ab oppreſſione vindicari.

Fructus ſequitur, diſſipari hoc modo improbos. Et hoc confirmatur ex adverſ. Eccleſ. 8. 10. Item illo in lege, ut cæteri audiant & timeant. Juſtitiæ enim civilis exſequutione non reſipiſcunt improbi à ſua improbitate (hoc enim proprium eſt Miniſterij Eccleſiæ,) ſed tamen illorum nequitia quaſi intus obſignatur,& occluſa tenetur. Et quanquam improbi omnes juſtitiæ adminiſtratione è Rep. non tollantur, tamen diſſipantur, quo minus ſe ad deſignandum maleficia congregent.

Hinc colligitur, Deum improbos impunè non dimiſſurum. Qui enim juſtitiam hominibus ſeverè imperat nedum ipſe juſtitiã exſequetur. Vide Pſ.94.9,10.

V. 9. *Quis dicat, mundavi cor meum? purus ſum à peccato meo?*

Scopus eſt omnes Deo obnoxios reddere, & ad ſuam noxam expiandum inidoneos declarare.

Hac interrogatione (Quis &c.) vehementius negatur, ſubeſſe aliquem, qui purus ſit, aut ſeipſum mundare poſſit, quam ſi affirmato axiomate hoc feciſſet.

Hanc quæſtionem proponenti non defuerunt, nec adhuc deſunt,qui reſpondebunt; ego ſum purus, ego mundavi cor meum. Chriſti & Apoſtoli temporibus fuerunt Phariſæi, & alij juſtitiarij, qui non dubitarunt ſe juſtos profiteri, & ſuo proprio merito juſtificatos.Hodie ſunt etiam Anabapt. & ſunt in Pontificiis, qui virginem ſine peccato fuiſſe aſſeverant,& qui ſibi ipſis laudem puritatis & munditiei vendicant. Sed Prophetæ ſenſus eſt non hoc quærere,quis dicat, ſed quis verè dicat,& ita,ut ſuæ dictionis rationem ſolidam afferre poſſit. Vnde etiam obiter notandum, id nos dicere oportere, modó quid verè dicamus.

Hujus autem Prov. veritas confirmatur teſtimonio Davidis Pſalm. 143. [Si iniquitates conſervaveris, domine &c.] Item Joh. 1. [Siquis dicat, ſe peccatum &c.] Item Eliph. in Job.9.[non potes ei reſpondere unum pro 1000.] Vbi porro arguitur à comparat.major.cap.4.18, 19. [ne ſervis ſuis crediddiſſe firmitatem,] ſeu veritatem: [nec Angelis ipſis gloriam & lucem appoſuiſſe; nedum hominibus,qui in domibus argillaceis habitant, quarũ fundamentum eſt pulvis,& qui conterantur citius, quam tinea.] Sic cap. 15. v. 14. 15. 16.

Hujus rei apertiſſ.indicium,vel *τεκμήριον* potius eſt,quod ſanctiſſ. quique inter homines non ad Dei tantum, ſed & Angeli vocem & viſionem obſtupeſcunt,& veluti mortui concidunt, ut in Johan, Apoſt. & Daniele liquido conſtat; cum tamen ſi à peccato immunes eſſemus, cum Deo ipſo intrepide colloqueremur, ut Adamus fecit, antequam in peccatum lapſus eſt.

Exemplum hujus doctrinæ conſtat in Paulo, qui in tertium cœlum elatus, tamen profitetur ſe *id feciſſe, quod non probavit*, Rom. 7. 15. & in his, in quibus *ſibi nullius nequitiæ conſcius erat, non tamen juſtificatum eſſe*, 1,Cor.4.4.Quod autẽ dicitur 1. Joh.eum,qui eſt ex Deo,non peccare,id prorſus de peccato in S.ſanctũ intelligitur,quod pij nõ poſſunt cõmittere.

Jam vero cœno oblitos ecquis eſt, qui hoc cœno eximat, cum cœci ſimus,ut remedium, aut balneum non poſſimus videre; claudi, ut illud cognitum non poſſimus adire; manibus truncati, vel percluſi, ut præſens & ante oculos prehendere nequeamus;denique mortui in peccatis,ut nec pedem, nec digitum movere valeamus?

Sed nec à nobis aliquid regenitis prodit, quod non ſit aliquâ ſaltem ex parte inquinatum;ut purgatio, quæ à nobis eſt, non ſit diſſimilis eorũ purgationi,de quibus Prov.dicitur *πηλῷ πηλὸν καθαίρειν*. Verũ quidem eſt,Davidem dicere, ſe purgaſſe.

Pſal.

Pſal. 73. item Iacob. 3. hortatur *peccatores, ut purgent manus ſuas, & mundent cor ſuum*: ſed neque illa purgatio perfecta: neque, quæ fit, ullis noſtris viribus, ſed Dei ſpir: conficitur.

Supereſt igitur unica Dei in Chriſto miſericordia, quæ per fidem prehenſa nos in ſanguine filii Dei purgat, & puros reddit.

Verſ. 10. *Lapis, & lapis; menſura & menſura abominatio ſunt Domino etiam utraque.*

In אבן (*lapis*) eſt ſynecd. part. pro omni materia, unde pondera conficiuntur. Sic etiam in איפה (*menſura*) eſt ſynec. ſpieciei pro omni genere menſuræ, ſive aridorum, ſive liquidorum. Eſt etiam metonym. effic. ſcil. fraudis & injuſtitiæ, quæ iſtis ponderibus exercetur. Deus enim non iraſcitur lapidibus &c. ſed &c. Denique in תועבה (*abominatio*) eſt meton. adj. pro re abominabili.

Scopus eſt hominum animos ad odium in illam fraudem, quæ adverſus commutativam juſtitiam admittitur, incitare.

Hujus gen. Proverbia prius propoſita ſunt 16. 11. maximè vero 11. 1. ut dſcrimen perexiguum fit inter hoc, & illud. Nec tamen ſine fructu, & uſura hæc repetuntur. Primum enim hoc Prov. menſura, ſeu modius exprimitur, qui ſuperioribus Prov. non numeratur; ut his occurrat, qui mordicus ipſis verbis ita ſæpe inhærent, ut omnia ſibi libera & inregra eſſe exiſtimēt, quæ diſerte, & expreſſe nō vetātur: Vnde inſulſæ quæſtiones, ubi cyclades, ubi ſaltationes &c. prohibētur? In cap. igitur 11. 1. lancium & ponderum; 16. 11. ſcapi; hoc autem loco menſuræ & modij mentionem facit, ut fraudē, & circumventionem in commutatione omnimodam condemnet. Deinde c. 11. unam fraudis ſpeciem notavit, cum ſc. pondus levius ſit, aut minus, quam jus poſtulat; hoc autem loco aliam fraudem indicat, ſcil. cum uno pondere, aut menſura res emitur, altero eadem venditur; aut cum cautioribus, & magis in ponderum notitia varſatis juſtis ponderibus, imperitis vero, & incautis doloſis utuntur.

Hæc res, cum Deo abominationi ſit, omnino & Magiſtratui, qui Dei perſonam ſuſtinet, exoſa eſſe debet.

Nec emphaſi caret, quod dicit, lapidem & menſuram eſſe Deo abominationi. Hac enim loquendi formula majorem deteſtationem teſtatur propheta, quam ſi dixiſſet, Deum fraudem abominari. Videmus enim Deum aliquando in ipſis inſtrumentis vita aut ratione carentibus ad majorem deteſt. notam iræ ſuæ inurere, ut in ſerpente, & in auro, unde vitulus conflatus eſt, item in ſolo, ubi ſanguis humanus effuſus eſt; in bove cornupeta, qui hominem interficit. Reliqua, quæ ad hunc locum pertinent. Vide ſupra 11. 1. & 16. 11.

Hoc ad æquitatem judicii, quod pro tribunali dicitur, & ἀπροσωποληψίαν cum in civili judicio, tum in Eccleſ. non incommode transferatur.

V. 11. *Actionibus ſuis etiam puer ſe cognoſcendum præbet, an purum, & rectum ſit opus ejus.*

Scopus eſt parentes ad curam in recta liberorum educatione intendendam incitare.

Puer hoc loco pro eo ſumitur, qui exceſſit ex infantia, ut qui quartū vel quintum annum implevit. Eſt autem parentibus conſuetum & ſolenne hanc ætatem ſolicitè & ſtudioſè curare, ut bene paſcatur, veſtiatur, &c. ſed omnium ætatū nulla

magis

magis (quod ad piam & honeſtam educationem attinet) negligitur. Nam ſiquid perperam ab his fit, illud prætereunt, quod puerile ſit, quod abſq; judicio fiat, quod paulo adultior factus ſe ipſe corriget retexetque: Quorum error, vel ſtulta potius indulgentia tanto craſſior, & pinguior eſt, quia ſiquid bonæ indolis apparet, ſiqua virtutis & pietatis ſcintilla vel emicaverit modo, illud tanquam bonum omen confirmandæ olim virtutis & pietatis accipiunt. Quo ipſorum judicio tametſi de priore errore abundè convincantur, tamen attendite, quæſo, quomodo in hoc ipſo turpiter labuntur. Nam eo judicio non adducuntur, ut operam piæ liberarum educationi navent; potius bonitati cuidam naturæ & ingenii illud tribuunt, quod cum ætate aucta confirmabit ſe: unde fit, ut neglecti pueri, & puellæ poſt in omnem luxum, & laſciviam prolabantur.

Sunt alii adhuc magis perverſi, qui puerorum & puellarum errores non tantũ impune prætereunt, ſed ſibi in illorum nequitia & petulantia placent, ac ſi virtutis futuræ præſagium extaret in pueritiæ à recta via declinatione: Unde apud nos proverbium illud nefarium natum eſt; *ex pullo hirſuto evadit bonus equus.* Contra Sal. ſuo ſanctiſſ. proverbio hoc proverbium refellit, dum docet, ipſam pueritiam documentum præbere futuræ poſt conditionis ſanctæ & benè moratæ, ſi pueritia ſancta & bene morata ſit, aut improbæ, ſi ſecus. Cui ſuffragatur aliud noſtrum Prov. *citò pungit, quæ cynosbatus evadet. Soone it pricks that thorn will be.*

Quod egregiè confirmatur Pſal. 144. ubi finis pacis acquiſitæ & conſtitutæ proponitur unus, ut filii & filiæ in ſua pueritia probè & piè educentur. Quod etiam confirmatur à compar. parium, ſcil, tenerarum plantarum quæ vel maximè debent, dum adhuc recentes ſunt, curari & enutriri ab his, qui hortum fructuoſum expetunt. Hoc porro illuſtratur exemplo Tim. 2. 3. qui vel ab ipſis incunabulis in cognitione ſcripturæ enutritus eſt. Vide Ioſephi exemplum.

Quamobrem animum adjicere oportet ad omnia quæ pueri luſu, dictis, factis, inceſſu agunt, nihil ut ſit in pueris tam minutum, quod inſpectioni dignum non ſit, ut inde eruamus non tantum cui arti & occupationi idoneus ſit, ſed quibus aut virtutibus aut vitiis animo propendet, ut iſtis objecto obſtaculo occurratur, illas vero naſcentes confirmemus. In re enim minima aliquando aut virtutis, aut ſceleris indicium deprehenditur. Unde ſcribunt, puerum avicularum oculos per luſum configentem mortis ſupplicio addictum fuiſſe. Eoque melius de illis judicium formatur, quo magis ſunt ab hypocriſi remoti, quã qui adultiores facti ſunt.

Ad eam rem νουθεσία, & informatione utendum eſt, item παιδεία, propoſitis præmiis, & pœnis, quæ puerili ætati conveniunt, ut illis ad virtutis ſtudium accẽdantur, iſtis à vitiis frænentur.

V. 12. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit æquè utrunque.*

Eſt ſynecd. in אזן (*aurem*) & עין (*oculum.*) Nam harum partium naturali & inſita facultate omnium membrorum naturales facultates complectitur.

Scopus eſt, agnita Dei (in his, quæ minus videntur ſub illa cadere) providentia, & ſpeciali adminiſtratione, ab illo pendentes in omnibus ad illum recurramus.

Extra controverſiam eſt, Deum totius corporis fabricam creaſſe, & inter cæteras corporis partes non tantũ mirificum Dei artificiũ in his duobus membris elucere, ſed illorum eximium & præſtantem

præ

præ cæteris partibus uſum adDei creatoris,& omnium & bonarum literarum ſcientiam percipiendam exiſtere: eoque ipſo ſtudium eſt adhibendum,ne illis ad res inanes perſequendum abutamur. Sed videtur reconditior,& abſtruſus magis ſenſus in his verbis ineſſe. Neque enim aut de membris iſtis, autde eorum inuſitata facultate ſermonem inſtituere videtur, ſed de ipſa actione viſionis & auditionis.

Cum igitur omnibus ferè perſuaſum ſit, ſe viſus, & auditus participes, poſſe, cum velint,&quid velint ex inſita videndi,& audiendi facultate videre & audire, Propheta hoc Proverbio hunc errorem refellit,docetque Deum ſua ſpeciali providentia, quoties vult, efficere, ut videntes quodammodo non videamus,& audientes non audiamus,quæ noſtrâ,ut videamus & audiamus intereſt: & proinde ad Deum precibus confugiendum, ut ipſe membra noſtra dirigat,& vires in dies & horas tribuat; & ad illum gratiarum actione de rebus rectè geſtis redeamus.

Hujus rei documẽta ſunt,quod ad viſionem attinet,Gen.21.19.ubi Agar fontem aquæ,quæ ante pedes erat,non vidit,cum illius plurimum intereſſet, quoad, caligine diſcuſſa,Deus illi fontem commonſtravit. Idem judicium eſt de ſcotomore quo cum Sodomitæ Gen.19.tum Siræ 2.Reg 6.percuſſi ſunt. Denique hinc eſt, quod 2. diſcipuli, qui Emauntem profecti ſunt,Chriſtum cum illis colloquentem non agnoverunt,Luc. 23. & comites Pauli Actor.9.7.In auditione vero exemplum exiſtit Actor.22. 9. Quod autem in oculorum & aurium viſione, & auditione hoc loco confirmatur, alibi de aliorum membrorum officiis affirmatur, Pſal.144. 1. & 18. 29. 33, 34. Hoc ipſi experimur in nobis ipſis, qui ſæpius obſtupeſcimus, nos illa non videre, quæ ante pedes ſunt.

Quare admonemur noſtræ infirmitatis vel in his rebus, in quibus maximè confidimus, illas penes nos,& arbitrii noſtri eſſe; nedum in illis, quæ noſtrarum virium non ſunt,& ad quas non modo naturâ nulla propenſio, ſed ſumma animi corporiſque averſio exiſtit, & abalienatio.

V. 13. *Ne diligas ſomnum, ne pauper fias: aperi oculos tuos, & ſatiator pane.*

In פקח עינ (*aperi oculos*) eſt ſynec. part. pro pervigili ſtudio rerum gerendarum. Poteſt enim quis oculos apertos habere, & tamen lecto affixus manere. Eadem eſt ſynecd. in לחם (*pane.*)

Scopus eſt ab otio abſterrendo ad negotium cohortari.

Sicut cibo, & potu utimur, ut viribus confirmati ad negotia obeunda apti & idonei ſimus; ſic ſomno, ut eo recreati ad labores ſubeundum magis alacres evadamus. Qui vero ſomno indulgent, non tantum à tempore laboribus deſtinato aliquid reſecant, ſed porro corpora reddunt ad perferendum labores minus idonea. Indulgere ſomno, ſive amare ſomnum prohibetur, ut alia caduca, cibum, potum argentum, 1. Timoth. 6. 10. potius meminerimus ejus, quod eſt 1. Corinth. 7. 29. 30, 31.

Et quidem, quod ad tempus laborĩ deſtinatum, egregrie deſcribitur, Pſal. 104. 22, 23 ubi cautione opus eſt, ne tempus noſtri laboris ad illud tempus ſtrictè & ruſticè exigamus. Sic enim foret, ut media æſtate ſomnum juſtum, & naturæ debitum non caperemus, & media hieme ſomno opprimeremur. Judæa enim ſic ſita eſt, ut dies fere omnes noctes æquant: ſed pro ratione ſolis apud nos orientis & occidentis ita temperandum eſt ſpatium ad labores conceſſum.

Quod autem nimio ſomno enervantur

vires corporis, in promptu eſt, cum ex nimio ſomno noxiorum & redundantium humorum copia ingeneratur, quæ corpus languidum & morbidum reddit.

Deinde cum hæc caduca vita inſtar ſit non ſomni ſolum, ſed ſomnii, quod ſomno brevius & anguſtius exiſtit, cujus penè pars dimidia ſomno & paſtione neceſſariò impenditur, dāda opera, ne quid temporis in opere faciundo nobis decidat, quod ipſa neceſſitas nobis non adimit.

Quod autem hoc loco pœnæ nomine fortuitò, & incertè proponi videtur, illud Prov. 6. dicitur, tam impetuosè irruiturum, ut vir armatus in nudū & inermem.

Quemadmodum verò attenuatur, & pauper evadit, qui, quod in opere faciundo ponendū eſt, tempus ſomno largitur; ſic ſpirituali paupertate (quę omnium miſerrima eſt) opprimi neceſſum eſt, qui die dominico æternæ vitę theſauris cumulandis conſecrato ſomno indulget, aut ludis, jocis, compotationibus inſumit. Plerique enim ſunt, qui profeſtis diebus ad laborandum manè ſurgunt, qui iidem die dominico in multum diem ſtertunt. Quo cum ſatis declarent, quam ſint in quęrendo Dei regno diſſoluti, non mirum eſt, ſi in pietate ſe indigos & exhauſtos prodant. Contrà regnum cœlorum primum, & ante omnia quærendum eſſe, docentur Mat. 6. & Pſal. 92. Propheta nos ad manè ſurgendum invitat, ut diem ſabbathi debite celebremus.

Prius hemiſt. arguitur ex adverſo quod ponitur in poſter. Cum enim vigilantia & lucubratione diteſcamus ita, ut abundè nobis ſuppetat, quo victum & veſtitum acquiramus, efficitur, ut nimio ſomni ſtudio pauperes facti victu deſtituamur. (Nam aliquid in utroque hemiſt. intelligi clarū eſt.) Hoc cōfirmatur Pr. 10. 4. ubi dicitur, manū ſedulorū homines ditare. Itē 12. 24 manus ſedulorum dominari. Quod cōmuni experientia docetur. Vid. Pſ. 128.

Quod autem dicit in imperativo (*& ſatur eſto*) eo videtur innuere non tantum hujus promiſſionis certitudinem, ſed porrò parari omnia, quæ ad victum referuntur, abſque cura & ſolicitudine, qua homines ſe ferè conficere ſolent. Vide Math. 6.

Hoc tamen non ita intelligendum eſt, ut nimium ſolertiæ & vigilantiæ præfidentes, divinæ opis & benedictionis invocationem neglectim prætereamus: quandoquidem ut manè ſurgamus, & ſero cubitum repetamus, tamen omnis hæc diligentia irrita eſt, niſi Dei benedictio acceſſerit Pſal. 127. & Agg. 1.

Deinde & illud notandū, has promiſſiones ad hanc vitam ſpectantes ἐπὶ τὸ πολὺ impleri, quoad Deo ſapientiſſ. patri expedire videtur.

V. 14. *Malum, malum eſt, dicit emptor; & digreſſus ſibi ſe laudat.*

V. 15. *Eſt aurum, & copia carbunculorum; ſed inſtrumentum pretij eſt labiorum ſcientia.*

Scopus eſt ad vitandum in mercimoniis vanitatem pretium veriloquii pro lucello, quod mentiendo acquiritur, oſtendere.

Singulare Dei erga mortales beneficium eſt mutua commodorum commutatio, & negotiatio: ſed quod tamen hominum perverſitate aut penitus convellitur, aut certè plurimum labefactatur, dum commutatio hæc in latrocinium convertitur, commercia exercentes in latrones, mercatus, ſeu forum non tam ſpelunca furum, quam propugnaculū efficitur, cujus ſub præſidio & umbra tuto & ſecurè homines ſuas fraudes & furta exerceāt; hæc hominum malitia egregiè à Sal. ὑποτύπ. deſcribitur. Inducit enim emptorem ſuas

partes

partes doloſè & fraudulenter agentem, qui, ut merces quam viliſſimo pretio auferat, utcunque ſolidas & incorruptas multis vitiis &defectibus onerat. Vanitatis eſt non agnoſcere mercium bonitatẽ, cum bonæ ſunt: majoris cujuſdam vanitatis eſt corruptas & adulteratas dicere, quæ legitimæ ſunt: væ autem illis, qui dicunt bonum malum &c. Iſa. 5. hanc vanitatem adhuc ſuperat illas peſſimas affirmando (id enim iteratio ſignificat,) quæ vitio carent, aut ea certè bonitate ſunt, qua à venditore exponuntur. Sed vaniſſimæ vanitatis eſt linguam verſare, & quod peſſimum dixeris, mox tanquam optimum prædicare. Sic fit quod Iac. 3. affirmatur, ut ex eodem fonte aqua dulcis, & amara profluat: ſic fit, ut in corde, corde loquaris Pſal. 15. ut prodigii inſtar bilinguis ſis, ut ipſe de te ſententiam condemnationis feras: nec vanitas modo, ſed conſummata improbitas eſt, non modo, quod malum eſt, admittere, ſed improbitate (cujus te pudere convenit) gloriari.

Hęc omnia parva inflexione verborum perinde in venditorem conveniunt, qui, ut pretium augeat optimas prædicabit, quæ corruptiſſimæ ſunt, qui ilico atque emptor tergum obverterit, ſibi gratulans fraudem apud ſuos agnoſcet, & emptoris imperitiæ inſultabit; Atque ac ſi parum ſit mentiri, & mendacium mendacio cumulare, dum affirmat, tanti valere, tanti ſibi conſtare, tanto vendere potuiſſe, eo tantum, quantum præſtituerit, dare renuente, neminem deinceps tam vili pretio empturum; juramento rem falſam confirmabit, ſe diris multis, & execrationibus obſtringet. Neque hoc ſolum ipſe faciet, ſed & ſervulos ſuos hoc facere docebit, eamque mentiendi neceſſitatem illis imponet, ut ſuo illos famulitio abjudicaturus ſit, niſi turpis ſui lucri Miniſtri eſſe velint; ut filium, aut filiam mercatori, aut artifici in diſciplinam aut mancipium tradere ſit illum in ipſam diaboli gulam trudere. Hoc quantum abeſt ab illa ſimplicitate, quam Chriſtus imperat Matth. 5. [ſit ſermo veſter, ita, ita; non, non.] &c. non eſt difficile dignoſcere.

Hæc tametſi homines non puniant, Deus tamen horum omnium ſeverus ultor eſt; ut Apoſt. apertè confirmat. Eph. 4.

In altero Proverbio lingua rectè inſtituta & cõformata ad id, quod verum eſt, cum auro & multis carbunculis comparatur. Superius perenni aquæ, ſeu flumini in media urbe, item arbori vitæ comparata eſt: ſed hoc loco ad præſentem cauſam reſpiciens aptiſſimam illam cum auro & gemmarum copia comparat. Deberet nos plurimum ad verè loquendum commovere, quod Apoſtolus admonet, nos eſſe invicem membra. Quid enim juvat ſtomachum omnem cibi ſuccum in ſe incluſum tenere, nec aliis corporis partibus, quo ſuſtententur, communicare? Hoc enim ipſo ſibi interitum ſtruit. Aut quid profuerit manui, ſi alimentum, quod brachium fovere debet, ad ſe attraheret? Sed ſi aliorum cura non ducimur, nec noſtra nobis ſalus chara ſit, cogitemus tamen, quam male frugi homines, quam inepti negotiatores ſimus, ut qui pro nummulo uno, aut parvo lucello rem pretioſiſſimam & gemmas rariſſimas commutamus. Lingua enim quæ vera proximo loquitur omni auro, & lapide pretioſo præſtantior, pro ære, pro nummulo uno, aut altero his mendaciis in ferrum, aut ſilicem mutatur. Sic in arca & loculo aurum habes, in ore vero æs, aut ferrum, aut ſiquid adhuc abjectius eſt, & ad tonſillas, ſeu anginam non tam in faucibus, quam in ipſa anima ingenerandum aptius ſit.

Quæſtus autem, qui inde percipitur, ſeu ab emptore, ſeu à venditore, in loculum, ſeu arcam perforatam conjicitur, &

veluti machina quædam eſt, qua fures ſeras aperiunt, & peſſulos perfringunt; & ſcintilla, quâ ædes eorum, & quæ in illis ſunt, conflagrabunt.

Meminerint quod de Davide legimus, 2. Sam. cap. ult. qui aquam periculo vitæ ſervorum ſuorum allatam noluit bibere, tametſi illam oppidò diſcupiebat, & veluti pica quadam ex ejus deſiderio laborabat. Quid igitur illis fiet, qui ſanguinem non caducæ, ſed perennis vitæ ſervorum ſuorum in dies intrepidè edunt & bibunt?

Verſ. 16. Accipe veſtem ejus qui fidejubet pro alieno, & pignus ab eo accipe, qui fidejubet pro peregrinis.

In זר (*alieno*) נכרים (*peregrinis*) eſt metaph. ſumta ab extraneo, & alienigena, & tranſlata ad omnes eos, quorum nulla certa & explorata nobis cognitio hujuſmodi ſuppetit, ut pro illis nos ſponſores conſtituamus, aut apud nos ſe pro extraneis ſponſores interponant; ut alibi זלה pro omni fœmina, qua cum congreſſus illicitus, utcunque nobis cognita, vel etiam cognata. Item in בגדו (*veſtem ejus*) eſt ſyn. pro omni domeſtica ſupellectile.

Scopus eſt adverſus temerariam fidejuſſionem nos munire. Vide 6. 1. 2. 3. 4. 5. & 11. 15. & c. 17. 18.

Hactenus in Prov. Sal. à fidejuſſione homines deterruit temeraria: nunc rationem aperit qua ſibi à temeraria ſponſione caveant; nempe ſi pignus accipiant ab eo, pro quo ſpondent, quo ſibi adverſus incidentes caſus, & pericula proſpiciant. Deinde ſuper Proverb. cavendum in genere, ne pro quoquam temerè quis ſpondeat: hoc loco ſpeciatim quoddam hominum genus deſignat, à quo in ſponſionis negotio abhorrendum illi ſit, nempe ab his, qui fidejuſſ. pro aliis aſſueverunt. Si enim nomina illa diſſolvit pro quibus ſe ſponſorem interpoſuit; jam exhauſtus habendus eſt; ſin minus, tamen ipſa ſponſionis promptitudine ſuſpectus ſit. Sed illud alienum videtur, quod jubet veſtem ejus accipere, cum lege cautum ſit, reſtituendam eſſe veſtem ante occaſum ſolis. Exod. 22. 25. Reſp. veſtem tum demum ad occaſum ſolis eſſe reddendam, cum aliis veſtibus, quibus ſe à noctis frigore tueatur, deſtituatur. Cujus generis ſunt omnia illa, quibus vita ſuſtentatur Deut. 24. Quamobrem jubet Propheta hoc loco omnino pignus ab hujuſmodi accipi, atq; adeò veſtem potius, quam ut ſibi & ſecuritati ſuæ non provideret. Deinde ſua temeritas eſt, qui in tanta rerum difficultate conſtitutus, ut duas veſtes, quibus ſe tegat, non habeat, voluit pro alio ſpondere. Ille ſuam fidem oppignerabit & per omnia ſacra ſe tibi obſtringet; ſed in his noli acquieſcere, niſi pignore, quo creditori ſatisfacias, accepto.

Ergo Propheta hoc Proverbio à fidejuſſione dehortatur novo argumento ab adjuncto incommodo, quod facilè ſpondens pro ſe ſponſorem (ſi quando urgetur) non reperiet.

Quod ſi aliena nomina in nos transferre non tutum ſit; nedum aliena peccata, & veluti debita (multo quam illa priora, magis noxia) noſtra facere: quod tamen tum facimus, cum aliorum peccatis communicamus. 1. Tim. 5.

V. 17. Suavis viro panis falſitatis: ſed poſt implebitur os ejus ſcrupo.

In לחם (*panis*) eſt ſyn. pro toto victu humano. In פיהו (*os ejus*) & חצץ (*ſcrupo*) eſt item ſyn. pro toto homine & omni re damnoſa. In שקר (*falſitatis*) eſt met. adjunct. Item altera ſyn. in חצץ ſing. pro plur.

Scopus

Scopus eſt homines à fraudulento quæſtu abſterrere.

Primum alienum videri poteſt, quod dicit, ſuavem eſſe panem fraude quæſitum, quandoquidem panis idem eſt, ſive juſto labore, ſive fraude partus. Verum hac formula loquendi prodigioſam humani ingenii perverſitatem innuit Propheta, cui nullus cibus tam ſuavis & ſapidus eſt, quam qui furto, aut circumventione alterius comparatur. Quo ſpectat illud Prov. 9. 17. de aquis furtivis, & pane clandeſtino dulcioribus aliis, quæ legitimè & ſecurè acquiruntur. Hujus ſceleris illuſtre exemplum extat in Iſraël. qui, contempto Man. cibo ſuaviſſimo & multis nominibus expetendo, Ægypti cæpas & alia fœtida concupierunt, quę illis tunc temporis erant illicita. Neque vero hoc noſtris temporibus inſolens & novum comperimur. Sic enim planè fit, ut homines projectæ & perditæ nequitiæ palam audeant profiteri varietatem paſcuorum vitulos pingues efficere, ut adulterium legitimo matrimonio præponant. Inveniuntur etiam non pauci, qui non dubitabunt dicere, ferinam noctu & furtim captam delicatiorem & ſuaviorem eſſe, quam quæ juſtè paratur. Nec deſunt, qui cum proximum ſuum commerciis exercendis præverterint, & lucrum ex alterius damno ceperint, profitebuntur, ſe unā vini amphorā amplius epotaturos, quam cęteroquin, ſi illa fraus non interveniſſet.

Spiritus ſanctus poſt. hem. prius illud carnis judicium retundens, & contrarium ejus loco ſtatuens dicit,, os ejus, qui fraude victum quærit, ſcrupis opplendum eſſe. In quo videtur alludere ad panem, qui conficitur ex farina, cui ſcrupi in commolitione admiſcentur, qui inter veſcendum dentes offenduut, eoſque comminuunt. Qua una ſynecd. omnia illa complectitur damna, & incommoda, quæ homini ex hac nequitia obveniunt.

Quod dicit, *poſtea*, docet perinde fieri in his, quæ fraude parantur, ut in cibis & potionibus, quæ primo palato arrident, ſed poſt in ipſa deglutione ingrati & odioſi ſaporis ſunt, maximè, qui ſtomachū, ſeu ventriculum offendunt. Qua de re eximius locus eſt Iob. 20. 15. Ubi tamen hoc diſcrimen eſt, quod ibi univerſim de peccati natura diſſeritur, quod hoc loco in ſpecie modo fraudis intelligitur. Docet enim peccatum inſtar delicati cibi eſſe, quem peccator cum ſumma voluptate in ore, & palato retinet, &, ut diu detineat, huc illuc in ore verſat, quod tamen poſt, cum in ventriculum deſcendit, pungit, nec ſicut hominem quietum eſſe, quoad illud quaſi revomuerit. Cui rei conſonat, quod noſtro Proverbio celebratur, *Sweet meat muſt have ſower ſawce*. Hujus rei illuſtre exemplum petitur ab Iſr. quibus caro coturnicum ſuavis & dulcis erat; ſed poſt os eorum ſcrupis impletum eſt. Nam dum adhuc comedebant, ira Dei illos invadens infinitam multitudinem perdidit, quorum morte ſuperſtites contriſtati ſunt; quandoquidem hujus liberi, illius uxor, alterius maritus, aut frater morte ſublatus eſt. Vid. etiam hiſt. Amalekit. qui Ziklag. urbem ſpoliarunt 1. Sā. 30. 16.

Atq; ut Dei judicium foris ſileat, tamen Deus uno momento tribunal intus excitare poteſt propriæ conſcientiæ, quæ hominem noctu & interdiu excruciet, nec unquam quietum eſſe ſinat, quoad ſe deſperatione ad inferos præcipitaverit.

V. 18. *Vnaquæque cogitatio conſilio ſtabilitor: & prudentibus conſilijs gere bellum.*

In מלחמה (*bellum*) eſt ſyn. part. pro gravioris momenti negotiis.

Scopus eſt à temeritate nos depellēdo ad cōſultè in omnib. (potiſſi. quæ maximè noſtrâ interiunt) agendum adhortari.

Prov. 19. 2. præcrptum eſt huic non diſſimile, & quod huic Prov. interpretando ſingularum lucem affert; ſicut etiam ex 29.20. aliquid peti poteſt, quod huic argumento affine eſt.

Et primo quidem hoc obſervandum eſt, non ſatis eſſe, ſiquis ea, quæ honeſta & laudata ſunt, ſibi ante oculos proponeret & conſtituta haberet, niſi porro de rationibus & mediis, quibus illa apud ſe deſignata inchoata provehantur, & perficiantur, diſpexerit. Plerique enim ſunt, qui præclaras res ſibi ob oculos præponentes, & animo conficere deſignantes ita ſuis illis ſanis & ſanctis deſignationibus confidunt, & Dei, gratiæ in illis proſperandis, ut interim illa neglectim prætereunt, quæ illis perficiendis à Deo præſtituta ſunt; perinde ac ſi ſanctis propoſitis pedes, aut alæ eſſent ſua ſponte currendi, aut volandi; ut omnibus currendi & volandi ſubſidiis deſtituantur; ac ſi nulla eſſent in his, & foris, & in nobis, & in aliis, in Satana, & mundo, quæ ſe ſanctis cogitationibus & deſignationibus opponant, obſtacula. Sic ſunt, qui meliorem vivendi rationem ingredi ſtatuunt, qui tamen, quod Dei verbi aſſidui auditores non ſint, nec Deum ſtudioſè precentur, nec à pravis conſortiis, & conſuetudine improborum ſe ſubducant, ſuis illis cogitationibus & deſignationibus excidunt. Nec mirum; cum non plus ad rem benè conficiendum afferunt, quam agricola, qui de meſſe copioſa ſecum & cum animo ſuo ſtatuens omnia negligit, quæ illi promovendæ inſerviunt.

Quamobrem ad provehendum & perficiendum ſancta inſtituta primo procul abeſſe oportet vana in nobis ipſis fiducia, qua nobis & ſapientiæ noſtræ confidere ſolemus: Quo uno nihil rebus rectè gerendis magis adverſum eſt. Prov. 3.6.7.

Deinde ſcientiam rerum gerendarum parare expedierit; ſine qua inſtar cœcorum in tenebris nos errare neceſſe eſt. Proverb. 19. 2.

Poſt cavendum eſt à temeritate cum in dictis (Prov. 29.20.) tum in factis 19. 2. Æquè enim aberrat præceps, atque is, qui neſcit, quid faciendum eſt. Ex quo facilè liquet, poſſe aliquem ſcientiam rei alicujus gerendæ tenere, & tamen per temeritatem à ſcopo, quem proponit, aberrare, cum nec, tempus, nec locum, nec perſonam, & alia id genus obſervet.

Præterea cavendum nobis ab affectibus, & animi perturbationibus, qui nos tranſverſum abripiunt, invidia, odio, amore, ira &c. quæ in rebus gerendis peſſimi conſultores ſunt.

His ſcopulis declinatis, qui ſunt rebus proſperè & rite gerendis adverſi, videndum quid ſit porro faciendum, ut, quæ rectè propoſita ſunt, fœlicem exitum conſequantur, nempe nihil eſſe tam exile, aut contemptum, quod ſuſcipimus, quod non ſit conſilio dirigendum, ut optatum finem inveniat. Vide. Cap. 3. 6. 7. 8. Mercatores hi foro concedunt, & fide concidunt, qui in ſuis ratiociniis minutas ſummas negligunt: idem planè & iis metuendum jure videtur, qui non omnia & ſingula revocant ad examen. Quod quam verum ſit, ex illa Apoſtoli ad Coll. 3. 17. ſententia liquet. Vbi omnia & dicta & facta cum invocatione nominis divini conjuncta eſſe debere, docet, Vid. etiam Pſal. 128. ſ. octava. Quod diligenter notandum adverſus fraudes, & callida conſilia quæ, ſapientiæ nomine venditantur. Vide Ieroboami conſilium callidum.

In gravioribus autem rebus, quarum hic unam ſpeciem Sal. propoſuit, prudens conſilium adhibendum eſſe docet; non quod ullum ſanum conſilium ſit, quod non ſit prudens, ſed conſilia magis matura & elaborata in his gerendis adhiberi monet; eoque ipſo non tantum, ut ipſi

Deum

Deum in verbo, in Prophetis, & oratione conſulamus, quod à Davide, & aliis piis Regibus factum legimus; (Addo etiam ab impio Achabo, qui ſuos de bello Pſeudoprophetas conſuluit;) ſed aliorum etiam ad eam rem imploremus conſilium; quod nemo, quocunque ſapientiæ dono præditus ſit, detrectare debet, cum Salomon Rex omnium, qui unquam ante fuerant, aut deinceps erunt, ſapientiſſimum ſuum etiam ſanctiorem ſenatum & prudentes conſiliarios habuit, quos adhibebat etiam ad pacem, quæ illi à Deo promiſſa eſt, retinendam.

Quod ſi ad bellum hoc externum & corporeum gerendum exquiſito conſilio opus eſt, quanto magis eo opus eſt ad ſpirituale bellum gerendum, ubi hoſtes tetriores ſunt, & id, de quo certatur, multò magis.

Verſ. 19. Revelanti arcanum, qui ambulat cum detractione, & blando labijs ſuis ne te admiſceto.

Cum homo animal ſit ſua natura ἀγελαῖον, circumſpecte agendum erit, ut cum illis ſocietatem ineat, quibuſcum vitæ communitatem ſine diſcrimine colat Quā ad rem Sal. ſalutaria conſilia nobis ſuggerit. Alibi ſocietatem cum ſtultis non eſſe habendam monet, ne his ſimiles ſimus; item communionem nobis cum iracundo interdixit: hoc loco alia præcepta dat, quibus inſtructi ſociorum delectum habeamus. Iubet verò primò ut nobis caveamus à detractore, qui ſuis effectis deſcribitur, obambulandi & diſcurrendi huc illuc, deinde retegendi arcanum: quorum utrorumque nomine nobis odioſa eſſe debet omnis vitæ arctior conjunctio, cum priore otioſus & piger nullum honeſtum vivendi genus ſectans eſſe convincitur. De qua re, ut de altero effecto, vide quæ prius ſcripta ſunt Prov. 11. 13.

Aliud hominum genus fugiendum porrò docet, ſc. illorum, qui ſtultiloquio deditì ſunt, qui tibi perinde exoſi eſſe debent, atque guſtui inſulſus & inconditus cibus, quorum ſermones ſale, & gratia deſtituuntur, quam conferant his, qui audiunt: præterquam quod (referente Apoſt.) 1. Cor. 15. v. 33. *corrumpant etiam bonos mores colloquia prava.* Maximè autem illos perſtringit, qui omnia ad animi noſtri libidinem & voluntatem loqui conſtituunt, & nobis in omnibus aſſentari: in quo propter ingenitam φιλαυτίαν ad lapſum proclives ſumus. vide exemplum Achabi, qui conſiliarios & Prophetas exquirens, qui pro voto ſuo conſilium darent, in bello miſerè periit.

Verſ. 20. Maledicentis patri aut matri, extinguetur lucerna in nigredine tenebrarum.

In מקלל (*maledicentis*) eſt metaphora à rebus corporeis, quæ leves ſunt, ad neglectum parentum tranſlata. In אישון (*nigredine*) eſt metonym. adjunct. In חשך (*tenebræ*) & נר (*lucerna*) eſt metaph. lucis pro proſperitate & tenebrarum pro rebus adverſis.

Scopus eſt liberos in parentum obſequio continere.

Pietas liberorum in parentes, quorum operâ in hanc lucem editi, & labore, cura, & ſumptibus educati ſunt, tanta eſt, ut illam vel cogitatione violari gravi peccato non caret; vultu verò, & frontis corrugatione in parentes inofficioſos eſſe à ſcelere non abeſt; verbis levius petere gravius; maledictis verò eos conſcelerare facinus & flagitium atrox eſt. Atq; cum liberorum pietas in parentes ne mortis quidem finibus definiatur (ut in filiis

filiis Rechabi pleniſſimè conſtat,) in illos vivos tanta procacitate uti, ut maledictis etiam proſcindant plenum horroris eſt. Et ſi non tegere parentum nuditatem inter ſcelera numeretur, quo loco cenſebitur tectam ejus nuditatem retegere, aut etiam falſò illi nuditatem impingere atq; imponere?

Hujus horrendi ſceleris ipſi parentes ſæpe rei exiſtunt qui ſuos liberos nimia indulgentia complectuntur, & in quos nulla aut ſeveritate, aut authoritate utuntur, ſed cum illis, tanquam cum ſuis æqualibus & ſociis conſueſcunt & converſantur. Quo fit ut, fræno debitæ reverentiæ excuſſo, maledictis in parentes inſiliant non minus atque in ſuos æquales. Imò verò non deſunt patres, qui, ut matribus maledicant, liberis authores erunt; nec matres, quæ, ut in patres convitia jaciant, incitabunt.

Hoc ſcelus adjuncta pœna coarguitur. Exod. 21. 17. Levit. 20 9. expreſſe dicitur, morte mulctandũ, qui patri, aut matri maledixerit. Vnde atrocitas ſceleris coarguitur. Sal. autem aliis verbis ſupplicium illis debitum amplificat, & gravius judicium, quam quod lege expreſſum, eſt denuntiat. Eſt enim profecto juſtum, ut ejus lux extinguatur, qui in illos ſuperbe exurgit, qui illi, ut lucem aſpiceret, poſt Deum authores fuerunt, maximè cum lucerna parentibus eſſe deberet 1. Reg. 12. 15. quibus claritatem tollere conatur.

Quod autem dicit, illum nigerrimis tenebris obruendum & operiendum eſſe, eo docet Dei juſtiſſ. in contumaces & rebelles liberos judicium in eorum morte non acquieſcere, ſed illos porro ad inferos uſque perſequi. Quod ſi Magiſtratus ſtulta indulgentia, & Dei tolerentia ad centeſimum annum vitam protraxerit, tamen ipſe maledictus erit, Eſaj. 65. 20.

Verſ. 21. Hæreditas accelerata in principio etiam ſuo in fine non benedicetur.

In נחלה (*hæreditas*) eſt metoym. ſpeciei pro omni poſſeſſione, quia hæreditas eſt præcipua.

Scopus eſt modum ſtatuere in bonorum ſecularium acquiſitione.

Omnes, qui divitias amant, earum cupiditate & impotenti deſiderio ad illas acquirendas feruntur; eoque ipſo omnes opportunitates venantur, quibus illas accumulent, oblatas autem nullas præterire ſinunt, ſua infidelitate metuentes, ne nunquam ulla deinceps opportunitas ſe offerat. Quamobrem poſtpoſita omni juſtitia erga proximum & timore Dei in tergum rejecto, quicquid occurrit, aut corradere poſſunt, ilico arripiunt. Quibus accidit quod vernaculo Prov. jactamus, [piſcem eſſe, quicquid in rete venerit.] Quamobrem ſi annonæ, aut mercium commoditas ſe offert, ilico illam ita arripiunt, ut, ſpreta communi utilitate, ſuas quàm poſſunt chariſſimè commoditates diſtrahant.

Hoc genus hom. Propheta Amos cap. 8. 4, 5, 6. comparat his, qui præ vehementi & ardenti ſtudio divitias comparandi anhelant non ſecus, quam hi, qui in citatiore curſu vix reſpirare poſſunt, & halitu pene privantur. Porro illos deſcribit ab effectu, nempe quod ægre & impatienter ferunt Sabbatha, & novilunia in cultu divino impendi, quod totum illud tempus perire judicant, quod in congerendis divitiis non conſumunt.

Hujus rei exemplum extat in Achane, qui in pretioſam veſtem aurilaterem, & ſiclos argenteos à Deo interdictos incurrens ilico manum illis injecit, fore putans, ut nunquam talis opportunitas ſuam rem augendi recurreret, & ſe uno mo-

momento hoc ſacrilegio ditandum. Aliud in Jeſabele & Achabo, qui morte Nab. nefaria ſubito hęreditate aucti ſunt. His non ſunt diſſimiles fures & latrones, qui uno momento ſe ab extrema paupertate ad magnam rerum abundantiam, & affluentiam evectos fore confidunt. Vide Proverb. 1. verſ. 11, 12, 13.

Prorſus ejuſdem farinæ homines ſunt, qui in patrios & majorum ſuorum annos inquirunt ægre ferentes eorum vitam in terris prorogari, quod, illis viventibus, hæreditas & patrimonium ad ipſos non devolvatur.

Jam videamus hujus improbitatis incommoda. Et quidem omnia hoc loco non eſt proſequutus Propheta ſed illud modo, quo maximè homines permoveri ſolent. Gravius enim quiddam notatur 28. 20. ubi docetur, gravem peccati reatum eum contrahere, qui diteſcere accelerat. Hoc autem loco damnum perſtringit, quo in hoc ſæculo mulctantur, qui divitiis tantoperè inhiant; ſcil. quod tandem, & ad extremum non benedicetur hæreditas accelerata. Quibus verbis apparet primo ſuccedere poſſe illud congerendi divitias ſtudium, ſed tandem, ſubtracta benedictione Dei, illas diſſipatas in fumum abire. Quamobrem vide, quid minatur Deus Amos 8. 7. Notatur etiam hiſtor. eſt quid Achani accidit, qui, ſi expectaſſet paululum, donec Ai expugnata fuiſſet, legitimè ditari potuiſſet; notum etiam quid Achabo obvenerit ex hæreditate tã cupidè acquiſita. Experientia porro docet, quid latronibus & graſſatoribus evenire ſolet, & illis hæredibus, qui parentum & majorum immaturam & præproperam mortem expetunt: Vide 2. Sã. de Abſal. & Adon. præterquam quod in Proverbium fere abiit, bonorũ malè partorum non eſſe tertium hæredem: & quod vulgari & vernaculo Proverbio teritur, *Haſt maketh waſt*, *Feſtinationi conjunctam eſſe vaſtationem*. Quibus omnibus illud accidit, quod hominibus avidè cibum non bene præmanſum, & dentibus attritum deglutientibus evenire ſolet, ut illud, quod tam cupidè devorarint, regurgitent, aut ſi retineant, non tamen eo bene & commode nutriuntur, ut quod in vitioſos humores convertatur.

Quod tamen ita intelligendum eſt, ut illos non complectatur ſuo ambitu, qui ſingulari Dei favore ſubito ditantur, ut qui ſpoliis hoſtium in juſto bello ditantur, aut ſingulari Dei benedictione, quod factum legimus in Abrah. Iſac. maximè vero Jac. & Jobo.

Notandum præterea ex benedictione divina pendere bonorum, & hæredum durationem, & ad poſteritatem tranſmiſſionem, non ex hom. proſpicientia, ſeu ſolertia: quæ benedictio cum hominum avaritia abalienatur, Dei autem obſequio in moderata & legitima poſſeſſionum acquiſitione accerſatur, quis non videt acceleratam poſſeſſionem ad firmitatem & durationem inutilem eſſe. Vide Pſal. 127. & Agg. 1.

V. 22. *Ne dicas, rependam malum: expecta Iehovam, & ipſe ſervabit te.*

In תאמר (*dicas*) eſt meton. ſubject. determinationis pro adjuncta elocutione, quæ animi deſignationẽ plerũque comitatur.

Scopus eſt homines à vindicta cohibere.

Hujus prohibitionis cauſa eſt, quod vindicta & retributio Dei eſt, Deut. 32. 52. & ob eam cauſam Pſ. 94. 1. appellatur [Deus fortis ultionum:] Quod etiam ad majorem emphaſin ingeminatur. Cum igitur Dei unius ſit, & eorum, quibuſcum Deus hanc authoritatem cum Deorum appellatione communicat, rectum eſt, ut

omnes, qui privatam perſonam gerunt, à retributione abſtineant.

Omnis igitur vindicta (vel leviſſ. ſpecies) voluntatis divinæ violatio cenſenda eſt. Sed quia illa eſt depravatio naturæ noſtræ, ut, acceptâ injuria, ilico pruritu quodam, & appetitione nos ulciſcendi corripiamur, tametſi hac depravatæ naturæ noſtræ ad vindictam titillatione lex Dei nos non abſolvat, tamen Proph. ne longius ſerpat, & prolabatur, ſtudioſe cavet, dum jubet, ne nobiſcum & cum animis noſtris quidquã de retributione ſtatuamus, & deſignemus. Quia enim noſtra propria conſilia & cogitationes adamamus, fit ut hac apud noſmet-ipſos conſtitutione, tanquam vehementi impulſu & incitamento ad nos ulciſcendum proſiliamus. Tametſi enim unius Dei proprium ſit, ut ejus conſilia & cogitationes firmæ & immotæ ſint, Pſal. 33. 11. tamen ea eſt hominum ſuperbia & ambitio, ut quivis terræ filius & homuncio hoc ſibi proponens omnibus nervis idem, & ſumma cõtentione aſſequi aſpiret. Unde quod olim Perſæ & Medi ſuperbi profiteri auſi ſunt, eorum decreta mutari nullo modo debere, id omnes apud ſe occulte fovent. Imo vero hanc inſolentiam non raro apertè produnt, dum dicunt, ſe hoc, vel illud facturos, aut non facturos, quia ſic priùs apud ſe conſtitutum eſt.

Major autem cautio adhuc adhibenda erit, ne verbis & ſermone vindictam & retributionẽ profiteamur. Sic enim Satan duplici nos obligatione conſtrictos ſibi tenebit, ne ex ſuo laqueo elabamur. Cum enim priùs damni, quod accepimus, intuitus nos ad vindictam modo impellebat, jam per famam & exiſtimationẽ noſtram videmur impediri, ne ultionẽ non ſumamus. Tametſi enim homines vanitate ipſa leviores & inconſtantiores ſunt, tamen omnes ſingularẽ quandã in maleficiis cõſtantiam, vel pertinaciã potiùs ſequuntur. Vide exemplum Pilati, qui quod ſcripſit, nullo modo retractare voluit, Math. 27.

Maximè autem omnium à votis & juramentis in his caſibus, abſtinendum, quibus tanquam triplici funiculo, qui difficulter rumpitur, & fortioribus & arctioribus vinculis diabolus nos irretitos tenet. Vide Herodis exemplum Math. 14. Ex quibus omnibus liquet, quam improbè & ſceleratè faciunt, qui quam primum injuriam acceperint, ſe alioqui ſua naturâ ad vindictam nimium paratos hiſce tendiculis in hos laqueos ſtultè conjiciunt.

Hinc liquet, quam futilis ſit Pontif. doctrina, qui dicunt, hanc de vindictæ fuga doctrinam novæ cujuſdam legis præceptum eſſe, Moſis & veteris teſtimon. præceptionibus minimè compræhenſum: eoque ipſo conſilium eſſe, cui qui parent, plus faciunt, quam lege tenentur. Quo fundamento opera ſuperegationis aſtruunt.

In altero hem. ſingulare pharmacum huic morbo præſcribit, nempe fidem in Deum. Quæris, quid eſt, in quo fiduciam in Deo collocet? Deum jus dicturum tibi, juſtam cauſam propugnaturum, famam & exiſtimationem ab hom. improborum probris & convitiis vindicaturum & (ut uno verbo omnia comprehendam) te plenè & penitus ſervaturum, ut eſt in contexu. Ex quo facilè conſtat, quid cauſæ ſit, cur homines ad ſe ulciſcẽdum tam parati & prompti ſunt, quod fide & fiducia in Deum deſtituantur, unde hæc patientia & expectatio naſcitur, aut certe fidei in Deum inopes & egeni ſint. Exiſtimant enim, hic quidem ſe rei familiaris jacturam paſſurum, ille vero ſe famæ & exiſtimationis grave damnum accepturum, niſi ilico in illum irruat, à quo injuria læſus & provocatus eſt. Nec locum dat ultioni divinæ, quam ipſe propria vindicta Deo præripit, quaſi ſit ad ulciſcendam injuriam, quã Deus ipſe, inſtructior.

Eſt

Eſt autem animadverſione digniſſimum, quod huic ſaluti, quam Deus affert his qui eum præſtolantur, tanquam adverſa opponitur ſalus illa, quam quis propriæ injuriæ vindicta ſibi comparat, 1.Sã. 25.31. ubi Abigail per conceſſionem Davidi largiens illum voto ſu o in maritum Nabal. potiturum, tamen hoc ſolo nomine hanc victoriam illi infauſtam & infœlicem fore pronuntiat, quod ipſe ſe ſervaturus ſit, nõ autem dominus. Quod nos admonere debet, ne nobis de divino favore propterea opinionem imbibamus, quia inimicis noſtris in perſequenda victoria ſuperiores extitimus: qua in repleriq; ſibi imponunt. Nam hæc ipſa ſalus, quã ſibi ſua manu pepererunt à Deo maledicta eſt. Quid igitur his fiet, qui dubio marte cum aliis ad ſui vindictam confli-ctantur? David enim armato milite ſtipa-contra Nabalem inermem de victoria certus erat.

Quod porro dicit, dominum eum ſervaturum, qui opprimitur; non autem cauſam vindicaturum, videtur nos admonere, quid ſit, quod nos à Deo expetere & precari debemus; ſcilicet propriam ſalutem, non autem malum adverſarii. Quod tempeſtive admonetur, cum ſint pleriq; qui non tam de damno reparando, quod accipiunt, quam de malo inferendo ſoliciti ſint.

Quod ſi malum malo rependere fas non ſit; nedum malum alteri ſponte inferre minime autem omnium beneficium maleficio compenſare.

V. 23. *Abominatio Iehovæ eſt lapis; & lapis; & lances doli non ſunt bonæ.*

In לא טוב (*non bonæ*) ſynecd. gen. pro ſunt abominabiles, ἀειδῶσι appellant.

De hoc Proverbio vide, quæ ſupra annotata ſunt verſ. 10.

V. 24. *A domino ſunt greſſus viri. Quamobrem quomodo intelligat homo viam ſuam?*

In מצעדי (*greſſus*) eſt ſynecd. pro omnibus actionibus, quæ ab homine adminiſtrantur, ſive eundo, ſive ſedendo, egrediendo, regrediendo &c. Item in גבר (*viri*) ſcil. *fortis* ſeu *adulti*, eſt altera ſynecd. ubi etiam videtur eſſe comparatio major. quia ſi fortiſſ. cujuſque veſtigia ſunt in manu Dei, nedum aliorum omnium. In דרכו (*viam ſuam*) eſt metaph. uſitata.

Scopus eſt, ut in oneribus, quæ aggredimur, aut ſuſcipimus, nobis & ſapiènta noſtra abnegatis a Dei providentia & gratioſa directione pendeamus.

Prior pars hujus Prov. verbatim deſumta eſt ex Pſal. 37. 23. & confirmatur pleriſque ſcript. teſtimoniis, Iob. 14. 12. ubi dicitur, [Deũ numerare omnes greſſus hominis.] & 31.4: & 14.21: & Act. 17.28. luculentiſſime & copioſiſſ amplificatur Pſalm. 139. Vbi docet, ejus cogitata, dicta (& perinde facta) Deo cognita eſſe priuſquam animum, aut linguam ſubeunt. Hæc doctrina ſpecialius exponitur Ezek. 1. ubi Angelis Dei miniſtris omnium in terra adminiſtratio ita tribuitur, ut Angeli ſemper ſuas alas, & facies in cœlum erectas habeant Dei nutum in omnibus procurandis obſervantes. Hoc ipſum non ita pridem in ſenſibus viſus & auditus ex verſ. 12. oſtenſum eſt: luculentiſſimè vero & vividiſſ. demõnſtratar in Balaamo Pſeudoproph. qui conductus ad maledicendum populo, & ad eam rem ſumme animatus non modo non potuit maledicere, ſed contra invitus benedixit; qui idem liberè faſſus eſt, ſe non potuiſſe vel verbulum unum efferre, niſi Deus, ut hoc faciat, annuat. Quod quidem ſi in verbis verum eſt, nedum id factis locum etiam habebit: &

ſi in Balamo hoc verum ſit, in omnibus hominibus perinde firmum erit.

Hæc cum ita ſint, Propheta à comp. minoris concludit neminem ſuam vitam, ſeu vitæ adminiſtrationem, quæ tandem futura eſt, perceptam habere. Nam ſi viæ ſuæ ne vel veſtigium quidem norit, totam vitæ ſuæ rationem non pernoſcit: & ſi fortiſſ. quiſque hoc non intelliget, nedum reliqui internoſcent. Quod etiam ἐρωτηματικῶς propoſitum vehementius negatur. Vide Prov. 16. 16. Hoc ergo Proverbio Deus eorum hominum vanitatem ludificatur, qui de rebus maximis gerendis, de ædificiis, bello, negotiatione, idque in multos annos apud ſe conſtituent, & audacter pronuntiabunt. Vide Iacob. 4. 13, 14, 15. Perinde ac ſi captus pedibus, ſe magnum iter confecturum profiteretur &c. Pedes enim non niſi commodatos habet.

Quod ſi in rebus civilibus, quæ magis in arbitrio noſtro ſunt, tam confidenter loqui non conceditur; nedum in his quæ ad pietatem & ſanctitatem ſpectant, ad quæ natura penitus inepti ſumus. Vide Math. 26. 33, 34, 35.

Hinc conficitur, Deum in omnibus, quę ſuſcipimus & aggredimur, adeundum, conſulendum, & invocandum, ut rectè & proſpere nobis ſuccedant. Vide Proverb. 3. 6: & Coloſſ. 3. 17.

V. 25. *Tendicula eſt homini qui deglutit ſacrum; & poſt vota requirere [tendicula eſt.*

In מוקש (*tendicula*) eſt metaphora ab avibus, aut feris animantibus, quæ laqueis ex ineſcatione capiuntur.

Scopus eſt homines à ſacrilegio abſterrere.

Primum videndum, quid ſit, quod ſacrũ appellat. Eſt autẽ illud ſacrum, quod ſacris uſibus vel Dei inſtituto & juſſu, vel hominum voluntaria & ſpontanea largitione addictum & devotum eſt. Hic ſi quæris, qui ſunt ſacri uſus, reſponſio in promptu eſt, quod ad uſum cultus divini, ſcholarum, & pauperum ſubventionem & ſuſtentaculum confertur. Hujus generis erant olim ſub lege primitiæ, decimæ anni cujuſque tertii anni ſacrificia, ſpicilegia, racemationes, vota, & ejus generis alia. Iam ſub Euangel. tametſi primitiæ & decimæ neceſſariæ non ſunt, tamen quicquid aut lege conſtitutum, aut hominum liberalitate collatum ad hos uſus eſt, illud omne ſacrum habendum eſt: Ob eamque cauſam horum aut ſublatio, aut etiam imminutio ſacrilegii crimine damnatur, Deut. 23. 21, 22, 23.

Hæc corruptela cum omnibus ſæculis obtinuit, tum ex omni memoria, nunquam magis graſſata eſt, quam hoc noſtro tam infœlici ſæculo: in quo plerique non modo nihil largiuntur, ſed etiam, quoad poſſunt, dant operam ut ex illo aliquid reſecent; & arrodant, quod à ſuis majoribus ad cultum Dei, & ſcholarum & pauperum ſuſtentationem collatũ eſt. Majores eorum ad cultum idolorum, atque adeo ipſius Diaboli (quem veri Dei cultum falſo opinati ſunt) maxima largitione, vel effuſione potius uſi ſunt, nec unquam ſibi in liberalitate erga ſuos seductores, & ad æternam damnationẽ duces ſatis facere potuerunt; & in ſuos ſacerdotes, tametſi indoctos atque etiam avaros ex ſingulis Baptiſmis, & aliis fictitiis ſacramentis, ſepulturis, exequiis, & miſſis extraordinariis ſalarium exigentes perquã benefici fuerunt uſq;eo, ut ex quæſtu & negociatione omnium aliorum conſcientiam fugiente, & cujus præter ipſoſmet nulli conſcii fuerunt, decimas conferebant. Hæc autem ætas, quam Deus fidelibus & doctis Miniſtris vel ſuo ipſius teſtimonio

monio ornavit, in eo eſt, ut aliquid ſemper legitimo Miniſterio ſurripiant ſubtrahantque: ut ſatis illis foret falſa opinione imbutos veros Miniſtros pro impoſtoribus habere, quam illos pro veris habentes tam indignè & reſtrictè cũ illis agere.

Exaggeratur hoc ſcelus apud Prophet. Mal. 3. 8, 9. qui hanc injuriam non tam hominibus, quam ipſi Deo factam eſſe queritur. Unde etiam in Lege dicitur, tribum Levi hæreditatem inter fratres non habuiſſe, ſed Deum fuiſſe ejus portionem, quia, quod illis ceſſit, Deo devotum & conſecratum eſt; poſt nova Dei donatione ad Sacerdotes & Levitas devolvebatur. Quod ob eam cauſam factum eſt, ne exiſtimet populus, Miniſtros illis ex his contributionibus obnoxios eſſe.

Cum autem ſacrilegium furto, latrocinio, & peculatu gravius tanto, & atrocius ſit, quanto Deum ſpoliare ſceleratius ſit, quam homines; tum vero in ſacrilegio gradus ſunt. Nam graviſſimum ſacrilegium eſt, quod in adminiſtros verbi admittitur. Quod quidem tanto atrocius eſt, quia qui Miniſtrorum & Scholarum ſubſidium ſubtrahunt, hi non tantum rei ſunt propriæ perditionis, ſed etiam interitus infinitarum animarum, quæ præ inopia verbi divini ſubſequentibus ætatibus perituræ ſunt, hoc ipſo, quod Miniſt. ſuſtentandis juſta ſtipendia deſunt.

Huic proximum eſt, quod in ſcholas, Eccleſiæ, & Reip. officiariorum ſeminaria admittitur: Poſtremum, quod in pauperũ ſubventione intervertenda verſatur.

Iam videamus, quid ſit, quod Propheta adverſus iſtos hirudines pronunciat. Ubi 1. comparat ea, quæ Deo ſacra ſunt, illecebræ, qua hamus induitur, aut quæ laqueo & tendiculæ apponitur, ita ut qui ſeu piſcis, ſeu avis illam arrodit, ilico aut hamo, aut laqueo interceptus ſtrãguletur.

Quamobrem Propheta docet, hanc ſacrarum rerum ad proprios uſus tranſlationem ſingularis boni ſpeciem prę ſe ferre, qua ſtulti & incauti homines, qui terrena modo ſapiunt, alliciuntur; earum rerum dulcem eſſe, & gratum guſtum, dum in palato ſunt; ſed poſt tamẽ pungere & mordere gravius, quam qui à ſcorpionibus, viperis, & aliis venenatiſſ. ſerpentibus icti ſunt; idemque illis uſu venire, quod piſcibus, & avibus incautis, qui cum unico cõcupiti cibi morſu ſuam vitam cõmutarunt: ut eorum non melior ſit conditio, quam prophani illius Eſ. qui ſuam hæreditatem pro pauculo jure vendidit. Venturũ enim olim tempus, cum, quod ita avide devorarunt, & helluati ſunt, ſe vel attigiſſe pœnitebit.

Quod ſi illis mortale & pernicioſum ſit, qui his bonis fruuntur; quid illis fiet, qui aliorum avaritiæ tantum adminiſtri fuerunt, qui ipſi nullum inde fructum perceperunt; & qui ſpe tantum prædę deinceps conſequendæ ad hoc ſacrilegium pertracti ſunt?

Deinde in poſter. hemiſ. docetur ipſum conatum & ſtudium ſacra ſemel Deo data retractandi & retrahendi inſtar laque eſſe, quo homines provocantur, tametſi quod cupiunt, non aſſequantur: nedum ſi iniquis votis potiuntur. Et ſi tam grave eſt, Deo ſubtrahere, quod ipſi dederunt; quanto ſcelere tenebuntur, qui, cum ipſi nihil contulerint, ab aliis collatum eripere conantur?

Quod tamen non ita accipi debet, ac ſi vota nulla, cujuſcunq; generis reſcindenda ſint; cum hæc de legitimis votis, & ex præſcripto verbi factis ſint intelligenda.

V. 26. *Ventilat improbos Rex ſapiens, dum convertit ſuper eos rotam.*

In מזרה *(ventilat)* eſt metaphora, tracta ab agricolis, qui paleam, & quiſquilias ventilabro à frumento ſecernunt. In מלך *(rex)* eſt ſyn. ſpec. pro omni Magiſtratu.

In אופן *(rotam)* eſt alia metaph. ducta item ab agricolis, qui in calidis regionibus frumentum rotæ converſione bovi, aut equo affixæ excutiebant.

Scopus eſt juſtitiæ debita exequutione Reip. veluti aream repurgari.

Ex hoc Proverbio apparet, quo loco & exiſtimatione Script. improbos habet nempe paleæ, zizaniorum, & quiſquiliarum. Quod tamen ſpugnare videtur cum eo, quod alibi ſcribitur Pſal. 37. ubi lauro totum annum virenti & ſua flagella undique explicanti & propaganti: & Eſa. 2. cedris & roboribus comparantur: Item montibus Pſalm. 144. 5. Sed facile fuerit hæc inter ſe conciliare, ſi dicamus, Scripturas priore ſimilit. improbos deſcribere, quales revera & Dei judicio ſunt, qui ex veritate omnia judicat: poſter. vero comparat. deſcribere, quales ſunt in vana ipſorum, & falſa noſtra opinione, qui majus quiddam & magnificentius de illis æſtimamus, quàm res & veritas ferat. Quamobrem errorem noſtrum corrigamus oportet, & ad incorruptum Dei judicium noſtram de improbis opinionem revocare, ne nobis ab illis formidemus; quandoquidem maximi & potentiſſimi tyranni in ampliſſima ſua gloria & ſplendore nihil aliud ſunt, quam palea, quam pulviſculus, gluma, &c.

Deinde, quantum interſit inter pios & impios reputemus; quantum ſcilicet inter frumentum, & paleam, inter aurum purgatiſſimnm & metallum maximè ignobile; ne illis invideamus, aut illorum proſperitatis ſtudio ducamur.

Maximè vero (quod hujus loci proprium eſt) à frugi agricolæ officio alienum eſt frumentum ſinere cum palea permiſceri, unde etiam præ paleæ multitudine ab illa penitùs obruitur. Sic enim frumenti nullus ad humanam vitam ſuſtentandum uſus erit. Nec minus noxium eſt in Reipubl. area pati, ut improbi cum piis permiſceantur. Quinetiam multo periculoſius eſt improbos cum piis confundi, quam cum frumento paleam; quia improborum conſuetudine & commerciis pii corrumpuntur, &, improbis ſcaturientibus, penitùs exterminantur.

Quod cum in omni Repub. tum vero in Chriſtiana eo magis præſtandum, quod, cum improbitas major eſt, quæ adverſus verbi divini lumen admittitur, tum divinam gloriam magis ob eam cauſam obſcurans, quod, quicquid admittitur, in Dei Euangel. confertur. Unde Pſal. 101. apparet Davidem ſe ad juſtitiæ exequutionem hoc ſtimulo excitaſſe, ut civitatem Dei impiorum excidio repurgaret.

Sed hic iterum occurritur, ſtatum Eccleſiæ in hoc mundo ita à Chriſto proponi, ut ſemper improbos cum piis confuſos habitura ſit, non minus, quam zizania in agro frumento, & piſces in reti cœno & lapidibus admiſcentur. Reſp. hujus parabolæ doctrinâ non impediri, quo minus Magiſtratus omnes ſuos nervos intendat, ut improbos diſſipet, atque extirpet; quia in ſumma contentione, & maximo conatu illos extirpandi aliqui tamen manebant. Deinde Chriſtus de illis improbis ſermonem habet, qui pietatem ſimulantes ſuam improbitatem intùs in animis cohibent: Salom. autem de effractoribus loquitur, quorum improbitas in omnium oculos erumpit.

Hinc concluditur, Magiſtr. illum oſcitabundum eſſe, & in officio cunctari, ſive (ut Salom. placet) inſipientem eſſe, ubi nefarii & flagitioſi homines, adulteri, fornicatores, ebrioſi circumfor. pullulant quandoquidem Proverbio Salom. certiſſ. conſtat, ſupplicio de maleficis ſumpto, eos profligari; ſicut cõtrà turmatim confluunt & exundant, quando ſuppliciis non conſtringuntur.

Quod ſi Magiſtratus ventilabrum ceſſet, divini tamen judicii ventilabro diſcutiuntur,

tiuntur, ut paſſim in Scripturis dicitur. Quod eo gravius eſt, quia ſerò & tardè infertur; ut multo præſtabilius fuiſſet improbis Magiſtratus rota torquere, quam ſeveriſſimum Dei judicium experiri.

Verſ. 27. Lucerna Iehovæ eſt animis perveſtigans omnia penetralia ventris.

In נר (*lucerna*) eſt metaphora, lucis pro ſcientia, qua occulta & abdita reteguntur, non minus, quam lux tenebris demerſa retegit. In בטן *(ventris)* eſt item metaphora pro occultis, quia ſicut in ventre inteſtina in ſe implicita & convoluta non viſuntur; ſic etiam hominis arcana conſilia quæ ſpiritus hominis rimatur.

Scopus eſt homines ad veritatis inveſtigationem accendere, ut, improborum fraudibus depræhenſis, cum ipſi debitas pœnas luant, tum probi in pace vitam tranſigant. Et videtur ſubjectio eſſe ad tacitam occupationem, quæ ex ſuperiore Proverbio objici poterat; Quomodo ventilaret Rex &c. cum improbi delitescant, & improbitas multa latibula, & receſſus habet, in quibus ſe abdat?

Iob. 28. Proph. ut compar. minoris inperveſtigabilem Dei ſcientiam amplificaret, hominis ſapientiam celebrat, qua res difficillimas perſcrutatur & perveſtigat, nominatim res metallicas in intimis terræ penetralibus & receſſibus abſtruſas, aurum, argentum, ſapphiros; quomodo, inventis metallorũ venis, aquas erumpentes, tametſi uſque eo profundas, ut tranſiri & pervadi nequeant, deſiccet, & ita obturet, ut ne guttam quidem ſtillent; quomodo flammas in illis effodiendis reſtinguit; montes ipſos, actis cuniculis, ſubſidere facit; ſaxa ingentia ſubmovet; denique arte & ingenio humano alia mirifica exequitur.

2. Sam. 14. David propter ſummam in inveſtigandis omnibus civilibus acrimoniam Angelo Dei aſſimilatur: & Salom. Eccleſ. 2. 13. &c. docet, tantum intereſſe inter hanc mundanam ſapientiam & ſtultitiam, quantum inter lucem, & tenebras; & tantum diſcrimen inter ſapientem eſſe, & ſtultum, quantum inter cœcum & oculatum.

Ex quo illud intelligitur, hanc lucem in iſtis tenebris micantem fovendam eſſe ſtudio, & diligenti operum Dei commentatione, & experimentis; eoque ipſo otium, quo veluti rubigine corrumpitur; & ebrietatem, qua acumen ingenii retunditur, & tandẽ obruitur, vel (ut Proph. loquitur) abſorbetur, vehementer tanquam ſcopulos hujus ſapientia fugienda. Cavendum præterea, ne fiducia ἀγχινοίας noſtræ rerum inquiſitionem, & ſolicitam perveſtigationem oſcitantes prætereamus, quod quibuſdam ſolenne & uſitatum eſt, qui ſuæ ſagacitati præfidentes, & rem controverſam fuſius diſceptandi impatientes ſæpè falſam, aut temerariam ſententiam ferunt.

Hujus doctrinæ ſicut in omnibus hujus vitæ uſus eſt; ſic maximè ejus ſingularis in judiciis civilibus uſus exiſtit; ubi rei difficultas, quæ in judicium adducitur judices deterrere non debet, quo minùs operam & diligentiam adhibeant, ut quid in quaq; re verum, aut falſum ſit, juſtum aut injuſtum excutiant. Vide exemplum in Salom. 1. Reg. 3. & Iob. 29. 16.

Deinde quod dicit, hanc lucernam à Iehova accenſam eſſe, docemur in his rebus, quę eum, & ejus cultum continent, vel maximè adhibendam, ut illa maleficia, quibus cultus Dei potiſſ. violatur, hac luce rationis delegantur; cujuſmodi ſunt idololatria, ſuperſtitio, incantationes, ſabbathi profanationes, ut retecta pœnas debitas auferant.

Denique cum lumen hoc Iehovæ ſit docemur,

docemur, ne ejus opinione efferamur, aut ſuperbiamus, & veluti elato cornu noſtro, alios minus perſpicaces penitus deſpiciamus. 1. Cor. 4. 7.

V. 28. *Benignitas, & veritas cuſtodient Regem: & eadem benignitate ſuſtentat ſolium ſuum.*

In יצרו (*cuſtodient*) eſt meta. à ſatellitio, ſeu ſtipatoribus, qui regis perſonam ad propugnationem circumſiſtunt. כסאו (*ſolium*) eſt metonym. ſubj. pro majeſtate, & dignitate, quæ in ſolio maxime relucet.

Scopus eſt Magiſtratus ad benignitatis & veritatis ſtudium excitare.

Notum eſt, regnum rem eſſe ab omni hom, genere & ordine expetibilem, & veluti ſpecioſam & prædivitem, ſeu dotatam virginem à quãplurimis procis ambiri. Vnde voces, εἰ δεῖ ἀδικεῖν, τυραννίδος ἕνεκα δεῖ. Eaq; eſt hom. ſuperbia & rebellio, ut non ſolum regnum in interregno, & tanquam in virginali, & ſolitaria ſua conditione vi invadant, aut fraude occupent, & intercipiant; ſed juſtis hæredibus attributum, & tanquã legitimo viro junctum involent, ut non ſine cauſa dictũ ſit, unumquemq; etiam olitorem, & baiulum Regis animũ intra ſe gerere. Atque, niſi oculatiſſ. Dei providentia, & potẽtiſſ. manus pro Regibus conſervandis excubaret, crebris mutationibus ex proditoriis inſidiis contra Reges, aut violentis manibus Reſpubl. labefactarentur, & conciderent. Spiritus ſanctus autẽ, ut huic malo occurrat cuſtodes fideliſſ. cum Regum, tum etiam regnorum apponit; qui ſi adhibeantur, utrumque cum Regem, tum regnum ab imminentibus periculis liberatum iri ſpondet. Salom. autem has 2. virtutes Regibus, tanquam Prætorianos milites, & ſatellitium attribuit. Et in more poſitum Regibus ſuos ſtipatores, & ſatellitium ad mauũ habere. Vide etiam Cant. 3. ubi dicitur 60. viros ſtrenuos circa lectum Salom. excubias noctu agere; quod etiam noſtrorum temporum Regibus ſolemne eſt, ut qui ſuos Penſionarios, ſuos Armigeros, ſuos mil. Prætorianos, qui eos cingunt, adhibent. Quem ego morem non vitupero; imo etiam cum ob Regum propugnationem, tum vero etiam dignitatem & majeſtatem Regiam percommodam eſſe duco; quæ tamen omnia fruſtra adhiberi confirmo, niſi hæc cuſtodia illis apponatur, quam Spiritus ſanctus illis ſervandis attribuit.

Prior virtus eſt benignitas, quæ eſt virtus, qua benè merentes, maxime bonos, & pios Rex beneficiis afficit, Pſalm. 101. Hanc virtutẽ David in exilio agens pollicetur, ſe exerciturum, quam primum in ſolio ſtabiliretur: Et ſimul docet modũ & rationem, quomodo hoc exequutioni mandaturus ſit, nempe pios cum ſervos, tum conſiliarios, qui illi à ſanctiore conſilio forent, cooptando & allegando: Et 2. Sam. 8. 9. docetur, quomodo illa exequutus ſit; 1. munificentiâ in Eccleſiã, cui auri maximam vim nuncupavit: deinde Officiarios bene moratos ad honores evehendo: poſt Ionathan. poſteros beneficiis afficiendo; denique Regis Ammon. in ſe voluntatem, cum profugus erat, miſſa ad filium legatione, remunerando.

Altera virtus eſt veritas: quæ dupliciter conſideratur; vel in verbis, vel in factis. Quam vero Regem dedecet in verbis vanitas, qui imperio, & potentia pollet, vide quæ prius dicta ſunt ſuper illo Proverbio; *Divinatio eſt in labijs Regis &c.* Veritas autem in factis intelligitur illa eſſe, qua, quæ bona præ ſe fert, efficiat, ut ſpecie, ſic reipſa bona ſint, & ſalutaria; nominatim ut benignitas fucata & larvata non ſint, dum per ſpeciem liberalitatis & benignitatis eos fallat, in quos beneficentiam, & benignit, profitetur. Quod tũ fit, cum

cum δῶρα ἄδωρα ſint, ut in Sciano equo evenisse meminiſſe poſſimu. Cujus exemplum memorabile eſt in Saule, qui Davidem primum belli Imperatorem conſtituit, & poſt in generum cooptavit, hoc tantum conſilio, ut vitam illi eriperet. Neq; diſſimilis ratio eſt eorum, qui quibuſdã auferunt, quod aliis largiantur.

Videmus, hoc ſpiritus conſilium humanis eſſe contrarium. Nam hi maximum Reipubl. præſidium ponunt in munitionibus, arcibus, & in expliandis ſubditis, quo ſpiritu & animis concidant.

Cum autem dicit, regnum, ſeu ſolium ejus ſtabiliri, eo docet, eadem benignitatis & veritatis opera dignitatem Regis procurari, qua ſalus; adeo ut harum virtutum uſus longe latiſſimus ſit tum ad vitam, tum etiam ad dignitatem Regis, quæ in regni ſplendore conſiſtit, procurandũ.

Quod ſi iſtæ virtutes Regem & regnum ſtabiliant, nemo dubitat quin eiſdem familia & paterfamilias conſerventur.

Sed cum benignitate dicat ſolium fulciri, nulla veritatis mentione facta, eo docet, plus virium in benignitate ad regni conſervationem, quam in veritate ineſſe. Nihil enim animos tam devincit (in quo Regis robur conſiſtit,) quam liberalitas in eos potiſſ. collata, qui Reip. ſubſidio & ornamento ſunt.

Verſ. 29. Ornamentum juvenum eſt robur eorum; & decus ſenum eſt canities.

Scopus eſt duas has ætates ad mutuum ſui amorem, & officiorum ad invicem cultum excitare.

Similes ſimilibus facilime aggregantur; & ἀεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν, Ariſtot. Rhetor. ad Theodor. *Birds of a feather will gather togeather.* Morũ enim ſimilitudo, & ingeniorum animos mirifice inter ſe conciliat: contra autem ingeniorum & morum diſſimilitudo homines diſſociat, atque divellit. Cum igitur juvenum & ſenum ſtudia tantopere diſparentur, ut quę hi amplectuntur & amant, illi aveſantur, & odio habent, fere fit, ut alteri alteros cõtemptui habeant; & ut ſenes juvenes ob levitatem, ſic juvenes ſenes ab ſuam moroſitatem aſpernentur. Quamobrem ut Spiritus ſanctus huic malo occurrat, & tanquam ὀπὸν ἐμβαλλόμενον γάλακτι Gregorius Presb. diſſidentes has ætates inter ſe cõciliaret, docet in hac morum & ingeniorum diſſimilitudine cauſas juſtas ſubeſſe, cur cum ſenes juvenes amplectantur, tum juvenes revereantur ſenes. Atq; in ea ipſa re, quæ utriſque litis & diſſidii occaſionem præbet, cauſam eſſe, cur ſe invicem amplectantur: Iuventuti enim vires, & robur ſuppetere, quod illos ſenibus amabiles reddat; ipſam item ſenectutem, & quæ illam comitatur, canitiem Dei donum eſſe, quod juvenes ſuſpicere & revereri debent, ſenes olim fuiſſe, quod juvenes nunc ſunt; juvenibus incertum eſſe, an unquam ſenectutis beneficium (quod tamen expetunt) conſequantur; Quod ſi conſequantur, qua æquitate ſenes facti nollent à juvenibus flocci fieri, eâdẽ debere eos, qui iam ſenes ſunt, honore proſequi: ſicut ſenes, quod olim juvenes à ſenibus contemni ægrè ferrent eos commonefacere debet, ne quod olim ſibi fieri noluerint, nunc illis faciant, qui eodem loco ſunt, quo illi tunc fuerunt.

Atque ſicut Deus ſapientiſſima & oculatiſſima providentia ſua pauperem & divitem eorum loci occurrere facit mutuo utriuſque bono; Prov. 22. 2. ſic conſultiſſima & benigniſſimâ Dei procuratione effectum eſt, ut juvenes ſenibus magno utriuſque bono miſceantur. Nã neq; ſenes juvenum robore & viribus deſtituti ſe contra hoſtium injurias tueri poſſunt (unde etiam hoc loco nomen ſortiti ſunt

electorum,quod ad militiam cooptati fuerunt; neque juvenes ſenum prudentia carere,qua eorum infirma ætas cum in bello, tum in pace conſtituatur.

Hinc igitur efficitur, ut juvenes ſuas vires & robur, quod ipſis ornamento eſt, tueri debeant; ob eamq́ue cauſam ſibi ab otio, à luxurie, & fædis libidinibus, & ebrietate, quibus vires enervantur, cavere.

Senibus præterea opera danda eſt, ut canities illis corona ornatiſſima ſit; quod tum fit (ut Sal. docet Prov. 16.31.)cum ad canitiem in via juſtitiæ pervenitur. Quamobrem juvenes caveant,ne luxu,libidine, ebrietate effœtum corpus ſenectuti tradant. Quod ſi juventus libidinoſe acta ſit,tanto magis illis contendendũ, ut jam ſenes facti omnibus temperantię, & continentiæ exemplum ſe ſtatuant. Nam ſi ad venerandam canitiem requiratur juventus ſanctè & incorruptè acta, ipſam ſenectutem à criminibus liberam, & remotam procul eſſe convenit, niſi illam omnibus ridiculam, & contemptibilem objicere velimus.

V. 30. *Tumices, vulneris defricatio ſunt mali, & plagæ pervadentes penetralia ventris.*

In הבורות (*tumices* &c. eſt ſyn. ſpeciei pro omni acerba caſtigatione. In מרוק (*defricatio*) eſt metaph. à vaſis, quæ tenaci aliquo contagio inficiuntur, quod illis tã pertinaciter adhæret, ut non niſi vi per defricationem adhibita eripi & elui poſſit. In הדרי כשן(*penetralia ventris*)eſt metony. ſubject. pro corde, quod in penetralibus ventris ſedem habet.

Scopus eſt ex fructu caſtigationis eximio cum eos, qui præſunt, ad juſtas pœnas infligendum, tum eos, qui delinquentes caſtigantur ad patientiam cohortari.

Sapientes hujus mundi docuerunt, neminem à ſeipſo lædi poſſe; Ariſt. Eth. contrà vero ſcript. videtur documentum (utcunque hominibus paradoxum) confirmare; neminem, niſi à ſeipſo, lædi, aut damno affici poſſe. Nam neq; dæmones nobis nocere poſſunt, quamcunque tentationem nobis injiciunt, niſi nos ſuggeſtionibus eorum locum ceſſerimus; neque mundi illecebræ nobis obeſſe, niſi victi concupiſcentiis noſtris nos illis irretiri ſinamus: Quodque hujus loci magis proprium eſt, nullum damnum nobis, aut rebus noſtris illatum, nulla pæna, quantumvis acerba nobis ſive jure, ſive injuria inflicta nobis officiet, ſi nos probè erga illa effecti ſimus, & eo, quo decet, animo comparati. Dicam amplius, & tamen nihil quod non ſit veriſſimum, hæc omnia, quæ nobis aut intentantur, aut inferuntur mala, noſtro (niſi per noſipſos ſteterit) bono cedere. Quod quidem in pænis, & caſtigationibus egregiè hoc Proverbio confirmatur.

Caſtigatio hæc primo ſuo genere deſcribitur, nempe vulneribus; deinde ſua formâ, cum plagæ vulnus relinquunt tumidũ, & colore ſit partim nigricans, partim lucidum; noſtro ſermone dicimus *black, & blew*: denique ſuo effectu declaratur, nempe animum ipſo dolore & mœrore pervadens, atque penetrans. Qua deſcriptione acerrimam, & graviſſimam afflictionem deſignat.

Nulla caſtigatio, quantumcunque levis carni grata & accepta eſt. Quod ſi acriter pungat, atque urat, tum demum fremimus, & iraſcimur his, qui illã infligunt, aut abjectis animi mœrori nos tradimus, imo vero aliquando ad deſperationem ſolicitamur ipſius pænę expectatione ſolum, & metu. Adverſus quæ mala nobis Sal. remedium ſuppeditat, dum caſtigationum fructũ nobis ob oculos proponit; fore ut caſtigationibus tanquam medicina,

cina, aut tanquam defricatione abſtergãtur mala, ſeu peccata. Vide Heb. 12. 11.

Deinde quo acrior & acerbior caſtigatio eſt, eo majorem ex ea fructum percipiemus, dummodo ita animis affecti ſimus, ut decet, id eſt placidè & æquè illam feramus. Ad quam rem juvabit conſiderare, peccatum ita nobis penitus, inſitum & inhærens eſſe, ut, niſi penitus, & vi quadam admota, caſtigationibus veluti defricetur, inſtar cacabi, cui fœx tenaciter & mordicus adhæret, curari nequeat. Neque enim nudâ lotione eluetur, niſi porro accedat hæc defricatio: Unde etiã peccatum nobis penitus inſitum dicitur. Hebr. 12. 1. Quamobrem manus ſolutas & genua labantia ſurrigamus, quoties ex afflictionibus ad puſillanimitatem ſolicitamur; maximè vero ſi immediatè à Deo proficiſcantur, qui ſemper menſura & juſto pondere ſuos ferit.

Hinc etiam docentur hi, qui aliis publicè, aut privatim præſunt, ut debitas & juſtas caſtigationes non cohibeant, quarum tam eximius fructus eſt; ita tamen ut moderationem adhibeant, & pro delicti & culpæ ratione pœna adhibeatur. Neque enim plagæ & verbera ſemper vibices carni infixas poſt ſe relinquere debent, niſi culpa gravior fuerit: Et Deus in lege modum appoſuit, ut ne in publicis quidem caſtigationibus 40 plagas excederent, quantumcunque crimen fuerit, quod virgis vindicabatur. In familia vero, & privatim nulla caſtigatio ad minimi membri jacturam (vel unius modo dentis) ſe extēdebat, ne in viliſſimi mancipij caſtigatione. Exod. 21. 26, 27.

Denique cum hic fructus non in ipſa natura caſtigationis ſit, quæ ad gravius peccandum potius extimulat; ſed ex Dei gratia ſalutari ſui ſpiritus operatione hunc fructum efficaciter operante, uterque cum delinquens, tum caſtigationem adhibens precibus apud Deũ contendat, ut ſua benedictione hanc caſtigationem proſequi velit.

CAPUT XXI.

Verſ. 1. Rivi aquarum ſunt cor Regis in manu Domini; ad rem quamcunque libuerit inflectit illud.

IN י (*manu*) eſt metaph, qua potentiam Dei indicat.

Scopus eſt Reges ad moderationem revocare; ſubditos vero hinc à Principũ fiducia, iſthinc à terrore abductos ad fidem & invocationem nominis divini attollere.

Salomonis inſtitutum eſt docere, penes unum Deum eſſe Regum & Principum animos pro ſuo arbitratu regere, in hanc, vel illam partem inflectere; ad amorem in hos, aut in illos odium accendere; eoſdem aut in ſuſcepta ſemel ſententia confirmare, aut ut, illa mutata, ad aliam tranſeant, efficere. Ad eam rem argumento utitur à comparatione parium tam eſſe *cor principis in manu Domini* ductile & flexibile, quam eſt hominibus expertis aquarum ingentes moles exhaurire, & per tubos & canales derivare. Notum eſt, arte hominũ per canales, & aquæ ductus profundiſſimas aquas diſtractione, & derivatione hinc illinc exhauriri; aquæ naturam fluidam eſſe, & aditu patefacto, ſequacem; nec tantum in præcipitio & declivi loco certatim & magno impetu ferri, ſed etiam in plano & campeſtri loco; quin etiã arte humana effici, ut ex imis terræ partibus in acclivia & prærupta loca cogatur ad aquationis cõmoditatẽ, reluctante natura, aſcendere; ſacra & profana hiſtoria teſtis eſt, Euphratem ampliſſimum & toto orbe celeberri-

berrimum flumen quo Babylonia, tanquã muro transfluvialibus populis inacceſſa & inexpugnabilis fuit, à Perſis & Medis aquarum derivationibus exhauſtum & deſiccatum fuiſſe. Quanto magis Deus regis cor, quantumvis & latum & profundum, quo vult, impellere novit? Et, homines quidem magnis operis, & improbo labore aquas exhauriunt; Deus vero voluntatis modo nutu hoc effectum dat. Et quidem non niſi magno temporis intervallo, hoc illi aſſequuntur, cum Deus uno momento, & veluti oculi nictu magnam in regis animo mutationem operatur.

Atque ut aquæ aliquando ſponte ſua ad inferiora loca delabuntur, aliquando vero, repugnante & obnitẽte natura, arte compulſæ alta & edita loca petunt: ſic nonnunquã Deus ita mutat Regum animos, ut aliam à priore ſententiam ſponte & cupidè amplectantur, quod Nabuch. uſuvenit in 3. adoleſcentum à morte liberatione; aliquando vero, vel illis invitis & veluti equuleo ſubjectis, aliam à ſuperiore extorquet; ſicut in Pharaone experti ſumus, qui prius Ægypto exire ſummè averſatus, poſt ut illos dimitteret cõpulſus eſt.

Quod ſi regis animus in Dei manu ſit, ſequitur, etiam Regis cum linguam, tum manum in ejus manu eſſe; nullum ut nec verbum efferre, nec factum admittere poſſit, niſi quoad illi à Deo poteſtas conceditur. Deinde ſi Regis cogitata, dicta, facta penes Deum ſunt; nedum aliorum, qui illis inferiores ſunt.

Iam videndum quænam ſalutaria documenta, & admonitiones hinc ducuntur. Primum ergo docentur, & ſimul admonentur Reges, ne (quod plerumque illis uſu venit) cornu attollentes ſuperbas has voces edant; hoc, & illud faciam, ſine omni exceptione, *ſi Deus voluerit* &c. De qua re vid. Dan. 13, 15. Ioh. 19. 10. Deinde orandus ab illis Deus, ut in rectis illos conſiliis comfirmet, & à pravis depellat.

Deinde ſubditi admonentur primò ut Deum precentur, ut ſana & ſalutaria conſilia Regum animis ſuggerat; deinde ne aſſentationibus & illegitimis artibus Regis favorem & gratiam captent; nedum aliorum, qui Regibus famulantur, & illis inferiores ſunt; ſed à Deo pendeant, & maximũ compendium eſſe ad Regis gratiam aucupandam ſtatuant, ſi Deo ſe, & ſua obſequia probent, qui regum voluntatem erga eos flectat. Hujus rei egregium exemplum extat Neh. 1. 2. ubi petitionem ad Regem inſtituturus prius Deum precatur. Item Eſt. 4. 15, 16, &c.

Quamobrem non eſt nobis de mutatione Regii in melius animi, tametſi animum ſuum obſtinatius obfirmaverit, deſperandum. Sicut enim aquæ, quę magno impetu proruunt, arte tamen humana aliorſum avertuntur: ſic Regis animus, utcunque obduratus, Dei manu facilè dimovetur. Vide hujus rei exemplum in Eſavo, qui immortali odio Iacobum proſequens, & qui mortem ejus juraſſet, ſubitò tamen mutatus illum amiciſſimum amplexus eſt; item in Ægyptiis, qui cane pejus & angue Iſra. odio habentes illis petentibus nihil denegare poterant.

V. 2. *Omnis via cujuſque recta eſt in oculis ſuis: ſed expendens corda eſt Dominus.*

De hoc verſ. vide 16. 2. Tametſi hoc loco videtur ex comparatione, & contentione cum ſequente verſu hæc ſententia aliquantulum illuſtrari: Deum ſcilicet non illa tantum hominum opera repudiare, quæ ipſi ex ſuo cerebro commenti ſunt, ſed illa etiam, quæ ipſe imperavit, ſi à charitate & juſtitia in proximum remota ſunt.

V. 3. *Facere juſtitiam & judicium Domino rectius eſt, quam ſacrificium.*

In צדקה (*juſtitiam*) videtur ſyn. pro officio externo erga proximum. In זבח (*ſacrificium*) eſt ſyn. partis pro ceremoniis cujuſcunque generis.

Scopus eſt homines ad juſtitiæ & æquitatis ſtudium cohortari.

Voce, *juſtitiæ*, virtutem deſignat, qua quiſque, quod ſuum eſt, cuique tribuit. Iudicij vero appellatione videtur illam juſtitiam nobis commendare, quæ nulla animi perturbatione, amore, metu, odio; aut etiam ex incitatione aliorum; ſed ex ſano judicio, & juſtitiæ amore provenit. Nam qui, quæ juſta ſunt, facit; nec tamen illa ſcienter & ſimul integrè facit, Deo certè probatus non eſt. Vide Deu. 16. 20. Quamobrem ſive de privati, ſive de Magiſtratus officio in proximum agitur, hæ duæ voces conjunguntur. Gen. 18. 19. & 2. Sam. 8. 15. Quamobrem non eſt exiſtimandum, vocem juſtitiæ ad privatas, judicij verò ad publicas perſonas accommodandam, cum perinde in privatis, atque publicis perſonis utraque hæc virtus requiratur.

Has virtutes commendat à comparatione min. ſcil. ſacrificio, ſeu cultu ceremoniali. Ubi diſcrimen ſtatuit Proph. divini judicij, & humani. Homines enim ferè ita affecti ſunt, ut pietatis quaſi proram & puppim in ceremoniarum religioſa obſervatione collocent; contra Deus officia charitatis in proximum huic cultui præponit: alibi obedientiam ſacrificio. 1. Sam. 15. Mich. 6.

Hic quæritur, quomodo Chriſtus opera primæ tabulæ poſtponit officiis, quæ ad ſecundam referuntur? Cui reſponſum petatur ex catechiſmo meo majore, & quidem (niſi fallor) ex ſummæ primæ tabulæ explicatione.

Vide porro quæ de hoc argumento ſcripta ſunt libro 1. de concordia Euang. p. 197. 198. quæ magna eorum parte huc tranſcribenda ſunt.

V. 4. *Elatio oculorum, & amplitudo cordis, aratio improborum ſunt peccatum.*

In רחב (*amplitudo*) eſt metaph. à rebus corporeis, quæ in magnam latitudinem diſtenduntur, ad animum tranſlata, qua animus ſuperbus & faſtu plenus deſignatur. In נר eſt item metaph. ab agricultura tranſlata ad actiones hominum deſignandum: quia ut ex aratione bona, aut mala meſſis; ſic ex hominũ actionibus probis, aut improb. pẽdet merces & remuneratio.

Scopus eſt improborum longè infœliciſſimam conditionem nobis ob oculos proponere, ut, illâ debitè perſpecta, maturè reſipiſcamus.

Ex 3. quæ hic proponuntur malis, cordis amplitudo, quæ medium locum occupat, natura & ordine tractationis prior eſt, quæ tamen verſus & metri (ut videtur) causâ ſecundum locum obtinet. Eſt enim animi elatio, & ſaſtus oculorum elationis, & vitioſæ arationis origo, & ſemen. Unde Pſa. 131. v. 1. primo loco propoſito illi ſtatim oculorum elatio, & converſatio in rebus, quæ altiores nobis ſunt, & noſtram conditionem tranſcendunt, ſubjiciuntur. Quanquam alia metaph. ibi utitur, qui cordis faſtum illic altitudinis commenſuratione adumbrat, quem hic latitudinis dimenſione delineat. Apud Abac. vero 2. 4. deſcribitur alia metaph. tumoris in monticuli formam aſſurgentis & extuberantis. Ex quibus omnibus Spiritus ſanctus nobis ſuperbiæ & faſtus in animo ſingulare diſcrimen depingit. Sicut enim cor in humano corpore juſtam magnitudinẽ, ſive altitudine, ſive craſſitie excedens, & à debito loco motum grave

damnum toti corpori, & omnibus ejus partibus affert, & brevi ſpatio præſentem mortem: ſic animus ſui opinione inflatus nos in certum mortis æternæ exitium conjicit. Quanquam aliquando *latus corde* in bonam partem ſumitur 1. Reg. 4. pro eo, qui ampliſſima ſuper cæteros rerum cognitione à Deo ornatur. Item Pſ. 119. ſectio 4. Sed alię metaph. non item. *Elatio oculorum* ſequitur, quæ tametſi plerumque conſpicitur in his, qui altos Spiritus ſumunt, tamen ſi hanc elationem oculorum ad corporis oculos referimus, ut ſit ſuperbiæ ſignum & indicium, τεκμήριον certè non eſt. Scimus enim magnam eſſe vultus ſimulationem, & externos geſtus ſæpe ad deceptionem & impoſturam compoſitos eſſe. Eſaiæ 58. Iudæis in ſuo jejunio objectum eſſe legimus, *quod inſtar junci caput in terram incurvabant*, cum interim animis arrecti ſtarent. Ejus rei documentum nobis præbent fraterculi Pontificii, quibus cum religio ſit caput attollere, ut qui ſemper in terram oculos defixos habent, nihil tamen illis faſtuoſius, aut magis ſuperbum inveniri poteſt. Quamobrem hæc elatio oculorum præcipua quadam ratione ad animi ambitioſas cupiditates refertur, cum homines ſua conditione non contenti altiora, quam quæ ipſis conveniant, expetunt.

Denique affirmat, arationem improborum, id eſt, quicquid cogitant, dicunt, aut faciunt, peccatum eſſe; nihil ab illis manare poſſe, quod peccati reatum effugiat, peccare nō ſolum cum apertè mandata furto, adulterio, homicidio admiſſo violant; ſed cum edunt, cum bibunt; cum dormiunt, cum vigilant; cum ludunt, cum laborant; cum dolent, cum rident; (Quod majus eſt) peccare, cum precantur, cum jejunant, cum eleemoſynam erogant in pauperes &c. Nam cum *cor eorum fide* non *purgetur*, Act. 15. neceſſe eſt omnia, quæ ex impuro illo cordis theſauro promanant, cordis impuritate penitus imbui: cumque bonæ arbores non ſint, bonum fructum ferre nequeunt; è contra cum arbores rancidæ ſint, rancidos fructus edere neceſſum eſt: Non, quod non ſit magnum diſcrimen inter improbum, qui ſobrius eſt, & eum, qui eſt ebrius; inter caſte viventem, & adulterum; inter deſidioſum, & honeſto labore victum quærentem &c. non tantum coram hominibus, ſed etiam Deo. Nam multo gravioribus ſuppliciis conſtringentur, qui in honeſtatem vitæ externam delinquunt, quam qui civilem honeſtatem ſervant.

Hinc liquet, quam horribilis & reformidanda ſit conditio improborum; quam ideo Spiritus ſanctus nobis in medium proponit, cum ut improbi ſe maturè & propere ad Deum convertant, tum ut, contentione facta, pii ſuam in Chriſto ſingularem fœlicitatem agnoſcant, cum omnia, quæ ipſi faciunt, Deo in Chriſto grata & jucunda ſint, ſi illa tantum excipias, in quibus Dei ſanctiſſimum mandatum contravenire deprehenduntur; ut qui Deo non tantum placent, cum cultui ejus inſerviunt, ſed tum etiam, cum edunt, bibunt, ludunt, &c.

Verſ. 5. Cogitationes ſeduli tantum ſunt emolumento: omnis autem præceps tantum ad egeſtatem fertur.

Scopus eſt ſedulum ſuo diſparato, nempe præcipiti nobis commendare.

Videtur autem illos ſuis cùm cauſis, tum effectis, ſeu eventibus diſparare.

Et 1. quidem cauſa diſtinguit, in eo ſedulo cogitationes operi faciundo præmiſſas & prævias attribuit, quas præcipiti denegarę hoc ipſo videtur, quia, cogitationum nulla mentione, (cum de eo loquitur)

loquitur) factâ, ejus geſta & actiones non obſcurè ab antegreſſis cogitationibus & conſultationibus excludere videri poteſt. Conſilia autem & deliberationes res gerendas præcedentes cum rerum præclarè gerendarum veluti baſes& fundamenta ſint, perinde facile eſt ſine his res rectè conficere, atque ſine fundamento ædificium extruere.

Hoc porro ex ipſius vocis etymologia videtur confirmari, quæ deſignet hominem certis quibuſdam finibus,& cancellis ſingula definientem & decidentem, nempe quid cuique, quo loco & tempore quodque faciendum ſit, ſecum reputantem. Hanc virtutem videtur Chr. egregie depingere. Luc. 14. à 28. ad 33. Deinde, capto mature conſilio, ilico manum ad negotium admovet, nec ullam rei gerendæ anſam, & occaſionem præterit. Hujus ſedulitatis eximium exemplum & illuſtre extat. Gen. 25. in Eleazaro Abrahami ſervo; qui paranymphus pro Iſaco ab hero legatus eſt.

Contrà verò præceps, quicquid illi primum in buccam venit, ilico perſequitur; cui manus mentem & cerebrum antevertit. Eſt ille quidem in opere aſſiduus, non minus, quam ſedulus, aliquando etiam ſe opere faciundo magis fatigat, & alios, qui ſub ejus imperio ſunt; ſed nullo aut ſuo, aut eorum bono, quia temere res ſuas aggreditur. Hinc Proverbia nata ſunt; *ſat citò, ſi ſat benè*; *feſtina lente*; & vulgò Proverbio apud nos dicitur, *Haſt makes waſt*: *Acceleratio cum vaſtitate conjuncta eſt*: Contrà verò dicitur; *Soft fier makes ſweet malt*: *Ignis lentus hordeum maceratum dulce efficit*.

Hujus præcipitantiæ vide exemplum 1. Sam. 14. Ita etiam temerè præcipitavit ſe Saul aviditate victoriam perſequendi, ut omnibus illius alimenti vel ſolum guſtum interdixerit. Iſtis autem hominibus idem accidit, quod his viatoribus, qui feſtinatione & nimis contenſo nixu plurimum itineris primo die conficientes deinceps per laſſitudinem, & nervorum nimiam diſtenſionem ulterius progredi nequeunt. Sic enim illud Saulis factum victoriæ amplitudinem vel maxime retardavit. Quod ſi pericula ſecum reputaſſet, quæ ex illa ἀπλία manatura erant, à tam inconſiderato juſſu abſtinuiſſet.

Hic igitur diligenter adverſus perturbationes, & animi morbum excubiæ ſunt agendæ, quæ hominem in præcipitium impellunt.

Deinde eventus contrarii proponuntur. Sedulo enim non niſi emolumentum obvenit (vide exemplum Ruthæ;) temerario autem & præcipiti egeſtas. Præmio igitur ſedulo propoſito, illum in ſua ſedulitate confirmat: pœna vero præcipiti illata eum à ſua temeritate deterret. De priore vide quæ ſcripta ſunt 10. 4. & 12. 24, & 28.

Verſ. 6. Opus, [vel comparatio] theſaurorum linguæ falſitatis eſt: vanitas impulſa quærentium mortem.

In לשון (*lingua*) eſt ſynecd. part. In שקר (*falſitatis*) metonym. adjuncti.

Scopus eſt à male partis abſterrere.

Quod notat linguam opum per injuriam acquiſitarum inſtrumentum, & veluti inſtitorem eſſe, apparet, non tam hoc Proverbio intelligi ſurniculos, qui clàm & furtim aliena bona ſurripiunt, aut eos, qui per regiam viam latrocinantur. Nam priores ſummo ſilentio ſua furta admittunt; alteri vero aut nihil loquuntur, ne ſe ſua voce prodant, aut ſi quod loquantur, mendaciis tamen rem non fucant: ſed, ut jubent, loculos ſibi à viatore dari, ita loculos, ſi poſſunt, auferunt. Non igitur tantum

tantum de his, qui lucem averſantur, & fugam arripiunt poſt admiſſum furtum loquitur, ſed de his imprimis, qui ipſa meridie per medium forum, & intrepidè furta & latrocinia patrant.

Hinc apparet, quam indignum eſt linguam ad rem tam vilem accommodare, ut inſtar fuci ſit, & pigmenti, quo hominum oculis imponatur; ut pretioſum videatur, quod vile eſt, pulchrum, quod turpe; denique bonum quod malum: ut quæ arbor eſſe debet ſalubres fructus hominibus reficiendis ferens, non modo in his ſterilis ſit, ſed fructus edat lethales, ut denique quæ hominem omnibus animantibus prętantiorem redderet (unde in Script. *gloria hominis* appellatur,) illum omnibus animantibus deteriorem & inferiorem reddat.

Non quod fas non ſit lingua lucrum facere, & victum, & opes quærere, quod oratores & Eccleſiaſtæ faciunt; ſed quod ad turpe lucrum eâ abuti res humilis & ignominioſa ſit. Cum igitur invicem membra ſimus, providendum (ut Apoſtolus monet) ut, *abjectis mendaciis, veritatem proximo loquamur*, Eph. 4. 52.

Poſt effecta proponit theſauri doloſa linguâ comparati, quibus ab hoc peccato deterret. Unum eff. eſt in divitiis acquiſitis, alterum in eo, qui illas congeſſit. Et quod ad theſauros attinet, affirmat illos vanitatem eſſe. Ubi obſervatu dignum eſt, poſſe aliquem falſa & mendaci lingua diteſcere, & infinitam vim pecuniæ, ſuppellectilis, & vectigalium comparare; ne homines ſibi adulentur, ſe, quod opes paraverint magnas, à Deo probari, aut eorum fraudes Deo non eſſe exoſas. Sed docet, illas opes, & theſauros eſſe vanitatem. 1. vaniſſ. & maximè fluxos & inſtabiles.

Hic excipiat quis, omnia, quæcunque ſub ſole ſunt, vanitatem, & quidem vaniſſimam à Sol. dici; ob eamque cauſam nihil divitiis male partis vanitatis titulo derogari, quandoquidem ſub hujus vanitatis ambitu & complexu theſauri etiam juſtè & honeſtè parti comprehenduntur. Reſp. loco Eccleſ. comprehendi omnia, quæcunque ſunt præter timorem Dei & veram pietatem, quia eorum uſus & fructus anguſtis hujus vitæ ſpatiis definitur. Hoc confirmatur proverbio 13. 11. Ubi dicitur *divitias ex vanitate partas diminutas iri*: hoc autem proverbium affirmat *ipſas divitias eſſe vanitatem*. Et certe optime convenit, ut vanitate parta vanitas ſint. Sed hoc loco per vanitatem intelligit conditionem adhuc magis fluxam, & ob eam cauſam vanitatis titulo annectit impulſionem aut ſummam inconſtantiam & levitatem ſignificaret; ut theſauri illius generis ſint inſtar aut glumæ, aut paleæ, quæ leviſſima aura huc illuc diſpellitur. Videmus ergo quam verum ſit illud Pſ. 120. quo ἐρωτηματικῶς vehementiſſime affirmat, nihil prodeſſe eâ utenti linguam doloſam.

Alterum effectum eſt, quod mortem affert his, qui hos theſauros comportarunt: ubi mortis voce certiſſimum eſt, non tantum momentaneam mortem, ſed & æternam intelligi: Mortem quidem etiam momentaneam ſæpe accelerant divitiæ ſic acquiſitæ, cum non deſint, qui illius vitæ inſidiantur, qui per fas & nefas ditatus eſt. Deinde divinum judicium illorum cervicibus imminens, qui ſcelerate vitam tranſigunt, hanc etiam mortem ex legis comminatione accelerat. Sed Propheta præcipue æternum exitium *mortis* voce ſignificat; quandoquidem pii divites hanc momentaneam non effugiant, atque adeo aliquando morte magis immatura tolluntur, quam hi, qui fraudibus aucti ſunt. Hoc ergo Proverbio utrunque eff. comprehenditur, quod Petrus Actor. 8. 20. ſcite & breviter Simoni Mago denunciavit; *argentum tuum*

una

una tecum pereat. Sic fit, ut theſauros congerentes fraude pro rata portione theſaurum iræ divinæ congerant in diem irę & vindictæ.

Hoc autem loco obſervandum eſt epitheton omnium omnis generis improborum. Nam quod de iſtis avaris affirmavit, perinde de omnibus improbis enunciatur; illos mortem & præſentem & futuram, animæ, & corporis quærere. Quod quidem, utcunq; illis παράδοξον videatur, tamen veriſſimum eſſe hoc Sp. ſancti teſtimonio comprobatur. Nam cùm viam terunt, quæ ad utramq; mortem ducit: imo cum in illa non ſolum ambulant, ſed currunt, ſed volant, aut velocibus angariis vehantur, cum illis iraſcantur, & eos odio habent, qui illos ab illa via retraherent: contra illos plurimi faciunt, qui illos in hac via provehunt, aut ſaltem ſilentio non impediunt; an non jure optimo inter illos habendi ſunt, qui mortem quærunt: ut juſtiſſimè & meritiſſimè pereant, qui perire volunt. Contra proprium epith. eſt piorum amare ſalutem æternam Pſ. 40. 17: 70. 5. ubi dicitur, eoſdem amare ſalutem Dei, qui illum quærunt. Tametſi enim omnes videantur vitam æternam amare & expetere, tamen illi ſoli verè amant, qui ſedulo etiam quærunt.

Verſ. 7. Vaſtatio improborum diſſecabit eos, qui renuerunt exercere judicium.

In גרר (*diſſecabit*) eſt metaph. traducta à ſupplicio publico civili, quo malefici ſerræ ſubjiciebantur, tranſlata ad Dei in improbos vindictam horribilem.

Scop. eſt ſeveritate pœnę divinę improbos ab injuſtitia in proximum abſterrere.

Homines admiſſo peccato, dummodo à Magiſtratus gladio, aut ſecuri tuti & tecti ſint, in lucro ponunt, quicquid aut commodi, aut voluptatis ex injuſtè factis perceperunt, in eo belluarum inſtar ad illud tantum, ad quod ſenſu moventur, & quod præſens eſt, reſpicientes; parum aut nihil ad illud, quod conſequens eſt, animum admoventes. A Deo, quem oculis non intuentur, non timent; gladium ejus, tametſi politum & exacutum, atque adeo Dei ſententia eorum ſanguine in cœlo delibutum, & (ut Proph. loquitur) inebriatum, quia ſenſibus non uſurpant, nec dum jugulo admotus eſt, non reformidant: carcerem inferorum & dæmones lictores, quia inconſpicui ſunt, pro ludo & joco habent. Sed non minoris illis ſua improbitas conſtabit, quam ſi Magiſtratus ſeveriſſ. pœnas patrati ſceleris exigeret: Imo ſatius multo fuiſſet hominum manum ultricem ſenſiſſe, quam Dei ſeveritatem experiundo in manus viventis Dei incidere.

Quamobrem Sp. ſanct. magnam multorum peccatorũ inter homines futuram & in effrę̄nam licentiã nullis legum repagulis retuſam proſpiciens, hoc Prov. tanto malo medicinã parat, dũ proximi violationē à Deo vindicatam iri pronunciant. Eoq; ipſo Proph. hoc loco ſerram, ſeu ſecurim Dei ſummi judicis, qua de maleficis ſupplicium ſumit, illis præfert, acie ejus in eorum faciem converſâ, ſicut in morti adjudicatis fieri aſſolet. Quare non modo morte mulctandos eſſe docet, ſed morte longè ignominioſiſſima. Sic enim legimus 2. Sam. 12. 31. Ammonitas, qui fidem publicam ex legatorum violatione fefellerant, ſupplicio affectos fuiſſe, vide Dan. 2. 5: & 3. 29. vid. Luc. 12. 46.

Hinc liquet diſcrimen judiciorum Dei in alienos & ſuos. Suos enim falce putatoria corripit, ut agricola ſuas vites putat, & circumcidit: alienos vero ſerris & ſecuribus ſubjicit; illos levi brachio agitat, hos vero contentis viribus exagitat; illos in deſertum & vaſtitatem redigit hos

verò molliter depaſcit; illos radicitus exſcindit, ut nunquam ſuccreſcant, hos autem ita incidit, ut repentè repullulent, & ad majorem proceritatem aſſurgant.

Et hactenus de effecto; ſequitur cauſa, quia renuunt juſtitiam exercere.

Scriptura fidei periculum & examen plerumque capi vult in illis officiis: quæ in proximum potius, quam quæ in Deum directè feruntur, quod in illis hypocriſis difficilius ſuſtinetur, ſicut prius dictũ eſt.

In omnium oculis eſt, homines fere non, niſi pœnæ metu, à maleficiis abſterreri; & impunitatis ſpem magnam eſſe peccandi illecebram. Injuriæ autem proximo illatæ, & nullis humanis legibus ſupplicio affectæ numero ſunt infinitæ. Parentibus enim obſequium denegatum, digladiationes ſeu dimicationes, adulteria, fornicationes, ebrietates, oppreſſiones, fraudes, mendacia &c. quam pœnam legibus irrogatam habent? Atque in tanta officiorum infinitate, ad quæ commemorandum dies non ſufficeret, ſi læſæ majeſtatis crimen, homicidium, clancularii furti ſpeciem excipias, quod tantum facinus & flagitium eſt, re, aut verbis expreſſum, in quod leges humanæ gravius aliquid ſtatuant.

Prętereundum non eſt, quod dicit, *quia renuunt exercere &c.* Utcunque igitur bene loquantur, & ſe jus exequi vel profiteantur, tamen niſi judicium exequantur pœnas luent. Deinde ſi ob eam cauſam judicio Dei obnoxii ſint, quod renuunt judicium & jus exequi, multo magis rei peragendi ſunt, ſi, quod juri & judicio contrarium eſt, admittant. Quo declaratur vaſtitatem & exitium improborum à ſeipſis accerſi, qui tamen ſolent cauſam ſui exitii ad Deum referre.

Verſ. 8. Vir via [varius] volubilis ſimul alienus eſt: ſed purus eſt, qui opere ſuo rectus eſt.

In פכפך (*volubilis*) eſt metaphora, à levi corporis geſticulatione ducta ad animi levitatem, & inconſtantiam ſignificandum tranſlata.

Scopus eſt ad animi ſinceritatem, repudiata levitate & inconſtantia, adhortari.

Varius & inconſtans in ſuis ſtudiis & inſtitutis Deo ingratus eſt. Is eſt, qui in omnes formas; tanquam Chamæleon, ſeu Proteus, ſe convertit, cui duplex cor eſt, Pſalm. 12. 3. & Iacob. 1. 8. ut qui uno corde linguam dirigit, altero animi ſui ſenſum apud ſe retinet. Qui & *bilinguis* appellatur, 1. Tim. 3. 8. Et hujuſmodi ſunt, qui in cultu divino illud ſequuntur, quod ipſorum aut honori, aut commodis, aut voluptati maximè eſt accommodatum, qui ad unam ſyllabã Principis religionem & fidem mutant; qui unam ſententiam ſtando, alteram ſedendo tenent. (Quibus pii contrarii ſunt, qui ab Apoſtolo ἑδραῖοι à ſua firmitate dicuntur, 1. Cor. 15. 58: & Coloſſ. 1. 23. ubi etiam levibus iſtis opponit τεθεμελιωμένυς & ἀμετακινήτυς.) Item illi, qui in ſuis erga fratres officiis leves & volubiles ſunt, & verſicolores, qui nunc amant, nunc odio habent; hodie amici ſunt, cras inimici; hodie ſereno, cras torvo vultu te aſpiciunt; denique qui ſibi in ſua ſpeciali vocatione non conſtant; nunc volunt mercaturam, nunc agriculturã exercere.

Dominus in lege videtur velle ſuum populum adverſus iſtam volubilitatem munire certis ceremoniis de hac re latis, Deuter. 22. 9. 10. 12. Hoc autem loco 1. ſimil. ejus dedecus illuſtrat. Sicut enim corporis geſticulatio, & in hanc & illam partem converſio reprehendi ſolet (ut Davidis coram Achishe ridicula membrorum corporis agitatio quæ noſtro Proverb. dicitur: *He looketh 9. wayes at once.* Unde etiam in Proverbio Salomonis ſtultum ex inceſſu dignoſci confirmatur:) ſic animi inconſtantia & mutabilitas

litas omnium reprehenſionem meritiſſimè incurrit.

Deinde ab hoc vitio dehortatur ab adjuncta alienatione: ſubaudi, à Deo, & hominibus. Nam & Deus eos odio habet, qui ſui diſſimillimi ſunt, & qui ab eo deficiunt, ut hominibus ſe probent, & pii illos odio proſequuntur, Pſal. 26. 4. 5. Hoc argumentũ illuſtratur ab Adverſis, quia ſcil. qui rectà incedit: & æquabilem, & quaſi unicolorem vitam agit, purus eſt.

Hoc igitur Proverbio refellitur vetus Priſcill. hæreſis, qui exiſtimabant, fas eſſe veritatem abnegare verbis, modo animo recte ſentirent; qui error noſtro hoc ſæculo revixit. Unde etiam *Pſeudo-Nicodemitæ* appellantur, qui falſo Nicodemi ſuæ defenſioni prætexunt.

Cavendum tamen, ne per ſpeciem conſtantiæ in ſententia ſemel ſuſcepta in pertinaciam incidamus: quod vitiũ Deo non minus exoſum eſt, quam illa levitas deſultoria, de qua jam diximus. Cui vitio hi præcipue obnoxii ſunt, qui, magno ingenio cum ſint, de ſe etiam magnificentius, quam par eſt ſentiunt; item illi, qui potentia & authoritate plurimum valent. Utrumq; enim hoc hominum genus, plurimum ſibi & exiſtimationi diſcedere putant, ſi quam ſententiam ſemel arripuerunt, poſt abjicerent. Unde etiam axioma illud natum videtur τὸ κακὸν καλῶς κούμενον ἀκούμενον: quod tamen apud Philoſophum (niſi fallor) δυσκούμενον eſt. Vide Daniel. & Heſt. de Medor. & Perſ. legibus invariatis; item illud Pilati, *quod ſcripſi, ſcripſi*; imò Davidis, qui injuſtiſſimam quam contra Mephib. ſententiam tulit, cognita injuſtitia, penitus refigere & refringere noluit. Utrinque igitur ab iſtis Satanæ laqueis cautum agentes media via inſiſtamus, ut illius rei tenaces modo ſimus, quæ juſta & pia eſſe comprobatur, mobiles verò ab his quas temere aggreſſi ſimus.

V. 9. *Melius eſt habitare in angulo tecti, quam cum muliere contentionum, & domo ſocietatis habitare.*

In אשׁת (*muliere*) eſt ſyn. gen. fœmina ſcil. pro uxore. Vide quæ prius dicta ſunt 19. 13.

Scopus eſt homines ad cautionem in conjugum delectu exacuere.

Non quamvis fœminam hoc loco intelligi; ſed uxorem modo, poſterior pars verſus declarat, quæ illam duntaxat notat, qua cum vir ita ſocietate conjunctus eſt, ut ab illa ſejungi nequit. Nam ancilla; ſi procax & refractaria ſit, poteſt domo exturbari. Quinimo filia, ſi Patri immorigera & caſtigata non correxerit, coram Magiſtratibus ſiſtenda & morti adjudicanda eſt. Deut. 21. 18. &c. Quamobrem hic locus de illa conjunctione & conſociatione intelligendus erit, quæ ſemel inita, niſi adulterio admiſſo, diſſolvi nequit, aut potius non omnino diſſui; quia cum mœchatur, tum uxor eſſe deſinit: Hinc eſt, quod Salom. 19. 13. comparatione inſtituta inter improbum filium, & rixoſam fœminam hoc poſterius gravius malum eſſe, non obſcurè doceat. Obiter igitur ex hoc Proverbio notandum erit, conjugii vinculum longe eſſe arctiſſimum, quod tanto & tam funeſto malo dirimi nequit, & quam etiam ſub lege illicita erant Judæorum quacunque cauſa, & levi offenſione repudia.

Cum Proverbio doceatur malum uxoris contentioſæ, quæritur primo quæ illa demum eſt, quæ contentioſa haberi debet: Num illa, quæ in virum involans manus ei violentas injicit, aut pugnam cum viro miſcet? Apage hujuſmodi monſtra potius, quam mulieres, quæ bacillo magis cohibendæ ſunt, quam præceptis & ſanis conſiliis imbuendæ. Sed hoc

loco hæ potiſſ.deſignantur,quæ ſuperbæ ſunt,quæ eædem ſemper ſunt contentioſæ proverb.13.10. Porrò quæ hæc ſit,ex adverſa virtute officioſæ uxoris cognoſcitur.Propria virtus uxoris Chriſtianæ 1. Pet. 3.4. proponitur, *ſpiritus lenitatis & manſuetudinis*,cujus effect.& fructus declaratur ſequ. verſu nēpe quod ſuo proprio marito *in rebus licitis & honeſtis*, ſc.ſe obſequentes præbent. Quamobrem pro contentioſis habendæ ſunt, quæ ſuis maritis in rebus licitis&honeſtis non obtemperant, quæ rixoſæ ſunt, ut cap. 19.13. quæ,cum carne una cum maritis ſunt non tamen una voluntate cum illis ſunt, una veluti lingua,manibus&pedibus;ſed quę aliud volunt,quam mariti, illos oderunt, quos mariti amant;āmant, quos illi oderunt.

Hujus inobſequentis fœminæ malum illuſtratur comparatione minorū, nempe *ſatius eſſe habitare in angulo tecti, quam cum illa in domo tametſi ſpatioſa.* Tecta Iudæorum ex lege plana erāt, ubi ſolum pedibus ſubſtractum&ſubjectum erat,in quo quis firmiter, & ſine periculo conſiſtere potuit:ita ut hac formula loquendi doceat, ſatius eſſe ſub dio habitare,ubi ventis,turbini,frigori,æſtui,pluviis expoſitus foret,quam cum uxore contentioſa unis ædibus habitare.Cum autem dicit, in angulo, amplificat adhuc malum uxoris contentioſæ; non tantum ſatius eſſe ſub dio habitare,ſed perangusto etiam loco ſub dio habitare,quàm unis ædibus,tametſi capaciſſimis cum uxore contentioſa.Nam ſub dio habitans non nunquam gratum,&jucundum aërem percipit,& luce ſolis, quæ hominem exhilaret, fruitur; *mulier* vero contentioſa eſt veluti *ſtillicidium continuum* Prov.19. 13.

Hic excipit aliquis;quidni ergo meipſum ab illa disjungam; ſiquidem melius ſit ſolitariè agere vitam quam cum contentioſa fœm.? Reſponſio; bonum hoc loco non accipi pro eo, quod cum officio conjunctum eſt, ſed tantum pro illo, quod minus incommodi & moleſtiarum habet.Non eſt autem fas incommodi fuga & faſtidio officium deſerere.

Hinc liquet, quam vim peccatum habet, & fœminæ ab officio exorbitatio, Deus enim Geneſ.2 pronunciârat, non eſſe commodum ſolitariam vitam abſque fœminæ ſubſidio & ſocietate agere:Fœminæ verò protervia efficitur, ut præſtabilius viro ſit ſoli eſſe,quam jungi fœminæ. Quam divinæ ordinationis inverſionem Deus certe nunquam inultā feret.

Hinc diſcant fœminæ,non ſatis eſſe, ſi ſe caſtas ſervent, niſi etiam ſuis maritis obſequium præſtent; non eſſe ſuis viris auxilio(ſicut à Deo conſtitutum eſt,)ſed impedimento potius,niſi &c.

Deinde docentur adoleſcentes ſimul, & adoleſcentulæ magnam rationem habere in delectu conjugum; nec tam(ut fieri ſolet)pulchritudinis,aut dotis &amplorum vectigalium curam agere, quam pietatis,&bene moratæ educationis.Ampla enim domus, & latifundia non tam illos juvabunt, quam improbitas contriſtabit,& moleſtiam afferet.Quamvis viri ſecum ſtatuant,dummodo dotatas bene adipiſcantur, facile illas ad pietatem & officium revocatas iri.

V. 10. *Anima improbi expetit malum; gratiam non conſequitur in oculis ejus proximus ejus.*

In נפש(*anima*)eſt ſynecd.partis.

Scopus eſt incitatum improborum ad maleficia ſtudium,& ad bene faciendum aliis animi averſionem proponendo, in omnibus illius tam perditæ conditionis horrorem incutere.

Quod animam improborum malum expetere dicit Proph. ἐμφαντικωτέρως dicit, quam

quam ſi dixiſſet, improbum hoc facere. Hac enim formula loquendi docetur, improbos ferventi ſtudio, & vehementiſſ. impetu, ut aqua, quæ præcipites ex acclivi,& prærupta rupe ruunt, aut ſicut aquila ex edito loco in prædam involat, ad malum ferri.

Hic igitur diſcrimen ſtatuitur inter probos, & improbos. Non enim hoc tantum diſcernuntur, quod improbi ſuam improbitatem tanquam artem exerceant, dum in illa patranda aſſidui ſunt, cum pii, intermiſſo probitatis & juſtitiæ ad tempus ſtudio, mox ad officium recurrant;ſed porrò quod pii vel tum,cum ab officio diſcedunt,ſuſpenſo magis gradu id,quod malum eſt,aggrediuntur *Bene enim velle* bonis adjacet, ſed *perficere non inveniunt*:unde fit,ut, *quod nolunt,& odio habent,malum admittant*,Rom.7.18, 19. Naturæ enim pravitate in illis vulnerata, veluti altero pede claudi ad maleficia accedunt;cum improbus,equis(quod ajunt)& velis ad ſcelera feratur.

In poſter.hemiſt. cum dicit, eum proximo ſuo gratiam non præſtare, docet improbum malum tantum facere, nihil unquam boni perficere, tantum quæ ſua ſunt,curare,&ſuis commodis,ſpreto proximo, inſervire. Eorum enim charitas e propriarum ædium foribus non egreditur;ne vel in amicos,utpote quos ſui tantum commodi cauſâ colunt. Nam ſi beneficium aliquando in alium conferant, illud non ſecus faciunt,quam quod illum in ſuas rationes relatum iri exiſtimant, ut Pontific.qui eleemoſynas erogant, quod inde ſe vitam promerituros ſibi in animum inducunt.Hoc autem non eſt gratis beneficium conferre, ut hujus vocis vis, quæ à Proph. uſurpatur,poſtulat. Quamobrem ut nos ab improborum numero& cenſu vindicemus, danda eſt opera, ut in proximos benefici ſimus, ut, quæ eorum ſunt,nobis curæ eſſe factis cõprobemus.

Deinde quod oculus improbi ad gratificandum proximo non commovetur, ab animæ (cujus in priore hemiſtichio mentionem fecit)immanitate,&immiſericordia provenit, quæ totum corpus & omnia ejus membra in eandem crudelitatis ſocietatem attahit. Ad hujus Proverbii normam nos exigamus, ut, ſiquid ſimile huic improborum crudelitati in nobis comperiamnr,illud lugentes declinemus;ſin diſſimile,gratias Deo agamus, qui inter nos & illos diſcrevit, & ut porrò nos in ſuſcepto bono confirmet,precibus contendamns.

Verſ. 11. Multando deriſorem fatuus ſapiens evadit: & cum intelligentia imbuitur ſapiens, percipit ſcientiam.

Scopus eſt docere,quomodò ex commodis,aut incommodis noſtris,aut alienis vel ad reſipiſcentiam,vel ad majorem pietatem proficiamus,Vid.19.25.

Quis ſit deriſor, aut etiam fatuus vid. ſupr.ſicut de priori hujusProv.hemiſtich. Hoc ſolum addendum quandoquidem hic locus non tantum de civilibus, ſed etiam de divinis intelligatur pœnis; Deum ſæpe aliam rationem in judiciis ſuis exeqnendis inire, quam hominibus fas ſit.Nam ille,præteritis atrocioribus peccatoribus,eos, qui leviùs delinquunt punit,ut alios ad reſipiſcentiam invitet. Vide Luc.13.

In poſter.parte pro duplici ſignificatione verbi משכיל duplex interpretatio exiſtit;quam utramq;(inProverbiis præſertim,ubi nec præcedentia,nec ſubſequentia ſenſum verborum ad alterutram reſtringunt)amplectendam exiſtimarem; maximè cum Proverbii præcipua laus ſit quàm pauciſſ. verbis ampliſſ, & capaciſſ. documenta complecti.

Prior ſententia eſt ſapientem tantum informatione & documentis (ut pœna nulla infligatur) ad officium revocari, aut ad majorem pietatem provehi. Quo docemur in animadverſionibus præſertim domeſticis magnum delectum habendum eſſe, cum quis, quod pravum eſt, corrigere ſtatuat, ut ingenium delinquentis flexile, aut contumax & refractarium conſideretur. Quod etiam in Civil. correctionibus, quoad per leges, & προσωποληψίας fugam fieri poſſit, negligi non debet, ut quod verbo emendari & corrigi poteſt, plagis non tentetur. Sic videmus Deum Ioſiæ ad legis lectionem & expoſitionem in lachrimas ſoluto promiſſionem per Prophetam dediſſe, malum illud, quod lege comminatus eſt, illo vivente, non immiſſum iri. Sic etiam in Ninivitis factum eſt, qui, quod ad Ionæ prædicationem reſipuerint, exitio adducti non ſunt.

Altera ſententia eſt, fatuum ſicut plagis deriſoris, ſic piorum & ſapientum proſperitate & præmiis emendari. Nam cum videt, illa in pretio & honore eſſe, quæ ſuis ſtudiis, & vitæ rationi adverſa ſunt, fit ut cupiditate illa bona cõſequẽdi, quibus alios, qui contraria ſuis ſtudia ſectantur, ornatos cernit, ſua vivendi prava conſuetudine relicta, ad contrariam tranſeat. Sic in Eſth.c.8.ult. legimus, *pleroſq; ex gentibus Iudæis ſe tum adjunxiſſe*, cum Iudæi Eſtheris & Mardochæi gratia apud Regem honore affecti ſunt.

V. 12. *Imbuit intelligentiâ juſtum ad domum improbi, qui ſubvertit improbos ob malum.*

In בית *(domum)* eſt ſynec. partis pro domo, & his, qui in ea continentur.

Scopus eſt homines admonere, ut ex judiciis & pœnis, ſeu humanis, ſeu divinis de aliis ſumptis ipſi cautiores reddantur, & ad maleficia patrandum tardiores.

Superiore Proverbio oſtenſum eſt, improborum juſtam punitionem prodeſſe ad alios improbos à malo cohibendum: hoc autem docetur, juſtos & pios quoque ad majorem juſtitiam & vitæ innocentiam ex pęna improborũ proficere. Si nullus alius eſſet fructus ex improborum pœna, quam quod alii à via aberrantes ad frugem revocantur, ſolus ſufficeret ad ſtimulos his, qui familiis præſunt, in Republ. & Eccleſia rerum potiuntur, addendũ, ut debitas de improbis pœnas ſumerent, vide Pſalm. 58.10, 11. jam vero cum non tantum peccatores à maleficio retrahuntur, ſed porro pii in probitate confirmantur, & etiam provehuntur; non poſſunt non graviter peccare patresfamilias in ſuis ædibus, Magiſtratus in Republica, Eccleſiaſtici in Eccleſia Miniſtri cum vitiis impunitate fræna laxãtur. Hac enim ad peccata conniventia, ſeu indulgentia quid aliud faciunt, quã quod prævaricatorum manus confirmant &, ut in ſuis fœcibus congeleſcant, efficiunt; quàm piorum ad recte agendum manus ſolutas, & genua labantia reddunt; deniq; ut juſti à ſua probitate reſiliant, in cauſa ſunt? Pœnæ enim metu, tanquã fræno, aut capiſtro ſemel excuſſo, homines ſua ſponte ad maleficia propenſi tanquam ſtimulo admoto, præcipites in ſceleris omne genus ruunt.

In Proverbium fere abiit, juſtum ſibi-ipſi legem eſſe; [&, ut nullus exactor, & ἐργοδιώκτης ſit, in officium tamen incumbere. Sed hoc Proverb. docemur, juſtiſſ. quibuſque legum & pœnarum uſum magnum ad pietatem ſubſidium præbere. Perrari enim ſunt, qui vitam inter eos agentes, qui, ruptis & refractis pietatis & probitatis repagulis, ad omnẽ vitæ licentiã projecti ſunt, ſuam integritatẽ tuẽtur. Verum

Verum quidem eſt, ſingulari Dei gratia hoc aliquando fieri, ſicut Dan. & ſuis ſociis obtigiſſe legimus: ſed tam eſt hoc inſolens, atque caſtitatem in lupanari ſervare. Quemadmodum igitur ſeſſores equorum animoſiſſ. & ſummè velocium calcaribus ſe induunt, non ut equũ ſponte currentem pungant, ſed ut, injecto pungendi metu, illum incitent: ſic juſtis opus eſt ut flagella ob oculos obverſentur, quo & faciliùs & certiùs in officio contineantur.

Hinc eſt, quod Deuter. 17. 13, 14. dicitur, omnem ſine exceptione Iſraëlitam, audito ſupplicio de contumaci, timore percuſſum iri: & cap. 19. verſ. 20. dicitur, reliquum populum, qui in falſum teſtem graviter animadverſum audirent, timore correptum iri. Et certe ut quiſque juſtitiæ, & æquitatis ſervantiſſ. eſt, ita non minùs juſtitiæ ſtudio quam propriæ imbecillitatis conſcientia leges ſalubres, & pœnas illis violatis irrogatas vigere vel maximè cupit.

Deinde hoc porro docetur, nos non tantum propriis, ſed & alienis malis ad pietatem & juſtitiam proficere oportere. (Hinc eſt quod Iudæi Ezek. 16. graviter taxentur, quod ad pœnas ab Iſraëlitis & Samaria, tanquam majore ſorore ſumptas non reſipuerint;) maximè vero, cum, qui plectuntur, nos aliqua neceſſitate attingunt. Quod etiam ex ſuperioris Prov. doctrina confirmatur. Vide Luc. 13. Non tantum etiam proficiendum ex improborum flagellis, ſed & à judiciis, quæ Deus in eorum poſteritate, vel ędificiis exercet.

Denique notandum eſt, improbos improbitatis ſuæ nomine plectendos eſſe; alioqui non tam prodeſſe pœnas illis irrogatas. Sæpe enim fit, ut, qui præſunt, errore, aut malevolentia, aut invidia proſperitatis in improbos gravius aliquid ſtatuant. Quæ pœna ad cohibendam improbitatem non tam potens & efficax eſt. Subeat enim cujuſque animum, tam ſe in bona & honeſta cauſa caſurũ, quàm improbus ille cecidit, qui per injuriam damnatus eſt.

V. 13. *Obthurans aurem à clamore tenuis, etiam ipſe clamabit, & non reſpondebitur.*

In אֹטֵם (*obthurans*) eſt meton. ſubject. pro ἀπάθεια miſeriæ alienæ, quæ aures obthurantem ſequitur. Et in זַעֲקַת (*clamore*) eſt metaph. qua ſtudioſa & ſeria petitio vocis contentione exornatur.

Scopus eſt ab immiſericordia abſterrendo ad benignitatem & alieni mali συμπάθειαν cohortari.

Formula loquendi, qua utitur Spiritus ſanctus ad inhumanitatem ſignificandum, emphaſi non caret. Nam cum commiſerationis expertes obturatione aurium deſignet, docet, quam monſtri ſimile eſt alieni mali ſenſu non moveri: Perinde enim eſſe, ac ſi, clamante tenui & afflicto, digitos in aures inferremus, ne afflicti querimonia ad aures noſtras perveniret. Unde inſtar portenti notatur, quod Judæi aures ſuas, appoſitis ad capita manibus continuerunt, ne Stephani ſalutarem doctrinam audirent Act. 7. 57. Et certè præſtabilius foret ſurdos nos natos fuiſſe, quam, accepta à Deo audiendi facultate, ejus ope & ſubſidio ad commiſerationem & alia charitatis officia nõ uti. Nec enim ineptè, aut incommodè huc ſpectare poteſt, quod à Servatore Chriſto dicitur, *qui habet aures ad audiendum, audiat.* Illa enim nobis penitùs ingenita eſt immiſericordia, ad quam diſcutiendam non modo oculorum, ſed & aurium ſenſu opus habemus; nec tantum ut nos alloquantur, ſed ut importunè ſuis lachrimis & clamoribus nos obtundant.

Ab hac autem inhumanitate dehortatur ab

tur ab

tur ab adjuncto incommodo, quod inde provenit; nempe quod illis eâdem menſura menſurabitur, quam aliis menſi ſunt. Primũ enim ipſi calamitate urſi ad Deum clamantes non exaudientur. Nemo enim eſt, ne ex maximè indigis & mendicis, qui tantoperè tuo ſubſidio eget, quantum tu Dei. Teruntij ſunt, quæ abs te petuntur; quæ vero tu à Deo petis, talenta ſunt. Vide igitur, quam improvidè & inſipienter facis, qui tuam opem tenui fratri denegando viam tibi ad Dei auxilium conſequendum obſtruis, atque intercludis. Iac.2.13. Tu ſurdum agis, cum tenuis aures tuas clamoribus implet (facis enim intelligendo, ac ſi non intelligas;) Deus etiam dorſum tibi obvertet, cum eum inclamaveris. Quæ comminatio in repellendis his, qui otio & inertia paupertatem contrahunt pertimeſcenda non eſt.

Hinc obiter notandum, quam plerique ſibi imponunt, qui improbos, & omnem vitæ ſuæ curſum in maleficiis conſumentes ſalvos ob eam cauſam ſecum eſſe cum animis ſtatuant, quia, ingruente morte, & premente illos calamitate Deum invocarunt. Vide Prov.1.27,28,29.

Deinde juſto Dei judicio fit, ut hi, qui tenues & oppreſſos neglexerunt, ipſi tenues fiant, aut angoribus & periculis urgeantur. Deus autem, qui hominum corda pro voluntate regit, flectit, reflectit, mollit, obduratque, pro ſua juſtitia efficiet, ut qui ſe miſericordes afflictis non præſtiterunt, nullam ab aliis, cum ipſi premantur, miſericordiam conſequuturi ſint. Sic qui aliis offenſas remittunt, promiſſis à Deo muniuntur non tantum veniam peccatorum à Deo conſequendi, ſed porro ab ipſis hominibus, ſi qua in re illorum à ſe animos abalienarunt. Mat.6. Luc.6.37.38.

V.14. *Donum in abdito retundit iram, & munus in ſinu excandeſcentiam vehementem.*

In יכפה *(retundit)* videtur eſſe metaph. à rebus corporeis, quæ recurvantur & retorquentur, ad incorporeas tranſlata. In עזה *(vehementem)* eſt item metaph. ejuſdem gen. Eſt etiam in בחק *(in ſinu)* metaph. pro eo, quod eſt, in abdito.

Scopus eſt, quanta vis ſit muneris, ſive in legitimo, ſive illegitimo ejus uſu ad illud, quod cupimus, obtinendum, oſtendere.

Semen omnium cupiditatum in nobis naturâ inſitum eſt; ſed alia aliis potentius in nobis, vel impotentius fructus fert. Inter alias cupiditas pecuniæ & divitiarum principatum obtinet. Maxima enim hominum pars illa penitus imbuitur, & illa tranſverſum abripitur, quia illa utuntur, tanquam mediaſtino & Miniſtro ad voluptates, honores, ebrietatem &c. Dan.3.19.

Magna vis eſt in iræ perturbatione, qua non ſolum corporis temperies, ſed animi etiam quies & tranquillitas ita cõturbatur, ut non ſine cauſa, non tantum memoria, & ſermone hominem privare videatur, ſed & furoris & amentiæ quædam ſpecies habita ſit, præſertim ſiquis plurimum incaleſcit. Ira enim præcipites acti in eos ruunt, à quibus irritantur, haud ſecus, quam fera bellua, quæ cœco impetu in homines inſilit.

Propheta vero ex hac comparatione minoris, pecuniæ cupiditatem amplificat, quandoquidem ira, quæ cæteroquin irreconciliabilis videtur, munere refringitur, & placatur. Vide exemplum Eſavi, quem Iac. furentem ira munere placavit; Item Davidis 1.Sam.25. 2.Reg.18.14.15.

Hinc liquet, quid cauſæ ſit, cur, cum ſemen omnis improbitatis omnibus improbis Spiritus Dei minimè ſubactum aut

viribus

viribus ſuis enervatum ſit, fructum non ferat, & ad Rerumpub. everſionem ex rerum omnium confuſione & perturbatione ſuum virus non expuat, & eructet. Primum quidem, quod quædam vitia inter ſe contraria ſunt, ita ut qui uni deditus eſt, alterum exercere nequeat. Deinde (quod ex hoc Proverbio liquet) quia in his, quæ non ita mutuo ſua maxima pugna ſe tollunt, unum altero altius animi ſedi infixum, atque inhærens manet, ut quod minus in improbis virium habet, affectui debiliori locum cedat; haud ſecus, quam cum duo truculentiſſimi tyranni in Rempub. ſæviant, *illa* alterius eorum potentioris & viribus inſtructioris in debiliorem victoriâ liberatur.

Quod dicit, munus in abdito, aut in ſinu datum, indicare videtur, Proverb. hoc de illis donis intelligi, quibus, tanquam corruptelis jus pervertitur. Nam honoraria munera, & *ſtrenæ*, & gratulatoria amicorum luce potius, & omnium oculis gaudent; quandoquidem ſomnes ſe amari, & coli, & in honore & pretio apud alios eſſe, ſcunctis innoteſcere cupiunt: ſed qui jus dicentes ut illud pervertant, munere allecti ſunt, ſtudioſè cavent, ne ſe jus venale habere alii reſciſcant. Unde ſiquis illos palàm, & conſciis aliis, munerum corruptelis aggrederentur, ilico maximum in illos eo nomine odiũ ſimularent. Quod etiam confirmatur voce שחד, quæ rariſſimè in bonam partem ſumitur. Hoc ergo Prov. docemur judicum in ſcelera admiſſa iram accenſam ſæpe munere accepto, tanquam aqua igni affuſa reſtingui.

Tantum donum illud, quod in pauperes confertur, clam alios dari expedit, quod hac datione pudori, & verecundiæ pauperis potiſſimum conſulitur. Sed de his prov. non videtur intelligi, quia raro fit, ut divites pauperum ab ira timentes eos muneribus placare ſtudeant; niſi fortè hanc iram ad Deum referre velimus, qui beneficentiâ in afflictos iram ſuam à peccatoribus avertit. Quo ſenſu cum ſuperiore Proverb. magnam conjunctionem habet.

V. 15. *Lætitiæ eſt juſto exercere jus; quod eſt contritioni operarijs iniquitatis.*

In מחתה (*contritione*) eſt metaph. à rebus corporeis, quæ franguntur, tranſlata ad terrorem, quo animus frangitur, & veluti obteritur.

Scopus eſt diſcrimen inter juſtum, & injuſtum conferendo unicuique judicia, quibus de ſe, & ſua ſalute, aut periculoſa conditione certo ſtatuere poſſit, ſuppeditare.

Liquet ex pleriſque ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, homines ſibi magna ex parte adulari, & ſibi omnia bona à Deo polliceri, cum ejus ira illorum capitibus immineat. Iac. 1.29. item Deut. 29.19. apparet inveniri eos, qui, cum Deus illis execrationem denuntiat, ſibi benedicunt; & pacem promittunt, cum Deus bellum minatur, etiam tum, cum in animi perverſitate inſiſtere pergunt. Preterquam quod non deſunt pſeudo doctores, & aſſentatores, qui, quæ nobis cordi ſunt, loquentes omnia proſpera & læta nobis eventura audacter pronuntiabunt. Eph. 5.5.6. Hinc eſt, quod jubemur *nos excutere, an ſimus in fide.* 2. Cor. 13.5. & 1. Cor. 11.25. Cum igitur tanti ſit nos ipſos excutere, & noſtri experimentum capere, quo ſtatu, bono, an malo; fœlici, ſeu infœlici conſiſtimus, hanc doctrinam, & hæc Proverbia in pretio eſſe oportebit, quibus hanc noſtri cognitionem acquiramus.

Gaudio eſſe juſto exercere jus, apparet, quod Dei mandata diligit Pſ. 119.48. & verſ. 127. Proph. amorẽ ſuum ferventiorem

tiorem fuiſſe in præcepta Dei, quam in aurum etiam purgatiſſimum profitetur, & verſ. 72. ſe pluris feciſſe doctrinam Dei, quam multa mill. nummorum aureorum & argenteorum.

Ex hac dilectione juris & juſtitiæ naſcitur *oblectatio*. Pſ. 119. 47. Eſa. 58. 13. 14. Et quidem *major, quam in cibo, & potu*. Ioh. 4. etiam *melle, & mellis favo*, Pſa. 19. quam *in ſomno*, & quidem dulciſſimo qualis eſt ſomnus media nocte. Pſa. 119. 62. *quam in omnibus opibus*, Pſal. 119. 14. *quam luſu & joco*. Pſal. 119. 16.

Ad hanc igitur normam nos exigamus, & ad hoc ſpeculum nos componamus, atque ornemus, ut huic imagini conformes ſolidè lætemur, tanquam reſponſo cælitus accepto, nomina noſtra in libro vitæ ſcripta eſſe; ut diſſimiles operam demus, ut ejus effigiem quam vivaciſſimè exprimamus.

Hic tamen, ne laqueos infirmis conſcientiis induamus, reputandum, hanc piorum ad bene agendum alacritatem, & promptitudinem non ita ſuis numeris expletam & abſolutam inveniri, quin carnis depravatæ obnitētibus cupiditatibus, tanquam injectis compedibus, & impedimentis retardetur. Quamdiu enim duos homines hic in terris circumgeſtamus, fieri nequit quin utriq; ſui proprij fructus, & effecta conſtent inter ſe pugnantia. Vid. Rom. 7. 15. 18. 21, 22, 23. Heb. 12. 1.

Ex hac autem oblectatione in benefaciendo naſcitur ſingularis lætitia, quam conſcientia benefactorum poſt ſe relinquit, quod hoc argumento & indicio certiſſimè cognoſcunt fideles ſe juſtificari, & Deo charos eſſe.

Prior pars prov. confirmatur ex poſt. ſicut à priori poſt. Improbi enim odio in bonum nulla ejus non modo oblectatione, & deſiderio tenentur; ſed etiam ab eo, tanquam peſte, aut re noxia abhorrent. Nam cum Deum odio habeant, & illi terga obvertant, quod ſanctum eſt, perſequi non poſſunt; Deinde cum malum unicè diligant, & illud cupidiſſimè affectentur, adeo ut illud ſomno anteponant Prov. 4. 16. (Cujus exemplum eſt in Achabo) cibo, ut in his perſpicitur, qui vota ſe obſtrinxerant, ſe Paulum interfecturos; item in Achabo cernitur: qui improbitatem pro cibo habent delicatiſſimum. Iob. 20. 12. & iniquitatē, ut piſces aquam hauriunt. Iob. 15. 16. Hujus exemplum eſt. Mal. 1. 13. ubi Iudæi dicuntur fatigati afferendo ſacrificia, quæ quis flatu diſpellere potuit.

Neque tamen hic ſibi quiſquam imponat, quod bonum quandoque amplectatur, & malum aliquod odio habeat, ut de Herode legimus, qui Ioh. libenter audiebat, & nonnulla opera præſtabat, quæ à Ioh. proponebantur. Nam, niſi omnia peccata odio habet, nullius peccati odio verè & purè ducitur. Deinde, niſi, quod bonum eſt, Dei amore & ſtudio faciat, & non ſolummodo aut pœnæ fuga, aut præmii adeptiōne, quod bonum eſt, verè non amplectitur.

His autem improbis eſt contritio, ſicut juſtis lætitia. Nam improbis non eſt pax, ut qui in maximis ſuis gaudiis malæ conſcientiæ verme, tanquam carnifice cruciantur.

V. 16. *Homo à via intelligentiæ aberrans in cætu vitæ expertium quieſcet.*

In נוח (*quieſcet*) eſt meton. ſubject. pro continua permanſione.

Scopus eſt homines, propoſita pœna, ab officij ignoratione abſterritos ad veritatis inveſtigationem excitare.

Homines juſtitiæ Dei ignari ſibi in animum inducunt, veritatis ignorationem illis ad mortem noxiā non eſſe; maximè vero

vero ſi, quæ ſtudia ſectantur, Deo grata & probata eſſe ſibi opinione ſua in animum inducant. Quem errorem naturæ noſtræ innatum Pontif. bonarum intentionum patrocinio corroborant hoc conſilio, ut populo in ignorantiæ tenebris demerſo, ipſis quidvis impunè, atque adeo abſque leviſſima reprehenſione patrare liberum ſit. Sunt etiam plærique iſtis adhuc deteriores, qui ſuis ſe cupiditatibus mancipare cupientes libenter oculos ad veritatis cognitionem claudunt, ne notitia officij ſui illuſtrati eadem veritatis cognitione aut à cupiditatibus ſuis perſequendis abſtrahantur, aut non ſine conſcientiæ morſu, & cruentatione illa admittant, quæ in deliciis habent.

Quamobrem non ſolum damnantur à Domino, qui repugnante conſcientia, quod malum eſt, faciunt, & qui luci obſiſtunt, & in illam rebelles ſunt, ut eſt Iob. 24. 13. ſed hi etiam, qui per errorem ab officio diſcedunt. Servus enim ignorans voluntatem heri ſui vapulabit. Vide Ioh. 16.2. & Act.3.17.18. Nam cum ſcientia omnis generis officij nobis in Adamo à Deo donata ſit, ejuſdem ſcientiæ amiſſæ & obliteratæ nos reos in eo peragi, neceſſum eſt.

Pæna ſequitur, ſeu effectum erroris, æterna mors, quam hac formula loquendi declarat, nempe illum in cœtu vitę expertium quieturum. Pii enim tametſi moriantur, tamen vivent. Ioh. 11.25. & illis mors ad vitam tranſitus eſt Joh.5.24. Piis enim mors non dominatur Rom.6. Ubi eſt elegans antitheſis inter errores à via recta, & quietem, ſeu permanſionem malè tranquillam, à qua nunquam poterit quis deflectere, aut aberrare.

Hic quæritur, quomodo improbis hoc conveniat, cum Eſai. 57. tanquam peculiare quid piis attribuatur in ſuis ſepulchris, tanquam cubilibus quieſcere. Cui reſponſum ſit, illos *κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων* dici quieſcere, quia animæ eorum quieſcunt, cum impiorum animæ diris in inferno cruciatibus torqueantur. Deinde ſomnus corporum piorum & improborum plurimum differunt. Nam corpora piorum (ſicut fieri ſolet in his, qui tranquillè, & in utramque aurem dormiunt) manè vegeta, & alacria excitantur; cum corpora impiorum (tanquam quæ noctu non, niſi turbulentis & truculentis inſomniis exagitata ſunt) manè triſtia, & truculenta ſuſcitantur. Quamobrem quod dicuntur in morte quieſcere, nihil aliud ſignificat, quam (ut dictum eſt) in morte manere, ſcilicet æterna.

V. 17. ***Vir egeſtatis erit amator lætitiæ; & amator vini, & olei non erit dives.***

In מחסור *(egeſtatis)* eſt metony. adje. In שמן (*oleum*) eſt ſyn. part. olei ſcil. pro unguento, cujus oleum præcipua pars eſt, & pro cibis pinguioribus, & delicatioribus, ut Nehem. 8. 10. ut vinum ſumatur pro omni delicato potu, & pinguedo pro omni delicato cibo.

Scopus eſt homines à luxu abductos ad temperantiam cohortari.

In hoc Prov. duo ſunt. Prius eſt dehortatio à profuſiore corporis voluptatũ uſu; alterum eſt argumentum quo hæc dehortatio nititur, atque incumbit. In priore duo ſunt; dehortatio in genere; deinde ad quaſdam ſpecies deſcendit.

In priore vetamur, ne lætitiam amemus 1. Ioh. 2.5.6,7. hortatur, ne amemus mundum, neque quæ in mundo ſunt, quia, qui amat mundum, amor Dei non eſt in eo. Poſt enumeratione partium declarat, quæ ſint in mundo, & quæ cum amore Dei non poſſunt conſiſtere. In quibus eſt omnium primum carnis concupiſcentia; à qua etiam Propheta hoc Prov.

dehortatur. Epula enim & ſympoſia; ſeu commeſſationes ſæpe agere in his ſunt, quæ caro concupiſcit. Ex his igitur Prophetæ, & Apoſt. teſtimoniis liquet, quid de illis ſtatuendum ſit, qui magna voce, & ſumma fiducia non dubitant de ſe profiteri, ſe lætitiæ amatores eſſe. Quid enim hoc aliud eſt, quam palàm profiteri, ſe Deum nõ amare? Quo quid homine Chriſtiano indignius dici poteſt?

Quid igitur inquies? An non mihi fas eſt lætari? Annon ridere aliquando conceditur, feſtum agere, & epulum, aut convivium inſtruere? Hoc ſi denegetur, omnes à Chriſtiana profeſſione abiges. Quin poſſis, non inficior; ſed hæc amare, illis animum adijcere, & in deliciis habere, fas eſſe pernego. Legimus, filiis Iobi laudi dari, quod ſe invicem cum ſororibus ad convivia adhibebant; ſed hæc non idcirco faciebant, quod in conviviis ſeſe oblectabant, ſed quod mutuam inter ſe concordiam alebant, & confirmabant, ut ſe ad cultum Dei, & ad præſentis vitæ munia obeunda paratiores, & alacriores redderent. Apoſt. etiam huic lætitiæ modũ conſtituit, ut *ita lætemur, quaſi non lætemur* 1. Cor. 7. 30. id eſt non multum temporis in lætitia ponamus, ut apparet ex ratione præmiſſa, *quia tempus contractum eſt*. Convivia igitur vel ſympoſia meridiana ad noctem, nocturna ad mediam noctem producere eſt Apoſt. præceptum violare. Deinde aſſidue & quotidie hoc facere præter officium eſt. Vid. Luc. 16. 19. Quamobrem tanquam prodigioſum convivium proponitur, quod ad 180. dies Aſſuerus ſuis proceribus inſtituit Vide alias Epicuri voces. Eccl, 9. 6. 7. 8.

Deinde deſcendit ad ſpecialia; ubi per ſyn. vini & unguenti, quæ ad lauta convivia adhibentur intelligit omnes alias delicias ciborum, & muſicorum inſtrumentorum, quæ comparantur ad animos exhilarandos. Maxime vero vini; & unguenti mentionem facit, quia ſingularis vis eſt in vino ad exhilarandum animos, & in unguenti delibutione ad vultum nitidum efficiendum, Pſal. 104. Vini igitur liberalior uſus vel illis prohibetur, quibus vinum aqua maceratum erat ordinarius potus. Quanto magis his, quibus pro medicina potius eſſe debet, quam pro potione! Excutiamus igitur nos, & ad hanc regulam examinemus; an vinum nobis ſit in amoribus.

Deinde ſequitur argumentum quo hęc dehortatio nititur ab adjuncto incommodo, nempe ſumma egeſtate, qua combibones iſti opprimentur ad eum modum, ut, ſi pauper ſit, qui vinum amat, nunquam ſit futurus dives, ſin dives, ad paupertatem redigetur. Vnde etiam conſequatur neceſſe eſt, ut tandem vino & deliciis, quibus ſe tantopere oblectat, deſtituendus ſit, idque in ſenecta, aut morbo, quando ejus uſus maxime neceſſarius futurus eſt. Quod vini deſiderium plus ei mœroris, & cruciatus efferet, quam unquam ex ejus redundanti uſura lætitiæ acceperit. Sic fiet, ut lętitiæ, & vini amor fontem ipſius lætitiæ exhauriat. Quod ſi illos egenos reddidit vini amor, ubi, quod paſſim ſuccrevit, pretium ejus vile erat, quanto magis nos in hac inſula, ubi tam care venditur, ad paupertatem rediget?

Conſiderate ergo vias veſtras, an paupertas vos, & veſtram hanc inſulam invaſit, videte etiam, an in tam feraci agro, quo à Deo perfruimini, ex præcipuis cauſis hæc una non ſit, quod vini amantes ejus potioni addictiores ſitis.

Sed longe gravior egeſtas, & periculoſior illis adhæret, quàm quæ à Sal. exponitur, quę 1. Joh. 2. notatur, nempe quod amantes vinum Deum odio habeant; quod eſt omnium malorum teterrimum.

V. 18. *Redemptio pro juſto eſt improbus, & loco rectorum perfidus.*

Scopus

Scopus eſtDei erga pios curam neglectis impiis, oſtendere. Vide 11.8.

Malach.3.14,15. liquet inEccleſia tum fuiſſe, qui non dubitabant palam dictitare, *vanum eſſe Deo ſervire. Nam quæ*(inquiunt) *utilitas eſt, cum obſervaverimus obſervationem ejus, & ambulaverimus atrati metu Iehovæ exercituum? Imo nunc fœlices prædicamus ſuperbos. Nam ædificantur, qui faciunt improbitatem; &, qui probant Deum, liberantur.* Hoc noſtro infœlici ſæculo plures multo ſunt, qui has ἀθέως voces in aërem ſpargunt: plures ſunt, qui hoc mõſtrum intus compreſſum alunt. Imo aliquando pii hac tentatione exercentur, ut ex Pſal. 73. conſtat. Vnde Pſal. 44. 13. querela extat Eccleſiæ, [Deum ſe, nullâ pecunia, & nullo pretio accepto, in hoſtium manus vendidiſſe.]

Hæc opinio, cum hom. omnis generis animis altè inſideat, tum præcipuè error hic circa illa verſatur, quæ hanc vitam attingunt. Piis enim & improbis ferè ſemper hæc opinio infixa eſt, piis bene, & impiis malè poſt hancvitam fore; ſed hac vita piorum tantam curamDeum ſuſcipere, id demum (inſpectis improborũ proſperitate, & piorum crebris jactationibus) parum viriſimile fit. Quamobrem ut huic errori Salom. occurreret, docet, Deum, ſpreta improborum vitâ, piorum ſingularem curam ſuſcipere. Quumque eorum *lachrimæ ſtudioſè ab illo collectæ in utre reſerventur*, Pſal. 56. 9. ut pœnas ab illis, qui illas excuſſerunt, exiget, atque adeo cum *capillos capitum eorum in numerato habeat*, ut ne unus quidem ſine ſingulari ipſius providentia cadat; quis dubitat, Deum eorum vitæ curam agere?

Hoc Proverbium verum tum comprobatur, non tantum cum unus aliquis improbus in locum pii periclitantis ſufficitur, ut ſuprà cap. 11. ſed etiam cum, debito ſupplicio de improbis per Magiſtratũ ſumpto, communis aliqua calamitas in populo graſſans ſedatur. vide 2. Sam. 21: Joſ. 7. 20: Ion. 1. 12.

Piis periclitantibus, ſæpe illorum mẽtes ſubit, ſibi exitum nullum inde patere, quia pecunia & pretium deeſt, quo ſe ex malis expediant; ut qui aut pauperes ſunt, aut ſuis calamitatibus attriti & exhauſti. Quamobrem ad hanc tentationem frangendum ſuccurrat, quod hoc loco dicitur, improbos (quorum magna multitudo eſt) in illorum locum ſufficiendos, & ſurrogandos eſſe.

Hujus vero (ſicut cæterorum Dei in nos beneficiorum) fons eſt nullum noſtrum meritum, ſed quod Chriſtus Dei filius juſtiſſ. λυτρὸν noſtro loco, & pro nobis injuſtiſſ. morti traditus nos juſtos fecit.

Pii ſimul & impii duobus ſeorſim epithetis inter ſe oppoſitis deſcribuntur, Sicut enim juſto improbus, ſic recto perfidus opponitur. Ex quo illud liquet. improbos, & ſceleratos eoſdem perfidioſos ſuã necDeo, nec hominibus fidem, & promiſſũ ſervare; ſicut contrà, qui pii ſunt, hi, utDeo, ſic hominibus fidem ſervant. Quod merito plurimorum inertiam, & inſcitiam coarguit, qui ſibi fidos fore ſperant, in quibus ne micam quidem pietatis ineſſe ſibi in animum inducunt, vide 1. Reg. 22 30. Hinc David profitetur, ſe neminem præter fideles in domum ſuam, tanquam domeſticos cooptaturum, Pſal 101. 6.

V. 19. *Melius eſt habitare in terra deſerti, quàm cum muliere contentionum, & indignationis.*

In כעס (*indignationis*) מדינים (*contentionum*) מדבר (*deſerto*) eſt metonym. adjunct.

Scopus idem eſt, qui verſ. 9. hujus cap.

Videtur hoc Proverb. idem eſſe cum illo, quod habetur verſ. 9. Et quidẽ magna

 affinitate

affinitate ſunt: ſed interim, ut verbis, ſic ſenſu diſparantur. Nam ſuperiore Proverbio uxorem modo contentioſam nobis propoſuit; nunc etiam eam, quæ ad animi inquietudinem, ad iracundiam & indignationem promptitudinem adjunxit.

Reperiuntur homines qui tametſi ad iram proclives ſint, illam tamen non ſemper foras produnt, ſed apud ſe, & cum animo ſuo concoquunt, ut nulli tam ſint, quam ſibi ipſis noxii. Videas enim eos, qui, tametſi iracundi ſint, tamen à jurgiis animum abhorrentem gerentes ſeipſos potius, quam alios excruciant; item illos, qui jurgabuntur ſtrenuè, cum interim irâ non commoveantur. Quamobrem hoc Proverb. aliquid aliud dicitur, quam in ſuperiore. Jam vero cum ad animum contendendi cupidum iracundia accedit, contentio illa magis aculeata (tanquam cotex acuta) effecta & intolerabilis. Sic enim fiet, ut jurgia privatis parietibus concluſa, contineri nequeant, ſed in clamores, & vociferationes erumpant. Deinde cum indignatio & perturbatio animi valdè impotens ſit, fit ut contendendo faces convitiorum, & flammæ comminationum frequentes per ora volitent.

Deinde adjunctū incommodum talis uxoris majus proponitur, quam illius, quæ tantum contentioſa eſt. Nam majus incommodum eſt in terra deſerta habitare, quam in angulo tecti. In hoc enim ſuppeditari poſſunt omnia, quę ad victum & cultum vitæ ſpectant; ſi illud unum incommodum ſub dio commorandi excipias: in terra autem deſerta omnium vitæ commodorum maxima penuria eſt. In angulo tecti homo conſortio frui poteſt, quo illum in deſerto deſtitui eſt neceſſum. Denique in angulo tecti mortis periculo vacat, cui in deſerto ob agreſtes feras, & ſerpentes, qui ibi graſſantur, objectus eſt; ſicut in Iſraëlitis in deſerto agentibus eveniſſe Moſes teſtatur. Et Sal. alibi tolerabilius ſentit urſæ catulis ſuis orbatæ occurrere, quam ſtulto in ſua ſtultitia.

Hoc ipſum ad maritum contentioſum, & indignabundum transferri debet: eoque majus uxori manſuetæ, moratæque, & gravius hoc malum eſt, quam viro, quo uxor ſexus infirmitate facilius frangitur, & obruitur, quam vir.

Ex his porro liquet, quantum, & quam divinum à Deo munus acceperunt, quibus conjugii jugum commodum, jucundum obtigit.

Verſ. 20. Theſaurus deſideratus eſt, & unguentum in habitaculo ſapientis: ſed ſtultus homo abſorbebit illud.

In שמן (*unguentum*) eſt ſynecd. partis pro deliciis. In יבלענו (*abſorbebit*) eſt metaphora ob immanibus belluis; vel cetis magnam aliquam alimenti maſſam ſimul & ſemel deglutientibus.

Scopus eſt ad frugem ſimul & parſimoniam adhortando à profuſione bonorum dehortari.

Hoc Proverbio pii ad prudentem in familiæ adminiſtratione proſpicientiam in congerendis, & condendis his omnibus, quæ ad hujus vitæ victum & cultum pertinent, animantur. Unde eſt, quod Chriſtus Math. 13. bonum verbi Miniſtrum cum prudente patrefamilias componit, cui abunde ſuppetunt vetera & nova, quibus familiæ conſulatur. Et Ioſepho laudi ducitur, quod tantam vim frumenti condidiſſet, quæ in multos poſt annos uſui fuit. Cum enim terra ſuos fructus non ſemper æquabiliter ferat, & Deus nonnunquam, ut de peccatis ſupplicium ſumat, benedictionem ſuam inhibet, & pluviam ſubducit, cumque quæ jam

jam vænum proſtant, deinceps non facilè parabuntur, cum pia ſapientia conjunctum eſt opportune apud ſe recondere, quæ neceſſario uſui conducunt.

Ex quo illud liquet, illis verbis: *da nobis hodie quotidianum panem*, non prohiberi, quo minùs nobis proſpiciamus in annum, aut etiam ad multos annos, præſertim in arcibus, & urbibus obſidioni obnoxiis; ſed potiùs hoc doceri, ardorem precum pro hujus vitæ commodis non magis reſtinguere debere, quod in cellis, & reconditoriis omnia repoſita & aſſervata habemus, quam ſi illis prorſus deſtitueremur.

Quod addit unguentum, eo intelligitur, liberalem creaturarum Dei uſum hominibus concedi, idque non tantum in puro, & nudo earum uſu, ſicut natura ſua conditæ ſunt (in quo genere multa inveniuntur perquam delicata) ſed eorum etiam uſum nobis indulgeri, quæ pigmentario opere ex plurimis rebus pretioſis in unum corpus coagmentatis, & coadunitis conficiuntur; in quo genere eſt unguentum. Vide Eſai. 39.2. Nam cum Chriſtus mundi hæres ſit, & pii per fidem ſunt cohæredes, & bonę fidei poſſeſſores, ecquis eſt, cui in hæc jus verius competit, quam fideli?

Quod dicitur, in habitaculo ejus hoc eſſe, eo docetur, debere homines ita proſpicere ſuis familiis, ut nō neceſſe habeāt ad mercatū, aut tabernas, aut ad Apocopæos ſemper mittere, ſed domi ſuę habere recondita, quæ aut ad neceſſarium, aut liberalē vitæ uſum inſerviant ad eū modum, ut nova ſemper importentur, antequam vetera exhauſta fuerint moderato eorum uſu, & prudenti diſpenſatione.

Quanquam vero ad hanc rem ſapientis opera, & proſpicientia requiratur, tamen hujus in pios largitionis fons, & author eſt Deus, ut Prov. 3. 10: & Levit. 26.45.10.

Prius hemiſt. confirmatur poſteriore ab Adverſis, ſcilicet quod ſtultus abſorbet illud. Quare non negat, quin harum rerum copia illi quandoque adſit, ſed quam ille prodigit, & heluando, aut intempeſtivis, & aſſiduis conviviis abſumit.

Prodigos ergo hos decoctores, quos vulgus homines magnos humanæ ſocietatis cultores, ſeu (ut eorum verbo utar) *bonos ſocios, Good fellowes* appellant, Salomon ſtultitiæ condemnat; imo vero etiam inſtar brutorum, & beſtiarum more, eos confirmat, quæ in granaria, caveas, & apathecas convehuntur, non tam comedere, quàm deglutire, & abſorbere; cum tamen Apoſtolus 1. Timoth. 4. moderatum iſtorum omnium uſum voce participationis deſignavit.

Nec tamen propterea dicendum, omnes eos, quibus hæc rerum copia ſuppetit, ilico ſapientes eſſe, & vera ſapientia præditos; ſed ad ſapientem harum rerum diſpenſationem requiri donum quoddam ſapientiæ, quod cælitus confertur.

Verſ. 21. *Perſequens juſtitiam, & benignitatem inveniet vitam, juſtitiam, & honorem.*

In רדף (*perſequens*) eſt metaph. à curſoribus, qui gradum ad rem aliquam conſequendam accelerant.

Scopus eſt ad juſtitiæ & benignitatis ſtudium accendere.

Vbi duo ſunt { *Adhortatio ad juſtitiæ & benignitatis ſtudium,* / *Præmium.* }

Ubi primum juſtitiæ vocabulo intelligit illam virtutem, quæ cuique, quod ſuum eſt, tribuit; benignitatis vero nomine illam virtutem intelligit, qua nihil prome-

promeritos beneficiis proſequimur. Ex quo illud efficitur, non ſatis eſſe ad boni viri officium (quod tamen vulgò dicitur) neminem lædere, nulla injuria afficere, nihil cuiquam debere, denique quod ſuum eſt, cuique tribuere; niſi etiam benignitatis ſtudio, in immerentes beneficus ſit, in pauperes liberalis, atq; adeo etiam in inimicos beneficentia utens.

Quod autem dicitur juſtitiam & benignitatem eſſe perſequendam, & gradu veluti citato, ut illam comprehendamus, inſequendam, eo docemur, non lentè & frigidè has virtutes à piis affectandas eſſe, ſed magno ſtudio, & ardore: quod tum fiet, cùm ad has virtutes exercendum nervos intendimus, animum ad eam rem adjicimus, cōnſilia capimus, operam & ſumptum impendimus, excubias agimus, ſomno & cibo aliquid decidimus & detrahimus, etiam non ſine noſtro damno Pſal. 15; Deinde cum non tantum ipſi in his virtutibus exercendis operam collocamus, ſed, ut alii idem faciunt, pro virili, & quoad ex vocatione noſtra licet, procuremus. Huc accedit perſeverantia in his officiis, quæ hac voce comprehenſa ad mercedem conſequendam neceſſaria eſt.

Et quidem hactenus de adhortatione ad ſtudium juſtitiæ & benignitatis: Sequitur adjunctum præmium ex mera Dei liberalitate nullo obſequii noſtri merito profectum. Quod quidem præmium, cum triplex ſit, ad 2. genera revocatur; quorum prius commune eſt utrique virtuti tam juſtitiæ quam benignitati; alterum eſt proprium utriuſque.

Commune utrique eſt promiſſio vitæ hoc ſæculo prorogandæ, & futuro nunquam finiendæ. Promiſſio, quæ eſt hujus vitæ, ob eam cauſam diligenter notanda eſt, quia in juſtitiâ exequenda, & illa procuranda multæ difficultates ob oculos nobis obverſantur, quibus vitę periculum importatur, quod illa paucos patronos nacta multorum odio, & inimicitiis expoſita ſit. Deinde ad manus noſtras ligandum, ne illas quis ad beneficentiam exercendum exporrectas habeat, ſemper ſubit mentem, tantum vitæ ſuæ decedere, quantum ex opibus (quibus vitæ ſubſidia comparantur) detrahitur. Hæc promiſſio vitæ præſentis, tametſi Iudæis copioſius & frequentius præſtita ſit, tamen &c.

Huc accedit poſt hanc vitam immortalitas in cœlo, quæ una res poteſt, & debet in officio nos continere.

Sequuntur præmia utrique propria. Et quidem juſtitiæ exercendæ proprium præmium eſt, quod jus illi ab hominibus (Deo eorum corda flectente & moderante,) reddetur; qui, ne ab aliis injuria afficiatur operam impendent: Math. 7. 2. Luc. 6. 38. ſicut contra injuſtitiam exercentibus non deerunt, qui injuriam inferent, & in eorum, aut poſterorum bona rapaces & violentas manus injicient. Sic porro fiet ut Deus ſuas de hujus vitæ commodis factas promiſſiones illis ſervaturus ſit.

Præmium vero benign. eſt honos non à Deo ſolum, ſed & ab hominibus habitus; cum nihil ſit ad gloriam conſequendam potentius, quam ſiquis ſit munificus.

Verſ. 22. Vrbem potentium conſcendit ſapiens, & deſcendere facit robur fiduciæ ejus.

Sapientia in hoc verſu ſumitur pro civili ſapientia & politica, ſicut verſ. 20. pro ſapientia œconomica.

Scopus eſt ſapientiæ præſtantiam præ robore oſtendere.

Proverb. 20. 24. docetur non niſi conſilio bellum gerendum eſſe; ſicut ſuperiore Proverbio ſapientia in recta domus admini-

adminiſtratione cernitur. Sed & illud etiam à Deo præcipitur, ut apparatus bellicus fiat, muri erigantur, & firmentur, milites armentur. Videmus Deum Ioſ. 8. 1. imperaſſe, ut ad obſidionem urbis Ai totum exercitum Iſraelis duceret, cum tamen exploratores ad ſpeculandum & explorandum emiſſi 2. tantum, aut 3. millia militum contra urbem conſcribenda cenſuerint, Ioſ. 7. 3. Et Servat. Chriſtus monet, pacem quærendam ab his qui magno numero ab hoſte ſuperantur, Luc. 14. 32. Cum utrumque igitur tanquam bona & commoda à Deo requiruntur, quæritur, quodnam ex his ad bellum gerendum ſit præſtabilius? Sal. vero apertis verbis, idque γνωμικῶς docet *ſapientiam robori præferendam*. Eccleſ. 9. 18. Hoc autem Proverb. εἰδικολόγως docet in bello gerendo majorem uſum eſſe ſapientiæ quam roboris. Quod 1. docet à ſubj. potentium, qui urbis cuſtodiam, & defenſionē ſuſceperunt. Et quidem hoc argumentum amplificat adjuncto numero, quod ſcil. unus ſapiens plus poteſt ad urbis expugnationē, quam plures potentes ad ejus propugnationem. Deinde à ſubj. urbis munitione, muris, & aliis roboris firmamentis, quæ ſapiens tranſcendit & dejicit. Atque ut ad urbis oppugnationem, ſic ad ejus propugn. plus virium conſtituit Salomon in ſapientia, quam in robore, Eccleſ. 9. & 2. Sam. 20. 16. In creaturis rationis expertibus hujus Prov. veritas, tanquam in ſpeculo cernitur. Plus enim valet vulpis, aut leporis ſolertia ad ſe adverſus hominum inſidias tuendum, quam tauri aut aſini robur. Crediderim etiam in univerſum verè dici poſſe, virtutes animi corporis & externis bonis eſſe præponendas.

His vero utriſque conjunctim colligatis ad victoriam aptior eſt, & magis idonea cœleſtis ſapientia, id eſt, in Deo fiducia, & nominis divini invocatio, & ad Deum converſio; ut ſi alterutro ex his in bello gerendis neceſſariò cavendum ſit, præſtabilius ſit nudos, & inermes, & belli rudes, quàm in fæce peccatorum hærentes cum hoſte confligere. Vide Eſai. 22. 11. 12. 13. 14. quanta vis ſit in vera pietate ad ſternendum hoſtes. Item Geneſ. 14.

Verſ. 23. Servans os ſuum, & linguam ſuam, ſervat animam ſuam ab anguſtiis.

In פיו (*os ſuum*) & לשונו (*linguam*) eſt metonym. cauſ. effic. In נפשו (*animam ſuam*) ſylecdoche partis. In מצרות (*ab anguſtiis*) eſt metaph. ab anguſtis & arctis locis, ubi corpus ægre pro voluntate verſare poſſumus, tranſlata ad afflictiones quæ nos eo deducunt, ut conſilii inopes quo nos vertamus, neſciamus.

Scopus eſt, quanti ſit verba, & ſermones rectè moderari, docere. Ubi duo docentur: Prius eſt adhortatio ad ſermonis ſollicitam moderationem; alterum, ratio eſt nos in hoc officio continendi.

Videtur hoc loco Salom. hanc doctrinam de lingua probe regenda ſimilitudine illuſtrare portarum, vel oſtiorum Principum, vel maximè urbium, quæ obſidentur, quibus præficiunt janitores, & cuſtodes. Cum igitur os hominis domus ſuæ veluti oſtium ſit, vel civitatulæ veluti porta, ejus diligentem, & aſſiduam cuſtodiā eſſe oportere conficitur. Et quemadmodum tam in domibus, quam in urbibus, obſeſſis præſertim, oſtia maxime adverſus furum irruptionē roborantur, portæ præſidiis muniuntur; ſic in moderanda lingua, ore, labiis præcipua quædam cura adhibenda erit, ut illis rite, & debite utamur. Sed hoc intereſt, quod in illis domeſticis, & civitatū portis ſervandis præcipua cura eſt, ne quis nobis infenſus, & hoſtilē

animum gerens ingrediatur; cum in hac linguæ aſſervatione cautio maxima eſt adhibenda, nequid nobis noxium, aut infeſtum exeat, aut ſe proripiat. Intus enim in animis noſtris ingens cohors eſt peſſimarum & pernicioſiſſimarum cogitationum quæ aut clam nos ſe proripient, aut, gravi in nos impetu, & impreſſione facta, ptoruent, niſi obicibus, & peſſulis diligentis, & experrectæ cuſtodiæ comprimantur.

Quod adjungit, argumentum probè cum Iacobi doctrina conſentit cap. 3. nempe fore, ut, lingua ritè ordinata, totus homo non ſecus bene regatur, quam aut equi, quibus frænum commodum ori injectum eſt; aut navis, quæ clavo regitur. Sicut enim equis, fræno injecto, commodè utentes à multis præcipitiis, & periculis liberamur; & ut navis debito clavi gubernaculo adverſus ſcopulorum, & fluctuum exitialem alliſionem tuta eſt: ſic qui linguam aſſervat, ne quid indecori eructet, ſe à quamplurimis cum hujus, tum futuræ vitæ graviſſimis periculis tutum ſervat. Lata enim & ſoluta linguæ uſura hominem in magnas difficultatum anguſtias conjicit.

Verſ. 24. Superbus protervus, deriſor nomen [ei eſt, qui] exercet furore ſuo ſuperbiam.

In עברת (*furore*) eſt metaph. à rebus corporeis ſuos cancellos tranſilientibus.

Scopus eſt à ſuperbis actionibus furore admiſſis ex adjuncto incommodo infamiæ deterrere.

Superbus qui eſt, idem fere iracundia fervet. Nam iniquiſſime ferens, aliquid fieri, quod ipſi per omnia non adlubeſcit. in illum excandeſcit, qui ejus voluntati contrarius eſt, & vel minimum obnititur. Ex indignatione verò ſtatim pullulat ſtudium vindictæ in eum, cui iraſcitur. Talis igitur ſuam ſuperbiam furenter exercet, & exequitur. Propheta David hoc confirmat Pſalm. 10. 2. ubi expreſſe docet, improbum per ſuperbiam fervide perſequi afflictos, & pios. Hinc illæ ſuperbæ voces; *egóne ut hæc* (*ab illo præſertim*) *feram*? Cujus clariſſimum exemplum extat Eſth. 3. ubi verſ. 6. 7. apparet, Haman. ira incenſum in Mardoch. quod genu illi non flecteret, ilicò non in ejus tantum, ſed totius gentis Iudaicæ exitium molitum fuiſſe; deinde 2. Chr. 26. Uzzæ Regi tribuitur, quod per ſuperbiam uſq; eo elatus fuerit, ut ſacerdotis munus invaderet. Cujus conatibus cum ſacerdotes obſiſterent, ilico illis indignatus legitur, & (niſi à Deo ſubito lepra percuſſus fuiſſet) iis (ut credibile eſt) manus violentas injeciſſet. Contra vero in Moſe, viro manſuetiſſimi ſpiritus, animus extitit ab iracundia alieniſſimus.

Adjuncta pœna ſequitur, infamiæ nota tali homini inurendæ; fore ut pro ſuperbo, protervo, & deriſore ab omnibus ſani judicii hominibus reputetur. Nam qui ſuperbe agit, præſertim furenter, eum merito ſuperbum dici convenit. Deinde ſuperbus idem contumax, & protervus fit, neceſſe eſt, ut qui ſua ſuperbia inflatus in accepta ſemel ſententia perſtat. Denique quod verbis & admonitionibus omnino non emendatur, deriſor jure haberi poteſt. Ipſe ſe forte conſtantem venditabit, & alii porro imperiti haud ſecus de illo judicabunt: ſed interim, qui juſti rerum æſtimatores ſunt (prout meretur) illum ſuperbum, protervum, & deriſorem cenſebunt. Sic fiet, ut, qui gloriam ab hominibus captat, pro gloria ignominia afficiatur.

Verſ. 25. Deſiderium pigri interficiet eum: Nam renuunt manus ejus facere quicquam.

In תאות (*deſiderium*) eſt meton. ſubjecti pro orbitate rei expetitæ. In מאנו ידיו (*renuunt manus ejus*) eſt proſopopeia, ubi manibus pigri affingitur averſum à laborando ſtudium, vide 13. 4.

Scopus eſt ab otio abſterrere. Ubi in poſter. hem. ad vivum deſcribitur piger, nempe cujus manus quicquam facere renuunt; quaſi ipſe animo ſuo non omninò à labore abhorreret, ſed quod ab ejus manibus impetrari nequeat, id eſt, velle eum libenter opus facere, modo illud citra laborem & moleſtiam, & nervorum contentionem fieri poſſet. Unde prius dictum eſt; *pigrum ægre manum vel ori ad ſe paſcendum admovere*, cap. 19. Os ejus non renuit de labore ſermonem facere, & multa de labore faciundo effutire; ſed (ut eſt cap. 14. 23.) *in verbis labiorum nihil eſt, præter penuriam.* Quid, quod *oculis nictet, & pedibus ſuis huc illuc vagatur digitorum etiam ſuorum agitatione* ſui perverſi ingenii indicia præbet; Prov. 6. 12, 13. nec tamen, ut manum ad opus adhibeat, adduci poteſt; 1. Tim 5, 13.

Hujus adjuncti notat deſiderium, de quo vide cauſam ſupra. Quod etiam in fœm. otioſis, & delicatulis verum comprobatur, quæ ſæpiùs, & frequentiùs pica laborant, quam illæ, quæ in aſſiduo labore, & occupatione exercentur. Nec aliunde venit ſæpe deſiderium tam fervens novarum rerum, & peregrinarum in reliquo vitæ cultu. Vide Exod. 5. 8. Ubi Pharaoh novarum rerum ſtudii cauſam aſſignat otium.

Hujus autem deſiderium effectum eſt cruciatus, & mors ipſa, quia, deſiderant, non adipiſcantur, quia in ſuis optionibus & deſideriis modum omnem excedentes in labore & opere, quibus illa, quæ deſiderant, parantur, nulli ſunt. Sicut autem arbor vitæ eſt deſiderium, quod advenit, Proverb. 13. 12. ſic hoc loco dicitur, mortem afferre, cum quis ſuis deſideriis caret. Nam *ſi deſiderium dil tum, & prorogatum hominem graviter cruciat*, Proverb. 13. 12. nedum cum eo penitus privatur. Etſi unius tantum rei deſiderium nos cruciat, nedum plurimarum, quos piger deſiderat. Cujus rei documentum extat in delicatis illis fœminis, quæ pica laborant.

Ex hoc Proverbio liquet etiam, pigrum non modo furem, ſed etiam homicidam eſſe. Nam cum non habet, quod comedat, fit, ut ſimul & alimentis, & ſomno, quem tantopere amat (quibus duobus communis vita hominis ſuſtentatur) privetur. Cum enim cibus deficit, ſomnum etiam, qui ex ciborum exhalatione conciliatur, ab oculis fugere neceſſe eſt.

Verſ. 26. Totum diem continenter deſiderat deſiderium: ſed juſtus dabit, nec cohibebit.

In היום (*diem*) eſt ſynecd. partis pro tempore. Item in צדיק (*juſtus*) ſynecdoche gen.

Scopus eſt; ab otio abſterrendo ad laborem cohortari.

Pigri deſiderium tantum, & tam intenſum deſcribitur, ac ſi ex deſideriis totus factus & conſtructus eſſet; ſicut otium deſideria parere, & numeroſè multiplicare dictum eſt. Nam cum totum diem hoc facere dicitur, & prætereà continenter deſiderium deſiderare, ſummã in deſiderando aſſiduitatem deſignat. Unde etiam illud efficitur, illum nihil habere quod comedat, aut quo veſtiatur. Nam ſi illi, quod expetit, ſuppeteret, expetere & deſiderare illud deſineret. Hinc efficitur, ut quietem indebitam & illegitimã ſectans majorem cruciatum, & inquietudinẽ contrahat, quam juſto labore quantumvis gravi & moleſto contracturus fuiſſet. Quod & in pleriſque aliis peccato-

ribus fit, qui, ſpretis cœleſtibus, hujus mundi aut voluptates, aut commoda perſequentes terram ſimul, & cœlum amittũt.

Hoc ſuo adverſo illuſtrat in poſt. hem. Ubi tamen pro aſſiduo, & diligenti, ſeu induſtrio ſtatuit juſtum, ut doceat, omnẽ pigrum injuſtum eſſe, omnem autem in vocatione ſua (conſcientiâ ergaDeum) aſſiduum juſtum eſſe. Nam cum deſidioſus & idem fur ſit, injuſtum eſſe conficitur.

Induſtrio autem docet (pręſertim cum ſuis cupiditatibus, & deſideriis non, ut otioſus, luxurietur) abundè ſuppetere, cum quod ipſi ſufficiat, tum quod aliis abundè largiatur, Epheſ. 4. 28. Nam qua erga Deum conſcientia ad laborandum incitatur, eadem etiam, ut aliis largiatur, prout uſus poſtulat, adducitur. Nec enim omnis, qui in labore eſt aſſiduus, idem Deo gratus eſt, & acceptus; quandoquidem reperiuntur, qui ſe laboribus fatigant, qui tamen (non minùs, quàm piger) cum ſibi, tum aliis omnibus inutilis eſt, dum, quæ acquiſivit bona, recondita in arca aſſervet, aut in terra defodiat. Et hęc cauſa proculdubio eſt, cur juſtum, non diligentem otioſo hoc loco opponit.

V. 27. *Sacrificium improborum eſt abominatio. Quanto magis, cum in ſcelere offeret illud?*

Scopus eſt improbis ſecuritatẽ & vanam fiduciam excutere. Vide 15. 8.

Cum cultus divinus in operibus palmam ferat, fit ut, cultu per improbos præſtito à Deo exoſo, alia omnia, quæ faciunt, officia, quamcumque ſpeciem pietatis, & juſtitiæ præ ſe ferant, illi ingrata ſint. Cujus cauſa eſt, quod ipſi Deo ingrati, & exoſi ſint; eoque ipſo, quæ ab illis manant, ſingula. Prius enim arborem acceptam eſſe oportet, quàm fructus ejus jucundi eſſe poſſint.

Hic excipiat aliquis, Achabi humiliationem à Deo vita longiore remuneratam eſſe; Item Iehu obſequium in Achabi poſteritate exſcindendâ, & Baalis cultu delendo ad quartam generationem Regiâ dignitate compenſatum fuiſſe. Quomodo ergo Deus ea odio habeat, quæ tamen præmio perſequitur? Reſp. Deum iſta in ſpeciem bona ob eam cauſam remunerare, 1. ut improbos reos magis ſuæ improbitatis teneat, qui ad veram juſtitiam non aſpirant, cum videant pietatis, & juſtitiæ umbram mercede non carere. 2. Deinde ut piis ſtimulos ad pietatem, & juſtitiam exercendam addat, cum videant, improbos tam munificè à Deo accipi, in quibus virtutis ſimulachrum tantum viſitur. Et planè pudor illis eſt, ſi ſe in his operibus, quæ lege præcipiuntur, ab improbis vinci patiuntur.

Inventi ſunt, qui hoſtem ſtrenuè & fortiter contra ſe pugnantem honore affecerunt ut hac in hoſtem beneficentia aculeos injiciant propriis militibus militiam ſtrenuè, & viriliter obeundi. Sic herus ſuum ſervum, qui ſpe mercedis officioſè & ſedulo heri mandata exhaurit, magno præmio afficit ut liberos, & ingenuos, qui amore ducti obſequia pręſtant, ad officia perſequenda animaret. Sed hæc Dei in impios liberalitas hujus vitæ commoda non tranſcendit; quæ bonis ſimul, & malis ſunt communia.

Sed major difficultas oritur ex Chriſti exemplo, qui adoleſcentem dicitur amaſſe, qui tamen ſtudio divitiarum, & hujus vitæ commodorum Chriſtum, ſe ut ſequeretur, jubentem ſequi noluit. Cujus amoris Chriſti non alia cauſa videtur aſſignari, niſi quod civiliter ſecundæ tab. mandata 5. priora obſervaſſet, Marc. 10. 19, 20. Reſp. Chriſtum, ut homo erat, à quo nihil humanum alienum erat, eum dilexiſſe, non quoad Deus eſt. Et nos in impiis hominibus hanc civilem

hone-

honeſtatem, tanquam humano genri utilem, & Eccleſiæ commodam alioſque amare decet. Nihil tamen impedit, quominus Deus iſtiuſmodi homines odio habeat.

In poſter. vero parte declaratur adhuc majus odium in impiorum facinora, & gradus certi ſtatuuntur operum malorũ. Sacrificium improborũ ſemper Deo exoſum eſt, tametſi ejus generis ſit, quod Deus lege inſtituit, tametſi ut boni aliquid conſequatur à Deo, aut hominibus. Oportet igitur illud ſacrificium, & cultum illum Deo exoſum eſſe, ſi ſacrificium ſeu cultus contra legem inſtituitur, ut cũ victimas macras, mãcas &c. ſi fraude partas, ſi à Deo vetitas, ut ſiquis Deo canem aut porcum, aut mures, & ſorices offerret: Deinde ſi illud offerant Deo, ut maleficium, & ſcelus aliquod deſignent, ut Balam & Rex Moab. qui crebras victimas, ſeu ἑκατόμβας obtulerant, ut populo Dei maledicerent.

Hinc liquet, qualis cultus, & quantopere Deo exoſus eſt cultus Pont. qui non tantum Deo ingratus eſt, quod ab infidelibus proficiſcitur, ſed porro quia eſt lege vetitus, ut minus peccarint, qui canem, aut porcum olim offerebant, quam qui miſſitant. Deinde cum nulla miſſa ſit, quæ Deo abominabilis non eſt, tum illæ præcipuè, quas auguſtiſſimas & ſanctiſſimas eſſe ſtatuunt, nempe Miſſæ (ut loquuntur) Spiritus ſancti, quas Conciliis præmittunt; ut quæ propterea Deo offerantur, ut ejus auſpiciis veritatem oppugnent, & Eccleſiam Chriſti verè catholicam extinguant.

Euangelici etiam, qui in fœcibus avaritiæ, ebrietatis, incontinentiæ hærentes ſe externo Dei cultu, & exercitiis pietatis Deum placare opinantur, turpiter falluntur. Hi autem imprimis Deo exoſi, & abominabiles ſunt, qui, cum ſe peccatis penitus addixerint, cultu tamen Dei externe defungẽdo id agunt, ut boni viri videantur. Præterquam enim quod ſacrificium ex eo ingratũ eſt, quod improbi ſint, atrocius peccant quod cultum obeunt, ut hominibus imponant, ob eamque ipſam cauſam Deo magis exoſi, & ingrati ſunt.

Verſ. 28. Teſtis falſitatum peribit: ſed vir auſcultans in æternum loquetur.

In שמע (*auſcultans*) eſt ſynecd. partis pro omni certa intelligendi rem aliquam ratione, ſive ſit oculo, &c. ſive experimento. In לנצח (*in æternum*) eſt ſynecd. totius.

Scopus eſt teſtimonii inviolatam fidem conſervare.

Teſtium eſt in Eccleſia, Republ. & familia eximius uſus ad lites, & controverſias finiendum: eoq; magna cura adhibenda eſt, ut quã integerrimi ſint, & fide ſua caſti, qui teſtimonium dicunt. Ad eam rem 2. ſtimulos hoc Proverb. Salom. adhibet; priorem ab adjuncta pœna teſtis falſi: alterum ad adjuncto præmio fidelis teſtis.

Pœna fidem in dictis fallentis eſt interitus. Sed antequam ad argumenta veniam, videndum, quis ſit hoc loco falſus teſtis. Inquirenti vero facilè occurret, aliter hoc loco ſumi falſum teſtem, quam nono mandato. Arctior enim eſt falſi teſtis acceptio hoc loco, quam ibi. Nam ibi linguæ errata ferè omnia, quæ in proximum feruntur, comprehenduntur: hic vero ex poſter. hemiſt. intelligitur, is, quẽ propriè teſtem vocamus. Teſtis igitur falſus hoc loco eſt, non is modo, qui mendacium dicit, ſed qui etiam, quod verum eſt, teſtificatur, cujus certam, & indubitatam notitiã non habet, id eſt teſtatur, quod nec vidit, nec audivit nec expertus eſt. Cum enim teſtis legitimus eſt is, qui audita, viſa & perſpecta teſtatur, falſum teſtem eſſe, qui incerta pro certis effutit,

 palam

palam eſt. Ex quo illud liquet, cuique teſtimonium dicturo prius cum ſuo animo agendum eſſe, quam linguam ſuam ad loquendum ſolverit; & excutiendum non tantum quo animo dicturus ſit, ſed porro, quibus fulcimentis ſuſtentetur, quod dicturus ſit. Antequam ergo ſe coram judice ſiſtat, oportet tribunal in ſuo ipſius animo erigat, unde de veritate ejus, quod pro teſtimonio dicturus ſit, ſententiam ferat: Deinde de verbis diſpiciendum, ut illa ſeligantur, quæ ad ſenſa animi exprimendum idonea ſint, ne aut latius pateant, aut contracta magis ſint, quam res, & veritas poſtulat. Quod cum omnibus faciendum ſit, tum Miniſtris verbi præſertim ſtudioſe obſervandum, qui non hominum, ſed Dei cum ſermones, tum facta teſtantur. Vnde eſt illud Chriſti Ioh. 3.11. *quod novimus, & quod videmus, teſtamur.* Vid. 1. Cor. 11.23. & 15.3.4.

Ad pœnam falſi teſtis venio; ubi obſervandum eſt, lege Dei civili, & politica in cauſis accuſatoriis cautum eſſe, ut falſus teſtis lueret pœnas, quas ſubiturus erat is, contra quem falſum teſtimonium dicitur. Civiliter igitur ſæpe perit falſus teſtis: Sed, ut civile judicium effugiat, tamen Dei judicium non poteſt declinare. Deus enim eſt velox & teſtis, & judex, contra falſos teſtes. Quamobrem Magiſtratus gladius diſtringendus eſſet, ſi Dei gloria aliquo apud nos pretio eſſet. Siquis nomen noſtrum petat, ilico excandeſcimus, ſtatim in jus vocamus; ſed ſi Deus blaſphemiis oneretur, & veluti transfodiatur, nulla ejus cura ducimur.

Quod ſi falſus teſtis perit, qui injuratus teſtimonium dicit (ſicut in Rep. Dei ſub lege factum eſſe conſtat ubi juramentum tantum exigebatur, cum teſtes deeſſent; & ubi teſtis falſus non ob perjurium plexus eſt, ſed illa tantum pœna, quam reus luiturus erat, ſi objecti criminis teneretur) Deut. 19.16. ad 21. quid noſtris, qui jurati teſtimonium dicunt, fiet? Et, ſi falſus teſtis perit, quid judici injuſto obveniet?

Præmium vero veridici teſtis eſt, quod ſemper loquetur id eſt, quamdiu vivit. Omnes enim ejus teſtimonium expetent; nec illi in foro nunquam interdicetur teſtimonium dicere. Ex quo etiam alia pœna concluditur falſis teſtibus irroganda; nempe quod illis os obthurabitur; ne ad dicendum teſtim. admittantur.

Verſ. 29. Obfirmat vir improbus faciem ſuam: rectus autem aptat viam ſuam.

In העז בפניו (*obfirmat faciem ſuam*) eſt mataph. à viatoribus, qui iter aliquod animo ſuo decreverunt conficere. ſtatuentes, omnibus, quæcunq; objici poſſunt, ſuperatis obſtaculis, in itinere ſuſcepto pergere. יכין דרכיו eſt alia metaph. à viatore, qui prout uſus eſt, & pro re nata viam init, hac vel illac deflectit, regreditur, progreditur, prout officium poſtulat.

Scopus eſt, condemnata pervicacia, facilitatem in officio commendare.

Satanæ fraus eſt hominem ſemel in errorem inductum eundem, ut in ſuſcepto perſiſtat, impellere. Præterquam enim quod peccatum ex ſe illecebroſū eſt; ita ut quemadmodum, deguſtatis deliciis, illas impenſiùs appetimus: ſic, peccato ſemel admiſſo, cupiditas peccandi magis accenditur. Satan autem per ſe, aut ſuos ſatellites nobis rationes ſuggerit, quibus in peccãdi ſtudio retineamur; ut quod levitatis foret inſtitutum curſum abijcere: præſtabilius fuiſſe nunquam inijſſe hanc viam, quàm initam relinquere; item quod plures ſunt, qui hoc genus vitæ ſequuntur, iidemque non infimi ordinis homines, nec in rebus gerendis inconſiderati; contrà, eſſe perpaucos, qui ab hac via abhorrent,

horrent, eoſque hoc nomine omnium ludibrio expoſitos: neque periculis à maleficiis deterrentur, tanquam eſſent fœderati cum morte, & inferno. Eſai.28. Quæ omnia non tam promptè in aures inſuſurrantur, quàm avidè & ſitienter à nobis arripiuntur. Neque verò hic ſubſiſtit hominis hujuſmodi improbitas, ſed progreditur ulteriùs, quia adhortationes, & caſtigationes, quæ ad illum ſanandum adhibentur, neglectui habet. Ex quo illud efficitur, non eſſe pro improbo ilico habendum, qui mali aliquid admittit, aut vero ſceleris aliquid perpetrat; ſed illum demum, qui in ſcelere perſtat, maximè cum, ut reſipiſcat, & ſe corrigat, medicamenta adhibentur.

Hujus vero impudentiæ cauſa eſt cor lapideum, & præ duritie cum petra comparandum; unde neceſſe eſt, ut frons dureſcat. Petreum enim cor (quo omnes improbi prędititi ſunt) æneam, & ad amantinam frontem non parere non poteſt. Tanquam enim perfrictæ frontis meretrices, erubeſcere, & pudore ex peccato ſuffundi nequeunt. Ier.3. Ezek.5. Hujus obfirmationis illuſtre exemplum extat in Bal' qui, cum ſemel pecuniæ, & honoris à Rege Moab. promiſſi illecebra irretitus tenebatur, nullis nec Dei monitis, nec objectis in itinere obſtaculis retardari potuit, quo minus, quam mercedem iniquitatis adamavit, conſequeretur. Num. 22. Vide exemplum Phara. Exod. 7. 8. 9. 10.

In poſt. hemiſt. illuſtrat prius ab adverſo piorum & rectorum ſtudio, qui non ita à ſuis affectibus tranſverſi rapiuntur, quin rei, quam aggrediuntur, & in manus ſuſcipiunt, univerſam adminiſtrationem animo proſpiciant, ut quibus veluti paſſibus eo proveniant quo conſtituant, præcipiant. Quo fit, ut tuto poſſint, quem curſum ingreſſi ſunt tenere. Quod ſi illis aliquid humanitus accidit, ut errore decepti ſint, tamen in errore non perſtant; ſed ut periti Naucleri tempeſtati veluti concedentes curſum navigationis inflectunt, ut portum conſequantur, nec temerè cum ventorum, & fluctuum impetuoſa violentia luctantur; quod improbi faciunt, qui iter, utcunque periculoſum (quia ſuſceptum eſt) ad extremum tenere volunt. Vide Abrahami proſpicientiam ad Dei mandatum de offerendo filio exequendum; quomodo rem celat, faſcem lignorum ſecum fert, quomodo ſervos, qui illum impedirent, procul ſubſiſtere jubet. Vide etiam Davidis exemplum, qui, tametſi ira incenſus Nabalis mortem decreviſſet, & ſe juramento ad illam cædem obſtrinxiſſet, tamē admonitus à fœm. pedem retulit.

Hic tamen notandum eſt, pios non minus in bono conſtantes eſſe oportere, quam improbi in malo ſint pertinaces. Unde etiam laudi ducitur Danieli, quod faciem ſuam obfirmavit, ut Deum precaretur, & quæreret Dan 9. item Chriſto, quod faciem ſuam Hieroſolymam verſus oppoſuit, ut ilue mortis oppetendæ causâ proficiſceretur. Luc. 9. 51.

V. 30. *Non eſt ſapientia, nec eſt intelligentia, nec eſt conſilium adverſus Iehovam.*

Scopus eſt vanam hominum in ſua verſutia, & calliditate fiduciam convellere.

Sapientia eſt virtus, qua celeri, & expedito animi motu, & ratiocinatione res alioqui amplas, & magnas complectimur.

Intelligentia eſt virtus, qua longo rerum uſu, & experientia edocti de futurorum ſucceſſu decernimus.

Conſilium eſt animi deſignatio ex duabus illis virtutibus prognata.

Et certè magna eſt ſapientię pręſtantia præ ſtultitia, ut eſt lucis præ tenebris, dū-

modo

modo fines ſuos non tranſiliat, nec ad rerum malarum machinationem adhibeatur. Sed cum in Deum, qui illam dedit, feratur, ejus lux obtenebratur, & ejus acies retunditur. Ut enim acies oculorum, quantumvis firma, & valida, directo in ſolem intuitu hebetatur: ſic humana ſapientia &c. utcunque inſtructa, liqueſcit, cum in Deum ſtringitur. Eſt quidem (inquit Eliphaz Iob.12.) ſapientia, & in longitudine dierum intelligentia; ſed, ſi verè loqui velimus, apud Deum eſt ſapientia, & robur ejus eſt conſilium, & intelligentia: quaſi dicat, ſapientia, quæ eſt in hominibus, etiam conſultiſſimis, vix digna eſt nomine ſapientiæ præ illa, quæ eſt Dei: Eſai.14.25. [Nam Jehovah exercituum conſilium cepit, & quis illud irritum faciet?] Si igitur inter homines is, qui altero ſapientiâ &c. inferior eſt, ab illo ſuperatur, qui illi ſapientiâ præſtat, ita ut illum circumeat, eumque non ſecus, quàm ſi infans eſſet, tractet; quis dubitet, quin Deus infinitâ ſua ſapientia omnium hominum conſilia quantâcunque ſapientiâ & prudentiâ concocta, & digeſta facilè diſſipabit; &, quod majus eſt, in ſuam ipſorum perniciem contorquebit?

Hic tamen quærat aliquis, an ſint in toto terrarum orbe hujuſmodi hominum monſtra, qui ſua conſilia Dei conſiliis opponent? Maximè, ut hujus Proverbii uſus longe lateque pateat. Vide Pharaonem, qui, ut conſilium Dei de populo ſuo educendo irritum redderet, multa ingenioſa conſilia excogitavit. Vide etiam Achabum, qui, ut conſilium Dei de poſteritate ſua extirpandâ eluderet, operam liberis procreandis tam ſtrenuè navavit, ut 70 filios poſt ſe reliquerit, quos primariis viris in munitiſſima urbe cuſtodiendos commiſit 2.Reg.10. Vide etiam Herodis exemplum, qui, ut Chriſtum interficeret, omnes bimulos, agri Bethlemitici interficiendos curavit, ne proprio quidem filio (ut hiſtoria teſtatur) parcens; præter vafrum conſilium, quod cepit de exploratoribus, qui Chriſtum inventum illi renuntiarent, ut per ſpeciem adorationis illum trucidaret.

Sed quid vetera refricamus, cum recentia ad manum ſint? Aut externa, cum adſint domeſtica? Videmus, enim ſynagogam Satanæ, quæ conſilia dies noctesque agitat, ut ſponſam Chriſti è medio tollat. Propiùs accedamus ad illos, qui Euangelium profitentur: Qui, tametſi ignorare nequeunt, eos conſilio Dei contemptos iri, qui Deum non honorant; tamen putant, ſe ſuis callidis conſiliis effecturos, ut ſuam exiſtimationem tueri poſſint, tametſi in ſua illa pravitate, qua Deũ cõtumelia afficiunt, perſtent. Et quanquã bellè norint, divitias per vim, & fraudem partas Dei decreto diſſipandas ad poſteritatem non eſſe tranſmittendas, ſua tamen prudentia, & conſiliis ſe effecturos putant, ut illorũ poſteritas illis perfruatur. Sed ut Iohar Achabi, & Herodis conſilia perierunt; ſic & horum caſſa erunt.

V.31. *Equus paratus eſt in diem belli: ſed Iehovæ eſt ipſa ſalus.*

In סוס (*equus*) eſt ſynecd. partis pro omni apparatu bellico, equitibus, peditibus, armis, muris &c.

Scopus eſt vanam hominum fiduciam in viribus, & armis convellere.

Equos, & currus, & apparatum bellicum inſtruere non modo non damnatur, ſed porro hoc proverbio fas eſſe confirmatur. Nec enim dicitur, improbos hunc apparatum facere, ſed in univerſum ab omnibus fieri dicitur. Et certè, niſi Deus è cælo aliam belli gerendi rationem præcipiat (ut olim declarandæ ſuæ potentiæ causâ in Ionathane 1.Sã.13. Et Gideone Judic.7.feciſſe legimus,) bellum ſine hoc apparatu ſuſcipi nõ debet. Si cui belli ne-

ceſſitas

ceſſitas incumbat, & illi etiam invito ad manus veniendum ſit, bellum in hujuſmodi caſu gerendum erit, tametſi iniquo Marte potiùs, quam ut ſe hoſti calcādum præbeat. Quinimo Sal. cui conſtans pax à Deo promiſſa eſt, currus tamen 4000. & equites duodecies mille in ſingulos annos aluit.

Quod ergo hoc Prov. docere vult Propheta, eſt, ſummam, & caput victoriæ non eſſe in his ſtatuendum, neque oportere homines in his (quod plerunque fit) acquieſcere. Vide Eſai. 22.11. *Equi enim caro ſunt, non Spiritus; Ægyptij homines ſunt, non Deus.* Vnde etiam væ illis denuntiatur Eſai. 31.1.2.3. & Pſal. 33.17. Perinde enim eſt, ac ſi *arundini Ægypti quis incumberet, quæ illum non modo non fulcit, ſed porrò fodicat*; neq; magis juvabūt equi ſuis ſeſſoribus inſtructi, cum Deus nobis propitius non adſit, quam equi nudi ſuis equitibus deſtituti, & defecti.

Summa vero victoriæ, & ſalutis ex victoria Dei unius eſt. Pſ. 39. Quamobrem fiduciam in eo ponamus oportet; ille invocandus eſt; ad illum verâ reſipiſcentia convertendum eſt; bellum legitimis de cauſis eſt ſuſcipiendum; legitimè ex norma verbi divini gerendum; ebrietas; fornicationes, adulteria, lites, jurgia procul à portis releganda. His enim muri demoliuntur; effringuntur enim quorum ſuffragines, lanceæ truncantur, haſtæ comminuuntur. Fruſtra igitur aut conſiliū capitur aut acies inſtruitur, aut ſtrenuè pugnatur niſi primum cœlum nobis amicū, & benevolū reddatur. Inde enim inſenſibiles lapides, & ſagittæ emittūtur, in quod nulla noſtra tela vibrare poſſumus.

Ex utriſque his Proverbiis facilè colligitur, quā noſtris aut viribus, aut ſapientia ad ſalutē æternā conſequendā inepti ſimus; quandoquidē præſentem hanc vitam propriis aut viribus, aut ſapientia tueri conceſſum non ſit.

CAPUT XXII.

Verſ. 1. Optabilius eſt nomen divitiis amplis, & auro, & argento gratia bona.

In שם (*nomen*) eſt ſyn. gen. pro fama bona, ut ex poſteriore hemiſt. liquet. Item in זהב (*aurum*) & כסף (*argentum*) pro multo argento, & auro multo; quod ex poſt. hem. conſtat.

Scopus eſt ad ſtudium virtutis, unde bonum nomen comparatur, excitare.

Fama, & exiſtimatio commendatur ex comparatione minorum ſcil. divitiarum, atque adeo auri, & argenti, quorum qui copiam habet, res admirabiles efficere poſſe exiſtimatur, omneſque illi devotos iri, & illi veluti obſequentes.

Primum fama bona plus prodeſt ad vitæ conſervationem, & ſecuritatem, quam divitiæ. Nam in hominum benevolentia, unde exiſtimatio, & fama naſcitur, hujus vitæ cuſtodia tutiſſima eſt. Sic enim fit, ut non ſæpe tendiculæ ſtruantur vitæ, aut ſi inſidiæ ab invidis exiſtimationis noſtræ ſtruantur, non deſunt, qui poſitas inſidias detegunt: contrà vero divitiæ, aurum, & argentum pro illecebris ſunt, quibus cum fures clàm, tum oppreſſores apertè vitam petunt; eoque hoc faciunt magis, quo ſunt divitiis, auro, & argento abundantiores.

Deinde ad vitæ pacem, & tranquillitatem certior, & firmior eſt; quam ſunt divitiæ. Vix enim aut ne vix quidem invenitur magnis opibus inſtructus, quin idem multis litibus, & in jure diſceptationibus implicatur. Quo ſpectat, quod bona fama plures ſibi amicos, eoſque magis fideles, quam divitiæ conciliat. Eſt enim

inſtar effuſi unguenti Cantic.1.Unde eſt, quod bonū nomen cum gratia bona conjungatur. Hinc ſunt Prov.noſtra; *A mans cauſe is ended,as he is friended: & A friend in Court is better then a penny in the purſe.*

Sicut autem ad hanc vitam opportuna magis eſt honeſta fama; ſic poſt hanc vitam præſtabilior. Nam cum divitiæ cum morte nobis pereant, & eripiantur, tamen honeſta fama poſt mortē ſuperſtes manet Prov.10.7.& facit,ut mortui quodammodo vivant.Hinc eſt,quod 2.Sam. 7. 23. veluti ſingulare Dei beneficium notatur, quod populo Dei nomen, & famam tribuiſſet magis celebre, quàm ulli populo; cum tamen plures populi extarent,qui divitiis, auro & argento inſtructiores fuerint.

Famâ divitiæ ſæpe parantur, fama divitiis non redimitur: fama bonis modo, divitiæ vero etiam improbis obtingunt.

Quam ſtudioſi igitur boni nominis tuendi pii fuerint, Vide Nehem.6. 10. 11. & 2.Cor.8.20.21.22. Quo magis damnandi ſunt, qui ob inanem voluptatulam vini,veneris, aut lucellum rem pretioſam veluti profundunt, & ſibi notam infamiæ nunquam,niſi reſipiſcentiâ,delendam accerſunt,& ſe magis contemptos reddunt, quàm eſt lutum plateārū,imo vero,quam ſunt ipſa hominum excrementa.

Parta vero honeſta exiſtimatione, tanto major cura in illa tuenda adhiberi debet, quod divitiæ amiſſæ recuperantur, fama non item.

Sed hic operæpretium eſt, ut nobis juſtum finem nominis noſtri tuendi proponamus. Plerique enim ſunt, qui à vini exceſſu, crapula, venere, direptionibus, munerum corruptelis abhorrent,magnāque rationem exiſtimationis agunt uſque adeo,ut mortem ſibi oppetendam potius ducant,quam illa admittēda,quibus probro,& contemptioni ſint.Sunt enim gloriæ,& honoris ſitientiſſimi; qui ſe etiam Deo, & Euang. oppoſituri ſunt potius, quàm gloriæ propriæ jacturam,& diſpendium facere velint. Pii autem ſuæ æſtimationis tuendæ ideo ſoliciti ſunt,ut,quæ in illos dona Deus contulit, doctrinæ,ſapientiæ,eloquentiæ, plus hominibus proſint; quandoquidem, poſtquam ſua ſe improbitate infames & deſpicabiles reddiderint,quæ dicunt,& quæ faciunt, omnia parvi fiunt. Hinc eſt,quod Apoſtolus non tantum doctrina, & literis excultos exigit eos, qui Miniſterium obituri ſunt, ſed porro ut bono teſtimonio vitæ inculpatè actæ ornentur, etiam apud exteros, & alienos à religione 1. Tim.3. Quod idem à Magiſtratibus requiritur. Nam ſicut cibus ſalutaris, atque adeo delicatus obſcæna patina propoſitus faſtidium, & nauſeam moveat; ſic præclara Dei dona, quæ turpi, & obſcœna manu diſtribuuntur.

Quod ſi ab hominibus æſtimari, & in eorum bona gratia manere divitiis præſtabilius ſit; quanto magis à Deo præpotente æſtimari, & amari divitiis præſtabilius eſt? Ut prophanos Eſavos eſſe oporteat,qui cum momentaneis hujus vitæ commodis gratiam Dei,& benignitatem commutant.

Quamobrem cavenda eſt illa fama,qua Deus amittitur;ſicut contrà probrum extimeſcendum non eſt, quod ex officio Deo præſtito naſcitur,Mat.5.

Verſ. 2. Dives, & pauper occurrunt: factor omnium illorum eſt Iehovah.

Scopus eſt divites, & pauperes mutuis inter ſe officiis devincire.

Propter diſſimilem conditionem pauperum,& divitum magnū etiam ſæpe eſt animorū divortium,ut divites non niſi divites ament; nec pauperes,niſi qui inedia

ſuæ

(ut ipſi)urgentur; ut pauperes cœlorum regno divites indignos & inidoneos, divites pauperes terræ habitatione ſtatuant: unde etiam illi pauperum viciniam, nedum amicitiam refugiunt; hi vero à divitum vicinia(ne ab illis deglutiantur) abhorrent; tanquam duos mundos eſſe expediret,unum pauperum, alterum divitum.

Propheta vero, ut has ſimultates reſtinguat, argumentum ducit à communi effecto inter ſe occurſandi. Non igitur mutuis odiis ardere debere, & abinvicem abhorrere; non eſſe ut feræ beſtiæ, quas Deus ab hominibus procul in ſilvas, & deſerta loca removit,ne illis noceant; ſed ſicut cicuria, & domeſtica animalia nobis ad vitæ uſum utilia: ita etiam pauperes divitibus, & contra,utiles, & commodos eſſe oportere docet. Nam ſi quæ beſtiæ congregabiles ſunt, aliquid momenti afferant ad vitæ commoditatem eorum,quibuſcum conſociantur, nedum id in hominibus uſu venit, qui rationis participes ſunt. Eſt autem ita comparatum, ut paſſim in omnibus non regnis tantum, & provinciis, ſed oppidis & pagis, Eccleſiis, denique familiis amplioribus pauperibus divites permiſceantur Vnde eſt illud Chriſti,*pauperes ſemper habebitis vobiſcum,me non ſemper*,Matth.26.

Sed præcipuum argumentum eſt ab efficiente hujus occurſationis, nẽpe Deo, qui ſua ſapientiſſ. providentia ſic diſpoſuit, non tantum ut ſuam hoc modo ſapientiam notam faceret, qui(ut in artibus fit) opus ſuum hoc modo magis arte elaboratum,fecit,dum ex variis hominum ordinibus, nobilium, divitum, & pauperum; Magiſtratuum,ſubditorum (tanquã ex variis coloribus, & imaginibus tapetum) humanam ſocietatem conſtare voluit; ſed etiam hominum ipſorum bono. Plæræque enim ſunt hujus vitæ functiones, quibus obeundis divites, & nobiles idonei non ſunt, quæ tamen ita ſunt neceſſariæ,ut illis humana ſocietas carere non poſſit; ut ſunt ſervitus, & herile imperium. Neque enim hæc ſocietas conſiſteret,niſi eſſent, qui paupertate coacti ſe in ſervitutem dederent.Sicut enim caput pedi dicere non poteſt, tua opera non egeo; ita nec dives pauperi. Deinde niſi eſſent divites qui pauperum inopiæ,quod deeſt,ſuppeditarẽt,fame,aut frigore,enecarentur pauperes.

Quid quod non tantum in ſervilibus, &corporeis miniſteriis magnis adjumentum divitibus afferunt pauperes, ſed aliquando etiam plurimum afferunt præſidii ſuis ſanis,& ingenioſis conſiliis,ut de Naamani ſervo legimus 2.Reg.5. Salomon etiam teſtatur, urbem obſeſſam à paupere liberatã eſſe, Eccl.9. Deus enim quandoq; ſuos theſauros in abjectos confert,ut illos à divitum,&Magnatum contemptu vindicet. Et ſicut nulla regio tam ſterilis eſt,quæ certis à Deo donis dotata non ſit,quibus opulentiſſimo regno proſit, ut hoc modo populos longo maris &terræ intervallo diſtractos inter ſe devinciret: ſic neque ullus hominum ordo eſt tam humilis,qui ſuam ad hominum ſocietatem tuendam ſymbolam non confert.

Apage igitur iſtas inter divites,& pauperes inimicitias: Apage divitum erga pauperes faſtidium: Apage pauperum in divites invidiam niſi fortè nobis cũ Deo, Gigantum more bellare libeat.

V.3. *Aſtutus prævidet malum, & abſcondit ſe: ſed fatui tranſeunt, & mulctantur.*

In ערום (*aſtutus*) eſt metaphora,à nudis tracta,qui ſe huc,illuc verſant.

Scopus eſt homines ad cautionem, & circumſpectionem, excuſſo veterno, & ſecuritate,excitare.

Aſtutia hæc oritur primum ex uſu rationis animi confuſis perturbationibus minimè obfuſcatæ, aut oppreſſæ. Deus enim hoc rationis lumen in hominū mentibus collocavit, ut ejus beneficio, & diſcurſu ſibi à malis impendentibus caverent. Et certè hujus rationis beneficio multi ſunt nulla Spiritus ſancti ſcintillâ imbuti, qui incommoda ex ebrietate, adulterio, contentione, ambitione longè ante proſpicientes, ſobriè, caſtè, pacificè, & modeſte (quoad civilem vitæ rationem) vitam ſuam agunt: Vt qui hæc flagitia deſignent, in ipſius rationis normam peccent, & in naturæ lumen rebelles ſint. Sed hanc lucem rationis, tanquam ſtellæ, longe ſuperat lumen verbi, tanquam ſolis ſplendor, quod ſervū Dei cautum reddit, & circumſpectum Pſal. 19. quod etiam adoleſcentem ſenibus, præceptoribus, & hoſtibus ſuis magis aſtutum reddit, Pſal. 219. 98, 99, 100,

Prioris partis aſtutiæ exemplum proponitur in Ioſepho, qui, cum ſpiritu prophetico prævidiſſet ſeptem annos famis, rationis diſcurſu prævidit etiam quanta damna inde regno Ægypti, maxime Eccleſiæ imminerent; ideoq́, rationem inivit, qua damna illa depelleret, ſeque, & alios ab ingruente malo occultavit.

Poſterioris vero partis aſtutiæ egregium exemplum exiſtit in Rechabo, qui Prophetarum minas probè expendens, & peccata populi, quæ renunciaram Babilonis captivitatem accerſerent, filios ſuos ad illam captivitatem æquius ferendam ſeveriore victus rationi efformavit. Idem dici poteſt de Eccleſia, quæ Hieroſolymis in deſerti oppidum Pellam nomine commigravit, ut exitialem Romanorum obſidionem à Chriſto infra ſæculum venturam declinaret, Apoc. 12. 14. Sic Noah diluvium ingruens ex verbo videns ſe in arcam recepit.

Quamobrem neque rationis lumen nobis naturâ conceſſum ebrietate, fornicatione, gulâ obruendum, & comprimis elaborandum, ut cœlitus verbi notitia illuſtrati nobis perfugium a judiciis futuris comparemus, Quod tum vel maximè fit, cum fiducia in Deum nos in illius protectionem conjecerimus. Vide Eſai. 26. 20; cum illum precibus in auxilium advocamus, Pſal. 17. 8, 9.

Hæc doctrina ſuo Adverſo illuſtratur, quod *fatui tranſeant &c.* fatui igitur ſunt, qui, lumine naturæ extincto, & cœleſti lumine poſtpoſito, perturbationum tempeſtate, & veluti turbine impulſi præcipites in mala ruunt, non ſecus, quam *animalia rationis expertia ad capturam facta*, 2. Petr. 2, 12. imo ipſis brutis beſtiis deteriores ſunt. Sunt enim aves (ut grues, & Ciconiæ,) quæ ſenſu quodam, & præceptione ingruentis hiemis ſe in calidiora loca opportune recipiunt; Iumenta etiam pręſagio pluviæ mox venturæ ſe ad ſua latibula convertunt: fatui vero iſti ſuis cupiditatibus occæcati præcipites in pericula acti pereunt. Tanquam enim oculis capti ne ea quidem vident, quæ ante pedes poſita ſunt, ſed tanquam boves ad mactationem nihil cogitantes cupiditatum ſuarum funicolo ducuntur Hujus illuſtre exemplum extat Iudic. 18. 17, 8. in civibus Laiſhis. Ex hac autem improvida agendi ratione pullulat ſtultorum illud *Non putâram.*

Ex quibus omnibus illud colligitur, providentiâ divina, quæ omnia regit, & quæ, ſingula, quæ, fiunt, neceſſario ſuo tempore, & modo à Deo præſtituto perficit, non impediri, quo minus & ea conſultis factis laudemur, & damnemur temerariis. Neque enim voluntas noſtra providentiam tollit, nec providentia voluntatem.

Qui etiam hac ſententia abutuntur ad ſe à perſequutionibus cum veritatis diſpendio aſſerendum, quaſi à Salomone

mone

mone laudaretur ἀμφοτέρων τῶν ποδῶν κόθορνος, illam in ſenſum prorſus alienum trahunt. Nec enim illa aſtutia, ſed callida quædam vafrities cenſenda erit, qua malum non declinatur, ſed attrahitur, & acceſſitur.

Quod autem non dicit Propheta illos nihil prævidere, ſed tranſire tantum, & mulctari, eò docet, fieri aliquando, ut iſti fatui mala ventura provideant, ſed tamen ita à ſuis cupiditatibus tranſverſos rapi, ut viventes, videnteſque (quod dicitur) pereant, & tanquam Amphiaraus, ad interitum ſcientes properent (ut in illa factum legimus, quæ dixit: *Video meliora proboque: deteriora ſequor*) tanquam oculis præditi ad videndum malum pedibus capti ab illo fugere nequeunt.

Ebrioſi enim & adulteri non ſunt neſcii infamiæ & ignominiæ, morborum & ægritudinis, quæ ex ſua intemperantia contrahunt; nec tamen ſenſu incommodorum præſentium in hoc ſæculo, aut venturorum ſæculo futuro à ſuis illis flagitiis abſterrentur.

Verſ. 4. Præmium humilitatis cum reverentia Iehovæ ſunt divitiæ, honor, & vita.

In עקב (*præmium*) eſt metaphora à calce extrema corporis parte ad ſignificandam mercedem, quæ ad extremum, ſeu calcem operis datur (ut Pontific. deliros eſſe conſtet, qui ex mercedis, & præmii vocibus meritum concludunt.)

Scopus eſt homines ad ſinceram minimeque fucatam animi ſubmiſſionem animare.

Scite dictum eſt, περιπεπτύχασι ταῖς ἀρεταῖς αἱ κακίαι, καὶ εἰσί πως ἀγχίθυροι. Eſt enim humilitas quædam in ſpeciem, quæ veræ humilitatis nomen non meretur; ut qui abjectione quadam animi ea munera refugiunt, quæ illis vocationis ratione incumbunt. Vide exemplum Saulis, 1. Sam. 10. 22. Alii magnam animi ſubmiſſionem præ ſe ferunt, cum intus in animo ſuperbia turgeant. Vide exemplum Absholonis, 2. Samuel 15. 5. In quo genere plerique apud nos reperiuntur, qui ſe ſervos illis profitentur, in quos dominatum, (ſi poſſent) exercerent; & in quos imperium obtinere ſe dignos putant. Hi ſunt, quibus animus erectus, & excelſus eſt, cùm capita demittuntur, & flectuntur genua. In cultu etiam divino eſt humilitas quædam idololatrarum, quæ Deo exoſa eſt; de qua Propheta Eſai. 2. 9: item alia, quæ ex ſenſu iræ divinæ, & metu pœnæ naſcitur tantum, ut illa Achabi, 1. Regum 21. 27.

Propheta ergo veram animi humilitatem à larvatis iſtis diſcludit hac differentia timoris Dei; ut illa demum vera humilitas ſit, quâ quis ex timore Dei, & ſerio ſenſu vilitatis & iniquitatis ſuæ ſubmiſſe de ſe ſentit. Qui enim verâ Dei notitia præditus, & divinæ majeſtatis amplitudine affectus ab ejus offenſione ſibi metuit, eum neceſſe eſt propriæ turpitudinis conſcientia deprimi, quæ illum ad obſequium Dei inidoneum & averſum penitùs non reum agere non poteſt.

Ad hanc animi ſubmiſſionem hortatur ab adjuncto prœmio, eoque multiplici. Primùm quidem in univerſum Deus hujus vitæ commoda piis promiſit, eoque ipſo animo ſubmiſſis 1. Timoth. 4. Deut. 28. Speciatim vero eos, qui ſubmiſſo animo ſunt, Deus benedictione divitiarum ornat. Sicut enim valles aquarum ex montibus decurſu fœcundantur: ſic humiles, & ſubmiſſi animo benedictione Dei, quæ una divites reddere poteſt, locupletantur. Hujus exemplum extat in Abrahamo, qui poſtquam ſingulari animi

ſubmiſſione Lotho ceſſiſſet, & optionem dediſſet, ut, quam illi partem agri adliberet, eligeret, illico promiſſionem latifundii, & ampliſſimæ hæreditatis accepit, Geneſ. 13. 14. cum Loth. arrogantiæ ſuæ mercedem omnium jacturam paſſus ſit. Huc ſpectat Chriſti dictum; [beati manſueti, quia illi terram hæreditate poſſidebunt.] Item Pſalm. 22. 27.

Honorem porro haberi his, qui ſunt animo humili & ſubmiſſo, declarat Proverbium ſæpius decantatum; *Qui ſe humiliat, exaltabitur*; ſicut contrà qui ſe effert, deprimitur. Item illud Prov. 18. 12. Ante confractionem elatus eſt viri animus, & honorem præcedit animi ſubmiſſio. Vide 1. Pet. 5. 6.

Denique vita promittitur ei, qui ſubmiſſo ſpiritu eſt. Pacem enim colentes (cujuſmodi ſunt hi, qui ſunt humili ſpiritu; ſicut ſuperbi referente Salomone, ſunt contentioſi) vita longa, eademque commoda utuntur Pſal. 34: & 1. Pet. 3. 10: Pſal. 22. 27.

Notũ eſt ex tribus his ſingula ſeorſim ſtudio magno, & ſumma contentione maximiſque vigiliis quæri. Spiritus ſanctus autem nobis hæc omnia aſſequendi breviſſimum compendium indicat. Humano judicio, qui eſt humili, & placido ſpiritu, his omnibus commodis vel maximè privandus videtur, utpote qui ob ſuam manſuetudinem, & animum à vindicta alieniſſimum ob omnibus diripiendus & calcandus videtur. Sed Propheta huic difficultati occurrit, dum humilitate docet iter ad hæc perfruendum parari, Contra unica via divitias, honorem, &c. acquirendi humano judicio videtur, ſi quis ſeipſum oſtentet, & ſe efferat, &c.

Verſ. 5. Aculei, laquei ſunt in via perverſi: qui obſervat animam ſuam, procul eſt ab iis.

In צנים (*aculei*) eſt metaphora, à piſcatorum ſtudio, & artificioſo conatu piſces hamo transfigentium. Alia etiam metaphora eſt à venatoribus & aucupibus feras, & aves illaqueantibus in voce פחים (*laquei.*)

Scopus eſt à peccandi illecebris deterrendo ad pietatis & probitatis ſtudium cohortari.

In priore axiomate, ubi dicitur, aculeos & laqueos eſſe in via perverſi, quæritur 1. quis ſit perverſus? Reſpondetur, omnem improbum minimeq; regenitum eſſe perverſum (quandoquidem ſumma perverſitas non ineſt omnibus improbis.) Quo enim magis urgentur ad pietatem hujuſmodi homines, eo ſunt ab eadem averſi magis; calcis inſtar quò magis aqua ſalutarium admonitionum illis affunditur, eo magis ad peccata quodlibet genus accenduntur; & ut flumen tanto vehementiùs deorſum fertur, quanto obſtacula ad curſum ejus retardandum apponuntur magis; ſic illi cum mandatis Dei urgentur maximè, longiſſimè recedunt ab officio Rom. 7. 9, 10, 11. Itaque frivolum eſt argumentum Pontificiorum, qui ex eo, quod Euangelii tempore peccata magis enormia admittantur, quam medio papatu patrata ſunt, Euangelii ipſius veritatem conantur labefactare; quaſi Euangelium ideò peccatis patrocinaretur, quod impii cancellos omnes honeſtatis & pudoris tranſiliunt. Si prorſus nulli in Eccleſia Euangelica, qui pietatem & juſtitiam colerent, invenirentur, meritò forſan, majori certe prætextu, Euangelium ipſum accuſarent: ſed cum apud nos verè pii (Deo gratia) non pauci reperiantur, videant quam æqui ſint rerum æſtimatores, qui quorundam hominum maleficia Euang. repagula perfringentium Euangelio ipſi vertunt vitio.

In hujus perverſi via, ſeu vitæ curſu ſunt laquei & aculei: qui quid aliud ſunt, quàm

quàm mala hujus vitæ, maximè verò futuræ, quibus improbus occurſans tranſverberatur, & irretitus tenetur? Vide Jobi 18. 8. 9. 10. &c. Quanto autem numero ſint, vide ibidem, & 22. 10. Dicitur enim retibus & caſſibus inambulare, & laqueis circundari. Ubi etiam occultari dicuntur, ut priuſquam ſentiat, illis implicetur.

Hic quæritur, qui ſint iſti piſcatores & aucupes, qui has inſidias ſtruunt. Atque hi ſunt multiplices, Satan & improbi, ſatellites ejus. Deus enim ut juſtiſſ. judex hominem perverſum Satanæ, & impiis permittit inſidiis, quibus, in exitium ruat, capiendum. Hiſce autem omnibus perverſus ipſe æs & ferrum, unde hamus; & filum, unde laquei conficiuntur, ſuppeditat. Quid, quod perverſis bona quæque præſtantiſſ. (cujuſmodi ſunt verbi prædicatio, ſacramentorum adminiſtratio, denique Chriſtus ipſe) inſtar laqueorum & hamorum ſunt, quibus exitium ſibi conſciſcunt? Vide Eſai. 8. 14. 15. Et proinde non tantum ad errores, ſchiſmata, & hæreſes impingunt, ſed ad veritatem etiam & ſanctiſſ. quæque dogmata non modo ſcelerum, quæ amant & amplexantur, ſtudio; ſed & odio virtutis. & ſectatorum ejus, nec ſolum ad res adverſas, verumetiam ad ſecundas, & ex animi ſententia fluentes. Unde eò deveniunt miſeriæ, ut in quamcunq; ſe partem verſant, omnia laqueorum & hamorum plena ſunt.

Hinc liquet, quam verum illud ſit 2. Petr. 2. 12. ubi dicuntur improbi ferarum ſimiles capturæ, & corruptioni factarum devotarumque. Quinimo rusticularum more ſua ſponte laqueis colla induunt. Quid, quod brutis ipſis, magis obruteſcunt? Siquidem feræ ſummo conatu ſe contendunt extricare; & ſi forſan liberentur, poſtmodo fiunt cautiores. Perverſi autem laqueis ſuis oblectantur, & ſcelera ſua repetendo in eadem, quæ effugerunt, mala recidunt.

In poſteriore hemiſtichio docemur, quomodo laqueos hos, & hamos effugiamus, nempe obſervando &c. Siquis laqueos ſibi ſtrui intelligit, aut inſidias quaſvis collocari, incedet cautè & greſſus ſuos, ne imprudens incidat, accuratè obſervabit. Ad eundem modum Salomon, ſumma cura providendum docet, ne iſtis peccatorum, & offenſionum caſſibus irretiti pereamus. Si enim ab inſidiis, quibus corpus eſt obnoxium, tam ſolicitè caveamus, quanta demum adhibenda eſt vigilantia, ut animam ipſam, qua ſervata nullum erit in corporis membris periculum, ſartam tectam conſervemus! Proverb. 4. 23.

Obſervemus porro tradi hanc doctrinam piis & timentibus Deum; quorum tametſi via non ſit laqueis, & hamis ſtrata, poſſunt tamen, ut homines in inſidias feris collocatas, ita hi in hujuſmodi laqueos incidere.

Deinde notandum quod dicit, obſervantem animam ſuam procul eſſe ab iis. Neque enim ſatis eſt, ſi ea, quæ mala ſunt non patremus, niſi etiam ab eiſdem occaſiones & illectamenta declinando quam longe recedamus; nec ſimus elephantorum ſimiles, qui tametſi aquam ingredi refugiant, tamen prope illam verſari expetunt.

Hoc Proverbium poterit etiam active ſumi, ut ſenſus ſit, perverſum aliis, piis præſertim, inſidias ſtruere. Vbi innuit, non majorem illum rationem habere piorum, quàm aucupes avium, aut ferarum venatores.

V. 6. Inſtitue puerum pro ratione viæ ſuæ: etiam cum ſenuerit, non recedet ab illa.

In

In חנך על פי (*inſtitue pro ratione*) eſt metaph. à rebus corporeis ad ſpirituales trãſlata. Quemadmodum enim infantibus, qui anguſto ore ſunt, nutrices minutim cibum admovent; ſic pueris, quorum intelligentia tenuis, & exilis eſt, documenta facillima & breviſſima ſunt inſtillanda: vel ut vaſis, quorum os anguſtum eſt, paulatim liquor infunditur; ſic pueri, quorum arctior eſt capacitas, ſenſim præceptis ſunt informandi.

Scopus eſt parentes ad piam & prudentem liberorum inſtitutionem excitare. Ubi conſideratur 1. adhortatio ad parentes de pia, & prudenti liberorum educatione; deinde ratio, ſeu argumentum, cui adhortatio innititur.

In adhortatione 1. conſideratur ſubjectum à parentibus inſtruendum, nempe puer Qua voce notatur is, qui ſe movet: ut intelligamus, quamprimum vires incipiat paululum exercere, oportere ilico informationis initium capere, Deut. 6. 6. Quod ipſum etiam adhuc expreſſius docetur 2. Timoth. 3. 15. Et proinde non levis eſt eorum error, qui pueris omnem ludendi licentiam permittendam ſtatuunt, nec præbendum illis tantillum moleſtiæ, qua, ne ſtatura augerentur, (uti objiciunt) impediri poſſent.

Quod ſi quiſpiam, quomodo hoc fiat, cum ita nihil intelligant rerum ſublimiorum, ut neſciant vel inter dextram & ſiniſtram diſcrimen ſtatuere, forſan interroget: ſciendum, intelligentiam illis majorem eſſe, quàm quæ vulgo exiſtimatur. Nam ſi adultis etiã diſertiſſimis plus inſit intelligentiæ, quàm verbis poſſunt exprimere; quanto magis in infantibus, quibus propter organorum imbellicitatem nulla ſermonis facultas conceditur, idẽ erit ſtatuendum? Intelligentia autẽ aliqua inde præditos eſſe conſtat, quod eos intime amant, qui ipſos lactant, cibant, & in manibus geſtant; ab illis vero refugiunt, qui nullum hujuſmodi officium præſtant; nedum ab illis, qui, quod ingratum eſt, faciunt. Quæro etiam, cur non tam facile fuerit illos moroſos mentione iræ divinæ placare, quam ludicris iſtis, inſipidis, & plane fictitiis Dryadum puellarum, aut mendicorum ablatum illos venturorum terriculis?

Ratio autem, cur pueros inſtitui vult, hæc eſt; quia animos molles habent, qui, tanquam cera, imaginem, quamcunque is, qui illis imprimit, in animo habet, facile admittunt; cum è contra ſenes non ſine magna difficultate, quæ ſunt ipſis tradita, percipiant.

Deinde modus & ratio puerum in pietate & officio erudiendi indicatur, cum dicat, hoc pro ratione pueri faciendum, & pro ejus modulo. Ad rectam pueri inſtitutionem (prout Apoſtolus indicat Eph. 6. 4.) requiruntur tria: primum eſt, ut illum ſcientia imbuamus quod tum demum fiet pro ratione viæ ſuæ, ſi illa, quæ facillima ſunt, detegamus, ſicut ex ipſa verbi, quo innuitur eſſe illũ in pietate nutriendum, ſignificatione conſtat; deinde ut verbis familiariſſimam doctrinam proponamus; tertio ut illud ſenſim & quaſi guttatim faciamus, ne multitudine præceptorum obruatur, Hebræor. 5. 12: 1. Corinth. 3. 12: Iſai. 28. 1.

Deinde requiritur ut παιδεία adhibeamus cum præmia pueris alliciendis apta proponendo, tùm delinquentes caſtigatione eiſdem cohibendis convenienti coërcendo.

Sequitur argumentum ab effecto, quo parentibus ſtimulum admovet ad hoc tã ſanctum officium obeundum. Quippe viam bonã, quam in pueritia inierunt, nunquam poſt deſerent, ne in ſenectute quidem, cum declinare homines & repuëraſcere videri ſolent, cumque animi facultates magna ex parte hebetantur, debilitanturque, nedum in adoleſcentia, aut juven-

juventute, qua ſicut facilè accipiuntur documenta, ſic firmiter & mordicus accepta retinentur. Vide Thren. 3.27. Quod enim de teſta dici ſolet, eam odorem, quo recens imbuta eſt, diu ſervaturam, in hominibus ipſis non minus verum experimur, quos videmus, quæ pueri aut infantes imbiberunt, firmiſſime diutiſſimeque retinere; cum è contra ſenectus, ſicut duriſſimam inſtar metalli effigiem documentorum ſanorum difficillime admittit, ſic admiſſam, tanquam cerea eſſet aut cinerea, facillime, citiſſimeque deleri patitur.

Hinc refelluntur Proverbia illa diabolica, [ex hirſuto pullo equum evadere generoſum: ex juvene autem ſancto ſenem dæmonem.] Quorum prius (ut Proverbium hoc divinum ei non opponam, nec, hominis & equi rationem in omnibus non eandem eſſe reſpondeam) ſimilitudine, quam ipſi adferunt, prorſus evertitur. Notius enim eſt, quàm ut verecunde negari poſſit, equos, niſi adhuc pulli domentur, & uſui humano aſſuefiant, nunquam generoſos fieri, nunquam obſequentes. Poſterius vero Scripturæ, ſpiritu ſanctificationis ſemel imbutum in gratia & favore Dei ſemper perſtiturum affirmantis conſtanti teſtimonio refutatur.

Hoc autem (ut & alia Proverbia fere omnia) ἐπὶ τὸ πολὺ verum eſſe intelligendum eſt. Interdum enim, ut in rege Ioas cernitur, bene in pueritia educati degenerant: ſicut e contra nonnunquam ad frugem, inclinante ætate, veniunt, qui reliquo vitæ curſu ſeipſos conſcelerarunt; quod in Manaſſe factum legimus.

Verſ. 7. Dives dominabitur pauperi; & qui mutuò accipit, ſervus ei erit, qui mutuò dat.

Scopus eſt divitum in tenues oppreſſionem ad deteſtationem ob oculos proponere.

Cap. 18. v. 23. dictum eſt, pauperem ſubmiſſe & humillime verbis ſupplicibus divitem affari, illum vero duriter & moroſe reſpondere. Hoc Prov. idem fere proponitur. Et ratio eſt, quia divitiarum fiducia ſuperbi ſint, & animo elato. Unde Apoſtolus ſerio monet 1. Tim. 6.17.18. ut ab animi elatione ſedulo caveant. Sine qua cautione attollunt cornua, eiſq; pauperes petunt. Quanquam enim homines opibus deſtituti capite propterea diminuti non ſint, illos tamen mancipiorum loco divites habere ſolent. Verbis forſan precantur, & ſupplices quodãmodo ſunt; ſed ita, ut (quod quidã ſcite dixit αἱ τῶν κρατούντων δεήσεις ἀνάγκη εἰσί. Niſi enim quã petunt operam, illis impendant, excandeſcunt ilico, & ad vindictã ſe comparant.

Hæc autem injuſtitia impunita à Deo non effugiet; qua fit ut primum imperium ſibi arrogent, quod eſt proprium Magiſtratus, deinde ut afflicto afflictio accumuletur. Satis enim durum Dei telum eſt ipſa per ſe paupertas: porro autem libertate hominem privare quid aliud eſt, quàm mœroris ampliorem præbere materiem? Vide quid Deus iſtiuſmodi hominibus minatus ſit Pſ. 109. 16. Deinde alia corruptela eſt, quod divites, quamvis improbi & fatui, rerum tamen pauperibus piis & prudentibus præteritis potiuntur.

In poſteriore hemiſtichio videtur de eo, qui mutuo accipit, gravius quiddam & acerbius affirmare, *ſervum fore*, &c. Servitutis enim durius eſt jugũ, quã ſubjectionis? ſicut imperiũ arctius eſt herile regio. Atque ſi dives in pauperem in quem nullum beneficium contulit, dominatum exerceat; quanto magis illi, in quem contulit, imperioſe dominabitur? Hoc autem diſerte pugnat cum illa Chriſti doctrina Luc. 6.30. Ubi monet, pauperibus gratis dandum eſſe, ne capite quidẽ expectato.

Hoc vero quod de paupere mutuo accipiente dicitur in dante etiam non raro veriſſimum comprobatur. Siquis enim tenuiori conditione potentiori mutuum dat, illius plerunque ſervus efficitur, ut pecuniam ſuam recuperet.

Hoc proverbium docere nos debet, ne facile noſmet in æs alienum conjiciamus quod plerique faciunt. Præterquam enim quod mutuo accipere indicium eſt iræ divinæ Deut. 28.44. ſe quodammodo in ſervitutem tradit, qui ab aliis, divitibus præſertim, aliquid mutuatur; quaſi tot duros dominos homo ſibi adſciſceret, quot creditores habet. Ob eam cauſam ſedulo operi incumbere debemus, ut omnia nobis abunde ad vitam ſuppetant; nec in victu, aut cultu ita luxuriandum, ut cogamur demum nos aliis mancipare. In Judæa quidem peculiari quadam ratione factum eſt, ut debitor, qui ſolvendo non erat, unà cum liberis ſervire ex lege cogeretur. Apud nos non multo mitius aut etiam durius agitur, cum carceri, ubi nec ſibi, nec aliis prodeſſe poteſt addicitur.

Verſ. 8. Seminator iniquitatis metet moleſtiam; & virga furoris ſui conſumetur.

In זורע (*ſeminator*) & יקצר (*metet*) eſt allegoria, qua declaratur cuique ſecundum improbitatem ſuam pœnam obventuram; quemadmodum vitioſum ſemen meſſem profert ſibi congruentem. In שבט (*virga*) eſt meton. effic. pro crudelitate, quam baculo exercet tyrannus: & ſynecd. etiam baculus pro omni inſtrumento ponitur, & ratione oppreſſionis. In עברתו (*furoris ſui*) eſt metap. ab aquis ripas tranſeuntibus.

Scopus eſt, tyrannicè ſuis divitiis abutentes, & potentia, ſua illa crudelitate perituros, oſtendere.

Similitudo trita admodū eſt, & Scripturæ perquam familiaris, quemadmodum agricolæ pro ſementis ratione meſſem bonam, aut vitioſam; plenam, aut tenuem accipiunt: ita homines cum in præſenti vita, tum in futura præmium factis congruum reportaturos. Hoc ſolum intereſt, quod vitioſam ſementem faciens eandem in meſſe recipit; ſed improbus pœnam improbitatis, non improbitatem ipſam.

Hinc apparet, quam certa ſit quamque juſta pœna, quam Deus improbis infliget; & proinde quam fallax & inanis eorum ſpes ſit, qui toto vitæ curriculo improbè tranſacto de ſalute tamen ſomniant. Quod non minus vanum eſt & ridiculum, quàm ſi agricola, qui nunquam aravit, nec occavit, & ſemen aut nullum, aut putre in agrum extulit, largam tamen & bonam meſſem exſpectaret.

Hæc pœna improborum alia ſimilitudine illuſtratur. Sicut enim ſępe fit, ut, qui alium baculo percutit, eodem baculo, ſi in fortiorem incidat, qui illud è manibus extorquet, vapulat; & quemadmodum baculo alium cædens, ſi illud adhibita vi fecerit, non nunquam baculum frangit: ſic divites & creditores hi, qui ſuis divitiis ad crudelitatem & oppreſſionem abutuntur in Deum ſe fortiorem incidunt, qui ipſos eodem flagello cædit, quo alios cruentarunt; aut vires adimit, quæ impia fuerunt oppreſſionis inſtrumenta. Illi quidem longius non proſpiciunt, quam ad pauperes, quos opprimunt; Deum eorum vindicem non conſiderant.

Verſ. 9. Bonus oculo ipſe benedicetur, cum dederit ex pane ſuo tenui.

In טוב עין (*bonus oculo*) eſt duplex ſynecd. una

una partis, quâ per oculum benignum intelligit etiam aurem bonam; altero totius, qua per bonum oculum deſignat unicam bonitatis in oculo ſpeciem, nempe illam, qua quis intuitu promptior ad largiendum efficitur. In לחם (*pane*) eſt etiam ſynecd. partis pro convictus omni genere, unà cum veſtitu, atque ipſa etiam, qua hæc & alia vitæ ſubſidia comparari poſſunt, pecuniâ.

Scopus eſt ad liberalitatem, præſertim in pauperes, ſtimulum addere.

Bonus oculo quis ſit, ex Matth. 20. 15: & Proverb. 23. 6. apparet; ubi malo oculo, vel ei, qui alterius bono invidet opponitur benignus, ſeu beneficus, qui plus largitur, quam lege tenetur, aut pactione. Bonus igitur oculo is eſt, qui commiſeratione intùs & in animo commotus oculum ita afficit, ut ejus intuitu animus etiam promptior, quàm prius, ad indigis opitulandum reddatur. Quemadmodum enim animus ad largitionem propenſus bonitate ſua oculum afficit: ſic oculus animum repercutiens eundem ad majorem accendit benignitatem. Quo docemur, juſtum & debitum membrorũ corporis uſũ ex animo rectè inſtituto affectoque profluentem ad animi ampliorem ornatum refluere. Bonus eſt oculo, qui cum intuitu ipſius pauperis, tùm doni, quod in eum collaturus eſt, ad beneficentiam excitatur; cum qui oculo eſt maligno, primum pauperem intuendo ad cõmiſerationem non movetur, aut ſi aliquãtulum commovetur, tamen oculum ad illud (quicquid eſt,) quo tenuis reficeretur, reflectenti, nimium videtur, quod in eum inſumatur.

Hinc liquet, liberalitatem noſtram hilariter, promptè, & exporrecta fronte exerceri oportere. Quam ad rem conferet plurimum, ſi meminerimus, Deum benigno vultu nos intuiturum, ſi nos pauperes hilariter intueamur.

Poſteà aſſignat præcipuum liberalitatis ſubjectum, pauperem nimirum, & tenuem. Tametſi enim in hoſpites, peregrinos, & vicinos excipiendo exercetur liberalitas, certiſſimum tamen veræ liberalitatis indicium eſt, ſiquis pauperes, & indigos ſublevaverit Luc. 14. 12, 13, 14. Quæ autem potiſſimum in pauperes conferenda ſint, Vide Iſai. 58. 7 Cui adde, quod ex noſtro largiendum eſt; non his eripiendum, quod aliis largiamur.

Sequitur præmium liberalitatis; fore ut benedicatur. Ubi, quod diſertè non indicat eum, qui benedicet, benedictionem hanc latius patere colligitur. Benedicetur à piis omnibus, qui Deo gratias agentes pro illo preces fundent; benedicetur etiam ab ipſis pauperibns, aut ſi forſan hi accepti beneficii immemores ſint, lumbi tamen nudi, & inanes ventres ei benedicent, ut habetur Iob. 31. 20. denique à Deo ipſo benedictionibus perfundetur æternis, 1. Timoth. 6. 18, 19. momentaneis 2. Corint. 9. 9, 10, Quinetiam Dei benedictio in totam familiam ejus redũdabit, 2. Timoth. 1. 16. ſicut exemplis Sareptanæ viduæ, & Schunamitæ, quę Eliam, & Eliz. excipiebant, ſatis abundè compertum eſt.

V. 10. *Ejice deriſorem, & exibit contentio; & ceſſabit lis, & ignominia.*

Scopus eſt damnum indicare, quod ad ſocietates ex deriſore provenit.

Hìc primum proponitur ad omnes eos, qui ſocietatibus vitæ humanæ præficiuntur, adhortario; deinde ratio, cui adhortatio innititur. Adhortatio dirigitur ad patresfamilias in œconomia, ad Magiſtratus in Repub, & ad Eccleſiæ præſides, ut expellãt è ſuis finibus deriſorem; eum ſcilicet, quicunque (ſi à conjugio cujus

nodus, niſi ob admiſſum adulterium diſſolvi nequit, recedamus) ſalutarem doctrinam, & admonitiones ludibrio habet tametſi alioquin ſanguinis, aut affinitatis neceſſitudine valdè nobis conjunctus fuerit; tametſi veluti oculus dexter ſit, aut manus dextra; tametſi etiam nobis cæteroquin utilis admodum, & fructuoſus eſſe poſſet. Hujus exemplum extat in Iſhmaële, quem Sarah exturbandum familia judicavit, & Abrahamus pater oraculo admonitus exturbavit. Ex hoc loco excommunicationis uſus & neceſſitas confirmatur.

Ratio adjungitur duplex, prior, quod deriſor homicida ſit, & domeſticis partim diſſidiis, partim, ut palam & publico judicio diſceptetur, efficiendo, pacem, & concordiam ſocietatis humanæ dirimat. Cū enim ſuperbus (ſicut accepimus prov. 21. 24. lites moveat, & irriſor omnis ſuperbus ſit, ut qui animi elatione omnia ſalutaria documēta reijcit reſpuitq; eundem lites ſerere neceſſum eſt. Præterea cum eum, à quo admonetur & arguitur, odio habeat, Prov. 9. 8. fieri nequit, quin aliquid, quo moleſtiam ei creare poſſit, machinetur.

Ratio poſterior inde eſt, quod deriſorem eijciens ignominiæ notam vitabit. Cū enim admonitores ſuos probris oneret, & verbis ignominioſis proſcindat, niſi quis cōtētiones fovere velit, & ignominiā ſeipſū affici patitur, eiiciendus eſt deriſor.

Verſ. 11. Qui amat munditiem cordis, pro gratia labiorum ejus Rex amicus futurus eſt.

Scopus eſt cum ſubditos ad ſinceritatem in ſermonibus apud Principes, tum principes, ad ſubditorum vera ſinceraque loquentium amorem excitare.

Solemne eſt his, qui aliis ſubſunt, partim metu territis, partim ſpe præmii adductis ad gratiam illorum, quibus obtemperant, ſermones ſuos accommodare. Sed iſthoc pacto non modo ſeipſos conſtringunt ſcelere, & conſcientias proprias primo quidem compungunt fodicantque, deinde longo vanitatis uſu trāſverberant, & ἀναισθησίαν illis inducunt; ſed & eos, quibus parent, ad ſtultam de ſe ipſis opinionem impellunt, unde animos tollunt, & aditum ſibi ad interitum ſtruunt. 1. Reg. 22. 12.

Sermonem, qualis adhiberi debet, deſcribit 1. ab effic. nempe cordis puritate. Non tam labiis & lingua, quam corde ipſo loquendum eſt: neque ſatis eſt vera dicere niſi porro ex animo loquamur. Plerique enim, quamvis aliter ſentiant, quia tamen veritatem illis, apud quos ſermonem habent, gratam fore arbirantur, vera dicunt. Deinde non ex animo tantum ſermo, ſed ex puro animo proferendus eſt. Inveniuntur enim qui ex animo quidem prout ſentiunt, ſed non ex animo puro verum dicunt. Neque enim veritatis ergo ſic loquuntur; ſed ut ſibi proſint, vel aliis incommodent, aut aliorum, quos odio habent opinionibus contradicant.

Deinde ſermonem deſcribit ab adjuncta gratia, qua orationis veritas condienda & ſpargenda eſt. Nec enim ſatis eſt veritatem ex animo puro proferre, niſi temporis, loci, perſonarū, aliarumque id genus circumſtantiarum ratio adhibeatur: quod *gratiæ* vocabulo inſignitum legimus Col. 4. 6.

Ab adjūcto prēmio veriloquii ad amorem ejus homines incitat, cum dicat hujuſmodi homines charos fore & amicos regi. Quibus verbis docet Propheta, Deum Spiritu ſuo potentiſſimo quo omnium animos pro arbitrio moderatur, effecturū ut ſermo veritatis ipſis etiam regibus gratus & acceptus ſit. Quod quidē eū nō modo apud pios reges, ſed nōnunquā apud

apud barbaros etiam & impios feciſſe legimus. Nebuchad. enim & Balth. Danielem triſtiſſima quęque pronuntiantem in ſummam dignitatem evexerunt.

Hinc conſtat, quàm abjectè ſentiant de ſuis dominis principibus, & Magiſtratibus, qui omnia apud illos ad gratiam loquentes inde ſe mercedem reportaturos arbitrantur. Sua enim opinione illos profanis iſtis, impiiſque regibus longe faciunt deteriores.

Hinc denique in paſtoribus publicis, & privatis etiam amicis eligendis eos potiſſimum admittere docemur, qui ex animo, quod ſentiunt, dicturi ſunt.

V. 12. *Oculi Iehovæ cuſtodiunt ſcientiam : ſed pervertit verba perfidioſi.*

In עיני (*oculi*) eſt metaph. à corporeis oculis ad omni-ſcientiam Dei tranſlata.

Scopus eſt homines in vero, & ſincero linguæ uſu adverſus difficultates, quas caro ſuggerit, confirmare.

Adverſum ſuperioris Proverbii veritatem excipere poſſit aliquis, non ſemper illud verum eſſe, cum communi diverbio celebretur, [veritatem odium parere, obſequium amicos.] Sed reſpondeo, humanum eſſe hoc Proverbium, quod divino illi concedere æquum eſt. Nec verò negarim, quin veritas nonnunquam odium pariat; ſicut Michæ Prophetæ acciſſe legimus. Sed notandum eſt, qui eum veritatis gratia odio habuit, Achabum fuiſſe, qui expreſſe iniquitati patrandæ ſe totum addixiſſe dicitur. Præterea ad Proverbii veritatem aſſerendam ſatis eſt, ſi ſæpe ita eveniat. Deniq; prætereundum non eſt, non raro evenire, aſſentatores illis ipſis inviſos fieri, quibus per blanditias ſe manciparunt, 2. Samuel. 1. 4, 5, 6. &c.

Sed adverſus hanc tentationem firmiſſimum eſt præſidium, quod in hoc Proverbio Salomon proponit; Deum ſcilicet excubias agere, nequid detrimenti accipiat is, qui veritatem eo, quo diximus modo loquitur. Homines, ſiquid aliis conſilii dederint, illud agent diligentiſſimè, ut optatum exitum conſequatur. Exiſtimant enim ſi quid illis, quibus conſilium dederunt, inde damni contrahatur, ſibi vituperio verſum iri. Deus igitur quanto magis conſilii, cujus ipſe nobis author eſt, curam ſuſcipiet, ne nobis fraudi ſit, in quo illi noſmet obſequentes præbuimus, & morigeros? Si igitur ejus oculi in eo, ut ſermo veritatis, quem ex purò corde protulimus, proſperè agat, defixi ſint, quamvis, ut vel irritus fiat, aut in noſtrum damnum cedat, infiniti hominum oculi intenti ſint, omnes tamen nihil quicquam efficient. Unicus enim Dei oculus ad fruſtrandum, quicquid ſit, fit, quo veritatem ex puro corde profectam oppugnabunt, abunde ſufficiet.

Diſcrimen etiam magnum inter Dei, & hominum oculos hinc deprehenditur. Homines enim ſuos oculos in aliquem figendo non poſſunt illum ſervare: Deus autem ſervat eum, cujus curam agit. Imo vel in ipſa morte ſuorum non deſinet Deus cum ipſos ſervare, tum veritatem quā teſtati ſunt, confirmare. Zach. 1. 5. 6.

Deinde cum ſcientiam hoc verſu appellet, quod prius veritatem ex puro corde appellavit, videtur illis occurrere, qui ſinceritati ſimplicitatique ſermonis inſcitiæ notam inurere ſolent. Mundus enim eos fere omnes pro inſipientibus habet, qui diſſimulare neſciunt, & ſe, tanquam polypos in omnes formas convertere: Contra vero Spiritus ſanctus, ſcientes hos pronuntians, illos, qui ſe aſſentationibus ad aliorum libidinem componunt, inſcitiæ coarguit, & inſipientiæ.

Poſteriore hem. anticipat, quod de proſpero in ſpeciem ſucceſſu eorum, qui ad gratiam loquuntur,& obſequio ſuo amicos ſibi parant,& honores conſequuntur,objici poteſt. Affirmat enim, Deum eorum verba perverſurum efficiendo, ut, quibus aſſentationibus ſperârunt ſe divites & magnos evaſuros, eiſdem ad ſummam ignominiam tandem redigantur.

V. 13. *Dicit piger, leo eſt foris: in medio platearum occidar.*

In אמר (*dicit*) eſt ſyn. partis, temporis præteriti pro præſenti etiam,& futuro. In ארי (*leo*) eſt etiam ſyn. part. pro omni periculo graviori.

Scopus eſt vanos,& ſæpe abſurdos pigrorum ad laborem declinandum prætextus ad majorem deteſtationem proponere.

Notum eſt, Deum homini ab initio creationis otio interdixiſſe; peccati vero in mundum irreptione duriorem illi laboris conditionem ex Dei mandato etiam tunc incubuiſſe,cum totius orbis ſolus eſſet imperator, Gen. 2. Nec minus verum eſt, Deum ita laborem diſpartitum eſſe ut,quæ domi adminiſtrāda ſunt, fœminis: quæ foris, maribus attribuerentur. Tit. 2 5. Quod tamen in maribus ἐπὶ τὸ πολύ intelligendum eſt; quandoquidem qui artes exercent, in ædibus privatis, & officinis, ſui plerunque ſatagunt negotii. Cum vero plerique, ſicut habetur Pſal. 104.23. ad opus ſuum,& laborem egrediuntur, hinc natum eſt hoc Proverbium Salomonis. Dicit igitur piger; in agro, ubi illi ex vocationis lege & conditione verſandum erat,leonem eſſe. Cujus vanæ, & ridiculæ excuſationis ut facilius ſtultitiam intelligamus,memoria repetendum eſt, quod Pſalmo ſuprà citato proponitur;ſingulari providentia Dei factum eſſe, ut feræ, exoriente ſole, ſtatim ab agris ſe in luſtra ſua, ubi abſcondantur à conſpectu hominum,recipiant Pſal. 104.22.23. Sic enim Noacho promiſſum à Deo legimus Gen. 9. 2. Tametſi vero ordinaria naturæ lege fiat, ut leones aliæque noxiæ feræ,ſimulac ſol illuceſſit, in ſua ſe antra conferant, nonnunquam tamen extraordinaria Dei procuratione accidit, ut hominibus in agris interdiu occurſantes, illos interimant. Sic enim Prophetæ accidiſſe legimus, qui, neglecto Dei mandato, apud veteratorem divertit. 1. Reg. 13. & illi,qui vulnus Prophetæ ex verbo Dei,juſſus infligere illud exequi per ſpeciem pietatis renuebat. 1. Reg. 20.36. Ex quo illud eruitur, pigritiæ damnandum eſſe non eum modo, qui à periculo prorſus immunis laborem detrectat; ſed & eum, qui prætexit ejuſmodi periculum, cui nulla, aut ſaltem non magna veriſimilitudine obnoxius eſt; & qui majorem à damno immunitatem exigit,quàm quæ communiter hominibus conceſſa eſt. Siquidem vel in his, quæ non infrequenter eveniunt,malis & incommodis, dummodo fortuita ſint,hoc eſt,de quibus non liquido conſtat, an eventura ſint, laborem refugere non oportet. Qui enim pluviæ metu, aut venti (quæ tamen crebro accidunt)à ſemente facienda deterretur,à Salomone damnatur Eccl. 11.4. Quamobrē communi periculo propriam ſecuritatem expetere iniquum eſt; nedum indignum & turpe propter damnum procul remotum, & cujus veſtigium nullum apparet, ab officio recedere.

Hæc prodigioſa pigri à labore declinatio amplificatur verbis ſequentibus, quibus obtendit,exitium ſibi,ſi vel in plateam hominibus frequentem prodierit, ex leonis occurſu imminere. Leones vero à conſpectu hominum uſque adeo abhorrentes,ut in latebris agro egreſſi deliteſcant; à plateis, ubi conventus aguntur, & omnia hominum clamoribus perſtrepunt

punt

punt quanto magis abhorrebunt! Quod tamen non ita inauditum eſt, quin ſemel factum legimus. Urſæ enim pueros prophetæ petulanter, & per ludibrium inſultantes in ipſo oppido diſcerpſerũt. 2. Reg. 2. Qui igitur impoſitũ laboris onus humeris ſuis excutiunt, quia nõnulli forſan iſti oneri ſuccũbentes perierunt, hi inter prodigioſos hujuſmodi (ut ita dicã) labori-fugas jure cenſeri poſſunt. Nihil tamen pleriſque magis conſuetum videmus, quam laborẽ, gravem præſertim & difficultatis plenum ideò abjicere, quod memoria hominum ſuppeditat, nonnullos eum ſuſcipientes gravi damno oppreſſos fuiſſe.

Naturę autem humanę perverſitas hoc in loco conſideranda venit. Mares enim otio torpentes agrum, ubi opus exercendum erat, exhorrent: fœminæ vero, quas Deus domeſticis negotiis deſtinavit, Tit. 2.5. otio diffluentes foras per plateas, & agros vagari expetunt. Fœminis vero tam in vitio eſt foras curſitare, quàm viris domi in umbra deliteſcere. Quod idem aliquouſque de viris etiam affirmare licet, qui per forum & agros huc illuc diſcurrere geſtiunt, cum ex ſua vocatione vita in ædibus agenda erat ſedentaria.

Cum dicitur, pigrum dicere, tacitè judicatur, hoc illum dicere modo, & verbis præ ſe ferre, quod prætendit periculum, non ita animo ſentire: & proinde, qui piger eſt, eundem etiam hypocritam eſſe, ideoque, cum αὐτοκατάκριτος propriæ conſciẽtiæ teſtimonio coarguitur, digniorem eſſe, quicum pugnis certes, & verberibus, quam rationibus, & argumentis.

Si vero incorruptè, & prout res eſt, judicare velimus, comperiemur, veritati magis eſſe conſentaneum, leonem in cubiculo pigri, & in lectulo deliteſcere. Quãdoquidem ex juſto Dei judicio plus illi imminet periculi, quod debitum laborẽ reſpuit, quã ſi in agro præſtitutum ſibi opus aggrederetur. Angelis .n. præcipit Deus, ut nos in vocatione noſtra manentes ſervent, & promiſit, veterem leonem, & colubrum calcaturos; juvenem leonem, & draconem pedibus obtritutos Pſ. 91. 11. & 13. Contrà verò leo his inſidiatur, qui, derelicta domi vocatione, foras expatiãtur. Quamobrem à recto tramite deviantes periculis omne genus ſe objiciunt.

V. 14. *Puteus profundus eſt os extranearum: in eum corruet, cui Dominus indignatur.*

In שוחה (*puteus*) eſt metaph. à feris, quæ puteis defoſſis à venatoribus captæ inde ſe expedire nequeunt, tranſlata ád inſipientes juvenes, qui meretricum blandimentis illaqueantur. In פי (*os*) eſt meton. effic. pro ſermone ex ore prodeunti. In זרות (*extranearum*) eſt meta. ducta à lege, quæ cavebat, ne Iſraëlitæ cum peregrinis fœminis (utpote à religione Dei alienis) connubio jungerentur, tranſlata ad fœminas, quæ, licet Iſraële prognatæ, legitimis tamen conjugiis non copulantur: à quibus nõ minùs abhorrendum eſt, quàm ab iſtis alienigenis.

Scopus eſt ab illecebroſis meretricum ſermonibus homines deterrere.

Multæ ſunt, quibus incautæ juventuti imponitur, meretricũ artes, & inſidiæ; primo ornatus, & veſtitus corporis ad pelliciendum eos cõpoſitus Pro. 7.10; deinde oculi adulteri Pro. 6.25. Vnde fœdus cum oculis pepigit Job. 31.1. & David oculorum à vanitatis intuitu averſionẽ ſupplex petit Pſa. 119. Sed omnium illecebrarum nulla, quam ſermo, potentior, nulla ad fallendum aptior. Prov. 5.3. & 7.21.

Quamobrem ante omnia cavendum, ne cũ meretricibus colloquamur. Inveniuntur autem non pauci, qui ingenio ſuo, & prudentiæ confiſi colloquia cum meretricibus vel hoc ſolo nomine expetunt, ut meretri-

meretriciarum artium, & ſuarum virium periculum faciāt. Sic enim ſecum rationē ineunt; fœminas judicio, & prudentia facilè à viris ſuperari; ideoq; ſe nihil dubitare, quin adverſus omnia venenata illarū tela probè muniantur. Eph.6.12. Sed tota errant via. Nec.n.reputant (quod Ap. ſapienter monuit) nobis luctā nō eſſe cum carne & ſanguine; ſed cum &c. Meretrix enim non ſuis modo, ſed & Satanæ ipſius fraudibus inſtructa prodit. Hinc Ioſephus renuebat heræ ſuæ conſortium Gen.39.10. Quod ſi inhoneſtæ fœminæ ita viris periculoſæ ſint, multo magis cavendum eſt fœminis à viris luxurioſis; quia hoſtis ille humani generis inſtrumentum nactus ad fallendum magis opportunum potentius multo, & efficacius venenum ſuum evomet expuetque.

Meretricem foſſæ, ſeu foveæ cōferens, eum, qui blanditiis illius aurem præbet, beſtiæ, quæ incauta in venatoris foveam incidit, conferat neceſſe eſt. Sic Prov.7.22. bovi aſſimilatur ad macellum properanti; & 2.Pet.2.12. comparantur impii beſtiis capturæ, & excidio deſtinatis. Niſi igitur, exuta forma humanâ, beſtiarum velimus naturē induere, & imaginem, ab iſta corruptela ſedulò cavendum eſt.

Alterum argumētum, quo ab hoc malo dehortatur, à ſubj. ducitur, quod ſcil, dolis meretriciis hic captus ſit, cui Deus indignatur. Homines, ne admittant ea, quibus regi, & principibus ſe inviſos reddant, ſtudioſè cavent: maximè vero id agunt; ut, ſi principis gratia exciderint, alii tamen id minùs intelligant; ne, ſi regem illis inſenſum eſſe innoteſcat, omnes ferè ad illos opprimendum accurrant. Quanto magis enitendum nobis eſt, ne Deum à nobis abalienatum vel ipſi ſentiamus, vel alii intelligant? Homines ex valetudinis, divitiarum, liberorum &c. jactura Deum ſibi iratum acutiſſimè ſentiunt. Debebant vero acerbiorem multo, & graviorem Dei in ſe offenſionem perſentiſcere, ſi quando in peccata, & nominatim adulterium incidant. Vide Rom.1.18.

V.15. *Stultitia alligata eſt cordi pueri: virga caſtigationis illam procul arcebit ab eo.*

In קשורה (*alligatur*) eſt metaph. qua indicatur peccatum non minus tenaciter pueris adhærere, quam quæ vinculis inter ſe colligantur. In ירחיק (*procul arcebit*) eſt etiam metaph. à rebus corporeis tanto intervallo ab invicem disiunctis, ut denuo conjungi nequeāt, tranſlata ad perfectam peccati curationem.

Summa eſt, multum prodeſſe debitam, & juſtam puerorum caſtigationem.

Stultitiæ voce deſignatur (ut ubique ferè in hoc libro) peccatum, ſeu divinæ legis violatio, non autem anguſta rerum divinarum, vel etiam humanarum perceptio, quæ, quamdiu tenella ætas durat, nulla caſtigatione profligari poteſt. Ex quo liquet, quam depravata ſit natura noſtra, cum pueris etiam ſanctiſſimè, piiſſimeque educatis peccatum ita adhæreat. Quod enim dicit, animis puerorum ſine reſtrictione inſitam eſſe ſtultitiam, argumento eſt, nos omnes in peccatis conceptos eſſe, editoſque, & proinde falli eos turpiter, qui pueritiam prætexunt, tanquam patrocinium maleficiis, quæ à pueris admittuntur, Siquidem iis apertiſſimè reclamat ſcriptura, quaſlibet hominum cogitationes (nedum verba, & facta) ab ipſa pueritia, atque adeo infantia perverſas eſſe docens, & depravatas. Gen.6.5. Iob.11.12. Pueruli erant, qui Prophetæ illuſerunt. 2.Reg.2.23. Nunquid vero leve propterea fuit eorum peccatum, & excuſatione dignum? Imo diram ſibi execrationem Prophetæ, & Dei vindictam hoc facto attraxerunt. Quam igitur me-

rito

rito damnantur ii, qui juvenum peccata, quia juvenilia ſunt, extenuant; quæ tamen inter omnia omnium ætatum ſunt deterrima. Pſal. 25. 7. & 119.

Quod dicit, ſtultitiam *allegatam* eſſe cordi pueri, docet puerorum cõditionem magis adhuc luctuoſam eſſe, quia non tenuibus filis appenſa eſt ſtultitia, ſed vinculis quaſi, & funibus ita animis ipſorum aſtringitur, ut nõ facilè avelli poſſit. Quod ſi hiſce naturalis corruptelæ vinculis accedant educatio mala, prava parentum exempla, & petulantium puerorum conſortium, ſtultitia ipſorũ cordibus triplici hoc fune ruptu difficillimo firmius adhuc alligatur. Quamobrem cavendum, ne peccatum ex ipſa naturæ depravatione nimis tenaciter, pueris infixum aliis inſuper vinculis corroboretur.

Hinc refelluntur Pelagiani, qui negantes originale peccatum ſola imitatione contrahi dicunt.

In poſter. hemiſt. Spir. Sanctus morbi, quem in priori judicaverat, remedium & medelam cõſtituit. 1. in caſtigatione, ſubindicans, nullum eſſe puerum tam ingenuum, qui caſtigatione nõ indigeat; deinde in caſtigatione moderata, & matura. Virgam igitur adhiberi vult; cui qui parcit; odio habet filium. Sed adjungit porro qualis illa virga eſſe debet; quæ nimirum cum informatione, & νουθεσίᾳ conjuncta ſit. Id enim indicare non obſcurè videtur, cum illam caſtigationis virgam appellet. Belluinum enim eſt verberibus puerum onerare, nec aut peccati turpitudinem, aut viam, qua ad frugem redeat, ob oculos ponere. Pudori ſit melius canes educare, quam liberos. Quod proculdubio faciemus, ſi canem, qui ovem, aut capram morſu interemit, verberaturi coram cadavere illum ſiſtamus &, ut deinceps abſtineat, alta voce inclamemus; liberos autem caſtigantes admonitiones, & documenta ex verbo Dei hauſta reticeamus. Hinc etiam illud conſtat, quinam ſint, quos Salom. virga cædi vult: ij ſcilicet, qui per ætatem informationem parentum, & inſtitutionem intelligunt.

Ex his facilè conſtat, infœliciſſimam eſſe illorum puerorum conditionem, quos ſtulta parentum indulgentia computreſcere patitur in peccatis; nedum qui propoſitis præmiis in maleficiis confirmantur. Meminerimus Heli, & Davidis, de quibus jam ſæpiùs dictum eſt, filios; qui tametſi præclaris parentum non documentis modo, ſed & vitæ exemplis, ad pietatem inſtituti erant, quia tamen caſtigatio defuit, perierunt.

Neque tamen exiſtimandum eſt, nuda aut verba, aut verbera ad frangendam peccati ferociam quidquam poſſe, niſi accedat ſpiritus Dei, qui caſtigationem fructuoſam, & efficacem reddat. Sed Propheta docet, Deum pro ſua in homines charitate effecturum, ut accedente levi hoc parentum brachio, ipſe Spiritus digito ſuo fortiſſimo peccata puerorum tam longè ab ijs arcebit, ut nunquam denuo reditura ſint. Unde & illud effloreſcit, caſtigationem non ſine precibus adhibendam eſſe.

Hinc denique colligi poteſt, quam ferocis ingenii ſint illi pueri, qui parentes, & præceptores, quia caſtigant ipſos, odio proſequuntur; cum ipſa de cauſa arctiori illos amore complecti debeant.

V. 16. *Opprimens tenuem, ut ſeipſum augeat, dans diviti* [*ut rem ſuam augeat*] *utique egeſtati erit uterque.*

Scopus eſt piorum animos ab illegitimis diteſcendi artibus frænare.

Spiritus ſanctus doctrinam proponit in hoc Proverbio carnis judicio ſummè

παράδοξον; quæ tamen certiſſimis rationibus & quotidiana experientia veriſſima comprobatur. Homines enim, cum divitias, ſive vulpina fraude, ſive leonina vi, ſive quocunque modo partas, accumularint, optimè ſibi conſuluiſſe arbitrantur: Propheta vero non tantum rei familiari hac injuria nihil acceſſiſſe ſtatuit, ſed & deceſſiſſe aliquid, & detractũ eſſe. Cum enim hoc pacto benedictione Dei, qua divitiæ parantur; &, qua partæ conſervantur, protectione ſeipſos orbent, quid mirum ſi divites non modo non evadant, ſed ad paupertatem etiam & mendicitatem redigantur.

Iſai. cap. 5. v. 8. 9. 10. docet; quàm parum proficiant, qui pauperes opprimendo domos domibus adjungunt, & agrum agro. Et 1. Reg. 21. 12. Elijah ἐμφατικῶς negat, Ahabum perfruiturum vinea, quam per vim, & oppreſſionem e Nabothi manibus extorſerat. Quo etiam refertur, quod Proverbio Salomonis celebratur; improbum, quam cepit, venationem non commeſturum. Quod ſi divitiæ per injuriam in proximum partæ non profuturæ ſint, nec id modo, verumetiam obfuturæ; quanto minus profuerint quæ per injuriam in Deum, puta Sabbathi violationem, aut aliam quamlibet impietatis ſpeciem, corraduntur? Vide Hag. 1. 4. 5. &c. & 2. 16. 17. &c.

Quod ſi aliorum oppreſſio homines, ne diteſcant, ita impediat; videtur ad divitias acquirendas in munificentia, & liberalitate vis ſita eſſe non exigua. Omnino; dummodo illis largiaris, quibus convenit. Si in Deum, cultum ejus promovendo benificus ſis & liberalis; ſi pauperibus & exhauſtis liberalitatis fontes patefacias, magnum proculdubio erit ad divitias compendium. Sed perinde erit, ſi divitibus de tuo beneficus ſis, ac ſi pauperi, quod ſuum eſt, eriperes. Tam enim in vitio eſt, quæ tua ſunt, male collocare, quam, quæ ſunt alterius, vi, aut fraude ad te attrahere. Meminiſſe enim oportet, œconomum eſſe te; non, ut pro tuo ipſius arbitratu facultates diſpenſes, dominum. Huc accedit inſignis in divitibus largiendo hypocriſis. Nam cum donum ſimules gratuitum, mercaturam revera quæſtuoſam exerces. Qua fraude divitibus ſubolente, curam remunerationis omnem abjiciunt: Quicquid ſit, Deus, qui ad omnia, quæ dixit, præſtandum excubias agit, quod verbo minatus eſt, re effectũ dabit.

Hic quæritur, an in divitem donum conferre ſit prorſus illicitum? Ad cujus quæſtionis ſolutionem opportunum erit meminiſſe, quid ſit, quod Sp. Sanctus hoc Proverbio damnat. Damnat autem non ipſum donum, ſed dandi conſilium, ut rem ſuam augeat. Hoc enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex priori hemiſtichio repetendum eſt. Si quis igitur benevolentiam ſuam teſtandi gratia, aut honoris ergo aliquid diviti largiatur, ſi, ut ab aliquo quod ab illo metuit, ſibi malo caveat; (quod Jacobum Eſavo fratri feciſſe legimus; ſi denique non ut dives evadat, ſed ut paupertatem ſuam ſublevet; neutiquam hujus criminis peragetur reus.

Verſ. 17. Inclina aurem tuam, & audi verba ſapientum; & cor tuum admove, ut cognoſcas me⏑.

v. 18. Nam amœnum erit, cum obſervabis illa in ventre tuo, ſimul diſponantur ſuper labia tua.

v. 19 Ut ſit fiducia tua in Domino, patefeci tibi ea hodie; etiam tu feceris.

v. 20. Annon deſcripſi tibi primaria quæque poſita in conſiliis & ſcientia,

v. 21.

v. 21. Ad notam facienda m tibi rectitudinem ſermonis veritatis, referas ſermonibus veritatem his, qui mittunt ad te.

Scopus eſt piorum animos, propoſita, quæ inde ad ipſos redundatura eſt, utilitate, ad eorum, quæ dicenda ſunt, ſeriam, & continuam attentionem excitare, & expergefacere.

Partes ſunt { *Adhortatio ad ſtudium hujus ſapientiæ verſ.* 17.
Ratio adhortationis.

quæ adhibetur { *ſeparatim ſingulis* / *conjunctim utriſque* } *Adhortationis partibus.*

Sicut in bello, cum ad manus ventum ſit, cordatiſſimis quibuſque militibus tympano, & tuba opus eſt, quibus langueſcentes animi ad pugnam fiant alacriores; ſic in hac ſpirituali verbum attente audiendi malitia, ubi cum Satana, & carnis noſtra corruptelis manus conſerendæ ſunt, perquam neceſſarium eſt animos remiſſos, laxatoſq; adhibita exhortatione ſubinde excitare. Nam cum in omni paulo attentiori cogitatione facile obrepat ſomnus, tum in nulla magis (ea eſt naturæ noſtræ depravatio) quàm in verbi divini ſtudio, & meditatione: ubi veternus quidam ſolet non tam occultè inſinuare ſe, quam importune obtrudere. Sicut igitur novem primis integris capitibus animum auditoris ad attentionem comparavit; ita hic, novo principio ſumpto, ad hanc deſcendit adhortationem. Hic enim novum principium dicendi ducit, quia aliam docendi rationem ſuperiore paulo fuſiorem init. Nam cum ſuperiora documenta in unica ferè ſententia ſingula continentur, hæc ad plures verſus, & periodos maximam partem extenduntur.

In adhortatione primo aurem poſtulat, eamque attentam, quod inclinationis voce indicatur. Qui enim attente audit, aurem, nequid eorum, quæ dicuntur, forte excidat, propius dicenti admovere ſolet. Quod propterea dictum eſt, ut diſcrimen ſtatuatur inter eos, qui auribus graves ſunt, & incircumciſi; & qui prompte & alacriter audiunt Marc. 4. 23. 24.

Ad hanc auris attentionem adhortatur à ſubj. auditionis, nempe verbis ſapientum; quia ſtultum plane, & inſipientem eſſe oportet, quiſquis audire renuit. Si enim Reginæ Sabæ laudi datum ſit, quod tam longinquum iter ſuſceperit, ut civilem modo Salomonis ſapientiam audiret; quanto nobis opprobrio ducetur, ſi ſacroſanctam ejus ſapientiam nobis in os oblatam audire reſpuamus!

Quæritur autem cur, quæ videntur unius Salomonis eſſe, verba ſapientum appellantur. Reſponſio eſt, calci hujus libri Agurem, & Betshabam ſua quædam proverbia adjunxiſſe. Deinde unius Salomonis Proverbia ſapientum verba non alienum erit appellare: quia ſapientes omnes horum proverbiorum, ſi non verba, certe ſenſum in omni ſuo de rebus ſacris ſermone uſurpabunt.

Alterum, quod efflagitat, eſt, ut animum, & aurem internam ad ſapientiam percipiendam appellamus; ſine quo inanis, imo noxia futura eſt externa omnis auditio. Animum vero ad ſapientiæ ſtudium evocans voluntatem ſimul, & affectus exigit.

Ad illud vero hortatur ab adj. amœnitate. Utcunque enim, quamprimum audiatur, voluptate nos ſermo non afficiat,

in animo tamen reſervatus, recognitus, meditatus, & ruminatus delectabit. Si homines attentè audiantur, facile in hac aurium attentione acquieſcunt; aut ſi ulterius progrediantur, præterquam intelligentiæ eorum, quæ dicta ſunt, nullum experimentũ capere poſſunt. Sed quando cum Deo nobis res ſit cognitore cordium, & renum, ſeu abditiſſ. cogitationũ ſcrutatore, non niſi in omnibus totius animæ facultatibus verbo ejus conſcecratis acquieſcendum nobis erit.

Ad hanc, quam exigit, cordis admotionem nobis perſuadendum aliud argumentum ducit a ſubj. quoniam Proverbia hæc ipſius Dei ſcientiam & notitiam continent. Quo quid majus dici poteſt, aut cogitari excellentius? Noſſe enim ſummum omnium bonum, cujus unius ſcientiâ beatus vere dicendus es, & quo ignoto (quantumvis accurate omnia alia intelligas) infœlix, & miſer futurus es omnium, quæ ſunt, fuerunt, vel futura ſunt, optatiſſimum eſſe neceſſe eſt. Quanquam igitur amorem noſtrum in Dei ſermones mirifice calefacere poſſit, quod à ſapientibus profecti ſint; hoc tamen eundem inflammare debet, quia ſcientiam Dei nobis ob oculos proponant.

Verſ. 18. Hactenus accepimus adhortationis duo membra, unà cum rationibus ſeparatim utrique accommodatis: jam ſequuntur duæ aliæ toti adhortationi conjunctim applicatæ. Quarum prior ab adj. jucunditate petitur verſ. 18. 19. quæ ſuis ſubj. declaratur ventre, & labiis. Cum enim homines, quod jucundum eſt, tantopere cupiant, & proſequantur, ad inveſtigandum ſcientiam Dei ſingularis ſtimulus eſt, quia voluptate eum perfundit, qui illam aſſequitur. Vid. Prov. 2.10. & 3.17. Quam autem jucunda ſit, ex verſu 18. abunde conſtat, ubi arbori vitę aſſimilatur. Pſal. 19.10. melli & favo confertur: potus eſt ſitienti, cibus eſurienti, aqua gelida cervo ardore ferventi. Pudori igitur ſit in aliis rebus jucunditatem tantopere expetentibus, ſcientiam Dei, quæ omniũ rerum eſt jucundiſſima, oſcitanter negligere. Cum enim cætera omnia fumorum inſtar ſtatim evaneſcunt, hæc una ſolidam, æternamque voluptatem affert, & filiorum Dei certiſſimum eſt indicium.

Subj. prius eſt venter, quo ſynecd. ſignificantur intima præcordia, quæ ventre comprehenduntur, atque adeo ipſe hominis animus. Plurimum igitur intereſt inter jucunda corporis, & hoc animi jucundum, inter impiorum, & piorum voluptates. Illorum enim deliciæ guſtu tantum, & ore percipiuntur; horum autem animo penitus concoctę, & digeſtæ ſunt: illi ſuavitatem primoribus quaſi labris delibant modo, horum autem proprium eſt in intimis animi penetralibus ſuavitate perfundi. Huic doctrinæ contrarium videtur, quod ſcribitur Apoc. 10. 10. ubi libellus Prophetę ad comedendum datus ore dulcis, ventre verò, & animo amarus fuiſſe prædicatur. Sed illa difficultas facile tollitur; quia non de quovis Chriſtiano hoc dicitur, ſed de verbi tantum Miniſtris, quibus ingratum eſt, quod eſt promulgandum, intus apud ſe concluſum tenere; gratum verò, & ſuave pro vocationis ſuæ ratione in vulgus illud ſpargere.

Alterum jucunditatis ſubject. eſt labium, ſeu lingua. Piis enim jucundum eſt de ſapientia hac cæleſti ſermonem inſtituere. Sic David Pſal. 119.103. quam dulcis, inquit, eſt ſermo tuus palato meo! Prę melle ori meo dulcis eſt. Quod etiam Apocal. 10. 10. de Miniſtris dictum locum nonnunquam habet in piis omnibus. Eſt enim, ubi animo incluſus & cohibitus ſermo Dei cuilibet Chriſtiano amarus, imo inſtar prunarum ardentium eſſe debet; ſicut e contra ſuavis in ore, ſi opportune proferatur.

v. 19. Aliud argumentum, quo ſtudium noſtrum

noſtrum erga cæleſtem hanc ſapientiam accendat, à fine ducit; primo ut in Deo fiduciam collocemus; altero ut bonis operibus fiduciam teſtemur. Multa enim hic Proverbia ſunt, quibus fides noſtra innititur, plura etiam quæ ad vitæ integritatem ſpectant. Siquis igitur fide, & operibus bonis abundare velit, eum cæleſtis hujus ſapientiæ ſtudioſum eſſe oportet: Ex hac enim, tanquam ſemine, naſcuntur; & eadem tanquam pabulo paſcuntur, & confirmantur. Atque idcirco qui in hac parum eſt verſatus, is & fidei parum & bonorum operum haud magnam copiam poſſidere judicandus eſt.

Præterea cum hæc omnia Salom. inter ſe conjungat, ita ut prius quodque poſterius aut pariat, aut certè augeat confirmetque, eum, qui colloquio verſ. 18. imperato, & ſermone de hac ſapientia non gaudet, nec fide, nec operibus abundare patet. Unde conſequitur, vanum eſſe eorum ſermonem, qui legis ſe factores eſſe dictitant, quamvis nunquam de verbo Dei ſermonem habeant.

Verſ. 20. Aliud argumentum adfert, quo nos ad hujus ſapientiæ amorem impellat, ab adjuncta horum Proverbiorum præſtantia. Quod argumentum ἐρωτηματικῶς proponit, eo ipſo declarans, horum præſtantiam extra omnem eſſe aleam controverſiæ; ideoque & valde inſipientem, qui non intelligat; aut gnavirer impudentem, qui neget, eſſe oportere. Pretium autem, & præſtantia comparationibus in ſcripturis crebris illuſtratur. Pſal. 19. 11. auro confertur multo, & defœcato; Prov. 3.14.15. argento, auro, margaritis, unionibus, & rebus deniq; omnibus deſiderariſſimis; quæ omnia huic Sapientiæ poſtponuntur.

Tritum eſt, omne tuliſſe punctum, qui utile dulci miſcuit. Utcunque enim, quæ oblectationem præbent, licet non magni fuerint pretii, expetuntur; quæ tamen præſtantiam habent cum oblectatione conjunctam, jure optimo ſunt expetenda. Vnde liquet, quàm intolerabile ſit (quo tamen plerique laborant) cœleſtis hujus theſauri faſtidium.

Singularem hanc præſtantiam ſuo fine amplificat, quod conducant ad conſilia, & ſcientiam, vel ad conſultiſſima conſilia aliis communicandum. Sicut enim ſuperioribus verſibus fructum, qui ad nos ipſos; ſic hoc, & ſequenti, qui ad alios redundare ſolet, propoſuit: Quem uſum cap. 1. verſ. 2. indicavit.

Verſ. 21. Hæc conſilia amplius prædicat verſ. 21. dum certa, minimeque flexiloqua, ut Apollinis λοξὰ oracula, afferat; deindè quò veritatis plena nihil falſi in ſe contineant. Quæ duo, certitudo, inquam, & veritas omnibus ſuis numeris perfecta, conſilia reddunt ſummè ſalutaria. Verbi autem divini notitiam, hanc conſulendi facultatem ſuppeditare, David abunde confirmat Pſal. 119.

Verſ. 22. Ne deripias tenuem, quia tenuis eſt; & ne conteras afflictum in ipſa porta.

v. 23. Nam dominus, diſceptabit litem eorum, & rapiet rapientium eos animam.

In תדכא (*conteras*) eſt metaphora tranſlata à rebus ſolidis in pulverem, aut far piſtillo redactis ad pauperum oppreſſionem. In שער (*porta*) eſt metonym. ſubjecti pro judicio, quod in porta ſolitum eſt exerceri.

Scopus eſt omnes, præſertim Magiſtratus ab oppreſſione, & attritione pauperum, propoſita Dei juſtiſſima vindicta, deterrere.

Ἐπιτιμητικῶς λέγει videri poteſt, ſi generatim pręcepiſſet, ne quenquam cujuſcunq;

ordinis eſſet,aut conditionis,diriperemus, quàm præceptum hoc ad pauperum oppreſſionem reſtringere. Sed Spiritus ſapientiſſimè hoc (ut omnia) mandatum propoſuit conſcius humanæ perverſitatis, qua in pauperum bona, fortunaſque prōtiſſimè involare ſolent, beſtiarum hac in re ingenium referentes, quæ, ubi ſepes humillima eſt, tranſiliunt.Neque hoc ſolum; ſed, quod adhuc deterius eſt, pauperum poſſeſſionem ob eam ipſam cauſam invadunt, quæ vel maximè cohibere debebat. Etenim, quia tenues ſunt, & omni præſidio nudati(ſiqua haberent miſericordiæ viſcera) ſublevandi ab ipſis erant, non opprimendi. Prov. 3. 27. docetur,pauperibus juſtum eſſe,& debitum ab iis, quos penes eſt, illos juvare, ſubſidium; & Math. 25.41,42. prædicit Salvator in æternos cruciatus amandatū iri, quotquot famelicis cibum,ſitibundis potum, peregrinis hoſpitium,& nudis veſtimenta non præbent.Quis igitur illis ſuppliciorum finis erit, aut modus, qui pauperibus,quod paululum habent,auferunt, idque (quod monſtri ſimile eſt) eo ipſo rationis momento, quo maximè ad iis opitulandum invitantur.

Obſervatu etiam dignum eſt,afflictum appellari in poſteriore hemiſtichio, qui in priore pauper,&tenuis appellatur.Quam autē ferum,& immane ſit afflicto afflictionem addere ex Pſ.109.abundè conſtat. Præterea ignavię apud omnes merito damnatur, qui armatus inermem adoritur. Dives igitur amicis, & pecunia munitus pauperem his ſubſidiis deſtitutum opprimens,& diripiens,ignaviæ maculam nullo modo effugere poteſt. Hinc Iacobus 5. 6. divitum exaggerat oppreſſionem, quia juſtus iis injuriam inferentibus non obſiſtat. Quid, quod hoc modo eorum, qui latrocinium per regiam viam exercent,atque adeo ipſius diaboli expreſſam induunt imaginem, qui non niſi imparatos oppugnare ſolent, & pugnam declinantes Iacob. 4. 7?

Cum pauperum oppreſſio à quocunq; fiat Deo odioſa ſit, tum profecta à Magiſtratu multo magis exoſa eſt;cum,quod pauperum perfugium & aſylum eſſe debet, in carnificium, & lanienam convertatur; cum, qui portus,quo ſe tempeſtatibus & fluctibus jactati pauperes reciperent, à Deo inſtituitur, inſtar petræ, & ſcopuli eſt, ad quem illiduntur; cum ſacra Dei authoritas injuriis pauperibus illatis prætexitur; quæ illis propugnandis deſtinatur; cum denique Deus ipſe, qui juſtitia eſt, injuſtitiæ author. & patronus affingitur. Unde eſt, quod de illa, quæ in judicio fit, injuriâ loquens atrociore conterendi verbo utatur;&Iſai propheta hoc genus injuſtitiam facerum appellet commolitionem 3.15.Præterquam enim quod graviores, quàm quæ privatim inferuntur, injuriæ per nomen juris admittantur, animum atrocius ſauciat, cum ſe innocens publici juris prætextu non de ſua ſpe bonam cauſam in judicio obtinēdi excidiſſe modo, ſed contraria etiam injuſtitiæ labe notatum videt.

Verſ.23.Propheta vanam divitum,qua decepti facile ad pauperes opprimendum proſiliunt,opinionem refellit. Cum enim inde ad hoc flagitium deſignandum Spiritus ſumunt,quia pauperes nec ſuas partes tueri valent, & advocatis in jure diſceptando deſtituantur, Propheta docet, Deum exercituum ſe illis cum patronum, tum judicem præbere, & ad illorum defenſionem etiam non vocatum accurrere. Hujuſmodi igitur divitis cum paupere conflictus illi non abſimilis eſt, ſiquis alium, quem inermem putat, adoriens non occulta modo, quam transfigere nequit, armatura munitum, ſed & ſica, qua ipſe confodiatur, ſub veſte inſtructum offendat. Divites, quæ ſenſibus externis objiciuntur, ſolummodo ſpectantes ad pauperem

perem diripiendum intrepidi ruunt : ſed ſi mentis oculo Deum illis auxiliantem aſpicerent, fortiore metus fræno, quàm quo à divitum fortunis abſtinent, à pauperibus nocendo retinerentur. Nunquid enim, ſi non mente obcœcati eſſent, Deũ irritarent? Num ſunt illo fortiores? Temerarium, & periculoſum eſt Leviathano manus injicere, Iob. 40. 28. & cum principe litigare. Sed Deum fortem, opprimendo pauperes probro afficere (Pro. 14. 31.) & cum eo velle contendere ab extrema dementia nihil diſtat.

Addit, Deum rapientium pauperes rapturum animas. David ei, quem pauperi ovem, quam habuit unicam, abſtuliſſe exiſtimabat, non reſtitutionem modo quadruplicem, ſed & mortem inſuper minatus eſt. 2. Sam. 12. 5. Quod ſi judicium humanum uſque eo progreſſum ſit, ut pro tantilla re tam nequiter ſurrepta vitam ſtatuerit auferendam, multo magis Dei judicium, cujus infinitè accuratior eſt juſtitia, eandem pœnam à divitib. pauperes opprimentibus repoſcet.

Voce rapiendi immaturam, & violentam mortem indicare videtur. Sanguiſugæ enim iſti ſanguine pauperum ita tumefacti non mirum, ſi diu non ſuperfuerint, ſed diſrupti miſerè pereant. Exemplo ſit Ahab. 1. Reg. 21. qui tamen Nabothi vineam, ſi aut pecuniâ vendere voluiſſet, aut cum meliore commutare, noluerat vi auferre.

Hinc etiam innuit, tantiſper Deum cõnivere, dum ſpolientur pauperes, ſed non paſſurum, ut oppreſſores impunè ferant. Quamobrem non eſt, quod lætentur divites, cum prædam nacti ſint, quam cum vita, imo anima ipſa in æternum peritura amittere cogentur : & pauperes, quo ſe conſolentur, habent, cum ad Deum vindicem ipſorum, & judicem provocare poſſint.

Verſ. 24. Ne ſis amicus Domino iræ! neque accedas ad virum æſtuum.

Verſ. 25. Ne diſcas ejus orbitas, & accipias animæ tuæ laqueum.

In חבעל אף (*Domino iræ*) & איש חמות (*virum æſtuum*) eſt metony. adj. In מוקש (*laqueum*) eſt metaph. ab aucupibus, qui aves laqueis irretitas tenent.

Scopus eſt, in deligendis amicis ut ab iracundo propter periculum vitæ præſentis, & futuræ caveamus admonere.

In contrahendis amicitiis delectus accurate habendus eſt, quoniam amicus, ſi perfidus, & fallax ſit, plurimum nobis obeſſe poteſt : ſin verus, & fidelis, magnum præbet vitæ ſolatium. Hac de re γενικῶς præcipitur. 2. Chron. 19. 2. ne cum improbis inimicitiam ineamus, aut quidquã cum illis commercij habeamus, multo minus arcta neceſſitudine nos conjũgamus. Hic autem ſpecialius præcipitur, ne cum iracundo amicitiam colamus. Ex quibus illud efficitur, amicitiam non eſſe temere, & ſubito contrahendam. Oportet enim ingenium, & mores hominum, priuſquam in amicorum albo ſcribamus, perſpectos habere, & exploratos. Nec incommode vulgare diverbium, aliquot ſalis modios cum illo commedẽdos monet, quem in amicitiæ ſocietatem ſumus admiſſuri.

Sed excipiet, forſan aliquis, Jonathanem hoc modo temeritatis argui, qui Davidem primo fere aſpectu amore ſummo, & amicitia complexus eſt. 1. Sam. 18. 1. Sed reputandum eſt, Ionathanem mirifica illa, & plane divina de Goliatho victoria, & ſapienti, quam apud Saulem prius habuit, oratione, Davidis pietatem non minus perſpexiſſe, quam ſi multos annos unà convixiſſent.

Præce-

Præceptum roboratur primo comparatione minoris. Non eſt cum iracundo converſandum, aut frequentius conſueſcendum; multo minus amicitiæ vinculo conſtringendum. Congreſſus enim amicorum neceſſarius eſt cum ad amicitiam fovendũ confirmandumq́;, tum ad ſuaves ejus fructus percipiendum. Ex quo illud colligitur, illos in amicitiæ fœdus adſciſcendos eſſe, quibuſcum propter locorum propinquitatem commercium nobis non incommodè intercedere poteſt.

Alia ratio eſt ab adj. periculo jacturam patientiæ faciendi, & in iracundiæ peccatum prolabendi. Tritum eſt ſermone Proverbium, juxta claudum habitantem claudicare ſolere; & Salomon Prov. 13. 20. Sapientem evaſurum docet, qui conſueſcit cum ſapientibus; qui vero ſtultis ſe comitem præbet, malum vitiorum contagio factum iri. Quod ut in omni alia ſocietate, ita vel maximè in amicitiæ interiori conjunctione verum experimur. Nam cum in amicitia propter impenſam dilectionem ſit idem velle, & nolle; fit, ut amicis quam ſimillimi eſſe cupiamus. Siquis hic objiciat, hoc conſortio tam poſſe iracundum ad mite, & placidum ingenium adduci, quàm alterum ad iracundiam deficere; reſponſio in promptu eſt, naturæ depravatione nos in vitia præcipites agi, ad virtutem vero lentos tardoſque progreſſus facere.

Aliud argumentum attexit ab adj. hujus vitæ diſpendio. Quamvis enim amici, ut ſubſidio ſint, adſciſcantur, iracundus tamen, ſimulac furore correptus fuerit, ſpreto amicitiæ jure, & diſrupto vinculo, in amicum violentas manus infert. Deinde, ſi manus ejus effugerit, ipſe tamē prava imitatione iracundus factus alios injuria laceſſitos in ſuã ipſius perniciem irritabit.

V. 26. Ne ſis inter percutientes palma, inter ſponſores pro debitis.

V. 27. Si non ſit tibi ad dependendum, quare acciperet creditor cubile tuum, quod eſt ſub te?

In תקעי כף (*percutientes palmâ*) eſt metonym. adject. pro his, qui ſpondent, ut ex altero hemiſt. conſtat. In משכב (*cubile*) eſt ſynecd. pro rebus ſumme neceſſariis, quibus non ſine gravi incommodo carere poſſis.

Scopus eſt à temeraria fidejuſſione abſterrere.

Voce percutientium Hebraica phraſi eos deſignat, qui ſępenumero pro aliorum nominibus ſpondent. Unde illud conſtat, non in univerſum fidejuſſionem prohiberi, ſed ne ſæpe fiat pro quovis homine: pro alieno vero (qualis non is modo, qui nobis incognitus eſt, ſed effuſus etiam decoctor, otioſus &c. quamlibet notus fuerit, cenſendus eſt) non omnino faciendam accepimus Prov. 6. 1. & 11. 15. Generatim autem non prohiberi ex Geneſ. 43. 9. colligi poteſt, ubi Iehudæ laudi ducitur, quod pro ſalva Benjaminis reductione ſe ſponſorem interpoſuit.

Verſ. 72. Ex adj. damno dehortationem roborat. Cum enim ſpondentis animum ſubire poſſit, creditorem, quia alienum, non ſuum nomen ſit, parciturum; affirmat, ſummo jure cum illo actum iri. Nec deerunt creditori ſuæ rationes, cur ſponſorem durius, quam debitorem ipſum tractandum eſſe contendat. Urgere poteſt, ſe, niſi interveniſſet illius ſponſio noluiſſe quidquam debitori committere; aut debitum, donec ſolvendo fuiſſet, noluiſſe exigere.

Quod autem dicit, cubile ſubtractum iri, difficultatem movet. Cum enim lege Moſaica cautum ſit, nequis ea pignori acciperet, quæ quotidiani, & neceſſarii uſus eſſent, Exod. 22. 26, 27. Deut. 24. 6. eadem lege prohibitum videtur, nequis illa ad debiti

ad debiti ſolutionem accipiat. Reſp eſt, arctius eſſe vinculum debiti, quam depoſiti. Tam. n. ſanctam Deus eſſe voluit debiti ſolutionem, ut liberi potius divendendi, & ipſe debitor in ſervitutem redigendus eſſet, quàm debitum non ſolveretur. 2. Reg. 4. 1. Deinde non omnia civili populi Dei lege interdicuntur, quæ charitatis lege prohibentur. Tametſi enim vetet charitatis lex depoſitum, quod proximo apprimè neceſſarium eſt, retinere, non tantum inde conſequitur, lege civili hoc vetari. Lege charitatis auferenti tunicam jubemur pallium quoq; potius concedere, quam proximo litem intendere: ſed jus civile, ne in foro quidem Moſaico quenquam huc adigeret.

Cum dicit, *ſi non ſit tibi ad dependendum*, nos admonet, ſponſionem ex re noſtra familiari eſſe comparandam; & proinde, priuſquam ex alieno nomine noſtrum faciamus, reputandum eſſe, quam aut amplæ, aut anguſtæ nobis ſuppetant facultates. Vbi cavendum etiam eſt, ne in longinquum tempus debiti ſolutio rejiciatur. Cum enim divitiæ (ut inquit Salomon) alatæ ſint, fieri poteſt, ut cui jã abundè eſt, unde fidem datam liberet, ante præſtitutum tempus nihil quicquam relinquatur.

V. 28. *Ne moveto terminum ſæculi, quem aptârunt patres tui.*

In עילם (*ſæculi*) eſt ſynecd. ſpec. Seculum enim, quod fere 50. annos continet, pro diuturno tempore ponitur. In אבותי (*partes tut*) eſt etiam ſynecd. ſpeciei pro majoribus.

Scopus eſt, ut quiſque, quod ſuum eſt, cum pace poſſideat, adhortari.

Terminorum conſtitutio primùm jure naturæ niti videtur. Deus enim mari, fluminibus, & montibus videtur populos, & regna diſcluſiſſe ab invicem, & diſtinxiſſe, ut neq; hi poſitos ſibi fines tranſgrederentur, nec illi ſuos limites tranſiliendo alienas poſſeſſiones invaderent. Populum autem, quem ipſe elegit, & cujus præcipuam curam ſuſcepit, tãto voluit accuratius cancellis circumſcribere, quanto luculentius ſui erga illos amoris teſtimoniũ ediderit. Quamobrẽ Iudæorum fines ipſa ſcriptura exactiſſime deſcribit. Omnes plagæ, auſtralis, aquilonaris, orientalis, & occidentalis diligenter, & curiosè depingũtur, & ubi quæq; cũ incipere deberet, tũ deſinere, expreſſe oſtẽditur Numer. 34. In libro autem Ioſhuæ ſingularũ tribuum termini ſeorſim, & pluribus explicantur. Quod argumẽto eſt, ſub Euangelio, quando Deus maximã ſuæ Eccleſiæ curã ſuſcipit, debere hãc dictrinã contra Anabaptiſticam bonorum communitatem vigere.

Cum igitur terminorum circumſcriptio jure naturali, & divino muniatur, effractores, qui eoſdem ſummovẽt, jus non humanum modò ſed naturale etiam, & divinum violare concluditur. Cumque ad ſanctam ſocietatem tuendam plurimum interſit, ut in pace vivatur, operæpretium eſt, imò neceſſarium hanc de finibus conſtituendis eiſdemque ſervandis doctrinam amplecti; quæ & ad conciliandum abalienatos, & inter ſe conjunctos concordia fovendum & confirmandum plurimum momenti habet.

Pontificii hinc petere ſolent errorum ſuorum, qui per aliquot centenos annos obtinuerunt, patrocinium. Sed ineptè. Præterquam enim quod Salomonis verba à nativo ſenſu ad allegoricum à ſe confictum torquent; Euangelicam, quam nos profitemur, doctrinam ipſorum figmentis multo antiquiorem eſſe facilè oſtendi poteſt; utpote quæ ab ipſis Eccleſię incunabulis, & mundi primordio recepta eſt; ideoque novitiam, & heſternam quaſi Pontificiorum religionem cano ejus capiti aſſurgere oportere.

Ejuſdem ponderis eſt, quod pro patrum ſcriptis hinc afferre, & urgere ſolent. Reſponderi enim poteſt primo, patres ſæpenumero à Pontificiis, nonnunquam à ſeipſis diſſentire; deinde à nobis ſtare Prophetas omnes, & Apoſtolos; præ quibus graviſſimus quiſque patrum imberbis eſt.

V. 29. *Vidiſti virum diligentem in opere ſuo? Ante reges conſiſtet, non conſiſtet ante obſcuros.*

Scopus eſt, propoſita Dei in ſedulos remunerando providentiâ, ad diligentiam in vocatione excitare.

Non ſatis homini Chriſtiano eſt in opere ſuo faciendo occupari, niſi diligentiam porro, & ſedulitatem adhibuerit. Manus enim ſedula cõmendatur. Quamobrem hoc in loco jubemur manè, & ſero; tempeſtivè, & intempeſtivè, frigore, & æſtu provinciam nobis commiſſam, & demandatam obire.

Deinde requiritur, ut quiſque res ſuas agat. Αλλοτριοεπίσκοποι enim damnantur 1. Pet. 4. 15: & 2. Theſſal. 3. 11. De quibus ſerio dici poteſt, non amo nimis diligentes.

Cum dicat (*vidiſti?*) docet, illos nobis obſervandos eſſe, & imitandos, qui ſedulo & diligenter ſuis, funguntur officiis, Sic Paulus Theſſal. ſuam diligentiam ad imitandũ propoſuit. 2. Theſ. 3. 7. 8. Solent autem nonnulli ignaviſſimos quoſque ſibi in negotiis peragendis proponere, ſtrenuè ſe, & graviter rem geſſiſſe opinantes, ſi non ſint inertiſſimi.

Promiſſio ſequitur, hominem in opere ſuo diligentem coram regibus conſtitutum. Quod & negatione contrarij amplificatur, non conſtitutum ante ignobiles, Sic manus ſedula ditare dicitur Prov. 10. 4. & 21. 5. Eadem etiam dominabitur Prov. 12. 24. Exemplis idem confirmatur multis, & luculentis Gen. 47. 6. Rebeccæ Gen. 24. 18, 19, 20. Ieroboami 1. Reg. 11. 28. & Ruth, quæ, licet paupercula, ſua tamen diligentia & ſedulitate, ut Boazo, viro prædiviti & authoritate pollenti nuberet, obtinuit. Segnes autem, & deſidioſi, tametſi honeſto loco nati, & conditione vitæ non contemnenda ſint, ſua tamen ignavia in miſeriam, & ignominiam aut proni decidunt, aut ſenſim dilabuntur.

Quod ſi hoc ad diligentiam in humanis negotiis præſtandam incitamentum ſit, quod diligentes coram regibus terrenis (quod tamen non eſt ita uſquequaque certum, quin multis modis impediri poteſt, & ſolet) conſiſtent; quanta nobis diligentia in rebus divinis adhibenda eſt, ut (quod præmium eſt infinita differentiâ majus, & pro certa Dei voluntate, indubitataque potentia, ratum & ſtabile) coram rege regum in ſummis cœlis perpetuo conſiſtamus.

CAPUT XXIII.

V. 1. *Quando ſedebis ad veſcendum cum dominatore, conſiderabis, quod ante te eſt.*

V. 2. *Nam cultellos adhibueris jugulo tuo, ſi vir appetentiæ ſit.*

V. 3. *Ne afficiaris deſiderio cupediarum ejus, cum ſit cibus mendacij.*

In שכין (*cultellos*) eſt metaph. à cultellis, quibus quis jugulatur, tranſlata ad crapulam, & ebrietatem, quibus conficiuntur homines, aut certè debilitantur. In לחם (*panis*) eſt ſyn. partis. In לחם כזבים (*cibus mendacii*) eſt metaph. à ſermone blando, quo quis alium decipit, ad cibos tranſlata, quorum

quorum ſuavitate incauti homines in crapulam conjiciuntur.

Si cui, quod ad tam, in ſpeciem, humilia Salomon præcepta ſua demittat, mirum videtur, videat, quæ prius in ſextum cap. verſ. 1. ſunt annotata. Nec tamen hæc parvi res momenti, & qua de Salomon præcepta tradat, indigna videri poteſt, ſi vel aſpiciamus ut copioſiſſimos, ita longè pernicioſiſſimos ejus fructus; vel Chriſtum ipſum Apoſtolos ſuos ita ſolicitè, ne crapula, & ebrietate ipſorum corda graventur, admonentem audiamus.

Cum in omni re proclivis ſit ad peccatum lapſus propter naturæ noſtræ pravitatem, tum in nulla magis, quàm in potus, & cibi deſiderio, præſertim quando epulæ exquiſitæ, & magna ferculorum varietate apponantur. Hinc Jobus ſacrificia pro filiis Deo obtulit, veritus, ne ira ejus ex aliqua inter epulandum intemperantia in illos exardeſceret. Quamobrem Propheta noſtræ ad hoc vitium propenſitatis nō ignarus opportunè monet, ne ad dominatoris menſam, quæ lautè inſtrui ſolet, admiſſi ejus cupediis ita capiamur, ut aliquid ſanctiſſima noſtra profeſſione indignum admittamus.

Adhortatio non nude propoſita, ſed iterata ſæpiùs, non tam de eſculentis, & poculentis hic agi docet, quæ in ventriculum demiſſa in ſeceſſum deinceps ejiciuntur; & ex quibus, ſi comedamus, nihil nobis accedit; nec decedit, ſi abſtineamus; quam de prava cupiditate (ut ex verſu 30. liquet) quæ ex corde proveniens nos polluit.

Hominibus ſolemne eſt, cum menſæ accumbant, omnes curas, & ſolicitudines ex animis pellere, quo pleniùs, & liberius ſe oblectent. Nec repugno, quin poſſint mundi curam, ne (quod in vitio eſt) panem doloris comedant Pſal. 127. ad tempus deponere: ſed hanc interim, quā Sal. nobis commendat, quam arctiſſimè curā complecti debent, ne aut largiore paſtu ſtomachum obruant, aut ex ſingulis in magna cupediarum varietate aliquid delibantes ita malè afficiant, ut propter pugnantes variorum ciborū qualitates concoquere illos, & in chylum redigere nequeant. Unde diligenter vult à conviva conſiderari eſculentorum, proculentorumque vires, & naturam.

Hanc curam amplificat, & corroborat à ſubj. *ſi vir appetentiæ ſis*. Quibus igitur in more poſitum eſt diuturniore à cibo, & potu abſtinentia ſe ad futurnm convivium præparare, cautio tanto major adhibenda eſt, ne illis eveniat, quod vulgari apud nos Proverbio celebratur, duos parciores paſtus tertium reddere heluonem; (ſic enim loquimur.) *Two hungry meals make, the third a glotton*, & quod quam plurimis accidit, qui ſe ita convivantes infarciunt, ut crapulam biduo poſt exhalare nequeant. Hoc autem, ut omnibus cujuſlibet ætatis hominibus, ita juvenibus inprimis obſervandū eſt, qui caloris in ventriculo abundantes appetenti aquā maximè præditi ſunt; deinde & his, qui ab humili cōditione ad regalem menſam (de quibus in ſuperiore Prov.) ſubito elati ſunt.

Sequuntur rationes, quibus admonitio innitur. Prior ducitur ab adject. damno, quod heluo ſibi ipſe infert. Cum enim luxu, & intemperantia ſanitatis, & ipſius etiam vitæ plerumq; jacturam faciat, ſibi ipſi quodammodo violentas manus (proh pudor!) infert. Menſa, quæ illi ad vitæ ſubſidium data eſt, laqueus ſit, quo irritetúr: vinum, & cupediæ, quæ tam ſuaviter per fauces, in ventrem tranſmittūtur, inſtar cultelli ſunt, quo jugulū diſſecatur. Qui igitur ab aliis damnum nobis inferri iniquè ferimus, ne committamus, ut ἀνϑένται quodammodo ſimus, & cultellis, quibus eſcam ſcindimus, noſtra ipſorum jugula petamus.

Altera ratio petitur ab adj. ſuavitate

ciborum potionum, tragematum, & id genus gulæ irritamentorum, quæ ſua dulcedine, & grato ſapore ita ſenſim in ventriculũ illabuntur, ut priùs illum oppreſſerint, quam ſatietatẽ quis ſentire poſſit.

Si autem, cum Dominus terrenus nos aſpiciat, cautio, ut moderatè veſcamur, adhibenda ſit; quanto magis, cum Dei oculus ſemper in nos defixus ſit, debemus in omni menſa nos tali inſpectore dignos præſtare? Et ſi menſę humanæ accumbentibus, ut honeſte nos geramus, tantopere curandum ſit, cum ad menſam Domini invitamur, multo magis videndendum eſt, ut compoſite, & ut Chriſtianos decet, accedamus, ne pro vita, quam quærimus, morbos, & mortem adſciſcamus. Hujus autem menſæ, & illius diſpar admodum, & diſſimilis ratio eſt. Illic enim nimium ſumendo peccatur; hic autem rei peragimur, ſi totum, quod nobis offertur, non accipimus. Sacra etiam doctrina menſa Domini eſt; ad quam vocatis, ne ad perniciem noſtram abutamur, ſollicite cavendum eſt.

Verſ. 4. Ne fatigator, ut diteſcas: à tua prudentia deſiſte.

Verſ. 5. An involare facies oculos tuos in id, quod non eſt? Nam *comparando ſibi comparat alas, ut aquila, quæ volat cœlum verſus.*

In פעיף (*involare facies*) eſt metaph. ab avium volatu ad oculorũ aſpectum propter ſummam celeritatem tranſlata. In עיניך (*oculos*) eſt alia metaph. à ſenſibus corporis ad animi affectum traducta: aut metonym. *effecti*, quia quod animus deſiderat, in id oculi defiguntur.

Scopus eſt homines ad moderationem in congerendis facultatibus revocare.

Apoſtolus 1. Tim. 6. 9. altiùs repetit hujus peccati originem, & ipſa veluti incunabula, cum diteſcendi voluntatem damnet, & verſ. 10. pecuniæ amorem illicitum, & periculi plenum eſſe confirmet. Quod ſi ne velle quidem, aut cupere fas ſit, nedum ut nos hoc nomine fatigemus, conceditur. Quod tamen tam eſt omnibus fere uſitatum, ut, qui non faciant, pauciſſimi inveniantur. Et quotuſquiſque Aguri non paupertatem ſolum, ſed divitias etiam deprecanti ſimilis exiſtit? Proverb. 30. 8.

Prohibitionis ratio in ipſa prohibitione deliteſcere videtur, cum dicit, *ne fatigator.* Hinc enim non obſcure ſubinnuit, eum, qui diteſcere cupit, improbo labore ſeipſum miſere divexare. Ad victum equidem, & vitæ cultum labor, etiam cum dolore conjunctus ſubeundus eſt Gen. 3. Verumenimvero cum animum diteſcendi libido inceſſerit, vita ex Dei inſtituto ſubamara hinc ſupra modum acerba, & injucunda redditur. Nec immerito, qui hujuſmodi curis ſeipſum conficit, homicida habendus eſt. Somni enim aut durationem impediens, aut ſuavitatem; & ciborum aut moderatam oblectationem, aut tempeſtivã concoctionem interturbans vires ſuas exhaurit, & labefactat valetudinem.

Hujus diteſcendi cupiditatis quo facilius fibras evellat, cauſam ejus, ſeu radicem procul ſubmovendam eſſe ſtatuit. Rejicienda eſt carnis, ſeu corruptæ rationis noſtræ prudentia, quæ hanc unicam viam ad vitam, ad honores, ad voluptates, ad amicos, & quid non? adipiſcendum eſſe ſuggerens, & nihil illi, cui divitiæ ſuppetunt, ad perfectam fœlicitatem deeſſe ſtatuens; contra miſerum eſſe, & infœlicem, qui illis deſtituitur, tantum diteſcendi ſtudium in animis excitat. Huic, non tam prudentiæ, quam ſtultitiæ, & dementiæ, ſi ab hoc vitio immunes eſſe volumus, renunciandum eſt, & Chriſto potius ſummæ Dei ſapientiæ auſcultandum, qui

qui vitam noſtram in divitiis, quantumvis copioſæ fuerint, non conſiſtere docet, & hominis prædivitis omnibus hujus vitæ pręſidiis, & deliciis affluentis parabolâ dilucidat Luc. 12. Quid, quod divitiæ ſæpe nobis laqueos nectunt, & inſidias ſtruunt, quibus vita nobis eripitur, aut ſaltem grave aliquod damnum infertur? Quibus enim (ut alia omittamus) mors, aut ſervitus ab hoſtibus metuenda eſt? Pauperibus? An divitibus potius, & honoratis? Exemplo ſint Iudæi 2. Reg. 25. quorũ nobiles, & opulenti ad unum cæſi ſunt, aut in captivitatem abducti; pauperibus vero non modo mali nihil obtigit, ſed poſſeſſiones etiam aſſignatæ ſunt. Davidem quidem & Salomonem magnam divitiarum vim coacervaſſe legimus; & ſanctorum plurimi divitias quæſiverunt, & aſſequuti ſunt, Sed nunquid hoc ſuffragatur pravis eorum cupiditatibus, qui non, ut illi honeſte quærunt, quo verum Dei cultum promoveant, habeantq; quod in pauperes erogent; ſed Eccleſię ſpoliis (proh pudor!) ſeipſos onerant, & ad inſatiabiles ſuas cupiditates explendum pauperes deplent?

Ut hãc flammam reſtinguat Salomon, adjunctam divitiarum vanitatem nobis ob oculos proponit verbis efficaciſſimis, cum dicit, nullam ineſſe ſubſiſtentiam. Noſtram in divitiis tam avidè quærendis retardare præcipitantiam, & ardorem refrigerare poterat, quod Chriſtus Luc. 16. 10. 11. in minimis bonis illas numeret: Sed ulterius progreditur Sal. qui in numero entium habendas negat. Hinc liquet, quantum interſit inter ſanctiſſimum Prophetæ judicium, & vanam hominum opinionem. Illi divitiis, quaſi ſolæ haberent ſubſiſtendi vim, ſubſtantiæ nomen impoſuerunt: hic autem veræ Dei cognitioni appellationem illam alibi attribuens, hic divitias non modo à ſubſtantiarum finibus arcendas, ſed ad non entia relegandas judicat.

Divitiarum vanitatem, & inſtabilitatem illuſtrans à pernici aquilę volatu, tanquam pari, ſubindicat, non poſſe nos aut aſſequi illas, aut partas retinere, aut amiſſas retrahere. Hoc porro exornat proſopopæia, cum divitias ſibi alas ſtudioſè comparare dicit, quibus manibus noſtris elapſæ evolant. Hæ autem ſunt multiplices; ærugo, tineæ, blattæ, curculiones, fures, latrones, incendia, bellum, oppreſſio, & alia id genus ſexcenta; ex quibus, tanquam plumis ingentes alę cõficiuntur, unde perſpicitur illorum inſcitia, qui rei tam mobili avidè inhiant. Quomodò verò pennæ huic volatili præcidantur, Servator docet Math. 6. 25. Luc. 12. 22.

Verſ. 6. Ne comedas panem mali oculo, & ne concupiſcas delicias ejus.

V. 7. *Quia ut menſurat ſibi ipſi, ſic eſt. Comede, & bibe, inquiet tibi; ſed animus ejus non eſt tecum.*

V. 8. *Buccam, quam comediſti, revomeres: porrò amœniſſimos ſermones tuos corruperis.*

In רעעין (*mali*) eſt metony. effecti pro avaro, qui torve illum intuetur, qui cibo ipſius veſcitur. In לחם (*panem*) eſt ſynec. pro integro paſtu. In תקיאנה (*revomeres*) eſt metaph. ab externo vomitu ad animi faſtidium.

Scopus eſt, ut in officiorum permutatione delectus habeatur; nominatim ne hoſpitio alicujus temere utamur.

Quemadmodum in muneribus accipiendis nec quidvis, nec à quovis (ut ex Abrahami, Davidis, & Elizæi exemplis conſtat Gen. 14. 2. Sam. 24. 2. Reg. 5. 16.) accipiendum eſt: ſic in conviviis, ne nimium faciles nos convivas præbeamus,

 caven-

cavendum eſt. Atque ut ædes noſtræ non ad quoſlibet hoſpitio excipiendum patere debent (ſunt enim, quibus ne vale quidem, aut ſalve dicendum eſt:) ita neque nobis omnes, quę patent, ędes adire conceditur.

Hic igitur conſiderandum eſt, primum genus hominum, qui nos invitant, deinde conſilium, & finem, quem nobis convivaturi proponimus. Quod ad homines ſpectat; pii ſunt præcipuè, & quos convivas adhibere, & ad quorum convivia adhiberi nos æquum eſt, ut charitatem mutuo confirmemus, & eorum conſuetudine adjuti majores in pietate progreſſus faciamus. Improborum vero ad convivia quamvis itare fas non ſit, aliquando tamen adire, & ad noſtra illos invitare non omnino vetitum eſt; dummodo id ipſorum ſaluti inſerviat, ut Math. 9. 10. 11. 12. 13. aut paci & tranquillitati noſtræ, ut Gen. 26. 30 Huc accedit Pauli authoritas, qui Chriſtianis non penitus abnuit, quin poſſint cum idololatris, ſi invitarentur, convivari. 1. Cor. 10 27. & 1. Cor. 5. 10. 11. monet, conſortium non omnino fugiendum eſſe, niſi illorum, qui ad Eccleſiæ communionem admiſſi de crimine aliquo graviore cum contumacia conjuncto tenentur. Itaque cur avari menſa nobis interdicitur, cum improbitas ejus non in cauſa ſit, aliæ rationes inveſtigandæ ſunt. Prima autem eſt, quia præ malignitate quadam animi, & nimia ad rem attentione dapes ſuas paulo liberius ab hoſpitibus guſtari æquo animo pati nequit. Ex quo colligitur irreligioſas eſſe eorum voces, qui ad tenacis menſa, licet non invitenter, adeundum, & quicquid habeat eſculentorum, devorandum ſe mutuo cohortantur. Ajunt, æquiſſimum eſſe, ut, quibus uti neſcit, ei adimantur. Atqui ut ille, qui ſpolietur, dignus ſit maximè, nos tamen indigni, qui faceremus. Imitanda potius Davidis hac in re modeſtia, qui, tametſi penuria commeatum laboraret, ſervos tamen ad Nabalem aliquid rogatum miſit, non ablatum omnia.

Hanc rationem confirmat comparatione maj. Sibi enim ipſi, nedum aliis liberiorem, ex dapibus præſertim, paſtum invidere ſolet. Quod ſiquis fortè excipiat, cum majore ſit tenacitate, quam ut epulas magnâ aut copia, aut lautitia inſtruere velit, non multum ei ex largiore dapum conſumptione metuendnm eſſe; reſpondeo, ſolere avari epulum (ut vulgo dicitur) longè exquiſitiſſimum eſſe. Sic enim Nabalis, quod tonſoribus exhibuit, magnificum, & inſtar principis fuiſſe prædicatur.

Prolepſis ſequitur, cujus occupatio eſt, avaro injuriam fieri, dum malignitatis hujus inſimulatur; quandoquidem ſæpiuſculè hoſpites ſuos humaniter, & ut liberalem decet, affatur: ſubjecto eſt ex diverſis; illum quidem hoc verbis præ ſe ferre, aliter tamen animo ſentire; teque hac ipſa de cauſa, quod illi verbo tenus, ut liberalius comedas, ſuadenti obſequaris, majori odio proſequuturum eſſe.

Secunda ratio, cur ab avari hoſpitio abſtinendum ſit, ſumitur ab adj. pænitudine, qua is ducitur, qui menſæ ejus accubuit. Cum enim odium ſibi inde conflatum peceperit, aut aliquid beneficii, ad cibi, quem ſumpſit, compenſationem importunis precibus à ſe extorqueri viderit, quid mirum, ſi aut nullum cibum comediſſe optet, aut omnem ſtatim evomuiſſe?

Tertia ratio inde eſt, quia ſermones, quibus & te ipſum, & hoſpitem oblectare cupis, omnes perdideris. Ita enim miſere, ne cibus abſumatur, metu afficitur, & cruciatur, ut ad ſermones tuos, quamlibet amœnos, nec libeat animum advertere, nec vacet.

Hoc ut de avaris vere dicitur, ita non minùs

minùs de his affirmari poteſt, qui cum ad dandum ſatis prompti, & propenſi ſint, cum tamen ab importunis hoſpitibus ſupra vires graventur, erga illos, à quibus ita premuntur, non poſſunt non maligne affici. Quod depravatę Inſulanorum conſuetudini accommodari poteſt, qui ad puerperæ domum, donec Eccleſiæ ſe denuo ſiſtat, convivandi cauſa quotidie ventitant.

Verſ. 9. In auribus ſtulti ne loquaris, quia contemnet, contemnet (inquam) prudentium verborum tuorum.

In באזני *(in auribus)* eſt metonym. ſubj. pro ipſa auditione.

Summa eſt, auditorum, quibus doctrinam, aut conſilia ſalutaria proponas, delectum habendum eſſe: nec eſſe minoris prudentiæ ſcire, quando tacendum ſit, quam prudenter, & conſiderate loqui.

Cap. 9. v. 8. interdixit irriſoris reprehenſione. Sed hoc Prov. genetalius eſt, & propterea ἐπιστημονικώτερον, & majori animadverſione dignum. Nam cum illic de reprehenſione ſola agitur, hic de omni genere conſulti, prudentiſq; ſermonis præcipitur: deinde cum illud Proverbium ad unum genus ſtultorum reſtringitur, hoc ad univerſos extenditur. Nec abſimile ėſt illi ſervatoris mandato Mat. 10. 14. *Quicunque vos non accipit, nec vobis auſcultat, pulverem, &c.* niſi quod Miniſtris verbi quod ibi dictum eſt, hic dicatur omnibus fidelibus.

Sub hujus Proverbii complexu, & capacitate comprehenduntur irriſores Pro. 9. 8. (unde eſt, quod Chriſtus Herodi nihil reſponderit Luc. 23. 9;) porci, qui ſana conſilia nihil æſtimant (cujuſmodi erant Gadareni, qui majorem porcorum, quam prædicationis Euangelii rationem habebant, à quibus etiam Chriſtus rogatus abceſſit;) canes, qui docentes mordent, & perſequuntur; multo magis blaſphemi (unde Hezekiah ſervis mandavit, nequid blaſphemiis Rabshacem reſponderent 2. Reg. 18. 36;) potu obſtupefacti, ut qui rationis uſu ad tempus privantur. 1. Sam. 25. 36; deinde qui mentem, & ſenſus habent aliis rebus penitus intentos. Quales ſunt avari; quorum animos, ſiquando epulum præbent, ita in patinis eſſe modo audivimus, ut de nulla re alia præterquam cibo, ne ab hoſpitibus abſumatur, cogitent. Unde etiam hoc Proverbium nonnihil conjunctionis habere videtur cum ſuperiori. Hoſce univerſos ſub ambitu ſuo complectitur hoc Proverbium. Hujuſmodi porcis non projiciendæ ſunt margaritæ; hiſce canibus non dandus eſt liberorum panis; nec inſenticoſo hoc, ſpinoſoq; ſolo pretioſum verbi divini ſemen jactandum eſt.

Verumenimvero cum ſtulti appellatione non hi ſoli, ſed omnes (ut ſæpe dictum eſt) impii deſignantur, videntur omnes, quotquot flagitioſam, & nefariam vitam tranſigunt, à Schola Chriſti arceri; atque ita pœnitentiæ viam præcludemus, ipſos Apoſtolos, qui gentibus à Deo alienis Euangelium annunciârunt, imo Chriſtum ipſum damnabimus, qui cum Publicanis, & peccatoribus, ut Deo illos lucraretur, commercium habuit. Reſpondeo, aliud eſſe cum mortuis, aliud cum ægrotis, ut ſanitati eos reſtituas, converſari; deinde ſingularem fuiſſe, & penitus extraordinariam Chriſti, & Apoſtolorum vocationem. Porrò cum contemptus, qui à nobis, niſi facto periculo, ne in his quidem, quos certo ſcimus impios eſſe, dignoſci nequit, cauſa hujus prohibitionis aſſignetur, concluditur, à nullorū, niſi quos contumaces comperti ſumus, inſtitutione (quoad ratio vocationis noſtræ fert, & opportunitas datur) debere nos abſtinere.

Qui

Qui vero tali ingenio ſunt, ut ab illis inhibenda ſit cæleſtis pluvia, quàm perdita conditione ſint, cogitare debent. Alii autem videant, quàm æquo animo reprehenſiones ferre oporteat, cum divini erga nos favoris teſtimonium afferant.

V. 10. Ne transferas terminum ſæculi, & in agrum pupillorum ne ingrediaris.

V. 11. Quia redemptor eorum eſt fortis: ipſe diſceptabit cauſam eorum tecum.

In יתומים (*pupillorum*) eſt ſynecd. partis. In גאלם (*redemptor*) eſt metaph. ab hominibus, quibus propter cognationem jus eſt redimendi alienam poſſeſſionem, ad Deum traducta.

Scopus eſt homines deterrere ab inferenda afflictis injuria.

De priore parte verſiculi prioris ſuperius dictum eſt ad c. 22. v. 28. In poſteriori parte notat finem amotorum terminorum hunc eſſe, ut aliorum poſſeſſiones invadant. Termini enim tanquam muri, maceriæ, aggeres, & ſepes ſunt, quibus poſſeſſiones hominum ab invicem ſeparantur, & dignoſcuntur. Quamobrem qui terminos movet, jam apud ſe conſtitutum habet in alterius poſſeſſionem involare.

Cum vero ſpeciatim prohibeat, ne quis pupillorum agros ingrediatur, taxare videtur plurimorum hominum nequitiam, qui, tametſi omnia ad ſe corradere expetant, à potentiorum tamen fortunis metu abſtinent, & in pauperum, & patrocinio deſtitutorum poſſeſſionibus unde ſe dimoveri non poſſe exiſtimant, pedem figunt. Sed belluinis hiſce hominibus, qui ſine ullo rectæ rationis diſcurſu ad id ſolum, quod præſens, & ante oculos eſt, tam impotenter feruntur, verſu 11. occurritur. De quo ſupra dictum eſt c. 22. verſ. 23.

Veruntamen aliquid novi occurrit, in hoc verſu, quod plurimum elegantiæ habet. Sumitur enim comparatio ex lege, quæ ſcribitur. Levit. 25. 23. 24, &c. ubi docetur, terram Canaan Dei fuiſſe, non Iſraëlitarum; & proinde non licuiſſe cuiquam fundum ſuum vendere. Sed ſiquis paupertate coactus vendidiſſet, neque haberet, unde agrum, aut domum (ruſticam præſertim) redimeret; qui illum ſanguine proximè attingebat, pretio, quod venditor acceperat, perſoluto, è manu emptoris aſſereret. Qoud ſi nec cognatus poſſet redimere, anno tamen jubilæi ad primum poſſeſſorem rediret. Ad hunc morem reſpiciens Propheta docet, Deum eſſe pupillorum vindicem, qui poſſeſſionem injuſtè illis ereptam ex manu oppreſſoris recuperaturus ſit. Oppreſſores igitur aliud forum cogitent, aliud tribunal, aliũ judicem, alios, quàm quos oculis cernunt, advocatos. Itaq; ſi ſanum ſit conſilium, cum potentiore non contendere, iterum, atque iterum videndum eſt, ne cum Deo juſtiſſimo pariter, & potentiſſimo in judicium deſcendamus. Servum principis nemo facile opprimit: regis autem regum non tam ſervos, quam filios (tales enim ſunt, dummodò fideles fuerint, pupilli, & viduæ) quis tandem impunè violabit?

Verſ. 12. Adhuc cor tuum eruditioni, & aures tuas verbis ſcientiæ.

Scopus eſt hortari pios, ut ſe totos addicant cognitioni Dei.

Prov. 2. 2. idem præcipitur, ſed inverſo ordine. Ibi enim primò aurium attentionem exigit, deinde animi accommodationem. Quo docemur, in cœleſtia perci-

percipiendo aurem animo, & animum auri mutuam opem, & ſubſidium præbere. Nam & animus experrectus aurem ad audiendum attentiorem, & auris circumciſa animum reddit alacriorem: ſicut è contra gravis auris animum ſtupidiorem efficit, & animus craſſus, obeſuſque aurem ſurdiorem.

Sed videtur liberum arbitrium homini tribuere, ac ſi penes ipſum eſſet animum, ſi vellet, eruditioni applicare. Reſpondeo, hanc officiorum pręcipiendi rationem nos ejus admonere, quod debemus, non quod pręſtare poſſumus. Deinde regeneratos (cujuſmodi eſſe eos, quos Sal. in hoc libro alloquitur, ex frequenti filiorum appellatione conſtat) libero arbitrio præditos eſſe, diffitendum non eſt; quandoquidem, quos filius liberavit, hi verè liberi ſunt Joh. 8. 36.

Quod ſiquis excipiat, auditionem verbi in improborum etiam libero arbitrio eſſe poſitam; ideoque non eſſe filiorum Dei propriam, reſponſio eſt, nudam, ſive externam verbi auditionem in his eſſe, quæ improbi poſſunt vel facere pro arbitrio, vel infecta relinquere: ſed aurem internam admovere (quod hoc loco requiritur) penes illos non eſt. Sicut enim cordis, ſic & auris circumciſio non, niſi à regenerante Dei gratia & gratuita ejus beneficentia proficiſcitur.

Pii vero jam ante eruditioni animos adjecerunt: Quorſum igitur amplius hujuſmodi exhortationibus fatigantur? Reſpondeo, animum (quod adducendi vocabulo non obſcure indicatur) ſua naturâ à Deo, & vera ejus notitia quam longiſſimè diſſitum non niſi gradatim, & pedetentim propius eum admoveri; nec iter hoc ſuum, quamdiu hic vitam agimus, tametſi quotidie progrediatur, poſſe conficere. Sicut igitur ſanctis exhortationibus ad Deum quærendum primo inflexi; ita, ne reflectantur, eiſdem retinendi ſtabiliendique ſunt piorum animi; atque, ut indies promoveant, incitandi.

Quod cum ſcientia eruditionem conjungit, non ſatis eſſe demonſtrat, ſi veram doctrinam intelligamus, niſi voluntas etiam, & affectus ad ejus obſequium adducantur. Hoc enim voce מוסר ſignificari cum ex aliis locis, tum ex Pſal. 2. verſ. 9. clarè liquet.

Verſ. 13. N*e cohibeas à puero correctionem : cum percuſſeris eum virga, non morietur.*

Verſ. 14 *Ipſe tu virga percuties, & animam ejus è ſepulchro eripueris.*

In נער (*puero*) eſt ſynecd. ſpeciei. Ponitur enim pro ſobole utriuſq; ſexus. Item in שבט (*virga*) pro omni moderatæ caſtigationis inſtrumento.

Scopus eſt à nimiæ indulgentiæ incommodis ad moderatam, & prudentem inferiorum caſtigationem ſuperiores adhortari.

Hic, ut ſuperiore Prov. correctionem omnibus omnino liberis, cujuſcunque ſint indolis, ingenii, aut educationis, adhibendam eſſe monet, quia nulli ſunt, quantumvis rectè aut animati, aut educati, quin aliquando fructus veteris Adami ejuſmodi ferant, qui caſtigatione, ne latiùs ſe diffundant, comprimendi ſunt. Cum enim homines ſint pullorum ſimiles, Ioh. 11. 12. quorum nulli tam ſicures, & manſueti ſunt, quin domitore, qui injecto lupato, & virga, aut calcaribus adhibitis, ferociam eorum retundat, opus habent; fit etiam ut liberi, quamvis mitiſſimo ingenio præditi nonnunquam tamen caſtigationis indigeant.

In priore parte verſiculi quamvis de correctione generaliter ſumpta præcipiatur, primaria tamen, & præcipua qua-

dam ratione ea, quæ verbis fit, intelligenda eſt. Si enim liberi pro ſingulis delictis virga cæderentur, callum quendam, qui adimeret ſenſum plagarum, & virgæ contemptum pareret, frequenti verberatione contraherent. Quamobrem, niſi gravius aliquid admiſſum fuerit, ab increpatione incipiendum eſt: nec verberibus onerandi, qui verbis emendari poſſunt.

Sed nec perpetuo, quantumvis obſequentes liberi fuerint, res nudis verbis peragenda eſt, ſed virga nonnunquam adjungenda. Nam ſiquis de una eademque re abſque verberibus ſæpiùs admoneatur, non ſolum abjicit emendandi ſtudium, ſed porro cervicem obdurat, obfirmatque Prov. 29.1. Caſtigationes enim medicamentorum ſimiles ſunt, non ciborum. Quemadmodum igitur medicamenta eadem ſæpius uſurpata in alimenti naturam tranſeunt; atq; ita non modo ipſa non medentur, ſed aliis etiam viam obſtruunt: ſic objurgationes crebrius inculcatæ diuturna conſuetudine ita familiares redduntur, & factu faciles, ut qui ad frugem reducendi erant, in ſua nequitia hinc magis confirmentur.

Rationem ab adj. affert, caſtigatione vitam pueri, non præſentem modo, ſed & æternam conſervatum iri. Unde conſtat, parentes, & quibuſcunq; cura pueros educandi incumbit, niſi illos caſtigaverint, non ſolum interfectores corporum eſſe, verumetiam animarum carnifices. Ubi mirari ſubit crudelem quorundam parentum erga liberos ſuos amorē; quos tam charos habent, ut immatura morte perire, & in horrendam inferni voraginem præcipites dari non gravatim ferant. Talis erat Heli ſacerdotis in filios ſuos, & Davidis amor in Abshalomum, & Adonijam, quos omnes morte; quam novimus illos obiiſſe miſerrimam, in æternos gehennæ cruciatus conjectos eſſe non ſine cauſa ſuſpicari poſſumus.

In verſu 14. accretio eſt. Cum enim verſu decimo tertio parentes, ut (ſecus, quam à pleriſque fit, qui cum præceptoribus, aut heris, ne liberos ſuos verberent, paciſci ſolent) caſtigari liberos ſuos paterentur, admonuerat, hic parentem ipſum virga percutere jubet. Quo enim ipſe in liberos plus authoritatis habet, & amoris; eo plus valebit, quæ ab eo provenit, caſtigatio, quam quæ ab alio infertur, cujus minor eſt apud illos ſaltem authoritas, & de cujus amore non perinde conſtat. Plerique autem, quod ipſi tam ſtultè ſunt indulgentes, ut plagas ſuis liberis non modo ipſi infligere, ſed ab aliis inflictas æquis oculis intueri nequeant, aliis corrigendi & caſtigandi partes demandant.

Hic liberi ad patientiam in toleranda caſtigatione adhortandi ſunt, præſertim ſi à patre cœleſti caſtigentur. Heb.12.9.

Eccleſiaſtica diſciplina virgæ paternæ comparatur 1. Cor. 5. atque eo nomine, quam commendatiſſima nobis eſſe debet; utpote cui à morte prima, & ſecunda nos liberare ſumma quadam, & primaria ratione competit.

Verſ. 15. Fili mi, ſi ſapit animus tuus, lætabitur animus meus etiam ego, quantus, quantus ſum, lætabor.

Verſ. 16. Exultabunt renes mei, cum loquuntur labia æquiſſimas res.

In בני (*fili*) eſt ſynecd. pro liberis utriuſque ſexus. In כליותי (*renes mei*) eſt metaph. à renibus, qui multis involucris tecti ab oculis remotiſſimi ſunt, tranſlata ad oculentiſſimas animi cogitationes, ut hoc gaudium à riſu Sardonio, & ſimulato diſtinguat. Vel eſt ſynecd. partis, ut ſenſus fit, nullam corporis partem vacare ſuo commodo, quod ex hoc gaudio redundat. Sic Pſalm. 16. verſ. 9.

Scopus

Scopus eſt pios ad veræ ſapientiæ ſtudium & praxin excitare.

Primum veræ ſapientiæ ſubjectum animum conſtituit. Vbi, tametſi omnes animi facultates, complectitur, præcipuè tamen voluntatem, & affectus intelligit, ſine quibus intelligere, & recordari non tantum fœlicitatis acquiſitioni nil conducunt, ſed gravioris judicii cauſæ exiſtũt, Hinc Prov. 2. 1. abſcondere ſapientiam jubet, & tanquam theſaurum inveſtigare. verſ. 4. ſervare ut pupillam oculi Prov. 7. 2; amare ut ſororem, ut cognatam, ut annulos digitis inditos; Et Prov. 4. 6. ama (inquit) ſapientiam, & ſervabit te: & honore te afficiet, ſi arctè illam complectaris. Quamobrem oportet nos omnem operam, & ſtudium dare, ut in penitiſſimos animi noſtri receſſus influat ſapientia; ad quam comparandam omnia, quæcunque habemus chariſſima, ſi opus fuerit, cum mercatore illo gemmario Matt. 13. 46. vendenda ſunt; multo magis abjiciendi, qui cum illa apertè pugnant, vitioſi ebrietatis, avaritiæ, fornicationis, & id genus flagitiorum affectus.

Hujus in corde ſapientiæ fructus proponitur v. 16. ſermo ſcilicet rectus, & æquus. [Nam ex bono cordis theſauro nõ niſi bona expromuntur] Mat. 12. 35. & 2. Reg. 9. 11. ut homo, ſic eſt ſermo ejus. Hujus rei ob eam cauſam meminit potiſſimum, quia perfectus eſt, ſiquis ſermone non peccat. Iacob. 3. 2.

Hoc verò non eſt ita ſtrictè accipiendum, quin ad omnes fructus pietatis in animo latentis ſit diffundendum. Tenẽdum. n. eſt illud Gal. 5, 25. *Si vivamus in Spiritu, in Spiritu etiam ambulemus*. Sicut enim, qui hanc vitam vivunt, vitalibus ſurgendi, ambulãdi, veſcendi, bibendi, & cæteris id genus actionibus eã exprimunt: ſic vera pietate præditi dictis, & factis ſe tales eſſe comprobant.

Sed notandus eſt ulterior adhuc ſapientiæ fructus, quo tanquam ſtimulo ad ſtudium ejus, & amorem excitandi ſumus. Sapientiam enim intus condendo, & dictis factiſque promendo parentibus noſtris rem gratiſſimam præſtabimus; eorum ſenectutem ægritudine, & aliis, quæ illa ætas ſecum fert, incommodis gravem, & acerbam jucundiſſima voluptate perfundemus; anxias pro nobis olim ſuſceptas ita compenſabimus curas, & ſolicitudines, ut in corpore, aut animo nihil tam abditum fuerit, ut hujus gaudij expers erit. Contrà vero ſtultitiam amplexantes cana eoram capita cum mœrore ad ſepulchra deducemus.

Denique colligitur ex hoc loco, parentum eſſe, cum in liberis ſuis internæ pietatis indubitatos fructus conſpiciant, ſolidè lætari; nec, ſi pietas abſit, ullam lætitiæ ſatis juſtam cauſam ſe unquam nactos eſſe arbitrari; & proinde non tam ut divites, & honorati ſint, ſolicitos eſſe, quam ut cœleſti ſapientia, veraque pietate excolantur.

Verſ. 17. Ne æmuleris corde tuo peccatores: ſed in timore Domini eſto (vel perſiſte) omni die.

Verſ. 18. Quoniam eſt finis; & expectatio tua non exſcindetur.

In חטאים (*peccatores* eſt ſynecd. gen. pro peccatoribus notis, & obfirmatis. In היום (*die*) eſt ſynecd. partis pro tempore. In אחרית (*finis*) eſt metony. adj pro mercede quæ poſt abſolutum opus tribuitur. In תקותך (*expectatio tua*) eſt metony. adj. pro re ſperata.

Scopus eſt pios, propoſita mercede, à peccatoribus æmulandis abſtrahere.

Æmulari ſceleratos ille dicitur, qui ex intuitu eorum proſperitatis graviter ſe excruciat. Quod tũ maximè fit, quando, facta comparatione, illorum conditioni

ſuam prę tenuitate,&rerum inopia quàm diſſimilimam eſſe animadvertit. Nam Pſal.73.3.confitetur Propheta, ſe in hoc crimen incidiſſe, dum proſperitatem, & fœlicitatem improborum nimis attentè contemplatus ſit.Non quod non liceat& proſperitatem improborum, & noſtram ipſorum miſeriam,utDei ſapientiſſimam mundi, & Eccleſiæ adminiſtrationem cognitam habeamus,excutere,& penitus explorare:ſed illud in vitio eſt,oculis ita lippientibus hæc intueri, ut extollamus ſupra modum improborum fœlicitatem, & conditionem noſtrã plus æquo deprimamus.Neque enim poteramus tam iniqui eſſe rerum æſtimatores, ſi ſanus eſſet judicii noſtri oculus,& non ita lippitudine laboraret,ut res parvas ſub magnarũ, & unam ſub duarum ſpecie nobis repræſentaret,& ei,quod nihil eſt,ſpeciem non nunquam affingeret. Quod quidem inde fit,quod carnem hac de re,non fidem cõſulimus,&in illa modo,quæ ſenſibus percipiuntur,oculos defigimus.Nam ſi rem, prout eſt,reputaremus,parum illud, quod uni juſto ſuppetit præſtantius ſtatueremus, quàm magnam multorum impiorum affluentiam Pſal.37.16.Et Prov.8. divitiæ juſtorum appellantur durabilis ſupellex,ſeu ſubſtantia.Ecquis igitur tam ſtupidus eſt, ut impiorum quaſi horariis fructibus ad biduum tantum perdurantibus non prætulerit eos, qui in annum, aut biennium recondi poſſunt.

Quod dicit, corde non æmulandum eſſe,docet, ita nos affectos eſſe oportere, ut impiorum conditionẽ ne expetamus quidem,nedum hoc animi vitium ſermone prodamus, minimè vero omnium,ii s ſimiles eſſe laboremus.

In poſteriori hemiſtichio ad contrarium bonum adhortatur: *ſed in timore Domini perſiſtito*.Vnde conſequitur, improborum æmulationem,&timorem Dei nõ poſſe ſimul conſiſtere, ſed quo magis improbos quis æmulatur, eo minus timere Deum. Sic enim Propheta pſa.73.confitetur, ſe improbos æmulando eo propemodum adductum eſſe ut à pietate deficeret, & pios omnes infæliciſſimos judicaret. Deteſtanda igitur nobis eſt cũ Iobo,non expetenda impiorum conditio Iob 21,16.Neque propterea excandeſcẽdum eſt, quod omnia illi ex voto ſuccedant, quandoquidem hinc orta indignatio ſæpè non ſolum à timore Dei abſtrahit, ſed in horrendam contra eum obmurmurationem præcipitat.

In poſteriore verſu cauſam reddit prioris adhortationis ab adjun.mercede,ſeu exitu piorum. Quæ merces, cum firmiſſima Dei promiſſione nitens certa, &indubitata ſit, debet in pietatis ſtudio & amore nos retinere.Hinc Pſal.73.24,dicitur Deus ſuos omnes (ſub perſona Davidis) conſilio hic directurus & poſtea ad gloriam recepturus. Et Pſal,37. verſ.37. *Obſerva*,inquit,*integrum, & conſidera juſtum. Nam poſtremum, vel merces ejus eſt proſperitas*.Sic Iac.5.11.*Audiviſtis patientiam Iobi, & finem,quem fecit Dominus,vidiſtis*. Vt igitur ad conſiſtendũ in gravi hac tentatione vires ſuppetant, ſubducendi ſunt oculi à præſenti rerum ſtatu,&ad futurũ transferendi. unde etiam Apoſtolus Rom.8.24. *Nos ſpe ſervari* docet; ſpem vero non eſſe rerum præſentium, ſed earum,quæ non videntur. Egregium nobis hac in re exemplũ præbuit Moſes He.11. 23,24,25,26. Viatores moleſta itinera alacriter ſuſcipiunt, ſi hoſpitium ſibi confecto itinere,honeſtum, & liberale parari intelligant;milites ſpoliorum ſpe incitati graviſſimis laboribus, certiſq; periculis ſe objiciunt: curſuri in ſtadio, ut brabium propoſitũ auferant, ab omnibus delicjis abſtinẽt.Quã igitur nobis ardenter de pietate acquirenda cõſervandaque contendendum eſt, quibus non incertum,& periturum,ut illis, ſed bravium, ut cer-

ut certiſſimum, ita ſempiternum proponitur.

Verſ. 19. Audi tu, fili mi, & ſape, & dirige in hac via cor tuum.

Verſ. 20. Ne ſis cum ebrioſis vino, neque cum heluantibus ſibi carnem;

Verſ. 21. Quia ebrioſus, & heluo pauper fiet, & laceris induet hominem dormitatio.

In יין (*vino*) & בשר (*carnem*) eſt ſynecdo. partis pro quolibet cibo, & potu.

Scopus eſt pios ab intẽperantia, & luxu abductos ad moderationẽ cohortari,

Partes duæ ſunt
- *Primo piorum animos ad auſcultandum præparat, verſ. 19.*
- *Deinde præceptum ipſum proponit, & confirmat.*

Sed utrumque, cum pios (ut ſæpè dictum eſt) alloquatur, ſupervacaneum videri poteſt, Plurimi enim ubique reperiuntur ab omni pietate, & pietatis ſpecie alieni qui tamen in potu, & cibo moderationis fines non tranſiliunt. Sed intelligẽdum eſt, neminem ita temperantiæ deditũ eſſe, quin animus ejus communi peccati labe infectus corruptuſq; paulo momento ad hoc peccatũ inflecti poteſt. Vel ſiquis à temperãtiæ ſemita toto cœlo nũquam aberret, fieri tamen poteſt, ut in recta via aut non inſiſtat, aut ſatis firmo pede non incedat. Quãobrem ab hoc peccato alienos, ut animos magis adhuc abhorrentes induant; qui ad moderationẽ tendunt, ut propius indies accedant; & qui optimè mediocritatem ſervant, magis in ea, magiſque confirmentur, adhortari nõ eſt ſupervacuum, ſed utile admodum, & neceſſarium. Huc accedit, quod piis (ut ex triſti præſtantiſſimorum virorum, Noachi, Lothi Vrijæ caſu liquet) Satan quàm maximè inſidiatur. Ebrioſi etiam, & heluones pręcipue id agunt, ut pios & ſobrios homines ad eundẽ, in quo ipſi volutantur, luxum pertrahant. Deinde cum duo intemperantiæ genera hoc in loco proponantur, unum in potu, in cibis alterum; ab utroque cavere non ita facile eſt, ut nihil periculi ſit, ne unius fuga in alterum incidamus.

Eſt autem notandum, Prophetam ab ebrietate, ac edacitate pios abducere quęrentẽ, non ebrioſos, aut heluones eſſe, ſed nec iis, qui tales ſunt, cõſueſcere prohibere. Sunt enim nonnulli ingenio ab omni luxu, & intemperantia ſatis alieno, qui tamen pravæ cum ſtrenuis potatoribus conſuetudinis contagione ſobrietatis cancellos aliquoties trãſeuntes, tanto bibendi, heluandique ſtudio tandem abripiuntur, ut maximam morem ſimilitudinẽ cum illis habeant, quibus olim erant lõge diſſimilimi. Prov. 13. 20. Noachus ipſe in ſæculo, quod compotationibus, & comeſſationibus (Mat. 24. 38.) addictum, & devotum erat, vitam degens: & juſtus Lothus inter Sodomęos gulæ deditos (Ezek. 16. 49.) domicilium habens, ab illis, quibuſcum vixerunt, intemperantiæ labe cõſperſi nonnihil, & coinquinati videntur. Vrijah etiam, tametſi vir inſignis, & ſenſu incommodorum, quæ exercitus Domini pateretur, mœrore affectus crebris tamen ad bibendum ſolicitationibus fatigatus tandẽ in ebrietatẽ diſſolutus eſt. 2. Sã. 11.

Diſſuaſio ratione nititur aucta ab adj. pæna, *paupertate*, ſcilicet in priore hemiſtichio, & in poſteriore *mendicitate*, quæ ſuo adj. laceratum veſtium notatur. Paupertas autem, & mendicitas importantur partim quod, quæ habẽt bona, abligurĩãt, partim quod deſidia torpentes à labore, quo plura acquirantur, abſtineant. Quæ quidem ceſſatio non inde ſolum provenit, quia multum temporis, quod operi tribuendum erat, edendo, & bibendo

 abſu-

abſumunt; ſed quod intemperantia ſomnolentos, & dormitabundos reddũt, dum magna vaporum copia è ſtomacho plus ſatis ſuffarcinato exhalata, & ad cerebrũ tranſmiſſa caput gravedine afficit, & ſomnum inducit. Cum igitur qui ſomno, quamcunque originem habeat, indulget, paupertatem non effugiat; Prov. 6. 11. quid de illo factum iri exiſtimabimus, qui (ut taceamus temeraria pacta, & damnoſos contractus) tanti ſomnum mercatur, quantum gulæ, & ebrietati ſatiandæ ſufficit?

Quæritur, cur, graviore pœna æternæ mortis, quam Apoſt. 1. Cor. 6. 10. ebrioſis omnibus denunciat, omiſſa, levioris hujus mentionem faciat? Reſp. 1. quia doctrinæ legis, quæ Iudæos olim tanquam pueros externis aut promiſſionibus ad Dei obſequium invitabat, aut minis à rebellione deterrebat, hæc aptiſſima eſt comminatio: deinde quia plerique plus hujus vitæ calamitatibus, quàm cruciatibus æternis moveantur; & proinde, ut commodam in hoc ſæculo vitam agant, à maleficiis abſtinent, tametſi nullo ſenſu futuræ aut vitæ, aut mortis ducantur: quales olim fuerunt Saducæi. Præterea pœna hæc, quæ non ſemper, ſed ὡς τὸ πολὺ ebrioſos conſequitur, proverbiali doctrinæ aptior videtur. Adhæc Sal. illam doctrinam cum primis perſequitur, quæ non Eccleſiæ modò, ſed & Reip. aut conſervationem, aut exitium complectitur. Denique unam hanc proponens illam alteram non excludit. Et quidem utramque pœnam nobis ante oculos verſari ex uſu eſt, ut, ſi ſeorſim pro noſtra ad intemperantiam proclivitate minus ſufficiant, conjunctæ tamen ad nos inde avellendum valeant.

V. 22. Auſculta patri tuo, ei, qui te genuit; & ne aſperneris, cum ſenuerit, matrem tuam.

v. 23. Veritatem compara; & eam ne vendito; ſapientiam, & eruditionem, & intelligentiam.

v. 24. Exultatione exultabit pater juſti; genitor ſapientis utique gaudebit de eo.

v. 25. Gaudebit pater tuus, & mater tua; imò exultabit genitrix tua.

v. 26. Da mihi, fili mi, cor tuum; & oculi tui ad vias meas.

v. 27. Nam fovea profunda eſt ſcortum, & puteus anguſtus eſt aliena.

v. 28. Etiam ipſa, ut prædator, inſidiatur, & perfidos inter homines adjicit.

In קנה ואל תמכר (*compara & ne vendito*) eſt allegoria à mercatoribus, qui negociantur, & merces pretioſas magno emunt. In עיניך (*oculi tui*) eſt metap. à corporeis oculis ad animi intelligentiam. In באר (*puteus*) & שוחה (*fovea*) eſt allegoria ad deſignandum ſcortationis periculum.

Summa eſt, ſalutares parentum admonitiones in pueritia imbibendas eſſe, ut ſcortationem, & alia peccata declinans, exitium, quod inde provenit, ſimul effugias.

Ad ſuperiorem à crapula, & ebrietate dehortationem unico verſu ſibi viam munivit: hic autem à ſcortatione dehortaturus (quo tamen in argumento integra capita prius conſumpſit) quinque verſibus præmiſſis audientiam ſibi, & attentionem comparat. Quid ita? Primum quod hoc ſcelus atrocius eſt; deinde quia ab hoc peccato, cum non tantum facultates exhauriat,

hauriat, ſed hæreditates etiam à juſtis hæredibus ad alienos transferat, plus damni rebuſpublicis affertur. Præterea ad hoc peccatum naturâ procliviores ſumus; utpote quod depravatæ naturæ noſtræ arctiùs adhæret. Denique non ſine cauſa arbitrari poſſumus, Salomon propriæ infirmitatis conſcientia, & experientia adductum plus in hoc argumento laboraſſe.

Diſcant hinc parentes, & quotquot juventutem inſtituendi, erudiendique munus obeunt, eorum, quibus præſunt, ingenia explorare, & pernoſcere; ut in iis peccatis, quibus illos natura, vel educationis ratione, vel loci, ubi degunt, contagione propenſiores ſentiunt, frænandis ſubjugandiſque (præſertim ſi hujuſmodi ſint, quæ conſcientias atrocius vulnerant) plus operæ, & ſtudii ponant. Hanc prudentiam in Prophetarum, & Apoſtolorum ſcriptis facilè videre eſt. Iſaiah fideles in captivitatem abducendos, ibique ad idololatriam ſolicitandos eſſe præſentiens plurimum in hoc ſudavit, ut pios προφυλακτικῇ adverſus illam muniret. Ezekiel etiam Iudæos, inter quos jam idololatriæ addictos prophetavit, ad iſtius peccati odium totis viribus adducere conatus eſt.

Deinde conſcientia peccatorum, quæ ipſi olim ætatis imbecillitate admiſerunt, exſtimulare debet, ut, ne, qui ipſis ſubſint, in eadem incidant, ſolicitè, matureque caveant. Sic Petrus, qui à fide defecerat, alios à defectione ſartos tectos conſervare ſtuduit: & nominatim ſecundam epiſtolam ad hunc finem, ſicut ipſe diſertè teſtatur, ſcripſit, ut Iudæos (prout à Chriſto admonitus erat) in veritate ſuſcepta confirmaret.

Et hoc quidem in genere de toto hoc contextu, & aliquot, qui ſequuntur, verſibus. Nunc ſingula paulo diligentius excutiamus. Et quidem verſ. 22. liberos, & filios familias hortatur, ut parentibus ſalutaria præcepta, quibus à meretriciis artibus conſerventur, tradentibus obtemperent. Ex quo, quod nonnulli in dubium vocarunt, certo definiri poteſt; eſſe nimirum proſpicientiæ, prudentiæq; Chriſtianæ pueros, & adoleſcẽtes adhuc fraudum meretriciarum ignaros adverſus illas inſtruere; & vanũ eſſe illum, quem comminiſcuntur, metum, ne hoc modo adoleſcentulorum animi peccatorũ, quæ prius ignorârunt, ut cognitione præditi, ita cupidine irritati ſint, & inflammati. Quaſi vero harum corruptelarum ſemina ſua ſponte mox pullulatura animis incluſa non circumgeſtent: quaſi ullum ſperari poſſit tam purgatum, & excultum ſæculum, in quo ſcorta (quibus imparatos juvenes obviam fieri, quid aliud eſt, quàm hominem nudum, & inermem in prædatorum manus incidere?) non proſtabunt. Non diſſimile eſt hoc quorundam pſeudeuangelicorum judicium, qui omnem mentionem Papæ, Miſſæ &c. hoc ſolum prætextu, quod illa refricando homines imperiti Pontificiorum religionem doceri poſſint, & amplexari, ab Eccleſiaſticis concionibus exulare volunt.

Deinde liberi docentur, ſuum eſſe parentũ inſtitutionem plurimi facere, & in illa plurimum proficere, utpote quibus facile ſit intellectu, omnes, quibus imbuuntur, præceptiones à ſingulari amore promanare. Cũ enim amoris in præceptore quovis, & inſtitutore ſenſus ad obedientiam præceptis alacriter præſtandam magnam vim habeat, parentibus, (qui quid mirum, ſi magis, quam alii, ſuos liberos ament?) promptiſſimè parendum eſt. Unde non ſine cauſa in lege præceptum eſt, ad mortem rapiendum eſſe, qui parentibus benè monentibus non auſcultaverit. Deut. 21. 18. 19.

Quod autem expreſſe cavet Propheta, nequis matrem aſpernetur, inde fit, quia, parentum ea contemptui magis obnoxia ſit. Cujus rei cauſas prius aſſignavimus.

Quod

Quod addit, *cum ſenuerit*, non obſcurè indicat, matris canitiem, quæ plus ei reverentiæ, & obſequii merito conciliare deberet, liberorum perverſitate majorem contemptum parere; primum quidem quod ratione ſexus ſemper debilis, minimeque ad ſe ulciſcendum idonea, urgente ſenectute, debilior fiat; deinde quod amplius parare nequit, quas liberis relinquat, facultates; poſtremo quod, deficientibus animi viribus, penè deſipiat, & deliret. Quæ tamen, quantacunque fuerit, deliratio à liberis præſertim, quos ipſa omni rationis ſenſu in infantia vacuos peramanter tulit, æquo animo ferenda erat.

Porro parentes hinc etiam (quod alibi fuſiùs traditur) ſuâ referre intelligant in pietate, & timore Dei ſuos inſtituere. Gen. 18 19. Eph. 6. 4. Maxima enim copioſæ cum in Rep. tum in Eccleſia meſſis ſpes ex familiæ recta, & debita inſtitutione pendet: nec multi inveniuntur pii, qui in parentum familiis pietatis ſuæ fundamenta non jecerunt.

Hic prætereundum non eſt, liberos etiam maſculos in pietate informare, à pia matrefamilias non eſſe alienum. Quod tamen Pontificii monſtri ſimile eſſe clamant. Vide 2. Tim. 3. 15. & Act. 18. 26. ubi Priſcillæ laudi ducitur, quod Apoll. Eccleſiæ doctori viam Domini perfectius expoſuerit. Apagetè igitur clamoſas Papicolarum contra divinam veritatem coaxationes.

Verſu 23. piam juventutem ad ſtudium ſapientiæ, & pietatis hortatur à compar. parium. Vult enim non minus operæ pietati, & ſapientiæ ab his navari, quàm à mercatoribus, quos notum eſt longiſſima, periculoſiſſimaque itinera terra marique, ut rem faciant, ſuſcipere, pretioſis mercibus impendi ſolet. Sic cap. 2. verſ. 4. oſtendit, piorum in ſapientia indaganda metallariorum induſtriæ æqualem eſſe oportere. Et hi quidem non niſi grandi pecunia inſtructi ſuas artes exercere poſſunt, &, quod quęrunt, acquirere: ſapientia verò, tametſi quibuſlibet mercibus, & metallis infinitè præſtet, intelligere tamen volenti facilis inventu eſt, & nihilo venit Iſai. 55. 1. Præterea mercatorum lucrum incertum eſt, ut qui, naufragio facto, aut piratis ſupervenientibus, cum bonis vitæ etiam non raro jacturam faciunt; & qui fodinis operam dant, ſæpenumero aut metallum, quod quærunt, non inveniunt; aut majores in perſcrutando, quam inventum compenſabit, ſumptus faciunt: ſapientiam vero, & pietatem in via à Deo præſtitura quærentibus lucrum certum eſt, & indubitatum.

Quamobrem tenendum eſt illud Prov. 4. 7. acquire ſapientiam, & præ omnibus poſſeſſionibus tuis cõpara intelligentiam. Acquiſitæ autem nequid pręferamus, hoc in loco, ubi vendere prohibemur, admonemur ſedulo. Nam, quod vendimus, eo, quo vendimus, minoris æſtimamus.

In verbis autem קנה ואל תמכר (*emas & ne vendas*) eſt diſſimilitudo quaſi dicat, Mercatores, quas magni emunt merces, pluris deinceps vendunt: ſapientia vero ſemel acquiſita nullo divitiarum, gloriæ, voluptatum lucro vendenda eſt; multo minus obliviſcendo, aut à recta via deflectendo abjicienda. Prov. 4. 5.

Notandum etiam, ſapientiam, & intelligentiam cum veritate ſemper conjunctas eſſe; ut intelligamus, fraudes, & verſutias, quæ iſto nomine inſigniantur, indignas eſſe.

Deinde cum מוסר ſeu diſciplinam ſapientiæ & intelligentiæ adnectat, oſores diſciplinæ ſive domeſticæ in familia, ſive publicæ in Eccleſia, aut Rep. harum virtutum cultores non eſſe, docet apertiſſimè.

De verſibus 24. 25. vide quę ſupra annotata ſunt v. 15. 16. hujus Cap. Quanquã hîc aliquid etiam amplius adjungitur de

lætitia,

lætitia, & exultatione matris; cui tanto magis filium proſpicere oportet, quia illa in conceptu, geſtatione, partu, & lactatione dolores magnos, & acerbos perpeſſa ſit. Tametſi enim Dei judicio hoc illi incumbat, nihil tamen impedit, quo minus liberi hinc ad conſolandum eam, & in ſenectute quantum poterint, exhilerandum arctiore vinculo aſtringantur, ut ſinguli quaſi cruciatus ſingulis gaudiis, & tormina exultationibus compenſentur. Matres vero grandævas liberorum luxu & contumacia ad novos veluti dolorum partus revocari ferum planè, & truculentum eſt.

Illud autem alienius videri poteſt, patrem juſti, & ſapientis genitorem appellari quenquam, cum omnes naſcantur filii iræ. Sed reſponſio eſt, filium juſtum, & ſapientē nominari, non quod talis natus eſt, ſed factus ſupranaturali virtute, & operatione Spir. ſancti. Hac vero loquendi formula docere voluit Propheta, parētes non ſuum in liberos, quia regni cœleſtis hæredes ſunt, jus, & authoritatē amittere (quod tamen Anabaptiſtę ſomniant;) ſed adhuc parētibus, & magiſtratibus obſequi eos oportere. Veruntamen qui liberos ita erudiêrunt, & à teneris inſtituerunt, ut, cooperante Spiritu Dei regeniti ſint, non immeritò etiam regeneratorum parentes cenſeri, & appellari poſſunt: Quemadmodum è contra honorifica parentum appellatione (coram Deo) planè indigni ſunt, qui non id (quantum in ſe eſt) agunt, ut, qui ipſis nati ſunt liberi, renaſcantur.

Verſ. 26. Quo libentius iſti petitioni annuamus, non abs re fuerit, cujuſnam ſit, nobiſcum reputare. Sunt autem, ſi vere judicare velimus, verba ipſius Dei. Neque enim ſuo hæc, ſed Dei, cujus legatus erat, nomine loquutus eſt Propheta: quemadmodum etiam Apoſtolus 2. Cor. 5. 20, ſe, & miniſtros alios legatione à Deo functos dicit; per quos Chriſtus ipſe hominibus, ut Deo reconciliarentur, ſupplex quodammodo factus eſt. Quod cū ita ſit, quàm nos prodigioſe ingrati erimus imò quàm fatui, vel inſani potius; ſi, quod creationis, redemptionis, & conſervationis jure ſuum eſt, & quod præſtare noſtrâ maximè intereſt, ſuppliciter quodammodo petenti denegemus!

Si quæratur, cur ipſe, quod ſuum eſt, non accipit; reſpondeo, accipere quidem eum, dum cor hominis ſolus ad ſe convertit, ſed hoc efficere verbi miniſterio cujus pars eſt ad animos ſuorum cōmovendos longè potentiſſima, cum ſe quaſi ſupplicem illis præbet; &, omiſſa, qua ſūmè præditus eſt, jubendi authoritate, ad preces confugit. Quod etiam nos admonere debet, ut quod precibus, & bonis verbis impetrare poſſumus, durioribus non tentaremus. Philem. 8. 9.

Quod autem non caput, aut pedem, aut manum petit, ſed cor, id ejus ſapientię eſt conſentaneum. Quippe cordis poſſeſſione cætera omnia corporis membra ſibi addicta, & devota habebit; cum illorum ſine hoc ſubjectionem nihili faciat. Vtcunque enim ipſe ſibi hinc etiam decus, & gloriam facilè poſſit comparare, tamen eo eſt erga nos amore, ut gloriam illam parvi ducat, quæ eſt à ſalute noſtra disjuncta. Quo etiam refertur, quod eodem verſu oculorum etiam attentionem requirat. Neque enim oculorum corporis aſpectum, ſed mentis aciem, & intentiſſimam affectuum accommodationem, quibus, tanquam oculis obſervare poſſumus viam domini, ne in devia aberremus.

Verſ. 27. Iam tandem ad cauſam accedit, cur tantopere ad ſapientiæ ſtudium cohortatus eſt; nempe ut illa fretus à ſcortatione ſibi caveat; cujus atrox, & grave periculum deſcribit à pari. Scortum enim ſcrobi, aut puteo compara-

paratur adj.profunditate,&anguſtia amplificato. Sicut enim temerarii, & imprudentes in puteos & foſſas cadunt: ita cœleſti ſapientia, & timore Dei deſtituti fœdiſſimo ſcortationis cœno ſe totos collimunt; cujus fœtor non tantum Deo, angelis, & piis hominibus, ſed pleriſque etiam improbis nauſeam, &faſtidium movet. Prov. 6.30. & 1. Cor.6.18. Hinc Davidis filii Amnon, & Abshalom poſt admiſſum cum Bethsheba adulterium, jugum obſequii, & reverentiæ paternæ excuſſerunt. Levis enim illis, & contemnendus viſus eſt. Hinc accedunt morbi fœdiſſimi, & nominatim Neapolitanus, qui ipſis affectos omnibus odioſos reddunt.

Hoc ſcelus amplificatur à difficultate inde emergendi,quod inſtar foſſę ſit profundæ, & anguſtæ; in quam ſemel delapſi quotidiè tanquam in paluſtri loco,magis ac magis immerguntur, donec ad infernalis barathri fundum pertingant. Prov.2.18,19. & 5.5. Quam autem difficile homini ſit ex hac foſſa ſe expedire, ex Samſone luculenter perſpicitur, qui tametſi meretricem vitæ ſuæ inſidias collocaſſe, ſæpius expertus eſſet, non tamen potuit ſe extricare, donec tandem in ſæviſſimorum hoſtium manus incideret. Scortũ igitur illi foſſæ, in quam Ieremiah detruſus eſt,non eſt abſimile; utpote ex qua,niſi quis funibus divinæ miſericordiæ extractus fuerit,nunquam emerſurus eſt. Hujuſmodi igitur foſſas,& puteos graveolentes Magiſtratus debitis ſuppliciis obturare debent.

Verſ. 28. Alio argumento à pari periculum ex ſcortis proveniens amplificat. Comparat enim ſcortum prædoni, ſeu latroni, qui viatoribus in inſidiis ſunt, ut prætereuntes bonis ſuis ſpoliatos interficiant. Huic igitur argumento אף nota amplificationis, & creſcentis orationis præfigitur. Nam foſſæ,& puteo comparans, perſtrinxit hominum imprudentiam,ſed latronibus conferẽs,ad noſtram inſcitiam, & animum incautum ſingularem ſcortorum fraudem accedere docet.Omnino enim ſic uſuvenit, ut quemadmodum nonnulli ſua imprudentia, & meretriciarum artium ignorantia in hoc vitium ſine meretricum impulſu aliquo, & illecebris incidunt: ita non deſunt,qui harum fraudum præmoniti, & animum à ſcortis alienum gerentes aſtu tamen, & verſutia illorum circumventi pereunt. Quamobrem peregrinos (quales revera dicimur, & ſumus) imitantes, ut tutius vitæ hujus peregrinationem conficiamus, armis noſmet inſtruamus, & comitatus delectum habeamus: ne (quod Iudam olim feciſſe legimus Gen.38.) amicos nobis Adullamitas adſciſcamus, qui ſe noſtrarum libidinum mancipia præbeant. Hujuſmodi (de quo loquitur propheta) latrocinii egregia pictura, & effigies extat Prover.7. 10,11,12, 13,14,15.exemplum verò Gen.39.7.10, 11, 12.

Aliud argumentum affert ab effectis ſcortorum quod in Rep. tranſgreſſorum numerum augeant. Unica enim meretricula multis adoleſcentibus corrumpendis ſufficit: Prov.7.26. Nec tantum juvenes corrumpere ſtudent, ſed honeſtas etiam matronas, & virgines ad eandem ſecum perniciem attrahere.

Hic locus ad lupanarium demolitionem non incommodè adhiberi poteſt. Nam ſi unica merettix tanta adoleſcentum peſtis ſit, quid efficiet magna illarum colluvies? Et ſi clanculum ſuas fraudes exercendo tantum nocent, quanto magis, ſi palàm graſſandi concedatur venia?

Verſ. 29. Cui væ? cui eheu? cui contentiones? cui loquacitas? cui vulnera impune? cui rubor oculorum?

v.30.In-

v. 30. Immorantibus apud vinũ, euntibus ad inveſtigandum vinum miſtum.

v. 31. Ne aſpicito vinum, cum ſe rubrum præbet, cum exhibet in poculo oculum ſuum, indeſinenter itat ad rectitudines.

v. 32. Fine ſuo, ut ſerpens mordebit; & ut hæmorrhois punget.

v. 33. Oculi tui videbunt alienas, & cor tuum loquetur perverſa.

v. 34. Et eris, ut qui jacet in medio mari; & ut qui jacet in vertice mali.

v. 35. Percuſſerunt me (inquies,) non ægrotavi; tuderunt me, nõ novi: quando expergiſcar, pergam, requiram iſtud amplius.

In עינו (*oculum ſuum*) eſt meto. adj. pro ſubj. colore. In תהפכות (*perverſa*) eſt meto. effic. In לב (*cor*) eſt metaph. pro medio. In ידעתי (*novi*) eſt metony. effecti.

Scopus eſt malorum ex ebrietate provenientium enumeratione ab illa nos deterrere.

- *In his verſib. oratio eſt*
  - *figurata*, v. 29, 30.
  - *ſimplex in reliquis*

In oratione figurata conſtante ex quæſtione, & reſponſione ponuntur ebrietatis
- *adjuncta* v. 29.
- *ſubjectum* 30.

In adjunctis conſiderantur
- *communia, ſeu generalia*
- *particularia.*

In communioribus deſcribitur merces & ſtipendium ebrioſorum cum in hac vita, tum maximè in futura; mœror ſcilicet, gemitus, ploratus, atque ululatus. Ipſi quidem congregantur, ut ſe exhilarent (unde eſt, quod jam planè obtinuerit fœdum ebrietatis flagitium honeſta lætitiæ appellatione palliare:) ſed væ illi lætitiæ, quæ tantam mœroris vim, & copiam quaſi caudæ alligatam attrahit: male ſit illi riſui, quem comitatur tanta dolorum caterva, quanta harum interjectionum animi cruciatus exprimentium ingeminatione pleniſſimè nobis ob oculos proponitur.

Si (quod in hoc malo ſummè expetendum eſt) pœnitudine ſceleris admiſſi ducantur, manet tamen illos, quamdiu hic vitam agunt, ex offenſione fratrum, violatæque divinæ legis reatu dolor; cujus tametſi fiduciâ remiſſionis peccatorum refringatur aculeus, & retundatur; non tamen poſſunt dolore non affici, quod in Deum tam benignum, & clementem patrem, qui ex fœtidiſſimi vitii ſterquilinio extractos in regnum unici filii ſui adſcivit, tam ingrati, & inofficioſi fuerint. Quod ſi in ebrietate ſua perſiſtant, pro ſingulis lætitiæ momentis, infinita annorum initia lugebunt, & ejulabunt; pro ſingulis, non dico cantharis, ſed vel minimis vini guttulis, plena dolia vini irę divinæ exhaurient, atque epotabunt: cujus etiam aliquot in hac vita nonnunquam cyathos præbibunt tam injucundos, ut, perſolutis omnibus, quas habent, pecuniis traditiſque latifundiis, libentiſſimè (ſi fieri poterat) ſe inde liberarent.

Deinceps ad ſpecialia deſcendit propheta; quæ etiam cauſæ ſunt ſuperiorum calamitatum. Primum eſt, ebrioſos ad lites, & rixas proclives eſſe. Unde potus inebrians tumultuoſus eſſe dicitur Proverb. 20. 1. Nam cum ſuperbia, qua ebrii turgere ſolent, & intumeſcere, contentionum parens ſit, non mirum, ſi ad lites,

lites, & pugnas facilè proſiliant. Deinde cum vino inflammentur (Iſajah 5. 11.) ardor ille,quo intus fervent,levi momento illos in prælia trudit. Porro ſicut magna eſt eorum ad lites propenſitas ; ita non minor eſt ad ſe defendendum imbecillitas. Qua innoteſcente, alii ad pugnam cum illis ineundam alacriores ſunt:nec dubitabit, qui cum hoſte ſobrio nunquam congredi auſus eſt, cum eodem potu oppreſſo, manum conſerere.

Secundum in ſpecialibus locum obtinet loquacitas. Quæ quanta ſit ex communi ſenſu, & quotidianâ experientia abunde conſtat. Quod ſi in eorum, qui ſobrii ſunt, multiloquio peccatum non deerit, Eccleſ. 5, 2. quanto minus in ebrioſorum?

Tertium eſt, quod vulnera reportet impunè, ſive inulta. Hinc Zimri herum ſuum vino ſepultum obtruncavit 1.Reg. 16.9.10. Deinde præter injuſtam vim, cui ſe objicit,eſt etiam juſtiſſimis ſalutarium legum pœnis obnoxius: quæ ut primo virgarum, ita, ſi in ebrietate perſtet, mortis reum conſtituunt. Deut.21. 18. 19.20.21. Denique ex caſu aliquo frequenter damnum contrahit.

Quarto verò, oculorum ſcilicet rubore Geneſ. 49. 12. ſynecdochice indicat quaſlibet corporis deformitates, & morbos, quibus ſe obnoxios tradunt ebrioſi; quales ſunt hydrops,paraliſis, & puſtulæ in ipſo vultu erumpentes. Quæ tamen omnia non ſunt tam individui ebrietatis comites,quin variari poſſint pro varietate vinorum, & hominum. Trito enim ſermone pervulgatur, quoſdam ebrietate furioſos reddi, alios ſuibus conſimiles, nonnullos mutos, & elingues. Salomonem autem veriſimile eſt, illos ebrietatis fructus, quos Iudæa pro vini, & hominum natura ſolita eſt proferre, enumeraſſe.

Verſ.30. Et quidem de ebrietatis adjunctis in quæſtione comprehenſis hactenus. Iam videamus ſubjectum in reſponſione. Depingitur autem ſubjectum ebrietatis, ſive ebrius duobus effectis. Prius eſt, quod apud vinum commoratur. Cum enim Apoſt. 1. Tim. 4. 3. doceat nos cibi,&potionis participes eſſe oportere, participationis voce nos ad moderationem revocans, hic nullum ſibi in bibendo modum ſtatuit. Et cum in tantis temporum anguſtiis ætas noſtra concludatur, ut non immerito, palmarum menſuræ,ſomno, verbo emiſſo, atq; adeo cogitato aſſimiletur (quod nos admonere debet, ut temporis rectè collocandi ſingularem rationem haberemus;) hic, tanquam vita ad aliquot annorum millia proroganda eſſet, in bibendo aſſiduus eſt. Denique cum Dei præſtituto labor, & occupatio nobis incumbat, & vini uſus, ut alacrius,& magis ſtrenuè rerum noſtrarum ſatagamus, conceſſus ſit; ebrioſus, mutato naturæ, inſtitutique divini curſu potionem, tanquam artem, & exercitationem exercet, laborem verò & rerum adminiſtrationem non aliam ob cauſam ſuſcipit, niſi ut ingurgitationi ſumptum ſuggerant. Eſt igitur ebrioſi moram in bibendo trahere, horas, dies,& noctes conſumere; ſicut ex Iſai. 6. 12. confirmari poteſt.

Alterum effectum eſt, quod ſtudioſè quærat, & inveſtiget vinum generoſiſſimum, & ex variis aromatis confectum. In priore igitur effecto vinum, quod abſorbet ebrius,ab adj. copia deſcribit, poſteriore hoc à bonitate & generoſitate. Quam rem Iſai. etiam 5.11. uno verbo perſtringit.

Vbi conſiderantur duo {
- *Dehortatio ab immodico vini uſu.*
- *Rationes, quib. dehortatio munitur.*

Vbi

Ubi habemus immodici uſus vini { *Cauſas,* / *Effect.* }

In dehortatione aſſignantur cauſæ, quia in cyatho { *Rubet,* / *Exſilit.* }

In verbo autem intuendi eſt ſyn. generis pro intuitu intentiore, & valde defixo, quo animi appetitio accenditur. Neque enim omnino vetamur vini colorem aut in cyatho itationem aſpicere, ſed ita oculis in illud defixis intueri, ut amore ejus rapiamur. Quod ex conſimilibus ſcripturæ locis colligi & concludi poteſt. Conjugato non ſimpliciter nefas eſt alienam uxorem, aut virginem aſpicere; ſed ita ut concupiſcat Mat. 5. 28. Iob. 31. 1. Eccleſiæ afflictiones, & calamitates ita intueri prohibemur, ut propterea odio illam, aut contemptui haberemus Cant. 1. 5. Alioquin intueri, & perſpicere non licet modo, ſed expedit. Idē de Hevah in fructum vetitum, de Potipharis uxore in Ioſephum, de Achane in veſtem Babilonicam conjiciente oculos dici poteſt. Neque enim propterea peccaverunt, quod aſpexerint; ſed quia talis aſpectus eſſet, unde habendi cupiditas animos inceſſit.

Hoc igitur eſt, de quo monemur; ne vini appetentiæ (ad quam ex naturæ noſtræ pravitate plus ſatis addicti ſumus) irritamenta alia, & fomites adhibeamus. Cum enim ipſa vini ſuavitas, quam guſtu percipimus, nobis abundè oblectamentum præbeat, illud aliunde conquirere, aliiſque titillationum adminiculis augere à periculo abeſſe non poteſt. Ex quo perſpicitur, quàm longè abſint à pietate, & timore Dei, qui ſalſas carnes, ſuccidiam, aliaque muriâ, & ſalſilagine condita ad hunc ipſum finem deglutiunt, ut his tanquam funibus ebrietatem attrahāt, & bibendi cupiditatem per ſe nimiam porro exacuant. Quid enim hoc aliud eſt, quā ſiti ebrietatem addere; quod Spiritus ſanctus horribiliter ſe ulturum minatur. Deut. 29. 19. 20?

Verſ. 32. Hactenus de argumento ex cauſa immodici uſus vini: ſequuntur argumenta ab effectis, quibus nos ab illo deterrere conatur.

Sunt autem illa { *Generale verſ. 32.* / *Specialia in reliquis ad finem cap.* }

Generale eſt, quod vinum immoderatè ſumptū noxiū, & damnoſum, imo vero lethale & mortiferum fit. Illud enim cōfirmat duplex illa comparatio parium; quæ hoc intemperantiæ vitiū non minus fugiendū eſſe monet, quā ſerpentis morſum, & hæmorrhoidis aculeum; quæ naturæ inſtinctu omnes exhorreſcūt. Si vinolenti, in craterum, quos exhauriunt, fundo anguem, aut ſerpētem, vivum præſertim, deliteſcere, certo ſcirent, haudquaquam ad quadrantalia epotandum tam prompti, & alacres convenirent. Vinolentiam igitur non ad hujus vitę interitum modo ſed æternum etiam exitium ſuum virus expuentem quàm debent exhorreſcere!

Hoc damnum adj. tempore deſcribitur; fine ſuo h.e. poſtquam ſe vino proluerint. Quamdiu enim ſtrenuè potant, voluptate quadam vana, & momentanea perfunduntur; ſed, abſoluto opere, mercedis, & ſtipendij loco acerbiſſimos cruciatus, & compunctiones accipiunt.

Verſ. 33. Poſt ad ſpecialia mala tranſit. In his primum eſt vitæ turpitudo, & fœda libido. Prætarquam enim, quod vino ſepulti imprudentes, & nihil tale cogitantes ad turpitudinem patrandam facile (ut Lothus) impelluntur: ex immodica vini ingurgitatione teterrimæ

libidines generantur. Hinc Sodomitæ infandis libidinibus exarſerunt. Nam panis ſaturitate apud Ezekielem ſynecdochicè potionis etiam exceſſus indicatur. Sic Ieremias paſtos dicit equorum inſtar admiſſariorum alienis uxoribus inhiaſſe. Huc accedit, quod Apoſtolus Eph. 5. 18. affirmat in vino luxum eſſe, & Rom. 13. 13. cum commenſationibus & ebrietatibus conjunguntur cubilia ac laſciviæ. Ea igitur ebrietatis & adulterii vicinia eſt, ut, ebrietate præeunti, ilico ſubſequatur adulterium. Tametſi enim adulteri nonnulli ſint non ebrioſi, paucos tamen ebrioſos invenias, qui iidem adulteri non ſint.

Fornicationis ſcelus metonymice deſcribit ab efficiente; oculorum ſcilicet in mulieres peregrinas conjectione. Quæ loquendi formula non ſimpliciter damnat aſpectum fœminarum, ſed inhoneſtam, quam quis intuendo illas oblectationem capit; unde verborum etiam turpitudo naſcitur.

Verſ. 34. Aliud effectum eſt cerebri conturbatio, ſicut fit, cum quis in vertice mali, ubi maxime ſentitur maris agitatio, atque ipſe maris intuitus, celeriſque navis motus ſenſus obtundit; atque ipſam adeo mentem attonitam reddit. Quemadmodum enim, capite conturbato, læſiſque ſenſibus, res aliæ apparent, atq; ſunt; &, quæ circumagi videntur, revera quieſcunt: ſic ebrietate mens, & judicium eouſque læditur, ut quid verum ſit, quid falſum, nequeat ſtatuere. Hinc eſt, quod ſacerdotibus ſuo fungentibus officio, & regibus in ſolio judicii conſeſſuris vini uſus interdictus ſit. Prov. 31. 4. 5. In hoc tamen diſſimilem omnino rationem habent agitatio maris, & immoderatus vini uſus, quod homines fluctibus jactati, utcunque mens, & intellectus vertigine ad tempus ita interturbetur, ut ſuas operationes exercere nequeat; mox tamen, evacuatis humore ſuperfluo, & vapore noxio, non modo ad priſtinum ſtatum recurrit, ſed purgatior etiam, & defœcatior redditur, & ad quaſlibet operationes ſuas exercendum aptior: ebrioſi vero priſtinas ingenii, memoriæ & judicii vires nunquam omni ex parte recuperent. Unde Hoſ. 4. 11. vinum &c. dicitur homines vecordes efficere.

Verſ. 35. Tertium effectum eſt ſtupiditas ut animi, ſic corporis; ut interioris, ſic & exterioris ſenſus. Sicut enim præ mentis conturbatione malum etiam capiti impendens videre nequit, multo minus effugere: ita corporis etiam ſenſus ita ſunt hebetati, ut in mediis malis verſatus nullo tamen eorum ſenſu tangitur. Atque ita rationis defectu hominibus, ſenſus vero beſtiis ipſis deterior & ignobilior evadit. Quemadmodum autem conſtantiæ, & fortitudinis eſt, dolores, & vulnera patienter ferre; ita non omnino ſentire ſtipitis eſt, non hominis. Hinc eſt, quod Chriſtus potum illum myrrha confectum, quia dolorum noſtra cauſa perferendorũ aut ſenſum adempturus erat, aut certè mitigaturus, recuſavit.

Ultimum effectum, & omnium teterrimum eſt, quod, ubi vinum edormiverit, ad idem, tanquam canis ad vomitum, aut ſus ad volutabrum redit. Ita enim tyrannico ebrietatis imperio, tanquam vile mancipium ſubjicitur, ut, tametſi, quæ ebrius paſſus eſt, incommoda non poſſit non ſentire, bibendi tamen conſuetudine, & belluinæ cujuſdam voluptatis impulſu ad bibendi intemperantiam eodem, imo majori, quam prius, impetu ita fertur, ut non niſi valida, & extenta divinæ miſericordiæ manu ex cœnoſo hoc ebrietatis ſtagno extrahi poſſit. Quamobrem videndum, ut ab hoc vitio maturè pedem referamus; ne, diutius immorando habitum contraxerimus, aut nolimus relinquere, aut nequeamus. Ebrietas enim, ut peccatis pleriſque aliis, ita hoc

reſpectu

reſpectu ipſo etiam adulterio periculoſior eſt, quod, ingraveſcenti ætate, potandi ſtudium ex corporis ſiccitate indies incrementum capiat: cum adulteri ſenio confecti ad impuros congreſſus, ſi maximè cuperent, inepti ſint.

CAPUT XXIV.

Verſ. 1. Ne æmulator viros mali, neque deſiderato eſſe cum eis.

Verſ. 2. Nam vaſtationem meditatur cor eorum, & moleſtiam labia eorum proloquuntur.

In אנשי רעה (*viros mali*) eſt metonym. adjunct. pro viris peccato addictis.

Cap. 23. 17. 18. doctrinam huic perſimilem propoſuit. Quamobrem illa tantum indicabimus, in quibus hi verſus aliquid à prioribus diverſum complectuntur.

In priori verſu quędam occurrunt, quę ſuperiorum verſuum interpretationi lucem afferunt. Nam cum ſuperiùs peccatores æmulari (quæ loquendi formula durior videri poſſet, cum omnes ad unum peccatores ſimus) prohibitum ſit; hoc loco docetur peccatores ibi intelligi eos, qui peccatis addicti ſe illis patrandis mancipaṙunt, & peccati ſervi ſunt. Et cum ſuperiùs, ne quis corde improbos æmuletur, præceptum ſit, hoc verſu, quid ſit corde illos æmulari, explicatur; nempe deſiderare eodem cum illis loco, & conditione eſſe, id eſt ejuſdem ſceleris nos ſocios fieri cupere, dummodo illorum rebus ſecundis utamur; e. g. avaritiæ cum illis ſcelere teneri, modo divitiis illis pares ſimus; idololatriæ, dummodo pace cum illis, & honoribus perfruamur.

Contra fit à verè piis, qui illos vel tum, cum fœlices videntur maxime, maledictos cenſent, atque adeo pronuntiant.

In ſecundo verſu adhibetur (ut 23. 18.) ratio ad ſuperiorem dehortationem muniendum, ſed à priore illa longe diverſa. Nam illa ab adj. mercede perſeverantiæ in ſuſcepta ſemel pietate ducta eſt: hæc autem ab adj. pœna, quæ debetur improbis.

Ex adverſo finis etiam improborum conſiderandus proponitur, ut ab illos æmulando deſiſtamus. Comparantur herbis, quæ floreſcunt mane, veſperi exſcinduntur, & areſcunt. In locis eminentibus quidem, ſed lubricis collocantur, ut graviori caſu juſto Dei judicio præcipitati conterantur Pſal. 73. 18. Ecquis Hamani invidet, quod in tam altam crucem elatus ſit; aut etiam honori ejus, quem tam ignominioſa mors conſequuta eſt?

Summa autem rationis eſt; improbos ſua nequitia non aliorum modo, ſed & ſuam ipſorum proſperitatem convellere, & labefactare; vaſtitatem ſibi aſſidue meditari, & machinari; labiis moleſtiam accerſere; manibus, pedibus, oculis, auribus id unum agere, ut omnibus, quibus fruuntur, ſe bonis exuant. Atque hoc illud eſt, quod ſæpe Scriptura teſtatur, [malitiam improbi ipſum perdere.] Iob. 5. 2. Prov. 11. 3. 5. 6. Quinimo Prov. 1. 32. docetur, ipſam pacem, & proſperitatem improborum ipſos perdere, dum inde audaciores ſimul, & inſtructiores, atque etiam alacriores ad maleficia patranda efficiuntur. Quis igitur illorum fœlicitati invideat, quæ inſtar laquei eſt, quo ſtrangulantur; præcipitii, unde præcipites aguntur; gladii, quo jugulantur? Quamvis igitur, Magiſtratu aut muneribus excæcato, aut minis perterrefacto, leges ſileant; improbus tamen ipſe de ſe pænas ſumet.

Verſ.

Verſ. 3. Sapientiâ ædificatur domus, & intelligentiâ ſtabilitur.

V. 4. *Et ſcientiâ implentur penetralia omni ſubſtantia pretioſa, & amœna.*

V. 5. *Vir ſapiens eſt cum robore, & vir ſcientiæ fortificat vires.*

V. 6. *Nam prudentibus conſiliis geres tibi bellum; & ſalus eſt in multitudine conſiliariorum.*

Summa eſt, res cùm domi, tum foris; cum in pace, tum in bello fœliciſſimè geri, quæ ex regula juſtitiæ, & pietatis adminiſtrantur.

Superioribus verſibus ab improborum æmulatione dehortatus jam ad pietatem, & juſtitiam, quæ nominibus ſapientiæ, prudentiæ, & ſcientiæ deſignantur, pios exſtimulat excitatque. Perinde enim eſt, ac ſi diceret; dementiæ foret, facta defectione, ad malignos hoc conſilio tranſire, ut in iis, quæ ad hujus vitæ commodum ſpectant tibi benè ſit; cum nulla ſit via ad facultates, & proſperitatem omne genus compendioſior, quàm ſi te pietatis, & juſtitiæ ſtudioſum præbueris. Cupiſne, domum, cujus indiges, ædificare? cupis eandem exſtructam ſtabilire? Cupis denique exſtructam, & ſtabilitam ſupellectile copioſa replere, & ornare? Hæc omnia pietas in Deum, & juſtitia in proximum perficiunt. Reperias quàm plurimos, qui domos ſuas impietate, & injuſtitia ædificàrunt, & ſupellectile pretioſa exornârunt; ſed qui ſtabilivit, neminem. Quæ omnia cum ſapientia cæleſtis piis præſtet, non improbè modò, ſed ſtultè etiam faceret, qui, ut hæc acquirat, deſerta pietate, ad improbitatem convertatur.

Hæc doctrina frequentibus admodum Dei promiſſionibus confirmatur; maximè verò Levit. 26. & Deut. 28. Illuſtratur vero infinita penè exemplorum copia, quæ ex omnibus veteris teſtamenti libris hiſtoricis depromi poteſt. Quæ quidem de rebus caducis, & cito perituris, tametſi veteri populo, nondum quaſi ex ephebis excedenti pleniùs, & certiùs præſtitæ ſint, in nobis etiam, qui ſub Euangelio adultæ ætatis ſumus, locum habent. 1. Tim. 4. 8. Quod ſi parciùs illa nobis Deus aliquando impertiat, minorem tamen externorum bonorum menſuram exundante Spiritus ſui gratia ita compenſat, ut, qua improbi fruuntur, copiam nõ deſideremus. Quamobrem ad improbos æmulandum nõ impellit rerum externarum anguſtia, ſed inopia pietatis, nos præſertim ſub novo teſtamento, quibus rerum mundanarũ nec penuria Dei nobis irati, nec affluentia propitii tam certum eſt, quàm olim Judæis fuit, teſtimonium.

In verſu quinto prolepſis eſſe videtur. Occupatio eſt; atqui ad hæc, quæ dicis, comparandum non tantùm pietas, & ſapientia cæleſtis requiritur, ſed porro alia media, & ſubſidia: ſubjectio eſt; ubi pietas eſt, &, quæ pietatem tamquam umbra ſequitur, prudens rerum adminiſtratio, non deeſſe hæc conquirendi ſubſidia. Ipſa enim ſapientia quamlibet aliis adminiculis nudata ſatis tamen in ſe virium habet ad hæc omnia conſequendum. Quod verſu ſexto comparatione maj. probat illuſtratque, Nam cum prudentibus conſiliis bella fœliciter gerantur, & ſalus in bello multitudine conſiliariorum obtinetur; nedum in pace, & rebus domeſticis magna vis erit ſapientiæ, & pietatis.

Quod ſi ad bella externa contra homines pietas requiratur, multo magis ad interna & ſpiritualia contra Satanam, mundum, & carnem, vide quæ ſuprà annotantur cap. 11. 14. & 20. 18. & 21, 22.

Verſ.

Verſ. 7. Altæ ſunt ſtulto ſapientiæ: in porta non aperiet os ſuum.

In ראמות (*altæ*) eſt metaph. à dimenſione altitudinis in re quapiam, quam quis manu attingere nequit, traducta ad difficultatem, vel potius ἀδυναμίαν (ſiquis improbus ſit) ſapientiam acquirendi. In שער (*porta*) eſt meton. ſubj. pro judicio, quod in portis olim exercebatur.

Summa eſt, non eſſe ad Reip. gubernacula adhibendos, qui cæleſti ſapientiæ animum non applicant.

Superioribus verſibus ſapientiæ laudes proſequutus jam ſtultum deſcribit, ut ex utriuſque inter ſe comparatione res melius innoteſcat.

Improbis multa ad pietatem viam intercludunt. Nunc enim divitiarum, nunc honorum, nunc voluptatum carnis deſiderium ita illos onerat, & humanarum rerum luto immergit, ut brutorum more terram proni ſpectent, & nequeant ad pietatem mentis oculos attollere, multo minus ipſi aſcendere.

Hoc autem in loco videtur Propheta illos potiſſimum deſignare, qui pietatem & diſcendi, & factis exprimendi impoſſibilitatem ſibi comminiſcuntur. Hoc enim vox חכמות (*ſapientiæ*) plurali numero elata innuere videtur: perinde ac ſi dicerent improbi; pietas hæc, & juſtitia, quæ nobis tam importunè obtruditur, tot, & talia documenta complectitur, ut illis perdiſcendis, nedum exercendis nulla ingenii memoriæ vis, nulla ſufficiat diligentia. Hinc Iſai. 28. 9. Satius eſſe inquit infantes inſtituere recens à lacte depulſos, quam homines hujuſmodi, quantumvis adulti fuerint.

Sed obſtrepunt, nihil à ſe dictum, quod Scriptura non confirmat. Etenim [animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Dei. Stultitia enim ſunt ei] 1. Cor. 2. 14. Deinde altior eſt ſapientia, profundiorque, quam ut illam quis aſſequatur, nec reperitur in terra viventium Iob. 28. 13. Reſpondeo myſteria quidem cælorum omnem intelligentiam humanam tranſcendere; ſed totam difficultatem ex humani intellectus depravatione (cujus ſenſu, & meditatione ad humilitatem deprimi, & ad majorem addiſcendi cupiditatem erigi oporteret, & inſtigari) non nativa aliqua rerum obſcuritate provenire: & proinde injuſtiſſimè improbos, quæ ſua eſt, verbo divino culpam affingere; & Deum ipſum, quaſi plus æquo intelligentiæ ab iis, & obedientiæ exigeret, injuſtitiæ inſimulare. Legis enim obſequium, quamvis non renatis ſit impoſſibile, Adamo tamen ante lapſum tolerabile fuit, & iis nunc, qui in Chriſto ſunt, onus leve eſt, & jugum ſuave. Matt. 11. 30. & per fidem præcepta ejus non ſunt gravia 1. Ioh. 5, 3. Quinetiam reconditiſſima Euangelii myſteria ſcire cupientibus obvia ſunt Prov. 8. 9. & 4. 6. Ioh. 7. 17. Hinc Apoſt. Rom. 10. 6. ex Deut. 30. 12. diſſerit, non in cælo eſſe, ut dicas; quis aſcendet, ut illud detrahat? nec in abyſſo, ut neceſſe habeas inde extrahere: ſed verbum prope eſſe in ore ſimul, & corde.

Ex ſapientiæ igitur, quam non aſſequitur improbus, defectu concludit Propheta, nullum illi in porta ſeu Magiſtratuum ordine locum patere. Cui enim cæleſtis ſapientia inacceſſa eſt, illi porta etiam judiciaria inacceſſa eſſe debet: cui illa altior eſt, quam ut attingere poſſit, eidem etiam tribunal altius eſſe oportet, quam ut in illud aſcendat. Cum enim Magiſtratuum, & judicum ſubſellia in editiore loco, ut eorum præ aliis dignitas innoteſcat poni ſoleant, homunciones, qui præ ſua in rebus cœleſtibus inſcitia humi repunt, & nihil niſi terrena ſapiunt, iniquum eſt in illud culmen, & faſtigium evehi. Hinc Iethro ne decuriones quidem alios eligi voluit, quã timentes Dei

Exod.18.21. Et Eccleſ.10. 5,6,7. inter maximas vanitates, ſive deformitates recenſetur, quod ſtulti nonnunquam in excelſis & amplis locis,dum pietatis divites quaſi in convallibus jacent, collocentur; quod ſervi equis inſident, dum principes tanquam ſervi, pedibus humi incedunt. Quinetiam videtur hac formula loquendi teſtium etiam numero impios eximere: quaſi nihil quicquam illis cum foro judiciali eſſe debeat,niſi forſan ut ibi damnati flagitiorum ſuorum pænas luant.

Quod ſi à Magiſtratu terreno arcendi ſunt; quanto magis Angelos in die judicii judicandi honos illis denegabitur? 1.Cor. 6. 3.

Denique ſi rejiciantur, quibus ſapientia cœleſtis inacceſſa eſt; quid de illis fiet, qui ut damnabilem reſpuunt, & rejiciunt?

Verſ. 8. Cogitantem malè facere, hunc Dominum ſceleris vocabunt.

In בעל (*Dominum*) eſt metaph. à domeſtico, ſive civili in multos imperio traducta ad hominem nequiſſimum, qui quam plurimorum ſcelerum expeditus author, & inventor eſt. Deinde in יקראו (*vocabunt*) eſt metony. adj. appellationis pro ſubjecto.

Scopus eſt,atrocitatem ſceleris eorum qui ſe maleficiis adinveniendis devovent, ad fugam,& odium proponere.

Ea eſt naturæ noſtræ corruptela, ut à nobis nihil mundi emanare poſſit; immunda verò tantâ copia ebulliant erumpantque, ut non vigilantes modo, ſed & dormientes peccare non deſinamus. Itaque nova ſcelera excogitare, & ſponte ſequutura funibus attrahere, quid eſt aliud,quam oleum igni addere, & navem velis, & ventis impetuoſis impulſam remis porro in ſcopulum agere? Hoc hominum genus deſcribit Mich. 2.1. *Væ cogitantibus iniquitatem,& fabricantibus malum in cubilibus ſuis,quæ exſequantur,quam-primum illuceſcit:* & magis adhuc graphicè depingitur Pſa.36.3,4. *Verba oris ejus ſunt iniquitas, & dolus: deſiſtit intelligere,ut bene faciat. Iniquitatem excogitat ſuper lectum ſuum; penitus ſe ſiſtit in via non bona: malum non reſpuit.*

Atrocitatem hujus mali inde etiam colligere eſt, quod etiam idololatriæ pœna hujuſmodi hominibus irrogatur Roman. 1.30. In his ſunt, qui juramentorum novas formas excogitant; qui novas artes, vel fraudes potius cudunt; quibus merces adulterent,pondera,&menſuras corrumpant; qui denique nova intemperantiæ,in potu præſertim, irritamenta inveniunt.

Hi adjuncta appellatione deſcribuntur; quod ſint,& vocentur domini ſcelerum. Neque enim improbi modo ſunt ipſi, ſed aliis etiam ad nequitiam duces ſunt,& anteſignani. Non deſunt homines,qui illorum ſtudium magnoperè probant;ſed Spiritus ſanctus,qui rem quamque ſuo, & juſto nomine appellat, illos inter malos primas tenere pronunciat;&, ut omnes pii idem de illis judicium ferant, efficiet. Hoc enim,tanquam grave hujus flagitii ſupplicium, hoc in loco interminatur. Quod ſi grave ſit ab hominibus infamari,quanto magis ab ipſoDeo ea infamiæ labe aſpergi, quæ nullo alio modo,niſi veræ ſeriæque reſipiſcentiæ lachrimis expurgari poteſt?

Sed nec,quæ nobis videntur bona, ex cerebro noſtro effingere, quamvis priori vitio contrarium, virtus eſt. Nihil enim bonum eſt;quod verbo Dei dudum ſcripto non innititur. Verum ſiquis ſedulo operam navat, ut rationes & vias juxta verbum Dei maximè compendioſas inveniat, quibus, malis ſubactis, pietas, & probitas propagetur; is certè inter

inter bonos principatum obtinens ampliſſimum ſibi divini favoris teſtimonium colligit. Hoc in Paulo ſtudium viguit 2. Cor. 11. 28. in Nehem. 2. 12, &c. & 4. verſ. ultimo.

Verſ. 9. Scelus ſtultitiæ eſt peccatum : ſed abominatio eſt cuique deriſor.

In זמת אולת (*ſcelus ſtultitiæ*) & תועבת (*abominatio*) eſt metonym. adjuncti pro ſtulto, & abominando.

Scopus eſt nequitiam ejus, qui, perruptis doctrinæ, & admonitionum repagulis, maleficia perpetrat, ob oculos ponere.

Hinc primum illud in genere conſtat, peccatorum unum altero atrocius eſſe contra Stoicos.

Deinde monemur, piorum eſſe, non tantum bonum à malo dignoſcere, ſed quid optimum ſit è bonis, quid è malis peſſimum, ad minutiſſimum uſque diſcrimen, poſſe ſtatuere. Turpe enim foret, palatum dulcis, & amari; ſalſi & inſulſi minimum diſcrimen ſentire; mentem vero ita peccati conſuetudine hebetatam, & obſtupefactam eſſe, ut æquum ab iniquo, verum à falſo diſtinguere nequeat.

Scelus deriſoris amplificat à compar. minor. nempe ſtulti, ſive hominis, qui idem, quod deriſor, peccatum admittit; ſed per ignorantiam, aut infirmitatem, aut imprudentiam: cum deriſor edoctus, & admonitus faciat tamen. Neque vero non ita accipiendum eſt, quaſi reclamante, & renitente conſcientia malum ſemper faciat; cum ille etiam deriſor ſit, qui ſuis cupiditatibus abreptus veritatem, quamvis ſit, qui doceat, non admittet. Non igitur omnis de ſalute deriſoris ſpes abjicienda eſt: cujus tamen conditio longè, quam ſtulti, deterior eſt; quia ſcientiam aut reſpuit, aut admiſſam perceptamque irriſioni habet.

Deinde ſtulto nequitiâ deriſorem anteire, oſtendit ab adjuncta pœna, quæ comp. etiam minoris exaggeratur. Nam cum dicat, deriſoris ſcelus abominandū eſſe, ſubinnuere videre, ſcelus ſtulti, vel ſtultum propter ſcelus admiſſum aliqua commiſeratione dignum eſſe; tametſi Deo, ſi non emendetur, æternas ſtultitiæ ſuæ pœnas merito daturus ſit.

Verſ. 10. Remiſsè te geſſiſti in die anguſtiæ? Anguſta eſt virtus tua.

In התרפית (*remiſſe te geſſiſti*) eſt metaphora à corpore, cujus membra ſuis artubus ſoluta ſunt, ad animum, qui metu fluctuat, & vacillat.

Summa eſt, eum demùm veræ virtutis & Chriſtianæ fortitudinis teſtimonium edere, qui in tempore anguſtiæ in officio manet.

Quum nunquam non contra Satanam, mundum, & carnem excubiæ agendæ ſint; tum duo præcipuè tempora ſunt, in quibus ſumma quædam cura adhibenda eſt, ne imprudentes, & imparati ab illis circumveniamur. Prius proponitur Deuter. 8. 10. 11, &c. cum ſcilicet omnia nobis ex voto, & animi ſententia ſuccedant: alterum hoc in loco à Salomone deſcribitur; nempe tempus anguſtiæ, in quo hominis virtus, aut ignavia maxime cernitur.

Multi cum aliis, tum ſibiipſis magnum pietatis, & probitatis ſpecimen edunt, dum res tranquillæ ſunt, qui iidem, tempeſtate afflictionis coorta, ſe alios, quam videri voluerunt, revera fuiſſe indicant. Afflictio enim Lydius lapis eſt ad quem nummi, ut dignoſcantur probi à reprobis, exiguntur; ignis eſt exploratorius, qui

aurum purum ab adulterino ſeparat, & deſtinguit. Hinc Eliphaz Iobo objicit, illum rebus ſecundis utentem animo erectum ſtetiſſe, & alios languentes conſiliis, & conſolationibus ſuſtentaſſe; poſtquam vero igni tentationis ipſe ſubjectus ſit, animum deſpondiſſe, & patientiam abjeciſſe Job. 4. 3, 4, 5. Petrus etiam, antequam ad manus, & pugnam ventum eſt, & dum in umbraculis, aut hybernis reſideret; ſũma fiducia, & ſermonis vehementia, ſe extulit, ut omnes alij à Chriſto deficerent, nolle vel latum digitum ab illo abſcedere, Matth. 26. 33. 35. poſteà tamen eum metu ancillulæ abnegavit. Hinc Deus, ut animoſi à timidis verè diſtinguerentur, libertatem domum redeundi noluit à ſacerdote promulgari, priuſquàm in conſpectum hoſtium proceſſiſſent. Deut. 20. 5. 6. &c.

Quod ſi pii ſuam, & aliorum de ſe opinionem nonnunquam fallant, quid de impiis ſentiendum ſit, non eſt difficile ſtatuere. Iſraëlitæ documento ſint, qui obſequium in omnibus Deo polliciti Exod. 20. 19. cum tamen aquæ primum, deinde panis, poſteà carnis penuria premerentur, in Moſen, & in Deum ipſum rebelles exſtiterunt. Illud autem peſſimum genus hominum quo tandem in loco habendum eſt, quos pace fruentes profiteri non pudet, ſe ad primam periculi ſpeciẽ à Deo, & ſacroſancta veritate ejus defecturos?

Quid igitur (inquiet aliquis) faciendũ, cum pios ipſos videmus aut ſpem & expectationem de ſe conceptam omnino fruſtrari nonnunquam, aut ſaltem non ſatis facere? Moderatè (inquam) utendum rebus proſperis, nec genio nimis indulgendum; ne afflictionem, ſiqua paulo gravior incidat, præ nimia, cui aſſueti ſumus, mollitie refugiamus. Deinde in ſtatu rerum pacatiſſimo Apoſtoli conſilio morẽ gerentes noſipſos tentemus, noſipſos exploremus, noſipſos intus & in cute cognoſcamus. Denique imitemur Jobum, cui inſolita illa, & inaudita, quam pertulit, calamitas non accidit inopinata Iob. 3. 25. 26. Sic demum fiet, ut ex afflictionibus, in quibus nos ſtrenuos geſſimus, electionis noſtræ, & divinæ in nos dilectionis ſingulare, & amplũ teſtimonium colligamus Rom. 5. 3. &c. Imo vero non ipſi modo divinæ erga nos charitatis conſcij erimus; ſed de nobis alij etiam prædicabũt. quod Apoſtolus de Apelle Rom. 16. 10.

Verſ. 11. Eripe abreptos ad mortem. Et ab inclinantibus ad occiſionem an prohiberes te?

V, 12. Si dicas, ecce ignoramus hoc, annon expendens corda ipſe intelliget? Qui cuſtodit animam tuam, ipſe cognoſcet, & rependet cuique ſecundum opus ſuum.

In לקחים למות (*abreptos ad mortem*) eſt ſynecd. gen. pro his, qui injuſte ad mortem rapiuntur. In מות (*mortem*) eſt ſynecd. ſpec. pro omni calamitate. In תכן (*expendens*) eſt metaph. à trutina, qua aurum, & argentum expenduntur, ut, an juſti ponderis ſint, cognoſcatur, ad penitiſſimam cordium cognitionem tranſlata.

Summa eſt, vana omni excuſatione, etiam quæ ab hominibus refelli nequit, abjecta, miſeris ſubveniendum eſſe.

Rationibus afflictiones, ut Chriſtianos decet, perferendi, quæ in ſuperioris Proverbij explicatione expoſitæ ſunt, hinc alia adjici poteſt; laborantibus ſc. & cum gravioribus malis cõflictantibus ſuppetias ferendum 2. Tim. 1. 16. 17. 18. Ubi non Oneſiphoro ſoli, qui opem tulerat, ſed domeſticis ejus omnibus fœlicitatem apprecatur Apoſtolus.

Deus pios in multas tentationes, magnaq; pericula non raro incidere patitur,

non tantum ut fidem, & conſtantiam eorum exploret; ſed porro ut charitatis aliorum, qui extra telorum jactum poſiti ſunt, experimentum capiat; ſicut ex hoc loco abunde liquet. Eximium hujus rei documentum exſiſtit Heſt. 4. 14. Ubi Mordec. Heſteræ perſuaſiſſe legimus, in illud dignitatis faſtigium illam à Deo elatam fuiſſe, ut Iudæis Hamanis malitiâ perituris opitularetur.

Hanc doctrinam ἐρωτηματικῶς ad majorem emphaſin proponit, hoc conſilio, ut omiſſi officij indignitatem exaggeret. Nam ſi inimici aſino ſarcinę ſuccumbenti ſuccurrendum ſit. Exod. 23. 5. quanto magis proximo in articulo mortis conſtituto? Luc. 10. 30. &c. Quinetiam Servator, ab homicidio nihil abeſſe hoc peccatum aſſerit. Mar. 3.4. Contrà vero, qui è mortis faucibus fratrem eripit, eximium veræ charitatis ſpecimen exhibet.

Deinde notandum eſt, declinātibus ad mortem maturè auxiliandum eſſe. Quamvis periculum certum non ſit, ſi tamen ſuſpicio aliqua mortis imminētis juſta ſubſit, non eſt cunctandum, donec morti quis adjudicatus fuerit, facilior enim eſt liberatio, dum exitus adhuc dubius eſt, quàm cum lata ſit mortis ſententia. Multi autē ſunt, qui ſe aliis liberandis operam daturos profitētur, dummodo in certo diſcrimine verſarentur: ſed expectandum rei eventum, præ ſe ferunt, ne operam ſuam, &, qua valent, gratiam fruſtra effundant.

In verſu 12. prolepſis eſt, cujus occupatio ſumitur à diſpar. *Atqui mihi non innotuit, eum in periculo eſſe*: ſubjectio eſt ab effectis, Dei ſcil. omniſcientia, qua corda cognoſcit. Docet enim Propheta, homines, ut ſe hoc onere eximant, ſolere excuſationes nectere, & comminiſci: quarum unam, ſed reliquas omnes complectentē exempli cauſâ proponit; ſe neſcire proximum in mortis, aut alius calamitatis periculo verſari; ſibi non ſatis conſtare, an non jure, & merito ſuo capitis accuſetur; ſe non tanta authoritate, aut gratia valere, ut calamitatem ſuo interventu poſſit avertere; rerum ſuarum ſatagere, & alienis nolle ſe ingerere; & ſexcenta hujuſmodi. Sed vanas, & futiles has excuſationes refellit ab effectoDei, qui omnium corda explorat; q.d. quamvis hæc omnia eam veritatis ſpeciem præ ſe ferant, ut à nullo mortalium refutari poſſint, nihilo tamen magis reatum effugies, ſi propriæ conſcientiæ, imo Deo, qui corde major eſt, eadem non approbaveris. 1. Cor. 4. 4.

Alterum Dei effectum, quo à fratrum miſeriis oppreſſorum neglectu deterret, eſt animarum noſtrarum cuſtodia. Cum enim Deus ad hunc (inter alios) finem, ut aliorum ſaluti proſpiciamus, animas noſtras tuetur, & cuſtodit; cavendum, ne illum officij neglectu irritantes cuſtodia nudemur, atque ita omnibus periculis objiciamur.

Tertium effectum Dei, quo nos ad officio fungendum excitat, illud eſt, quod retribuit cuique ſecundum opus ſuum; rectè facientibus (& ſpeciatim vitā proximi conſervantibus) præmium, officium vero (ut alibi, ita hic inprimis) detrectantibus pœnam, & ſupplicium. Utrunque habetur Heſt. 4. 13. 14. hoc diſertis verbis expreſſum, illud ex adverſo firmiſſimè concludendum. Exemplum vero prioris eximium extat Jerem. 39, 16. 17. 18. Quamobrem non eſt negligendum proximi, & imprimis Eccleſiæ periculum, ſed cum magno propriæ vitæ diſcrimine redimendum, Heſt. 4. 11. 12. 13. 14. Ubi memoria repetendum erit, Deum animæ noſtræ cuſtodem eſſe.

Quemadmodum autem inſontes, ſi poſſis, non liberare; ſic maleficorum, quātum in te eſt, ſupplicium non promovere, atrox flagitium eſt. [Qui enim juſtum condemnat, & impium juſtificat,

Deo perinde exoſus eſt] Proverb. 17. 15.

Quod ſi de vita præſenti periclitantem non eripere tam grave delictum ſit, multo magis damnandus erit, qui fratrem ad inferos properantem non revocat.

Verſ.13. Comede, fili mi, mel quod bonum ſit, & favum mellis dulcem palato tuo.

V. 14. *Ita ſapientiæ cognitio eſt animæ tuæ. Si eam aſſequutus fueris, utique erit finis, & exſpectatio tua non exſcindetur.*

In אחרית (*finis*) eſt metony. adj. pro mercede, quæ in fine accipitur.

Scopus eſt ad ſapientiæ, & pietatis ſtudium homines, propoſito, quod tandem reddetur, præmio, exacuere.

Ad ſapientiæ, & pietatis amorem adhortatur ab adj. earum dulcedine, quæ illuſtratur compar. par. mellis, atque adeo favi mellis. Vbi primo notandum eſt, quã concinna comparatione uſus ſit ad præſtantiam earum adumbrandum. Quid enim melle dulcius Iudic. 14. 18. maximè, quod ſponte diſtillat è favo? Attamen Spiritus ſanctus hac comparatione non contentus, mellis dulcedinem minorem eſſe pronunciat Pſal. 19. 10. & 119. Hinc igitur inſipientiæ, & impietatis coarguuntur, quibus ſapientia (quæ tamen in diſcendo (Pſal. 42. 1. 2.) in ſermones de ea ferendo (Pſal. 119.) in factis denique exprimendo (Ioh. 4. 34.) ſuaviſſima, ut eſt, haberi debet) non magis, quàm ſalpæ, aut aſſulæ particula ſapit. Tantoque magis nunc, quam olim damnandi ſunt hujuſmodi homines quanto Evangelium lege præſtantius eſt. Mat. 13. 17. 2. Cor. 3. 7. &c. Hebr. 2. 2. &c.

Commonſtrata ſapientiæ cum melle convenientia verſ. 13, in 14. diſſimilitudinem indicat. Mellis enim ſuavitas, quamprimum ori infertur, ſenſu percipitur; cum vero in ventriculum deſcenderit, evaneſcit: ſapientiæ vero, tametſi in acquiſitione, & uſu in hac vita non nihil jucunda ſit, præcipua tamen dulcedo, & abſque ſatietate in æternum duratura in futuro ſæculo deguſtanda reſtat. In hujus vitæ commodis ea ſumus ſagacitate, ut præcoquis fructibus putredini obnoxiis durabiles. quamvis tardiores, præferamus. Quid ni igitur ſapientiam pietatemque evanidis hujus vitæ deliciis anteponamus? Deinde mel ipſum comedentibus non eſt ſemper ſalutare (fieri enim poteſt, ut mala ventriculi, aut reliqui corporis conſtitutione in κακοχυμίαν convertatur:) ſapientia verò cum ineffabili jucunditate non minorem, aut minus certam ſalubritatem conjunctam habet; ſi non leviter prælibetur, ſed in intimos animi receſſus recipiatur. Quod ſiquis, ſe ſua ſpe decidiſſe, nec, quem expectavit, ſapientiæ fructum percepiſſe, objiciat; crimen prædicat, non ſapientiæ, ſed ſuum, qui pro ſapientia inanem, & umbratilem ejus ſpeciem amplexus eſt. Cum igitur tam certus ſit ſapientiæ fructus, qui reditus & vectigalia certa dubiis anteponimus, cur non ſapientiam, quàm res mundanas, pluris facimus?

Verſ. 15. Ne inſidiator, ô improbe, habitaculo juſti; neque devaſtato accubitum ejus.

Verſ. 16. Si ſepties ceciderit juſtus, tamen exſurget: ſed improbi corruunt malo.

In לנוה (*habitaculo*) eſt ſyn. partis; vel potius metony. ſubj. pro ipſo juſto, ut ex ſequenti

ſequenti verſu liquet. Eademque ratio eſt רבצו (*accubitum ejus.*)

Scopus eſt adverſus multiplices impiorum inſidias & violentiam piorum animos confirmare.

Cum univerſa ſcriptura (ſicut ex librorum Prophetarum, & Apoſtol. inſcriptionibus colligi poteſt) Eccleſiæ gratiâ ſcripta ſit; & Propheta in hoc libro pios ubivis alloquatur; mirum videri poteſt, cur hic, mutato ſtilo, & ſcribendi ratione, improbum compellaverit. Reſpondeo, quãdoquidem in Eccleſia nonnulli improbi ſunt, de quibus ad frugem reducendis ſpes abjicienda non eſt, illos alloqui non eſt à ſcopo, quem ſibi Propheta in hoc libro propoſuit, alienum. Deinde obſervandum eſt, rationem, quam adjungit, ejuſmodi eſſe, ut improbum, quâ improbus eſt, à ſuo bonis nocendi ſtudio poſſit avertere. Neque enim injuriam piis inferre ideo prohibet, quia Deo ingratum ſit, aut profeſſione pietatis indignum; ſed quia ſumma nocendi voluntate, & conatu nihil proficiet. Denique impios alloquendo pios præcipuè reſpicit, quos conſolatur adverſus improborum molitiones.

Hinc apparet, nimium ſibi pios metuere ab impiorum inſidiis, & injuriis: quo metu ſæpe aut aliquid de pietate ſua remittunt, aut animo inquieto & tremulo ſunt; imo eo anguſtiarum nonnunquam adiguntur, ut mortuorum, quam vivorum, & nunquam in lucem editorum, quam utrorumque potiorem eſſe conditionem ſtatuant. Eccleſ. 4. 1. 2. 3. Quantumvis enim impiorum injuriis premantur, neutiquam tamen opprimentur. Deus enim potentiſſimarum manuum ſuarum unam ſubdit, ne corruant Pſal. 16. 8. & 91. 12. altera erigit, & ſuſtentat Iob. 5. 19. 20. &c. & Pſal. 73. 23. Hujus doctrinæ exempla illuſtria habemus in Iacobo Gen. 31. 7. in Davide, in Eccleſia Iudaica Pſal. 129. 1. &c. in Paulo 2. Cor. 4. 8. 9. Imo vero (quod pios magis adhuc conſolari debet) quæ illis mala inferuntur, bona fiunt, & utilia Pſal. 119. 67. 71. Rom. 8. 28. Ipſa mors, qua pii ab impiis nonnunquam affecti ſunt, non illos perdit, ſed ad vitam infinitis gradibus beatiorem aditum præbet. Piis enim mori tam incommodum eſt, quàm arboribus, ut magis repullulent, tempeſtive ſecari; aut corpori humano, ut noxius ſanguis emittatur, & ſanitas recuperetur, venam aperiri.

Quamvis autem infinita mala juſtum perdere nequeant, unico tamen perit improbus. Amplificat igitur Dei in ſuos beneficium à diſpari conditione improborum. Cum enim pij, quod malis, quæ ſubeunt, non opprimantur, ſoli Deo acceptum ferant; non mirum eſt, improbos, quibus ſubſidiaria manus Dei non porrigitur, minimo malo opprimi obruique. Nabalem verbo periiſſe legimus 1. Sam. 25. 37. &, ut deſint, qui mala, quibus obterantur, inferant, turdi tamen hi ſibi ſat mali cacant. Pſal. 34. 21.

V. 17. *Ne lætator, cum ceciderit inimicus tuus; & ne exſultato cor tuum, cum corruit ille.*

V. 18. *Ne videat Dominus, & malum ſit in oculis ejus, & convertat ab illo iram ſuam in te.*

In בנפל (*cum ceciderit*) & בכשלו (*cum corruit*) eſt ſynecdoc. partis pro omni malo gravi, aut levi, quod inimico obvenire poteſt. In בעיניו (*in oculis ejus*) eſt metaph. ab hominibus ad Deum tranſlata, qui factis iram declarat, quam homines oculorum, & vultus compoſitione indicare ſolent.

Scopus eſt ab odio in inimicos, & odij

fructibus,

fructibus, propoſita Dei ultione, deterrere.

Inimicus hoc in loco intelligendus eſt, non quem tu odio habes, ſed qui te habet. Neque enim fas eſt, quenquam odiſſe. Alioqui fruſtra eſſet hoc præceptum, utpote obſervatu impoſſibile. Nam ejus malo, quem quis odio habet, non poteſt non lætari. Ad hanc autem normam explorandi ſunt animi noſtri, ut intelligatur, an inteſtinum in aliquem odium foveamus. Nam utcunque inimicos benevolentia complecti aliis profiteamur, aut nobis ipſis perſuadeamus, ſi damno eorum lætemur, re ipſa odiſſe convincimur.

Non tantum graviori malo quod inimico obtigit; ſed leviculo etiam diſpendio lætandum non eſt. Reperiuntur autem, qui profitebuntur, nolle quidem ſe inimicorum interitum, ſed jacturam, aut damnum quodpiam nõ nolle. Hinc igitur non difficile eſt intellectu, quam rara ſit vera pietas. Quotus enim quiſq; ejus, qui malum intentat, maximè vero qui intulit, malo ſaltem leviori non lætari ſibi conceſſum eſſe putat? Quis non attollit caput, cum inimicus demittit; non plaudit manibus, cum ille plangit; non feſtum agit, cum ille jejunium? Sed tantum hoc abeſt à pietate, ut Chriſtianis non ſolum inimicorum malis non lætandum, ſed etiam ſerio dolendum ſit. David illuſtre nobis hac in re exemplum præbuit 2. Sam 1. 11.12. & Pſ. 35.13.14. quod ex adverſo illuſtratur verſ. 15, 16. Hinc liquet, quam craſſe hallucinentur Pontificij, qui aſſerunt, inimici amorem, non eſſe ſub veteri teſtamento præſcriptum, ſed nova lege à Chriſto ſancitum; ideoque conſilium eſſe potius, quam mandatum; cui qui obtemperat aliquid ſupra, quam neceſſe eſt, facit.

Obſervandum vero, hac prohibitione non impediri, quo minus de hoſtium Dei excidio exſultemus, aut noſtro bono quod ex impiorum interitu redundat, gaudeamus.

Verſ. 18. Rationem addit ab adj. duplicem; fore ut Deus iram ſuam primo ab inimico avertat, deinde in te convertat. In priore quæritur, quomodo Deus, ſalva juſtitia ſua, ab illo, qui in odio alterius temere ſuſcepto perſtat iram ſuam avertere poteſt? Reſpondeo, Prophetã non intelligere totam iram Dei, ſed particularem ejus fructum, quem, alioqui ſpectabili aliqua vindicta declaraturus erat. Hinc Ap. Rom. 12.19. eum dicit iræ, ſeu vindictæ divinæ locum dare, qui proprias vices nõ ulciſcitur, ſed acceptam ab alio injuriam Dei judicio permittit. Contra vero, qui ſe ulciſcitur, iræ divinæ aditũ præcludit.

Altera ratio eſt, quod iram in ſe acccerſit, quæ in inimicum effundenda erat. Cũ enim hic pietatem, cujus ille expers eſt, profiteatur, conveniet Dei juſtitiæ, ut in hujus, qui prope ipſum accedit, quàm illius punitione ſanctificetur, Levitic. 10. 3.

Verſ. 19. Ne iraſcaris malignis, neque invideas improbis.

V. 20. Quia non erit extremum malo homini; lucerna improborum exſtinguetur.

In נר ידעך (*lucerna extinguetur*) eſt allegoria a lucernis extinctis ad res proſperas everſas tranſlata.

Scopus idem hic eſt, qui ſupra fuit cap. 23. verſ. 7, 18.

Malignis hominibus, qui Deo adverſantur, nolle iraſci videtur cum pietate, & nunquam ſatis laudato Moſis exemplo pugnare; qui cum eſſet omnium manſuetiſſimus, in Iſraëlitas tamen a Deo ad vituli cultum deficientes vehementer excãduit. Sed hæc pugna nulla eſt; quando qui-

quidem irę hujus, & illius planè diverſum ſubjectum ſit. Neque enim eorum improbitati (quod à Moſe factum eſt) ſed externę fęlicitati iraſci prohibetur. Quod ex poſteriori parte verſus, ubi vetamur illis invidere, clarè patet. Invidentia etenim vitium eſt, quo alterius bono contriſtamur. Bona vero, quibus improbi piis præſtare poſſunt alia, quam quæ extrinſecus accidunt?

Prohibitionem confirmat ab adj. extremitate, ſeu mercede, quæ in fine tribuitur, quaſi dicat, Si oculos à præſenti eorum proſperitate deflexos ad finem eorum, & extremum converteris, omnis invidiæ occaſio tollitur. Quamvis enim ad tempus, vel momentum potius effloreſcant, mox tamen marceſcunt. Quemadmodum enim planè contraria eſt eorum, & piorum vivendi ratio; ita contrarium utriſque obtingit præmium. Pii poſt hujus vitæ miſerias omnibus in regno cœlorum bonis affluunt: impii autem poſt momentaneas hujus vitæ delicias in æternos cruciatus præcipites aguntur. Quod etiam comparatione parium illuſtrat. Nam ut lucerna, quantumvis clarè ſplendeat, unico flatu ſubito exſtinguitur: ſic omnis illorum proſperitas brevi momento in miſeriam convertitur. Hinc impiorum fęlicitas igni inter ſpinas comparatur Pſal. 118. 12. qui vix prius accenditur, quam extinguitur: piorum verò ſoli, cujus ſplendor magis, magiſque augetur, donec ad meridiem, ubi ſemper ſtabit, pertingat. Prov. 4. 18.

Verſ. 21. Reverere Dominum, fili mi, & regem, cum variis ne commiſceto te.

v. 22. Nam repente conſurget exitium eorum: Et oppreſſionem iſtorum amborum quis novit?

In יקום (*conſurget*) eſt metaph. ubi rebus inanimatis tribuitur animarum motus.

Scopus eſt pios in Dei, & regis debito obſequio, propoſita defectionis pœna, confirmare.

Piorum erga Deum, & regem, in uno verſu, & eadem periodo ideo officium complexus eſt, primo ut regem, qui umbram quandam, & imaginem Dei in terris repræſentat, honore afficeret; ſicut 1. Pet. 2. 17. (quod etiam plenius explicatur; quia ut Deo, ſic regi reverentia deberi oſtenditur;) deinde ut obſequium Deo, & regi præſtandum arctiſſimo inter ſe nexu devinciri, nec ullum ſati fidele regi obſequium exhiberi poſſe, quod à reverentia Dei ſeparetur, oſtenderet: Tametſi enim multi pietatis expertes regibus ſuis parent; nulli tamen, niſi vere religioſi ita ſunt in regum ſuorum obſequio radicati, quin aut præmiis allecti, aut pænis deterriti, aut injuriis irritati ab officio receſſuri ſint. Solus Dei timor, ſi altas in animis hominum radices egerit, tanquam ſacra anchora in turbulentiſſimis tempeſtatibus à perfidia retinere poteſt. Nemo enim pius legitimæ poteſtati ſe opponit, cum Apoſt. dicat, *Ipſi Deo reſiſtere, qui poteſtati à Deo ordinatæ non obtemperat*, Rom. 13. 2. Quod quidem ſi regibus penitus perſuaderetur, prima illis & maxima cura eſſet, ut ſubditi vero timore imbuerentur.

Sed notandum eſt, Deum regi præponi. Quo docemur, obedientiam regibus debitam non eſſe abſolutam, ſed reverentiæ Dei cancellis circumſcriptam, & ad eam, tanquam amuſſim exigendam. Sicut enim parentibus, & heris (ut Apoſtolus monet;) ita & principibus non niſi in domino obtemperandum eſt. Quod etiam expreſsè docetur Eccleſ. 8, 2. ubi Salomon, qui idem & Propheta fuit, & rex longè magnificentiſſimus,

ego, inquit, conſulo, ut regis mandatum obſerves, ſed quoad juramenti, quo te Deus obſtringit, ratio tulerit. Quamobrē ſervis Saulis laudi ducitur, quod Sacerdotum cædem imperanti parere noluerunt; Doego vero vituperio, qui obtemperavit, 1. Sam. 22. 17, 18. Quemadmodum igitur inferiori magiſtratui aliquid regis voluntati contrarium præcipienti non obſequimur: ſic neque regibus ipſis, ſi eorum mandata à divinis diſcrepent, obſequendum eſt.

Inofficioſos erga Deum, & regem deſcribit ab adjuncta varietate, ſeu levitate, qua fit, ut, oborta tempeſtate, ab imperio, & ſubjectione deficiant. Primo varietatis hujus efficientē cauſam eſſe indicat cum defectoribus conſortium. Sicut igitur ſupra, tanquam amuletum contra gulam, nequis heluonibus ſe aſſociaret, præſcripſit: ita hic, ut à rebellione pij conſerventur, vitandum eſſe monet rebellium contubernium. Videmus enim multos, qui ſe nullo à Davide deficiendi animi Abshalomo adjunxerant, poſteà in apertam rebellionem erupiſſe, 2. Sam. 15. 11; & 20. 1, 2.

Secundo deterret ab hac levitate, & perfidia proponens adjunctam ei pœnam; repentinum ſcilicet, & improviſum exitium. Defectionis à Deo pœnam vide Jehoſ. 22. 18. à rege vero Eccleſ. 8. 3, 4. Rom. 13. 2. Num. 6.

Verſ. 23. Hæc ſunt etiam ſapientum. Agnoſcere facies in judicio non eſt bonum.

v. 24. Dicentem improbo, juſtus es, hunc perforabunt populi, & eum deteſtabuntur gentes.

v. 25. Sed redarguentibus improbum amœnum erit; & ſuper eos veniet benedictio boni.

v. 26. Labia oſculabuntur ejus, qui reſpondet verba recta.

In פני (*facies*) eſt metaph. à faciebus, quæ in promptu ſunt, ut conſpiciantur, tranſlata ad ea, quæ ſunt extra cauſam, quæ in judicium vocatur. In יקבהו (*perforabunt*) eſt metaph. à telis, quibus corpus transfigitur, traducta ad horribiles imprecationes, quibus juſtum Dei judicium ad corrupti magiſtratus exitium accerſitur. In שפתים ישק (*oſculabuntur labia*) eſt meton. adj. ſigni pro honore, qui recta loquentibus defertur.

Scopus eſt magiſtratus, & quoſvis judicii miniſtros, propoſitis pœna, & præmio, ab injuſtis judiciis deterritos ad jus dicendum excitare.

Præfatio hiſce verſibus præfixa reliquis ad ultimum hujus capitis communis eſt, eos omnes (qui hominum cujuſlibet ordinis, & conditionis officia complectuntur) ad ſapientes ſpectare, indicans. Quicunque igitur his non attendit, nec ad ſe pertinere opinatur, inſipiens non tam Salomonis, ſapientiſſimi viri, quàm Dei, qui ſolus ſapiens eſt, judicio habetur.

Quatuor hi verſus ad judices referūtur, quorum nequitiâ jus, quod ſacrum eſſe oportet, & inviolatum, pervertitur. De eo autem, quod dicat, non eſſe bonum, quod eſt peſſimum, vide quid ſupra dictum ſit.

Verſ. 24. Unam ſpeciem corruptelæ in judicio proponit; nempe improbum abſolvere, vel juſtum ſive verbo, ſive facto pronunciare. Ea vero, qua hic utitur, loquēdi formulâ exponit, quod ſuprà dixit de improbo juſtificando. Neque enim hominis eſt ex improbo juſtum facere. Sed ex unica hac injuſtitię ſpecie reliquas omnes id genus intelligit; ut cum vir bonus in mala cauſa ſuperior evadit, aut malus in bona inferior.

Ab hoc

Ab hoc vitio deterret adj. pœnâ; quia hujuſmodi magiſtratum populi exſecrationibus veluti perforabunt. Quod etiam apertius indicat, cum dicit, à nationibus deteſtatum iri, Prov.17.15. Deo abominabilis, hic vero hominibus etiam exoſus eſſe dicitur, qui juſtitiam violat. Solo divini odij metu (quo ingruente, nihil proderit propenſiſſima hominũ benevolentia) in officio homines contineri oportebat. Sed cum multi ſint, qui divinum favorem, modo gratiam cum hominibus ineant, ſuíq; deq; habẽt, monet Propheta, æquitatẽ in jure dicendo tuendam eſſe ei, qui vel hominib. ſe gratũ fore cupiat. Oportet autẽ graviter impudentẽ eſſe, ſiquis (quod de injuſto judice diciturLuc.18.2) nec Dei, nec hominum rationem habet.

Sed excipiet aliquis, injuſtum judicem ab iis, in quorum gratiam jus & æquum pervertit, coli, & obſervari. Reſpondeo, ne hos quidem amore illum proſequi. Nam præterquam quod injuſtitiæ, quam exercuit, ſibi conſcii ſint, reputabunt, ſe poſſe in optima cauſa perinde cadere, ac antagoniſtæ ceciderunt.

Sed quæri hic poteſt, an liceat populo judicem injuſtitiæ nomine exſecrari? Quod ſi non liceat, nec à Deo ut perdat, petendum ſit, ſed ut emendet conſequi videtur, hujuſmodi imprecationes nihil damni injuſto judici allaturas. Reſpondeo, quamvis illis hoc factu injuſtum ſit, juſtum tamen eſt, ut Deus diras exaudiat, & injurias ulciſcatur. Ipſa enim injuſtitia (ut homines taceant) ad Deum clamat, & [clamor ejus in aures domini exercituum aſcendit] Jac.5.4. Neq; vero à pietate alienũ eſt, Deum precari, ut judicem corruptum loco moveat, aut gravius aliquid, quo alij ab injuſtitia deterreantur, in illum ſtatuat niſi ad frugem redeat.

25. Hanc injuſtitiæ pœnam confirmat, ab adverſo præmio eorum qui improbos coarguunt, & pro ratione admiſſi ſceleris ſupplicio afficiunt. Iis enim amœnum erit. Cujus proſperitatis cauſa, ut principalis Deus eſſe intelligitur, ita inſtrumentalis hic exprimitur, populi nimirum benedictio, & preces ad Deum pro illo fuſæ. Iob.29.11,12,13. Deo igitur, & hominibus chari ſunt, qui jus purum, & caſtum conſervant. Non enim dubium eſt, quin illi ipſi, contra quos ſententiam juſtè tulerit, ſi nõ perditæ, & deploratæ ſpei fuerint, cum ad ſe redierint, omnia illi fauſta, & fœlicia precabuntur. Quod ſi nonnulli nequam homines hoc non faciant, manet tamen integra Prophetæ ſententia illum populo charum fore. Majoris vero, & melioris partis vota perditorum hominum (ſiquæ ſunt) maledictionibus, quæ nullius ponderis ſunt Prov.26.2. facilè prævalebunt. Quinetiam maledictionem eorum in benedictiones convertentur.

Verſ.26. Alio adj. præmio judices ad rectum judicium ferendum exſcuſcitat; honore ſcilicet, qui oſculo deſignatur. Oſculum enim apud Iudæos duplex erat; unum charitatis fraternæ (de quo Apoſt. Rom.16.16.) alterum honoris Pſal.2.12.

Verſ. 27. Apta foris opus tuum, & para illud in agro tibi: tũ exſtrues domum tuam.

Scopus eſt pios ad ordinatam rei familiaris adminiſtrationem adhortari.

Piorum officium in proſpiciendo familiis ſuis uſque eo Spiritus ſanctus 1. Tim. 5. 8. urget, ut Ethnico deteriorem pronunciet, qui ſuorum, maximè domeſticorum, curam non agit. Hic autem ulterius progreditur, & illos in diſciplina œconomica informat, &, quid prius in re familiari, quid poſterius procurandum ſit, oſtendit.

Quod vero, juſta hujus rei tractatione hominibus permiſſa, quædam tamen,

quæ huc ſpectant,hic,& cap.31.aſpergit, docere nos voluit, hanc curam , quamvis prima non ſit,aut præcipua,ad pios pertinere; nec animum ad rei familiaris ſtudium advertere, homine Chriſtiano indignum eſſe. Quod ideo diligentius obſervandum eſt,quia ex confuſa,& perturbata rerum domeſticarum adminiſtratione paupertas,atque adeo mendicitas piis obtingeret, nō ſine magno veritatis diſpendio,& improborum contra veritatem calumniis.

In Rep. & Eccleſia commodè procuranda longè ſecus ſe res habet. Ibi enim ab his,quæ intus ſunt, initium ſumendum eſt; & primo,ut noſmet ipſi,& domeſtici noſtri benè inſtituti & morati ſimus,providendum Pſal.101.& 1.Tim.3.5. Sicut enim mulieri turpe foret, dum propria domus inmunditiâ ſcateat, in aliena ſordes inſectari;ſic Magiſtratui,aut Eccleſiæ Miniſtro, illud in aliis punire,aut reprehēdere,quod domi ſuę impunè graſſatur.

Sed objici poteſt contra œconomicum hoc Salomonis præceptum, de domo acquirenda,ad quam tanquam aſylum contra aëris,&cœli injuriam paratum nos recipiamus,primo cogitandū eſſe. Reſpondeo, Prophetam hic loqui de ornanda domo,aut magnifica extruenda.Non igitur vetat domum aliquam primo in loco comparare; ſed agros benè colendos eſſe monet, paſcua armentis, & gregibus veſtienda ; hortos, pomaria, & vineas conſerendas, priuſquam ad magnificentiorem domus ſtructuram animum adjeceris.His enim bene adminiſtratis, reditus, &vectigalia non deerunt,quibus domum ædificaturo ſumptus abundè ſuggeratur; nec illud eveniet,quod ſtulto illi in Euangelio,qui ędificium,quod inceperat,ad finem perducere non potuit. Deinde in agricultura obſervanda ſunt arandi,ſeminandi,occandi, & metendi certa tempora, quibus neglectis, irritus erit reliquus totius anni labor : ad ædificandum vero quodvis anni tempus ſatis opportunum eſt. Denique Pſal.127.domum ædificare eſt liberos ſuſcipere. Atque hic ex uſu erit,priuſquam uxorem duxeris, rationem inire,quomodo illam , & liberos agriculturam, aut aliquam honeſtam artem exercendo alas.

Hæc prudentia œconomica ad ſpiritualem quandam frugalitatem traduci poteſt; ut, cum in ſacra ſcriptura doctrinæ magno numero , & varietate proponantur , in iis, quæ maximè neceſſariæ ſunt (cujuſmodi eſt doctrina de fide, reſipiſcentia &c.Heb.6.init.) primo,& præcipuè laboremus. Multi vero illa potiſſimum conſectantur,quæ ad decus potius, quàm ad ſalutis neceſſitatem ſpectant. Quid,quod non pauci (inter quos primas tenent Pontificii,) relictis ſcripturis , in quibus omnia ad ſalutē ſcitu , & factu neceſſaria continentur , ſpinoſis quæſtionibus de ordinum Angelorum numero, de loco definito inferni , de forma cruciatus damnatorum, an ſancti in cœlis ſe mutuo ſint cognituri,&c. ſua,& aliorum ingenia fatigant?

Verſ. 28. Ne ſis teſtis temerè adverſus proximum tuum,nec illum decipias labiis tuis.

Verſ.29. Ne dicas,quemadmodum fecit mihi , ſic faciam illi ; reddam cuique ſecundum opus ſuum.

Scopus eſt homines ab ulciſcendo ſe, ſicut factis,ſic dictis arcere.

De multiplici linguæ uſu, & abuſu ſæpiùs dictum eſt. Inter abuſus vero non minimus eſt,cum quis [eadem lingua Deo benedicat, & proximo ad ſimilitudinem Dei facto maledicat] Iacob.3.9. Fidelibus igitur ſedulo agendum eſt, ut arbori

vitæ ſimiles facti non fructu modo factorum, ſed foliis etiam dictorum aliorum languoribus medeātur. Apoc. 22.2. Monſtri enim ſimile eſt, linguam ad ſanandum homines factam eoſdem, ſi apertis conviтiis, aut fictis criminibus minus poſſit, inſidioſis blanditiis (quod non raro fit) vulnerare.

Verſ. 29. Adverſus vindictam privatam, ad quam omnes naturâ proclives ſunt, amuletum præſcribit, ne nos verbo ad illam exequendam obligemus. Quæ enim non eſt in animo cogitanda, aut deſideranda', multo minùs verbis erit profitenda, & proclamanda. Ea enim eſt hominum ambitio, & fucatæ conſtantiæ affectatio, ut ad vindictam contra graviſſimas rationes perſequendam cæca illos ambitio impellat, ne ſcilicet parum ſibi in incepta inſania conſtare viderētur. Quod ſi in nuda enunciatione tantum periculi ſit, quantum erit, ſiquis ſacramento ſe porro obſtrinxerit! Huc enim uſque progreſſus David, niſi ad Abigaëlis prudentiam, & orationis artificium eximia ipſius pietas acceſſiſſet, ab horribili Nabalis, & domeſticorum ejus omnium cæde non ſibi temperaverat.

Deinde notanda eſt ſuperba hujus dicti (*ſecundum quod fecit mihi*) arrogantia. Quid enim hoc aliud eſt, quàm in tribunal Dei, cujus ſolius eſt unicuique ſecundum opus ſuum retribuere, ſe ingerere?

Hinc deniq; facilè apparet, quam prodigioſi ſint, qui ab aliis injuria laceſſiti in obvios quoſque, quantumvis innocuos, iram evomunt; hinc defenſionem ſatis honeſtam ſe nactos rati, quod non durius eos tractaverint, quàm ipſi ab aliis excepti fuerint.

Verſ. 30. Per agrum viri pigri tranſivi, & per vineam hominis defecti corde.

V. 31. Et ecce, aſcenderat ille totus chamæleonibus; texerunt facies ejus urticæ, & maceries lapidum ejus deſtructa eſt.

V. 32. Quod vidi ego, appoſui animum, reſpexi, accepi eruditionem.

In פניו (*facies*) eſt metaph. à facie oculis omnium expoſita ad ſuperficiem, quæ viſioni objicitur, tranſlata.

Scopus eſt pios, ut ex deſidiæ incommodis diligenter conſideratis ipſi ad bonam frugem excitentur, monere.

Superiùs docuit, in familia rectè gubernanda plurimum intereſſe, ut certa quadã ratione, & debito ordine negotia peragantur. Hic porrò docet, diligentiam, & laborem adhibendum eſſe. Quod illuſtrat ab adjuncto damno, & diſpendio, quod ex adverſo otio, & pigritia pullulat.

Deſcribitur piger ab adj. in cultura agri, & vineæ negligentia. Qui culturæ neglectus ſuis etiam effectis arguitur, nempe quod ager, & vinea chamæleonibus, & urticis non hinc inde aſperſa fuerint (quod ex maledictione divinę Gen. 3.18. in maxima culturæ diligentia obvenire poteſt) ſed omni ex parte ſcaterent; nec maceries alicubi diſrupta, ſed penitùs everſa eſſet, & ſolo æquata. Ex qua deſidioſi agricolæ deſcriptione, quis in religione piger ſit, nõ eſt difficile ſtatuere; nõ qui peccatis aliquot (quibus quis vacat?) obnoxius eſt, ſed cui peccata dominãtur; nec qui πανοπλίας Chriſtianæ parte aliqua deſtituitur, ſed qui prorſus inermis omnibus Satanæ, mundi, & peccati cujuſlibet impreſſionibus objicitur.

Deinde notandũ eſt, qui piger eſt, eundem ſtultum, & vecordem appellari. Quo dicto ſtulta ejus de ſeipſo præſumptio, & inflata ſapientiæ ſuæ opinio coarguitur. Cum enim ipſe ſibi, ſeptem viris, qui

prudenter reſpondere nôrunt; ſapientior videtur Prov. 26. 16. Spiritus Sanctus ne ſapientem quidem eſſe, ſed ſtultum, judicat.

Hinc docemur, tam nobis improborum ad fugam, & deteſtationem, quam proborum ad imitationem exempla ante oculos ponenda eſſe; & perinde nobis in ſapientia ex eorum improbitatis diligenti intuitu proficiendum eſſe, quam ex ſeria probitatis piorum contemplatione. Sic fiet, ut ex urticis ficus quodammodo, & ex chamæleonibus uvas percipiamus. Sæpe enim accidit ut quos virtutis pulchritudo ad bonum allicere non poterat, eoſdem vitiorũ turpitudo à malo deterreat. Contra verò dementiæ eſſet ex ſtultorum temeritate, & in negotiis gerendis incuria quenquam ſe in ſua ſtultitia obfirmare. Quod tamen à multis fit, qui, quicquid ab aliis factum vident, factis ſuis, utcunque injuſtis, ſatis juſtam defenſionem præbere putant; maximè verò, ſi (quod fit) ſapiens ſui oblitus aliquid ſapientia ſua indignum admiſerit v. g. exemplum Noachi, & Lothi ſuæ intemperantiæ Davidis vitæ turpitudini patrocinari arbitrantur.

Verſ. 33. Paucis ſomniis, pauculis dormitationibus, paucula complicatione manuum ad cubandum.

Verſ. 34. Dum venit continenter itans paupertas tua, & egeſtas tua, tanquam vir clypei.

Docet, quid ipſe didicerit ex inculto agro pigri; primum cauſam effic. nempe quod ſomno immoderate deditus ſit; deinde effectum, paupertatẽ inevitabilem. De quibus vide, quę ſupra dicta ſunt cap. 6. verſ. 6.

CAPUT XXV.

HActenus fuerunt Proverbia Salomonis, quæ ipſe etiam exaravit: ſequuntur, quæ ab illo dictata alii monumentis literarum mandaverunt.

v. 1. Etiam hæc ſunt Proverbia Salomonis, quæ contulerunt viri Hezekiæ, regis Iehudæ.

Scopus eſt ſervis Hezekiæ propter hæc Proverbia literis mandata gratiam apud poſteros conciliando alios ad conſimile religionem promovendi ſtudium expergefacere.

Quanquam S. Sancti authoritas abundè nobis perſuadere debet, ut ambabus ulnis, quicquid in ſcriptura, quæ tota ab illo inſpirata eſt continetur, amplexamur; ſtimulum tamen non mediocrem adjicit, ſiquando illuſtribus utatur organis, quorum opera conſilia, & arcana ſua ad hominum notitiam tranſmittat; quia ferè pro organi celebritate, & aptitudine ſolet majora, aut majori artificio myſteria in lucem proferre. Quamobrem noluit hoc adminiculum ad excitandum auditoris attentionem prætetire, hæc, quæ deinceps ſequuntur, etiam Salomonis eſſe præfatus.

Cum Hezekiæ ſervos hæc Proverbia contuliſſe, ait, docet, patrisfamilias timentis Dei plurimum prodeſſe exemplum ad domeſticos in pietatis ſtudio continendum. Verum enim eſt illud verbum, οἷαι δέσποιναι, παῖδες καὶ θεραπαινίδες; & regis ad exemplum totus componitur orbis. Graves ſunt nunc dierum de ſervorum, & ancillarum nequitia querimoniæ; quæ tamen in heros jure optimo retorqueri poſſunt. Paucitas enim fideliũ ſervorum non aliunde ortũ habet, quam à paucitate piorum patrumfamiliarum; cum

cum pleriq;, dummodo conficiantur negotia ſua, an ſervi, & ancillæ Deum diebus cultui ejus conſecratis religioſè colant, nihil, aut parum ſoliciti ſint. Neque enim timore inſtituunt, aut ad publicum verbi miniſterium acceſſuros præparant, aut ab inde redeuntibus eorum, quæ audierunt, rationem repoſcunt.

Sicut Hezekiæ honori fuit, eſt, &, quamdiu ſæculum duraturum eſt, erit, tales ſervos in aula ſua aluiſſe: ſic perenni ſervis ipſis ornamento erit, quod laudatis regis ſui in procurando, promovendoque Dei cultu veſtigiis inſtiterint. Ubi etiam notatu dignum eſt, Sp. ſanctum non tantum Salomonis, qui Proverbiorum iſtorum (poſt Deum) parens, & author fuit; ſed & ſervorum Hezekiæ, qui eadem collegerunt, nomen celebrare. Quod noſtram in cultu divino induſtriam augere debet; quandoquidem non illi modo, qui palmam ferunt, ſed qui in tertiis, aut etiam in infimis conſiſtunt, à Deo pro ratione cultus ipſi præſtiti honore afficientur. Sic videmus, eos, qui præ inopia aurum, aut argentum, aut pretioſos lapides ad ſtructurã tabernaculi afferre non poterant, propter pilos caprarum, quos attulerunt, laudem conſequutos eſſe. Inter homines ſoli nobiliores, ſiquid laude dignum præſtiterint, celebrari ſolent; & obſcuriores, etiam re præclare geſta, oblivione ſepeliuntur. Eccl. 9, 15. 16. Deus autem benè de religione meritos tam ſervos, quam dominos; tam ſubditos, quam reges; tam rudes, quam doctos ſine ulla perſonarum acceptione honore proſequitur.

V. 2. *Dei honos eſt rem occultare; ſed regum honos eſt rem perſcrutari.*

Verſ. 3. Ut cælo altitudine, & terræ profunditate; ſic animo regis non eſt perſcrutatio.

In כבד *(honos)* videtur eſſe ſynecd. gen. pro præcipuo, & maximo honore.

Scopus eſt mediocrem, & anguſtam regum præ ſumma Dei amplitudine proponendo ad ſummum res obſcuriores inveſtigandi ſtudium expergefacere.

Diſſimilem docet eſſe Dei, & regis conditionem, quia ſummus regis honor conſiſtat in rebus obſcuris eruendis, Dei vero in eiſdem ab hominum notitia removendis. Deinde probat, regis honorẽ nõ verſari in rebus occultãdis, ab adverſo quia illi maximè honori ducitur, quòd res arcanas, & occultas perſcrutari poſſit.

Iam iſta ſeorſim conſideremus: & quidem primò, quod dicitur, Deo honori eſſe rem abſcondere. Deus certè honore afficiendus eſt, quod conſilium, & voluntatem ſuam in rebus quam plurimis patefecerit. Sed iſta regni cœlorum myſteria, quorum cauſæ, & rationes imperveſtigabiles ſunt, ampliorem ei honoris ſegetem præbent; cujuſmodi ſunt de S. Trinitate, de triplici perſonarum in una eſſentia diſtinctione, de filij æterna generatione, de Sp. Sancti proceſſione, de horũ ad vitam, illorum ad mortem ab æterno prædeſtinatione, de Filij Dei incarnatione, ſeu aſſumptione fragilis noſtræ carnis in unitatem perſonæ ſuæ, de Deo omnia, quæcunque fiunt, cùm decernẽte, tum ſua providentia ita regẽte, ut ex malo, quod fit, nullum reatum contrahat, de parentũ peccatis ſuper poſteros in multas generationes ulciſcendis, de juſtiſſ. judicia per injuſtiſſimos exequendo, de uxoris propter mariti, & liberorum propter parentis peccatum combuſtione Ioſh. 7. 25. De quibus, & aliis id genus omnibus verè affirmari poteſt, illa ſingula uberrimum laudandi, & prædicandi Dei campum hominibus ſuppeditare; eumque cumulatius, & pleniori ore in iis efferendum eſſe, quàm in aliis, quorum cauſas, & principia animo, & intelligentia aliquouſque complectimur,

plectimur. Primum enim inde liquet, Dei ſapientiam infinitam eſſe, & creaturæ inſcrutabilem; deinde Deum eſſe αὐτόπιστον ἀνυπεύθυνον, &pro ſuo ipſius arbitrio poſſe omnia facere; & de jure ſuo diſcedere, cum dignetur ſuorum factorum, aut dictorum rationem reddere.

Hinc apparet eorum procacitas, qui nihil Deo permittunt, niſi quod ſub ratiunculæ & ingenioli ſui captu cadat; maximè, qui exſecrabili blaſphemia Deum exagitant, quod aliquid de eorum ſalute, aut exitio, ipſis inconſultis, ſtatuit. Quod autem blaſphemè dicunt, qui hæc faciat, ſuum Deum non futurum, in ipſos retorqueri poteſt; illum ne Deum quidem fore, niſi conſilia, & opera ejus humanum (addo etiam Angelorum) intellectum tranſcenderent. Nos igitur, quorum Deus oculos aperuit, ut ſentiamus, non poſſe nos Dei arcana inveſtigare, qui ad ſolis radios cæcutimus, infinitam Dei ſapientiam, quam aſſequi nequimus, revereamur, & laudemus.

In altero hemiſtichio docet, qua in re honor regis poſitus ſit: non in rebus occultandis (cum nihil habeat, quod non Sanctiori ſenatui, aut amico intimo communicare & ſolet, &, ut communicet, ex uſu eſt;) ſed recondita, & abſtruſa perquirere. In quo genere ſunt rerum naturalium cauſæ, quas veluti in profundo merſas eruere opus eſt rege dignum; maximè ſi ad regni adminiſtrationem ſpectant. Hinc Salomon tantopere à Sp. ſancto celebratur, quod duabus fœminis de ſuperſtite puero diſceptantibus, cum nulla probatio ſuppeteret præter nudas earum aſſeverationes, rationem invenit, qua veritatem patefecerit, 1. Reg. 3. Huc refertur, quod de ſe Iobus teſtatur 29. 16. ſe cauſam, quam non cognovit, perſcrutatum eſſe. Quamobrem videmus, laudē principis non in eo verſari, ut otio ſe dedat, & hujus mundi deliciis ſtudeat, (quod pleriſque perſuaſum eſt;) ſed poſt veritatis cœleſtis inquiſitionem Deut. 17. 18. 19. ut operam juri dicundo, & cauſarum cognitioni ſtrenuam navet.

Oportere animum regis ad res indagandum benè cōparari, metaphora oſtendit tracta à rebus corporeis, quæ magnas habent dimenſiones. Sicut enim magna vaſa multum liquoris continere poſſunt: ſic debet animus ſapientis magnæ, variæque ſcientiæ capax eſſe, & plenus. Quod porro paribus illuſtratur, cælorum altitudine, profunditate terræ. In hoc ſenſu dicitur Salomon lato corde fuiſſe, 1. Reg. 4. 29. Sicut è contra ſapientia expers defectus corde paſſim appellatur. Hinc igitur illud liquet, principatus, & magiſtratus non alios dignitate cohoneſtari oportere, quam ea intelligentia præditos, ut poſſint res obſcuras intelligere; & veritatem, utcunque in fundo latentem, expiſcari. Et quidem, cum, à pietate, & timore Dei diſceſſeris, nihil eſt tam in Magiſtratu expetendum, quam earum rerum cognitio, quibus Reſp. continetur.

Verſ. 3. Auferendo ſcorias ab argento utique prodit conflatori vas.

v. 4. Auferendo improbum coram rege utique ſtabilietur juſtitia ſolium ejus.

Scopus eſt, præmio propoſito, principes, & magiſtratus ad improborum exſtirpationem exſtimulare.

Quamvis improbi ita ſint in hoc mundo piis permiſti, ut ad diem uſque judicii generalis penitus ſejungi nequeant, Deus tamen illos diſcernendi, & ab invicem ſeponendi ſtudium plurimum ſuis commendat: miniſtris, ut verbi prædicatione, & diſciplinæ Eccleſiaſticę cenſuris, tanquam ventilabro diſcutiant; magiſtra-

giſtratibus, ut gladio hos ab illis dividant. Videtur hoc cum illo pugnare, quod habetur Matth. 13. 28. &c. in parabola de zizaniis. Sed facile conciliantur hæc loca. Ibi enim de hypocritis ſermo eſt, hic de apertè flagitioſis.

Propheta duabus hoc in loco rationibus utitur, quibus homines, cum primis principes, ad hoc opus excitet. Prior, & illa quidem obſcurius ſubindicata eſt ab adj. incommodo ex improborum cum piis commiſtione; quia nullus hinc honor, nulla major utilitas ad principem redit. Quod par. comparatione illuſtratur. Sicut enim conflatori, niſi ſcoriis ab auro ſeparatis, vas non prodit, quod illi honori, aut magnæ utilitati ſit: ita nec regi ex ſuis ſubditis, quamdiu in Reip. area cum frumento bonorum palea improborum commiſcetur, ullus honos provenit, aut ſolida utilitas. Contra vero ſicut argentum, ſcoriis ademptis, in ſe ſplendidum, & purum eſt; & conflatori ad quoſlibet uſus utile: ſic, impiis iuſta ſeveritate è medio ſublatis, reliqui vivunt fœlicius, & fidelius regi obtemperant. Neque enim novum eſt, paucos improbos totis gentibus periculum, & damnum creare. Sic Ioſh. 7. Achanis impietas in cauſa fuit, cur Iſraelitæ contra Ai civitatulam infœliciter pugnarunt. Ita propter ſanguinolentæ Saulis familiæ reliquias totum regnũ fame oppreſſum; illa autem exciſa, omnium rerum copia cumulatum fuit.

Secunda ratio ducitur ab adj. regni quæ hinc naſcitur, ſtabilitate. Vnde Salomon 2. Chron. 1. 1. dicitur in regno fuiſſe confirmatus, poſtquam Adonijam fratrem, Ioabem exercitus ducem, & Shemei morte affecerat. Qui enim conſcientia officii in obſequio non continentur illorum facilis eſt à principibus ſuis defectio, ubi aut commodi ſpes affulget, aut incommodi metus urget. Deinde ut ipſi maximè in officio perſtẽt, ſcelera tamen, quæ impune perpetrant, ipſa per ſe vindicem, & ultricem Dei manum accerſunt. Nam cum verbis improborum Reſpub. evertitur Prov. 11. 11. multo magis factis eorundem ſceleratis.

Huc accedit, quod impunitate argentum ipſum in ſcorias convertitur Iſai. 1. 22. dum pietatem etiam profeſſi, innatæ corruptioni laxato frœno, & exemplorum, invitationumque impiorum calcaribus ſubditis, in vitia præcipites ruunt. Neque enim vepribus, & herbis noxiis ager magis, quam vitiis Reſpub. oppletur; niſi, ut ibi agricolæ, quæ ſegeti nocent extirpantis, hinc magiſtratus flagitioſos punientis cura accedat, & diligẽtia.

Impiorum autem à piis non morte ſolummodo ſeparatio fit, ſed aliis etiã ſuppliciis, illis pro ratione delictorũ impoſitis, puta flagris, carcere, ignominia, &c.

Cum autem improbi, ubicunque fuerint, coercendi ſunt, multo minus impune frui debent regis præſentia; & quibus nullus regni angulus, in quo deliteſcant, concedendus eſt; multo minus in aula regis fovendi ſunt. Vide Pſal. 101.

Verſ. 6. Ne *arrogato tibi decorem coram rege; & in loco magnatum ne ſtato.*

v. 7. Nam melius eſt, dicere tibi magiſtrum aulæ; aſcende huc, quam ut te deprimat coram ingenuo, quem viderunt oculi tui.

Scopus eſt ad modeſtiam excitare, hinc honoris præmio, illinc ignominiæ pœna propoſitis.

Nemo ſeipſum efferre debet, ſed placide exſpectandũ eſt, quoad Deus, quaſi

manu è cœlis porrectâ illum efferat, Pſal. 75.5,6,7,8. Nec enim, qui ſe extulerit, ſed qui à Deo extollitur, honore dignus eſt. Hinc Adonijæ perpetua ignominiæ nota inuſta eſt, quod ſe ipſe exaltaverit, 1.Reg.1. tametſi non deerant argumenta ſatis ſpecioſa, quibus ambitionē ſuam tegere potuiſſet. Ejuſdē generis eſt, quod de Amaſia legimus 2. Chron. 25. & de Vzzia 2.Chron.26. quorum animis elatorum ille regem Iſraëlis, à quo victus, & captus eſt, ad pugnam provocavit; hic, quod ſacerdotum erat, ſibi arrogans, lepra à Deo percuſſus eſt. Quamobrē cum tam periculoſa ſit animi elatio, & arrogantia, quæ non aliunde fere, quàm à rerum affluentia, & ſecundo in rebus gerendis ventu (ſicut in Amaz. & Vzzia videmus) ortum habent, ſummopere nobis cavendum eſt, ne rebus ex animo fluentibus ita efferamur, ut in exitium dejiciamur. Quin modeſtiſſimum Chriſti exemplum nobis ob oculos verſetur, qui, cum omni honore, & gloria digniſſimus eſſet, ſibi tamen honorem non arrogavit, ſed patris vocationem exſpectavit, Heb.5.5.

Siquis excipiat, Deū non ſolere nunc dierum voce cœlitus miſſa homines ad munera in Eccleſia, aut Repub. promovere: reſpondeo, pro Dei voce habendam eſſe, quæ ab illis editur, quibus ille honorum, & munerum deferendorum curam demandavit.

Quod ſi inſiſtat quis, jacere eos, & præteriri, qui honores, & dignitates non prēſant: reſpondeo, Deum multos nihil tale vel per ſomnium cogitantes ad magnum honoris faſtigium evexiſſe; ut in Gedeone frumentum in area triturante, in Davide patris oves paſcente, in Eliſha agrum colente, atque etiam in impio Saule aſinos patris amiſſos quærente experti ſumus. Quinetiam nonnunquā infenſiſſima hoſtium operâ utitur Deus ad ſuos honoribus cumulandos, ut in Mordecajo, & Hamane perſpicitur.

Quod dicit, coram rege illud non eſſe faciendum, non eſt ita intelligendum, ac ſi coram aliis facere permitteret. (Apoſt. enim ad Philip.3. hortatur, ut alios quoſvis nobis ipſis excellentiores ducamus;) ſed quod arrogantia ubique turpis coram rege ſit turpiſſima; cujus reprehenſio graviorē, quā plebeji hominis, ignominiæ notam imprimit. Ad eundē modum cap. 23. monet Salomon, ne ad principis menſam quis adhibitus omnibus cupediis manum admoveat. Quod ſi turpe ſit coram rege terreno decorem arrogare, quanto magis coram rege regum hoc facere indignum erit: qui, cum altiſſimus ſit, ſubmiſſum tamen aſpicit, ſed ſuperbum procul agnoſcit Pſal. 138.6? ubi notanda eſt, & abominanda Pontificiorum ſuperbia, qui ſuis operibus ſe ſalutem promereri dictitant.

Hujus arrogantiæ effectum unum, ex quo reliquos ſynecdochice intelligit, attexit; nempe arrogare ſibi locum magnatum, ſeu amplum aliquod in aula principis munus; & in id ſponte ſe & non vocatum inferre. Quo vitio Phariſæos laboraſſe, narrat Chriſtus, qui primas ſedes in ſynagogis, primos accubitus in menſa, & in foro ſalutationes ambiebant, Luc. 20.46. Hinc etiam periculoſæ olim, graviſſimæque in Eccleſia contentiones ortæ ſunt, dum pro prima ſede Epiſcopus Romanus, Conſtantinop. Antioch, & Alexandrinus inter ſe dimicarunt. Pro qua etiam hodie Romanus tot ſtrages, & tam cruentas cædes edit.

Ratio adhortationis eſt à compar. maj. quia plus honoris aſſequitur, cui rex, ut aſcendat, & locum honorabiliorem capeſſat, mandaverit; quā ſi in locum ſublimiorē ſe ultro ingerentem ad infimum deturbaverit. Non quod parum interſit, inter ſui elationem, & depreſſionem, ac ſi

ac ſi duo eſſent mala, quorum hoc illo minus ſit, cum hoc ſumme honorficum ſit, illud ignominiæ plenum. Aliquando enim inter ea comparatio inſtituitur, quæ longiſſimo intervallo diſtinguuntur. Vnde frivolum eſſe conſtat, quod nonnulli adverſus matrimonium argutantur, qui inde dignitatem ejus elevare volunt, quia 1. Cor. 7. 9. melius eſſe dicitur uxorem ducere, quam uri; quaſi conjugium minus eſſet malum, non res in ſe honorifica.

Deinde utrumq; amplificat, cum decus ex ſui depreſſione, tum ex ſui elatione dedecus ab adj. regis aſpectu; in cujus præſentia (ſicut Chriſtus, qui hoc Proverbium Luc. 14. 10. convivis accommodat, apertiſſimè demonſtrat) aut honor ſubmiſſo habebitur, aut ſuperbus ignominia afficietur. Nam quod quidam exiſtimant, hæc ad illud, quod quisque expertus eſt referenda eſſe, videtur non cõvenire; quia multi poſſunt ad hunc lapidem impingere, qui nunquam prius experti ſunt.

Quod ſi coram rege terreno humiles eſſe oportet, multo magis coram rege cœleſti; & ſi inter convivas, multo magis inter ſanctos, atq; etiam Angelos in conventibus ſacris.

Verſ. 8. Ne egrediaris ad litem feſtinanter. Vide, quid ſis facturus in extremo ejus, cum ignominia afficiet te proximus tuus.

v. 9. Litiga litem tuam cum proximo tuo; & arcanum alterius ne retegas.

v. 10. Ne forte probro te afficiat audiens; & imfamia tua non avertatur.

Scopus eſt à litibus, propoſitis litigandi incommodis, deterritos ad placidam, & Chriſtianam controverſiarum deciſionem adhortari.

Cum non egrediendum eſſe docet ad litem diſceptandum, indicat non intra privatos parietes jus dicendum eſſe, ſed in loco aliquo publico ad id negotij deſtinato. Sicut enim ſacramenta debito honore privantur, cum in privatis ædibus adminiſtrantur: ſic dignitati juris, cũ privatim dicitur, plurimum detrahitur.

Quod dicit, non eſſe מהר exeùndum, non ſimpliciter, & præciſe vetat cauſam foris diſceptare; ſed temere, & inconſiderate illud facere. Temere autem fit primo, cum levi de cauſa lis movetur. Vbi graviter ab eis peccatur, qui vel ob pauculos nummos, aut pratum unius animalis pede calcatum ſtatim ad jus proſiliunt duplo plus & temporis, & pecuniæ inſumentes, quam res ipſa, quæ in judicium adducitur, ſi obtineant, compenſabit. Sive igitur vincant, ſeu vincantur; ſemper jacturam faciunt. De quibus vere enunciari poteſt, quod Propheta improbis attribuit; *eos bello oblectari,* Pſal. 68. 30. cum pij contrà filiorum pacis appellatione inſigniantur. Deinde, tametſi gravis cauſa ſit, temerè tamen jure experitur, qui non prius cauſam penitùs cognitam habet, omneſque ejus latebras, receſſus, ſtrophas, mæãdros, & anfractus perſcrutatus eſt, & quis exitus ex jure futurus eſt, proſpexit. Quod aperte Propheta indicat, cum videndum eſſe monet, quis finis rei diſceptandæ futurus ſit. Studium enim contendendi ita homines plerunque præcipites agit, ut ad controverſiæ finem, & exitum oculi caligent; dum veritatis, & bonitatis cauſæ umbra, & ſpecie commoti ilico, viſceribus cauſæ minime inſpectis, ad tribunal judicis advolant. Denique prætereundum non eſt, tantam eſſe poſſe rei difficultatem, aut judicis corruptelam, ut veritatem patefacere

aut nequeat, aut nolit. Hęc omnia niſi cogitentur, temerè cum proximo litigatur.

Ab hac temeritate dehortatur ab adjuncta pœna ignominiæ, qua reus temerarium actorem afficiet. Docet enim præter temporis, & pecuniæ jacturam, infamiæ notam illi inuſtam iri. Quod tum vel maximè evenit, cum actor, crimine aliquo alteri intentato, ſi non probaret, eadem pœna plectendus erat, quam proximus, ſi reus peractus fuiſſet, pertuliſſet, Deut. 19. 19.

Verſ. 8. Ex his concludit, tamquam à cauſa ad effect. oportere hominem, ſi quidem lis illi ſuſcipienda ſit (à qua tamen nos longiſſimè abeſſe vult,) ſed ſi ſuſcipienda ſit, privatim cum proximo diſceptare, & ex æquo, & bono rem dirimere, aut amicorum arbitrio permittere, Matth. 5. 25. Luc. 12. 58.

In diſceptatione cautionem proponit, ne alteruter (quod fieri ſolet) arcanum à quoquam concreditum, maximè ab eo, quocum litigat, retegat, aut rem aliquam occultandam effutiat, tametſi cauſam ſuam promovere poſſet. Pleriſque enim lites agitantibus ſolenne eſt à re propoſita exſpatiari, & crimina invicem, ſiqua ab ipſis, vel etiam majoribus admiſſa ſint, exprobrare. Quod non eſt controverſias dirimere, ſed litem ex lite ſerere, & incendium quaſi iniectis ſarmentis fovere. Sũma huc redit in privata litis diſceptatione non minorem æquitatis, & officij rationem habendam eſſe, quàm ſi publicè in foro cauſa ageretur.

Verſ. 9. Priorem adhortationem urget ab adjuncta pœna, quæ in refractarios redundabit; infamia ſcilicet, quam ab adjuncta perpetuitate amplificat, ut pote quæ nunquam auferetur. Feſtinabundus igitur ad litẽ egreſſus medicina eſt morbo ipſo longè deterior; dum rem tuam recuperandi ſtudio famam bonam, quæ divitiis melior eſt, amittas; ſitque damnũ, quod in re familiari accepiſti, ejus generis, quod compenſari potuit, fama vero jactura immedicabilis.

Verſ. 11. Mala auri cum cælaturis argenti eſt verbum dictum ſecundum ſuos modos.

V. 12. Inauris auri & ornamentum inſignis auri eſt, ſapiens reprehenſor apud aurem audientem.

In דבר (*verbum*) eſt ſynecd. partis pro ſententia, vel oratione; aut ſpeciei potius, ubi ſententia ex unico vocabulo conſtans (ſicut nonnunquam fit in affirmandi, & negandi particulis) pro qualibet uſurpatur.

Scopus eſt hominum ſtudium linguam formandi, recteque inſtituendi exacuere.

Sicut in perperam dictis plerique parum aut nihil momenti conſtituunt ad Deum irritandum; ſed in ventum, & fumum abire exiſtimant, nec ullam poſt ſe impreſſionem relinquere: ſic commode, & opportunè dictis nihil fere bonitatis ineſſe credunt. Quæ opinio, dum animis inſideat, eos ad linguas ſuas recte, & ſapienter dictis aſſuefaciendum languidos, & flaccidos reddat, neceſſe eſt. Chriſtus utrunque errorem refellit, Matth. 12. 37. poſteriorem Salomon in hiſce duobus verſibus.

Verbum ſecundum ſuos modos, ſeu commodè dictum nihil aliud eſt, quam ſententia in ſe bona, obſervatis locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiis, prolata. Duo igitur ſunt, quæ ſententiæ gratiam, & dignitatem conciliant; primo ſi vera, & concinna fuerit (falſa enim, & inepta, nulla unquam circumſtantiarum obſervatione bona evadet:) deinde ſi opportunè, & tempeſtivè ad loci, temporis, & per-

& perſonæ rationem accommodetur.

Excellentia hujus dicti comparatione par. illuſtratur, mali ſcilicet aurei, quod per ſe elegans cælaturis argenteis propter & coloris varietatem, & auctum ex hac quaſi umbra ſplendorem ornatius redditur. Hic igitur ſententiæ bonitas & rectitudo cum malo aureo confertur; prudens verò, & opportuna accommodatio cælaturis, & veluti clathris argenteis. Hujus doctrinæ, quoad perſonarum circumſtantiam, eximium exemplum eſt, 1. Cor. 9. 20, 21, 22, 23. loci Act. 17. 23, 24, &c. (ubi Paulus Athenis agens ex inſcriptione altaris, & ſuorum Poëtatum ſcriptis occaſionem arripuit Athenienſes ſcripturarum authoritatis ignaros in veritate, informandi. Ubi etiam Chriſti mentionem faciens deitatem ejus reticet, & hominem eſſe affirmat (quia myſterium Trinitatis illos ludibrio habituros non ignorabat;) temporis verò 1. Sam. 25. 37. & 2. Sam. 14. 12. Cum enim Joab, Davidem Abshalonis filij deſiderio teneri, obſervaſſet, tum demum prudentem mulierem ſubornavit, quæ cauſam ejus apud patrem ageret. Quanti momenti ſit commodè dictum, ex ejus adverſo etiam colligi poteſt 2. Sam. 20. 1. 2.

Quod ſi humani ſermonis tempeſtivè prolati tanta vis, & dignitas ſit, quantam eſſe arbitrabimur verbi divini, cum prudenter, & opportunè accommodatur? Vide Iob. 33. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. &c.

Verſ. 11. In verſu undecimo ſuperioris theſeos hypotheſis ſubjicitur; juſta ſcilicet reprehenſio, quæ, obſervatâ perſonæ circumſtantia, non irriſori, ſed aurem habenti ad audiendum circumciſam, & perforatam accommodatur. Reprehenſionis autem ob eam cauſam meminit Propheta, quia, cum ex omnibus ſermonum generibus nullum minoris ab hominibus æſtimetur, nullum tamen ſit, quod pluris fieri oportebat. Hanc igitur (quæ alibi prætioſi, & fragrantis ungenti comparatione illuſtratur) Pſal. 141. 5. 6. Propheta hoc in loco gemmæ, non cuivis, ſed inauri aptiſſimè aſſimilat, aurem, quæ ad reprehenſionem admittendum facilis, & prompta eſt, plus decoris habere indicans, quàm quæ inauribus, quamlibet pretioſis exornatur.

V. 13. *Vt frigus nivis in die meſſis eſt nuncius fidelis mittentibus eum; ut qui animam dominorum ſuorum reſtituit.*

In יום (*die*) eſt ſynecd. ſpec. pro tempore. In משיב נפש (*animum reſtituit*) eſt metaph. Qui enim triſtem exhilarat, mortuum quodammodo vitæ reſtituit.

Scopus eſt admonere, non niſi probatæ fidei homines ad legationes, & majoris momenti nuncia adhibendos eſſe.

Cum ſervi in negotiis levioribus fidelitas non parvi ducenda ſit, tum in gravioribus longè maximi: & cum laudabile ſit domeſtica negotia, domino conſulente, & inſpiciente, rectè adminiſtrare; tum procul à conſpectu ejus officio rectè fungi ſingularis eſt prudentiæ, & fidelitatis. Quãobrem legationibus præficiendus eſt, non quivis, ſed qui fidelem ſe preſtiturus eſt in celeriter eundo, redeundo, rem, quæ fidei ejus commiſſa eſt, conficiendo, &, prout geſta eſt, referendo; deinde prudentem legationem plenè percipiendo; via, & ratione in illa obeunda progrediendo, & verbis idoneis, quod fecerit, exponendo. Qui talis eſt, eum a quo miſſus eſt, mirifice recreat, dum animum deſiderio de ſucceſſu audiendi æſtuantem læto nuncio refrigerat quaſi, & refocillat. Quis enim dubitare poteſt, quin Eleazarus Abrahami ſervus negotiis ex animi

ſententia confectis, domum rediens herum, & herilem præſertim filium (cujus anxietas, avidaque exſpectatio inde colligi poteſt, quod ſub veſperam reditum ejus exſpectatum prodeambulabat) magna ſolicitudine liberaverit, & maximo gaudio perfuderit. Contrà dici non poteſt, quanta animi inquietudine cruciatus fuerit Iehoramus, cum legatus unus, atq; etiam alter ad Iehu miſſus non redibat. Nam domini animus cum legato quaſi egreſſus per totum legationis tempus eũ comitatur, & tum demum ad ſe revertitur, cum ille domum redit.

Præſtantia fidelis nuncij compar. par. illuſtratur. Ad cujus pleniorem intelligentiam notandum eſt, in terra Canaan (unde hæc comparatio ducitur) proprius æquatorem ſita multo magis, quàm apud nos, calorem vigere. Unde meſſis fit maturior & labores, qui etiam nobis propter & magnitudinem ſuam, & caloris vehementiam graves ſunt, moleſtiores. Quãobrem nix, quam in hyeme collectam in ſubterraneis caveis ad vinum in æſtate diluendum, & refrigerandum aſſervabant, non poterat eſſe meſſoribus præſertim non gratiſſima.

Siquis excipiat verum hoc eſſe de nũcio læto, ſed triſtem dolore animum non levare, ſed onerare; reſpondeo, nihil cauſæ eſſe, quo minus triſtiſſima afferens, modo fideliter ſe, & prudenter in legatione obeunda geſſerit, gratus, & acceptus ſit. Nam qui eum legavit, periculi admonitus facilius viam inibit, quâ ingruenti malo occurrat. Deinde cum ex triſti quem refert, nuncio ipſe dolore afficitur, indignum eſt ei triſtitiam ex triſtitia addere.

Quod ſi in rebus ad hanc vitam ſpectantibus fidelis nuncius tanti ſit quanti demum in rebus cœleſtibus eſſe debet? Iob. 33. 23. Ubi mirari ſatis nequeas quamplurimorum hominum vecordiam, qui de his rebus nuncium aut nullum deſiderant, aut infidelem. Iſai. 30. 10.

V. 14. *Nubes, & ventus, cum non ſit pluvia, ſunt vir, qui ſe jactat de dono falſo.*

Scopus eſt eorum vanitatem coarguere, qui, cum avari ſint, id agunt tamen, ut liberales videantur.

Tenaces, & avari omnibus jure inviſi, & odioſi ſunt; ut qui ſibi ſolum vivunt, nec ullo ſocietatem humanam conſervãdi, aut promovendi ſtudio ducuntur. Nec ineptè cum majalibus conferuntur, qui nunquam, niſi interfecti hominibus prodeſſe ſolent. Sed qui, cum avidiſſimi ſint, de ſua liberalitate ſe oſtentant, majore adhuc odio digni ſunt. Avaritiæ enim ſatis per ſe infami verborum vanitatem, & falſitatem adjiciunt; & ſpecioſo hoc operculo fœdiſſimum vitium obtegentes hypocriſis ſe, & ſuperbiæ reos conſtituunt. Eadem etiam eorum ratio eſt, qui, cum nihil eſt, ſpem tamen liberalitatis, & beneficentiæ aliis faciunt. Qui non incommode pharmacopolarum officinis conferuntur, quæ pyxidibus elegantiſſimè depictis abunde inſtructæ nihil aromatum, aut pulveris medicinalis intus concluſum habent. His annumerantur, qui ſuam liberalitatem ita collocant, ut ſuæ potius gloriolæ conſulant, quam aliorum neceſſitati. In quo genere ſunt, qui ſuas eleemoſynas oſtiatim ſolum conferunt (quo non verè pauperes, ſed deſidioſi errones convolant,) quas æquius eſt vel in diaconorum manibus deponi, aut ad pauperum tuguria mitti. Hic etiam notanda eſt vaniſſima, vel fraudulenta potius pontificiorum oſtentatio, qui in exſequiarum, indulgentiarum, miſſarum, & aliarum id genus nihili mercium ineffabilem beneficentiam polliciti, non ſpem pretio, ſed

fumum,

fumum, aut ſiquid vilius eſt, auro, & argento vendunt. Neque vero præcones verbi hac culpa vacant, qui pompæ, non ædificationi ſtudent; quique id magis agunt, ut ipſi eruditi audiant, quam ut populus in iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſolidè erudiantur. Iud. 12. verſ. Denique hypocritæ omnes hic damnantur, qui magnam ſpem præbentes, ſe Eccleſiæ utiles futuros eſſe, tamen non modo ſimulata pietatis ſpecie nihil proſunt, ſed & vitiis diſſimulatis plurimum nocent.

Verſ. 15. Longanimitate pellicitur ductor: & lingua mollis frangit oſſa virûm.

In poſteriore parte eſt allegoria continua.

Scopus eſt ad patientiam ex præclaris ejus fructibus adhortari, prę ſertim ſi quid tibi rei ſit cum principe.

De longanimitatis virtute, & vi non ſemel jam dictum eſt. Hic illud modo diſpiciendum quid hoc Proverbium peculiare habet; ut, eo expedito, quod reliquum eſt, ab antegreſſis Proverbiis huic ſimilibus petatur. Quod autem hoc loco ſingulare eſt, ad ductorem refertur; ut cum longanimitas nuſquam non utilis ſit, tum erga principem, cujus inſtar rugitus leonis eſt, longè ſit utiliſſima.

Cum igitur principis ira, quæ gravis, & acerba ſolet eſſe, longanimitate flectitur, quin alterius cujuſquam excandeſcentiã placabit, dubitari certè non poteſt. Vide 1. Sam. 25. Matt. 18. 26. 27. Quinetiam improbiſſimos principes, qui nulla officij conſcientia ducuntur, ſæpe mollit. 1. Sam. 24. 8. 9. 10. &c. Tanto autem magis principes hæc virtus commovet, quod raro ab aliis læſi, & ſi forte lædantur, non mitioribus verbis rem agentes, ſed ad vindictam ſtatim proſilientes uſum ejus parum norunt.

Hoc, & ſimilibus Proverbiis error ille, qui multorum animis penitus inſidet, refellitur; eſſe nimirum viã ad pacem cum primis compendioſam, ſiquis cum lupis ululet, malum pro malo, maledictum pro maledicto retaliet. Vid. Pſal. 34. 13. 1. Pet. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Quod autem lingua mollis, & carnea (contrà quàm natura ferre videtur) iram duram, & oſſeam frangere dicatur, conſule, quæ annotantur. c. 15. verſ. 1.

Verſ. 16. Mel inveniſti? Comede ſufficientiam tuam; ne, ſi ſatieris tum evomas illud.

V. 17. *Pretioſum fac pedem tuum è domo amici tui, ne, ſi ſatur tui ſit, tum odio te habeat.*

In יקר (*pretioſum*) eſt metony. ſubj. pro eo, quod rarum eſt. In מבית (*è domo*) eſt ſynecd. partis egreſſus pro ingreſſu, & egreſſu ſimul.

Summa eſt, amicitiam ſemel initam omni cautione firmandam, & conſervandam eſſe.

Quantum, & quãm præſtans humanæ vitæ columen & ſolatium ſit fidelis amicitia, non eſt difficile cum communi experientia, tum ex iis, quæ priùs dicta ſunt, intellectu. Quanto vero excellit magis, & uſus ejus in humana vita latiùs patet, tanto æquius eſt, omnem operam, & ſtudium ponere, ut ſemel contracta quàm diutiſſimè permaneat. Utrunque in his verſibus proponitur: & primo quidem, quàm ſuavis & jucunda ſit amicitia, mellis, quo nihil dulcius eſt, comparatione illuſtratur. Itaque non minùs animo grata eſſe debet amicitia, quam appetitui mel; nec minus hæc ad animi ſolatium, quàm illud ad corporis alimentum, quærenda. Sed ſolicitè cavendum, ne, ſicut non-

nunquam.

nunquã mel immoderatè comedente regurgitãt, & ejus, quod tantoperè amârũt, faſtidio, & nauſea ducuntur; ſic tu nimis crebra, aut intempeſtiva ad amicum itatione, ut dulciſſ. ejus ſermonibus, & ſuaviſſ. conſuetudine fruaris, vel te ejus tædium, aut illum tui faſtidium capiat. Fieri enim poteſt, ut illi occupatiori, & rem familiarem ſedulo neceſſarioq́; procurãti obſtrepens offenſioni ſis: maximè ſi nullum modo ſumptu eum onerandi, & gravandi ſtatuas. Contrà vero, niſi amici inter ſe conſueſcant, diſſuuntur, & diſſolvuntur amicitiæ. Ideoque quamvis Salomon cavet, ne amico nimis crebra ad eum profectione ſatietatem tui, & faſtidium pares, adeundum tamen, & mutua conſuetudine fovendam, & firmandam eſſe amicitiam non obſcurè indicat, cum mel, licet non ad ſatietatem, ad ſufficientiam tamen comedendum monet.

Hinc perſpicitur, quàm eſt Dei erga nos amicitia hominum amicitiis præferenda. Sic enim placet clementiſſimo benigniſſimoque patri nobis fores amicitiæ patefacere, & ſe nobis tam familiari amoris vinculo conjungere, ut illum aſſiduè adeundi copia ſit, eique tanto ſimus gratiores, quanto ſæpiùs cum illo orãtes colloquimur, aut in verbi prædicatione illum nos alloquentem audimus, aut in ſacramenti cœnæ participatione cum illo cibum capimus.

Quod autem de mellita amicitia cum hominibus dicitur, id ad alias omnes hujus vitæ oblectationes ritè traduci poteſt. Quo ſpectat illud 1. Cor. 7. 29, 30, 31. & quod Proverbio jactatur; *nequid nimis*.

V. 18. *Sicut gladius, & ſagitta acuta eſt vir teſtans contra proximũ ſuum teſtimonium falſum.*

Scopus eſt linguæ perverſum uſum omnibus inviſum reddere. Vide ſupra cap. 12. v. 18.

Lingua à Deo juſtituta eſt, ut ſauciorum vulnera obliget, ut languentibus medeatur, ut ærumnis, & mœrore æſtuantes recreet. Unde arbori vitæ, & aquarum ſcaturigini, & medicinæ comparatur. Grave igitur peccatum eſt, linguam ita ab inſtituto fine diverti, ut nihil eorum, quorum cauſa condita, & hominibus conceſſa eſt, præſtet: ſed contrà ſauciare, configere, tranſverberare, contundere prodigioſum, & monſtri ſimile eſt.

In hoc Proverbio Propheta ſibi duo proponit; primo ut lingua abutentem, cognita ſceleris atrocitate, deterreat. (Plerique enim omnes ad hoc ſcelus patrandũ aſſiliunt, dum leviuſculum putant verbo tantum vulnerare;) deinde ut homines adverſus linguæ peſtem cautos reddat. Nam & in iſtam partem multi ſæpe peccant, dum adverſarios exarmatos, & viribus exutos nihil amplius (ſi maxime vellent) poſſe arbitrantur.

Plagam porro, ſeu aculeum linguæ lethalem, & penè immedicabilem deſignat, dum non contentus cum armis illam acutiſſimis comparare, quibus transfiguntur homines, illis etiam confert, quibus quaſſantur, & contunduntur. Quorum cum alterutrum ſeparatim ægrè feratur, tum utrunque conjunctim multo difficilius curationem admittunt. Si ergo honori tibi ſit hominem nunquam male de te meritũ gladio confodere, ſagittis præcordia configere, & malleo cerebrum diſpergere; perinde tibi reformidandum erit, ne falſis criminationibus, fictiſq́; calumniis illum graves. Et ſi tibi curæ ſit, nequis gladio te punctim feriat, ſagitta tranſverberet, aut marculo caput contundat; à calumniatore ſimiliter cavendum erit. Vide 1. Samuel. 22. & 1. Reg. 21.

V. 19. *Dens fractus, & pes lu-*

xatus

xatus eſt fiducia perfidioſi in die anguſtiæ.

In ביום (*in die*) eſt ſynecd. partis.

Summa eſt, circumſpiciendum eſſe ut in fœderibus ineundis, contrahendiſque amicitiis delectum habeamus; & , pacto fœdere, fidem noſtram liberemus.

Ad ſanctam, & quietam hujus vitæ ſocietatem plurimum momenti habent fœdera, & amicitiæ,modo rite,& prudenter contractæ fuerint:ſicut è contra non leve periculum, atque etiam damnum iis adferunt, qui in illis pangendis parùm oculati, & experrecti ſunt. Cumque unius generis non ſint,qui hac in re delinquunt, tum illi omnium perniciociſſimi, qui fidem datam de induſtria fallentes fœderatos, & amicos ſuos, cum maximè opus eſt, deſerunt. Hos Propheta duobus par. graphicè deſcribit; dente fracto, cum cibus mandandus; & pede luxato, quando iter ſuſcipiendum eſt, quæ ambo non modo ad ea, quibus deſtituantur, perficienda non proſunt, ſed obſunt plurimum. Nam dens fractus non tantum cibum non atterit, ſed porro concavus, & ſinuoſus cibum infixum retinet, atque etiam præ doloris magnitudine non raro hominem à cibo ſumendo ita cohibet, ut, avulſo illo, gingivæ ad cibum comminuendum multo eſſent aptiores. Sic etiam de pede luxato ſentiendum. Præſtiterit enim iter facturum, pede præſciſſo, ligneo ſtatumine niti, quàm luxato uti, qui etiam quieſcentem graviter cruciat. Hæc doctrina alia comparatione admodum concinna illuſtratur, Job. 6. 15, 16, 17, 18, 19, 20. Ubi hoc hominum genus torrentibus comparatur in hyeme, cum nihil illis opus eſt, aquis redundantibus, in æſtate vero nihil habentibus,quo viatorũ ſitis reſtinguatur. Hujus rei egregium exemplum eſt, 2. Reg. 16. 7: & Iſai. 7. 20. Contrà eximium illud dictum eſt Iehoshaphati, quo docetur, quæ ſint partes fœderatorum, & amicorum, 1. Reg. 22. 4: & 2. Reg. 3. 7.

Hinc liquet, in amicitia contrahenda, pangendiſque fœderibus delectum eſſe habendum. Ubi præcipuè in iis, quibus noſmet adjuncturi ſumus, religio, & timor Dei ſpectandus qui unus fœdera firma reddit, Iob. 6. 14. Deinde invocandus eſt Deus,ut ille nos in amicorum delectu dirigere velit. Alioqui enim facilè nobis imponet ſimulata hominum pietas; ſicut Davidi accidiſſe legimus Pſalm. 55. 13, 14, 15. Neque vero in amicitiis ineundis Deus ſolùm invocandus, ſed porro ſupplicandus, ut initas confirmare velit. Deus enim eſt, qui à nobis amicorum animos abalienat, Pſal. 88. 8. & ſæpe in lament. Ierem. Denique prudentia adhibenda eſt,ut, priuſquam fiduciâ in quẽquam recumbamus, fidem ejus experiamur.

V. 20. *Veſtiens veſto in die frigoris, & acetum affuſum nitro: ſic eſt, qui canit cantiones apud animum malè affectum.*

In שרבשרים (*canit cantiones*) eſt ſynecdochè partis pro muſica, cujus præcipua pars eſt cantio.

Scopus eſt rectum muſicis uſum commonſtrare.

Muſicæ uſus multiplex eſt. Nam & laudibus Dei concinendis adhibetur, & humanæ vitæ ſolatium ſuppeditat. In humana vita, quamvis interdum ad auctiorem lætitiam comparari,& accommodari ſolet Ec. 2. 8. præcipuè tamen doloribus mitigandis inſervit. Quemadmodum enim Prove. 31. vinum non tam regibus, quàm mæſtis animo, ſic muſica non tam gaudio exultãtibus, quã mœrore cõfectis

utilis, & commoda eſt. Atque ut vinum palati, ſic muſica auris miniſterio ad animum triſtem lætitiam tranſmittit. Eximia hujus rei exempla ſunt. 1. Sam. 16. 23. & 2. Reg. 3. 15.

Ex his liquet, falli illos, qui ex multiplici in papatu muſicæ abuſu aut uſum ejus damnant, aut dignitatem elevant. Quanquam & illud tenendum eſt, tempus eſſe, cum muſicam ad mitigandum dolorem adhibere intempeſtivum erit, ut cum Deus ad luctum, & lamenta, ſeu publica, ſeu privata invitat. Tunc enim, ſummotis, quæ dolorem pellunt, illa potiùs conquirenda ſunt, quę triſtitiam promoveant. Deinde tunc etiam, cum hilaria aguntur, cavendum ne muſica deliniti liberaliùs æquo bibamus; ſicut factum legimus Iſai. 5. 11. 12. Amoſ. 6. 5. 6.

Muſicæ vis in fugando mœrore animi duplice pari illuſtratur, veſte, & nitro. Sicut enim veſtis frigus diſpellit; ſic muſica mœrorem: & ut nitrum aceto; ſic dolor muſica diſſolvitur.

Quæ quidem vis ut, quanta eſt, appareat, doloris effectus animum arrodentis, ut tineæ veſtem arrodere ſolent, & lignum vermes, reputandus eſt. Cumque harmoniâ muſica animus tantoperè afficitur, videndum, ut ſubjectum liberale, & honeſtum ſit; alioqui in turpi, libidinoſa, aliave illicita materia verſetur, quin ſua contagione aures, & animos audientium inficiat, dubitari non poteſt. Unde Plato, mores civium ad muſicam; quæ uſurpatur, fingi, & formari, dixit.

Quod autem Apoſtolus monet, ut cum lugentibus lugeamus (quod huic interpretationi non videtur conſentire,) non pugnat cum hoc proverbio, aut hac ejus expoſitione. Poſſumus enim cum lugentibus lugere, & tamen modum in luctu non ſervantibus immodici doloris medelam præbere.

Verſ. 21. Si eſuriat oſor tuus, ciba eum pane, & ſi ſitiat, da ei bibendam aquam.

Verſ. 22. Nam prunas coacervabis ſuper cuput ejus, & Dominus rependet tibi.

In לחם (*pane*) & מים (*aqua*) eſt duplex ſynecd. partis; primo panis, & aqua pro quolibet alimento, deinde alimentum ponitur pro omni re neceſſaria, qua inimicus indiget, & tu abundas. על ראשו כהלים חתה (*prunas coacervabis ſuper caput ejus*) metaphoricum eſt pro purgatione, ſi ſanabilis fuerit; ſin minùs, conſumptione. Ignis enim duplicem pro varietate ſubjecti effectum habet, hunc quidem purgandi, ut aurum, argentum &c. illum verò abſumendi, ut paleam &c. In ראשו (*caput ejus*) etiam ſynecdoche partis eſt.

Summa eſt, inimicum amore non ficto ſimulatoque, ſed veræ charitatis fructibus abundante complectendum eſſe.

Hic conſideranda eſt { *Adhortatio,* / *ejus Confirmatio.* }

Quamplurimos homines Proverbium hoc peccati reos peragit. Quamvis enim Chriſtiani nominis titulo glorientur, huic tamen doctrinæ à Spir. Sancto propoſitæ ex diametro repugnant, dum, ſe vim vi repulſaturos, malum malo, odiũ odio, maledictum maledicto, maleficium maleficio compenſaturos, palàm profiteri non erubeſcant. Quinimo non deſunt monſtra hominum, qui, ſe pro uno maledicto, plagáve una duo, aut plura retribuere velle, audacter, & intrepide pronunciant veriti, ne, niſi hoc facerent, diaboli ſe filios eſſe, non ſatis abunde comprobarent. Quid, quod nonnulli pro plaga in

ga in pede lethale in capite, aut corde vulnus; & (quod adhuc inhumanum magis, & barbarum eſt) pro cane baculo, aut virga cæſo mortem ipſam plenis buccis comminantur? Sunt etiam, qui vindictam à Chriſtiani hominis officio abhorrere non ignorantes, ulciſcendi animum exuunt; ſed oſori ut benefaciant, in animum inducere non poſſunt. Sunt denique, qui, ſe non tantùm injurias adverſariis remittere, ſed porro ex animo illis bene precari, dictitant; quod tamen re, & factis hoc eſt officiis ſinceræ charitatis teſtatum facere nolunt. Dicent forſan ſe animabus eorum bene velle: &, ut cœlo fruantur, exoptare. Sed miſeri homines, ſe ſibi imponere, non vident. Quomodo enim æternam eorum ſalutem deſiderant, quorum momentaneã vitam tueri nolunt? Quin potius exiſtimandum eſt, illos, inimicorum non tam in cœlum migrationem, quam terræ deſertionem; nec tam, ut æternâ vitâ potiantur, optare, quam ut præſenti priventur. Quod quid aliud eſt, quam homicidium?

Niſi igitur oſori, quibus illi tùm ad præſentem, tùm ad futuram vitam opus eſt, quantum poſſis, & quoad uſus ferat, largiaris, oſor, & ultor, & proinde fratris, & proximi tui homicida eſſe coargueris.

Aquam præberi jubet ex more illius regionis, ubi plerunque aquam bibere conſueverunt. Sed ex aqua (ſicut dictum eſt) vinum, & ſiquid vino generoſius eſt, intelligitur. Neque ſemel, aut bis, aut uno genere beneficentiæ, ſed cumulate, & variè hoc faciendum eſſe, docet illa prunas coacervandi metaphora.

Adhortatio ejuſmodi fuit. Quã porro, quia ab hominibus ægrè admittitur, præſtantiſſimis promiſſionibus munivit. Alterutrum enim eventurũ affirmat, ut cor ejus durum aut tanquam cera prunæ (vel potius prunis tanta copia accumulatis, ut ad verticem pertingant) admota, liqueſcat, aut tanquam lutum magis obduretur; ut vel inſtar auri purgetur, vel inſtar paleæ, & ſarmentorum conſumatur. Si prius obtinueris, primo fratrem lucraberis (quo quid majus, aut præſtabilius optari poteſt?) deinde ex inimico benevolum reddes, 1. Sam. 24: & 2. Regum 6. Quod ſi pergat ſuum in malitia animum obfirmare, hoc tamen boni hinc accipies, ut perſpecto, cognitoque ejus in te irreconciliabili odio, tanto diligentius tibi proſpicias.

Sed periit (dices,) quod in illum contuli beneficentiæ. Reſpondeo, Sp. Sanctum hanc objectionem occupare, cum Deum ſe ſponſorem exhibere dicat, fore, ut nihil inde tibi incommodi acciderit, quod ipſe in ſinum tuum non ſit cum auctario redditurus. Neque largitione in hoſtes hoc conſilio uti ut, ſi (quod præcipuè optandum eſt) non molleſcant eorum animi, obdurari pergãt, à chriſtiana charitate alienius eſt, quam à pii Miniſtri officio verbum Dei, ſi, ut odor vitæ ad vitam ſit, aſſequi nequeat; ut ſit odor mortis ad mortem promulgare.

Quomodo hæc pugnant cum Pontificiorum doctrina de conſiliis, Vide ſupra cap. 24. verſ. 29.

Verſ. 23. Cæcias pluviam gignit, & vultum indignabundum lingua ſimulantes.

In תחולל (*gignit,*) eſt metaph. ab animalibus parturientibus tranſlata ad ventum pluviam adducentem.

Summa eſt ſuſurrones, & detractores non audiendos eſſe, ſed potius coërcendos.

Proverbium apud nos tritum eſt, fures nullos fore, niſi eſſent, qui prædam

reſipiſcentiæ lachrymæ ex imo corde ebullientes ſordes expulerit, uſus ſit.

Verſ. 27. Comedere multum mellis non eſt bonum; & inveſtigatio gloriæ eorum non eſt gloria.

Summa eſt, ut tum noſtra, tum aliorum contempta gloriâ, uni Deo gloriam tribuamus.

Hic locus difficilis planè, & lubricus eſt. Vix enim reperias, qui, rebus præclarè geſtis, non, tanquam mercedem rectè factis debitam, laudem, & gloriam expetat. Perditæ ſanè, & deploratæ ſpei ſunt, qui in ſuis maleficiis, ebrietate, adulterio &c. exſultant; quorum pudere illos oportuit. Sed qui præclaris facinoribus gloriam quærit, modeſtiæ fines non videtur transgredi. Et quidem ſi ad rationis humanæ trutinam hæc expendamus, nihil hic à boni viri officio alienum eſſe deprehenditur. Sedulò igitur hic nobis excubiæ agendæ ſunt. Cum enim alia omnia peccata in re aliqua turpi verſari ſolent, hoc unum de inani gloria non niſi in rebus præclare geſtis occupatur.

Illud igitur nobis tenendum eſt, neque propriam nos, nec aliorum gloriam quærere oportere; ſed unius Dei, cui ſoli omnis laus, & gloria debetur. In optimis noſtris operibus aliqua carnis ſpurcities, quæ non gloriæ nobis, ſed pudori eſt, invenitur: quicquid autem boni eſt, id totum Deum authorem habet. Non eſt igitur (niſi Deo, & hominibus deridiculo eſſe volumus) de alienis plumis gloriandum. Sed, ſiquando gloriæ cupiditas animos titillet, corruptelam naturæ noſtræ intueamur, ut pavonum inſtar, quos Spiritus ex plumarum nitore ſumpſimus, ex pedum ſqualore ilicò remittamus.

Ratio, qua dehortatur à captanda gloria, ab adj. ſumitur; inhonorata ſcilicet ejus conditione, qui illam quærit, & affectatur. Docet enim, opinione tantùm, non reipſa honorem eſſe. 2. Cor. 10. 17. 18. Sed & μειώσει utitur Propheta. Neque enim inhonoratus tantùm erit, ſed vilis porro, & deſpicabilis, qui propriam gloriam aucupatur. Act. 12. 23. Unde tam ſolicitè caverunt, Ioſephus Gen. 41. & Daniel. 2. 28. ne gloria præcellentis futurorum prædictionis vel minima ex parte ſibi aſcriberetur.

Gloriæ aucupiũ pari illuſtratur. Quemadmodum enim, qui in melle comedendo modum non ſervat, nauſea ducitur, & morbo deinceps afficitur: ſic, qui, inanem gloriolam ſectatur, tandem non illam faſtidiet modò, ſed ſummum dedecus ſibi adſciſcet.

Videri poteſt, juſtam comparationem ita inſtituendam fuiſſe. Quemadmodum qui plurimum mellis comedit, damnum ſibi inde accerſit: ſic qui propriæ gloriæ plurimum ſtudet, ſibi periculum creat: ſed Sp. Sancto ſecus viſum eſt illam proponere, ut doceret, non exceſſum hic damnari, ſed nullatenus nobis fas eſſe noſtrã, aut cujuſquam mortalis gloriam quærere. Quæ nos doctrina ad humilitatem erudire debet, dum nobiſcum depravatam naturam noſtram reputemus, quę, utcunque Sp. Sancto ſubacta ſit, nunquam tamen Deo omnem ex aſſe gloriam tribuit, ſed aliquam ſibi, ſi non verbis, ſtudio tamen, & affectu retinet.

Verſ. 28. Civitas diſrupta abſque muro eſt vir, cui non eſt cohibitio in Spiritum ſuum.

In רוחו *(Spiritum)* eſt metony. effic. pro vitioſis affectibus.

Summa eſt, cohibendos eſſe pravos animi affectus, ne maximo noſtro malo erumpant.

Fieri

Fieri nequit, quamdiu hic vitam agimus, quin caro concupiſcat adverſus Spiritum Gal.5.17. Jacob.4.5. Quanquam igitur lex Moſaica jure à nobis exigat, ne concupiſcamus; Euangelium tamen, quod illa tantùm requirit, quæ renatus S. Sancti auxilio præſtare poteſt, non poſtulat, ut non concupiſcamus, ſeu ut nulla ſimus ad peccandum proclivitate, ſed ut carnis concupiſcentiam frænemus, ne in actum aliquem internum, aut externum erumpant. Atque hoc ipſum eſt, quod Propheta in hoc Proverbio ſpectare videtur.

Ut igitur hac tam ſalubri doctrina proficiamus, videndum primo, quibus vitiis maximè addicti ſimus. Quemadmodum enim nemo tam perditus, aut flagitioſus invenitur, quin ab aliquo vitio magis, quàm à cæteris, abhorreat: ſic nemo tantæ ſanctitatis eſt, quin ad unũ aliquod peccatum, quàm ad cætera propenſior ſit. Poſtquam verò nos ipſos excuſſerimus, tum vincula Spiritui noſtro injicienda ſunt, ne nos ad illud peccatũ, ad quod propendemus, ſolicitans præcipites agat. Quod ut diligentius faciamus, operæpretium eſt expendere, in quanto is, qui ſpiritui ſuo habenas laxat, periculo verſetur. Comparatur enim civitati diſruptæ, & ſine muro, quæ hoſtium incurſionibus undique expoſita eſt. Sicut igitur, ſi urbs muro deſtituatur, egredientur ſæpe, qui non debent; & ingredientur, qui exitium moliuntur; ſic viro, cui non eſt in ſuos affectus imperium multa excidunt, multa etiam animum ſubeunt, quæ interitum afferunt. Quamobrem demus operam, ut muro animos, & affectus cingamus; portas, & vectes timoris Dei præparemus; nec (cum nobis ſine induciis bellum ſit adverſus Diabolum, mundum, & carnem) ſimus illorum ſimiles, quos Danitæ ſecuros oppreſſerunt Iud 18.

Cum vero diſruptæ civitati aſſimilet, ſub innuere videtur, murum homini olim à Deo circunditum fuiſſe, qui peccato cõmunis parentis collapſus à piis omnibus inſtaurandus eſt. Vide quomodo Nehemiah. cap. 1. & Jerem. in lament. murum Ieroſolymę ſubverſum deflent, & lamentantur, deinde quam curam, ſumptum, & laborem Nehemiah adhibuit, ut civitatem muniret. Quæ ipſa in ſpiritualis muri ruinis multo magis præſtanda ſunt.

CAPUT XXVI.

Verſ. 1. Vt nix æſtati, & pluvia meſſi, ita non convenit honor ſtulto.

Summa eſt, in honoribus eccleſiaſticis, & civilibus diſtribuendis virtutis, & pietatis rationem habendam eſſe.

Propheta inter calamitates, quæ Reſp. & eccleſias infeſtant, non minimam eſſe indicat, cum gubernaculum hominibus ineptis, indigniſque committitur. Scitè admodum Eccleſ. 10.7. ſe vidiſſe, ait, ſervos magnificè equitantes, cum domini illis à pedibus eſſent. Itaque ex incommodorum, quæ hinc pullulant, obſervatione hoc proverbium (ſicut ex aliis obſervationibus alia) contexuit.

Nimis (proh dolor) uſitatum eſt in magiſtratibus Reipub. & eccleſiæ miniſtris deligendis cenſus, aut amicitiæ rationem habere potius, quam pietatis, & doctrinę, illius præſertim cujus ſubſidio munus ſibi demandatũ obeant, & exſequantur. Quo fit, ut Deorum loco idola in tribunalibus, & cathedris collocentur. Longè alia Iethronis ſententia fuit, qui vel Decurionem admitti voluit neminem, niſi fortitudine, timore Dei, integritate, aliiſque ad reipub. adminiſtrationem idoneis virtutibus inſtructum, Exod. 18.21.

Probat

Probat quod dicit, ab adjuncto incommodo, quod duobus par. amplificat. Prius eſt, monſtri ſimile eſſe, gravem aliquam calamitatem inſequuturam portendentis. Quemadmodum igitur nix in æſtate non modo frugibus incommoda eſſet, ſed & mali ominis: ſic eum, qui ſupplicio dignus eſt, honore maximo cumulari, præter damnum præſens gravius aliquid præſagit.

Poſterius eſt, non minus hinc incommodi, quàm ex pluvia in meſſe provenire; quæ totius anni fruges intercipiens famem, & ex fame peſtem attrahit. Eſt autem dictu difficile, quot, & quanta mala ex ſtulta Reip. & Eccleſiæ moderatione profluunt. Pij ſe abdunt, impij exſultant; moderatores ipſi deteriores, & inſipientiores redduntur; omnes, cum videant aditum ad honores peſſimè meritis patere, ſtudia virtutum, & literarum remittũt, & contemptui habent; denique Deus ipſe in homunciones tam deformem majeſtatis ſuæ imaginem gerentes excandeſcens plenas iræ ſuæ phialas in illos exonerat.

Tametſi vero iniquiſſimum ſit, hoc hominum genus ad tantam dignitatem aſcẽdere, tamen ibi collocatis honos habendus eſt, tanquam iis, qui non tam hominum nequitia, quam Dei ſapientia, & juſtitia de hominum peccatis ſupplicium ſumentis ad illud honoris faſtigium evecti ſunt. Quod præcipue de magiſtratu civili intelligendum eſt; & de idolo Eccleſiaſtico, quoad legibus, & principis authoritate conſtitutum ſit; de utroque etiam, quoad ſalva pietate, & officio in Deum fieri poſſit.

V. 2. *Vt avicula errando, & hirundo volitando; ſic maledictio immerita non eſt adventura.*

Scopus eſt pios vano timore impiorum maledictionibus, & execrationibus excitato eximere.

Metus mali magno cruciatu animum cruentat, & inſtar tyranni vehementer torquet. Qui quidem cruciatus haud minor eſt ex mala opinione noſtra, quàm re & facto eventuro. Quamobrem ad animi noſtri quietem plurimum conferet, qui nos vano, & irrito timore liberabit. Vis quidem, & manus improborum ſolicite nobis vitandæ ſunt: ſed ab eorum maledictionibus, quamlibet acerbis non magis, quam ab apum ſuſurris ſtimulo orbatarum timendum erit. Imò verò, tametſi juſtus, ſive etiam juſtorum cœtus nempe Eccleſia Dei errore decepta, aut perturbato animi motu impulſa maledictionem in te vibraverit, tibi tamen ab illa timendum non erit. Multo igitur minus metuendæ ſunt inaniſſimæ imprecationes impiorum: qui utcunque ore amplo ſint, & diſtento admodum, brachia tamen contracta habent, & imbecillia. Quinimò argumento nobis eſſe debet, Deum nobis gratuito benedicturum, quod illi immeritis maledicant, Pſal. 109. 28. 2. Sam. 16. 12. Nihil ergo nobis à brutis Papæ fulminibus, quamvis dira omnia denunciantibus metuendum erit. Tantummodo nobis videndum eſt, ne quid quo maledictionem promereamur, committamus. Alioqui enim ſi nos maledicendi occaſionem præbuerimus, tametſi illi maledicentes contra officium fecerint, maledictio tamen ad exitum à Deo perducetur, Exodus 22. 22. 23 24. 27. Iacob. 5. 4.

Ratio hujus doctrinæ adjungitur ab effectu irrito maledictionis immeritæ; qui comparatione par. exornatur. Sicut enim paſſer, & hirundo, dimiſſo nido, huc illuc volitant, nec locum ubi quieſcant, inveniunt; ſic maledictio injuſta ſemper quidem à nobis errabit, donec

contrario

contrario quaſi vento in authoris caput retorqueatur; vel donec aviculę inſtar alibi locum quieſcendi non inveniens in nidum redeat, unde evolaverat.

Maledictionis divinæ longè alia ratio eſt. Sicut enim nunquam temere emittitur; ita nunquam, re infecta, revertitur: nec hirundini, ſed aquilæ, aut accipitri ſimilis eſt prædam, quoquo fugiat, ad necem uſque perſequenti, Deuteron, 28. 15. Zachar. 5. 3, 4. Iſai. 9. 8.

Verſ. 3. Flagellum equo, & frænum aſino; & virga tergo ſtolidorum.

In שבט (*virga*) eſt ſyn. partis pro omni inſtrumento, quo malefici puniuntur: Sic in שוט (*flagellum*) & מתג (*frænum*) pro omni inſtrumento, quo jumenta incitantur, aut retinentur.

Summa eſt, improbitatem juſtis pænis eſſe conſtringendam.

Deus, qui ſummè juſtus eſt, & ipſa juſtitia eſt, eo peccati odio ducitur, ut nec mininum impunitum eſſe ſinat, malitque in filio dilectionis ſuę de peccatis electorum ſupplicium ſumere, quàm in illa juſtè non animadvertere. Magiſtratus igitur, qui expreſſam Dei effigiem gerunt, & auguſta ejus appellatione inſigniuntur, juſtitiam ejus imitari debēt, ut nullam violationem legis, præſertim divinæ, cujus cognitio ad ipſorum tribunal ſpectat, inultam patiantur. Qui enim parentes virgâ caſtigatoria ſtultitiam cordi pueri, quamvis adhuc bimuli, alligatam fugare jubet; quanto magis in adultos, ſi peccant, animadverti vult? Si puerorum nævos ferre nequit, quo illum animo eſſe ſentiemus in ſtrumas vitiorum?

Peccati ultionem magiſtratibus imperatam duplici par. illuſtrat, flagello, & fræno; utpote quæ non minùs ad homines, quàm illa ad equos, & aſinos gubernandum neceſſaria ſit. Quam autem flagellum equo, ſive veterino, ſive helciario, ſive ad equitandum deſtinato accommodatum ſit, communis uſus docet. Hoc enim non modo tarditas corrigitur, ſed è via deflexio, ceſpitatio, ſubita reſilitio, aliique defectus emendantur. Sed frænum, quod generoſi equi nimiæ feſtinationi moderandæ inſervit, aſino ſegni, & ſtupido animali non videtur convenire. Reſpondeo, fræni alium etiam uſum eſſe, nempe ut capitis collique duritiem, & pertinaciam ſubigat. Atque hoc maximè in aſinis locum habet, qui ſunt admodum refractarii.

Quod autem ſcelerati homines equo, & aſino aſſimilantur, id congruenter & rationi, & reliquis ſcripturis factum eſt. Qui enim ad legis divinæ præſcriptum, tanquam ad ſummæ rationis normam actiones non exigunt, brutorum animalium rationis expertium ſimiles ſunt, vel etiam in eo diſſimiles, quod illa legem ſibi à Deo imperatam ſervent, hi violent. Iſai. 1. 3. Unde etiam horum longè miſerior eſt conditio, niſi reſipiſcant, quàm jumentorum. Hæc enim mortua non amplius flagelli ſonum audiunt: illi in gehennam poſt mortem conjecti, maximas & æternas ſuorum ſcelerum pænas luent.

Periculum, quod ex iſtis belluis, fræno remoto, & ſcutica, hominibus incumbit, graphicè depingitur Pſal. 32. 9. Sed ad illam, quæ ex ſceleratorum impunitate oritur, malorum iliadem comparatum nihil eſt. Ipſi enim in ſua nequitia pereunt, qui juſto ſupplicio, tanquā torres ſemiuſti, eripi poſſent; alij ad paria, aut etiam majora ſcelera patrandum accenduntur Eccleſ. 8. 11. (ubi non ex ſupplicio nullo, ſed aliquantulum procraſtinato hoc fieri dicitur;) deinde ira Dei in totam Remp. & Eccleſiam exardeſcit. Vide Numeror. 35.

Sed cum virgam *tergo* ſtolidi competere dicat, monet, in civilibus ſuppliciis honeſtatem ſemper, &, pro delicti natura, moderationem ſervandam eſſe. Pudenda non ſunt inter flagellandum retegenda, nec minora delicta gladio, aut fuſte corrigenda.

Verſ. 4. Ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam; ne adæqueris ei tu quoque.

Verſ. 5. Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſit ſapiens in oculis ſuis.

In בעיניו (*in oculis ſuis*) eſt metaph. ab aſpectu oculorum, ad animi judicium.

Summa eſt, inter improbos verſanti tempus loquendi, & tacendi ſummo judicio, & prudentia obſervandum eſſe.

In ſuperiore Proverbio Magiſtratum, quomodo erga ſcelerata impiorum facta; hic unumquemq; Chriſtianum, quomodo inſulſos, & rancidos eorum ſermones ſe gerere debet, informat.

Duo genera ſtultorum ſunt; unum eorum, qui ignari à recto deviant (de quibus, ſi bene monenti obtemperaturi judicentur, Propheta hic non loquitur,) alterum eorum eſt, qui alibi irriſores dicti ſanum conſilium repudiant, & ludificantur. Quibuſcum, ſimulac innotuerint, ne verbum altercandi ſtudio commutemus, hoc Proverbium Salomonis, & ſanctorum in ſcripturis exempla monent quamplurima. Hezekjah ſuis mãdavit, ne Rabsh. blaſphemias in Deum jactanti vel verbulum reſponderent. 2. Reg. 18. 36. Noverat enim pius rex, hominem impium, & blaſphemum, quicquid de juſta Dei laude, & honore vindicandis proponeretur, irriſioni habiturum. Ierem. poſtquam Hananiam pſeudo-prophetam in ſuis populi adulationibus obſtinate perſtare animadverterat, tacuit, & abiit c. 28. v. 11. Denique Chriſti hac in re exemplum eximium eſt Matt. 26. 62. 63. & 27. 12. 13. 14. & Ioh. 19. 9.

Hujus dehortationis Prov. 9. 8. ratio redditur, ne te odio habeat, & ex odio notam ignominiæ tibi inurat; hic autem ne tu illi ſimilis fias, dum multa verba (in quibus peccatum non deerit Eccleſ. 5.) effutias; aut iracundia, quæ ſtultitiæ ſpecies eſt, incendaris; aut, quod adhuc gravius eſt, ad manus veniat. Tametſi vero irriſorem reſpicienti tacendum ſit, ſi tamen periculum ſit, ne improbis ſermonibus circumſtantes inficiat, eorum cauſa abrumpendum eſt ſilentium. Sic Chriſtus propter turbam circumſtantem Phariſæis reſpondit.

Poſterius horum Proverbiorum priori omnino contrarium videri poteſt, quaſi Propheta uno Spiritu calidum, & frigidum protulerit. Sed hinc oſtendere voluit, ſe non de omni taciturnitate in priore Proverbio loquutum eſſe, ſed de illa tantum, quæ ad inſtitutionem, & informationem ſpectat: alioqui poſſe aliquod interdum aptari reſponſum, quod ſtultum mordeat, & fodicet, ne ſibi in ſua ſtultitia placeat. Sic Chriſtus Pilato nimium ſibi authoritatis arroganti, ne opinione ſuę potentiæ, nimis inſoleſceret, reſpondit, nulla niſi precaria poteſtate inſtructum fuiſſe.

Verſ. 6. Vt detruncans pedes, & violentiam bibens: ſic eſt mittens verbum per manus ſtolidi.

In שתה (*mittens*) eſt metaph. ab his, qui avidè bibunt, ad eos, qui damnum ſibi accerſunt.

Summa eſt, negotiis, quæ ipſi obire nõ poſſumus, idoneos homines, niſi gravi dãno mulctari velimus, præficiẽdos eſſe.

Cap.

Cap.25.13. fidelis &, prudentis nuncii utilitatem depinxit; hoc Proverb. è regione inſipientis incommodum perſtringit.

Suprà cauſas aſſignavimus, quare prudentis, & fidelis nuncii delectus habendus eſt, quia res ei commiſſæ gravioris momenti ſint; & quia longe diſſitus conſilio à nobis pro re nata juvari nequeat: quibus hanc etiam licet adjungas; ſpecimen prudentiæ, aut inſcitiæ mittentis in legato conſpici: & proinde, niſi, ut rei familiaris, ita famæ etiam & exiſtimationis (quæ fere ex nuncii indole, & ingenio æſtimari ſolent) jacturam facies, ſtultum non eſſe legandum.

Quod ſi nuncius privatus, & in rebus humanis verſatus, ſi ſtultus fuerit, tantum noceat; quantum, & quàm luctuoſum damnum accipit Reſpub. ex ſtulto Miniſtro, qui Dei, & Eccleſiæ legatus eſt! Magna igitur cura adhibenda eſt in delectu miniſtrorum: præſertim cum vix *unus ex mille* Iob.33.23. inueniatur, qui hanc legationem commode obeat; & qui ſtultum mittunt, præter jacturam rerum cœleſtiũ, graviſſimo ſcelere ſe conſtringunt.

Stultus nuncius, ut magis appareat magnitudo mali, ei, tanquam pari confertur, qui, pedibus amputatis, non poteſt ſe è loco, ubi eſt, dimovere. Sicut enim pedibus carens nullum nunciũ, ita prudentiâ, cui tanquam pedibus majoris momẽti negotium innititur, deſtitus non bonum perferre poteſt. Aut enim, infecto, redit, aut malè confecto negotio. Tales erant decem illi ſpeculatores Num. 13.

Verſ.7. Attollite tibias, quæ ſunt à claudo (vel claudi) ſic eſt Proverbium in ore ſtulti.

Summa eſt verborum cum factis convenientiã, & concentum eſſe oportere.

Non pauci inveniuntur, qui cum re, & factis nequiſſimi ſunt, tamen, ut ſuam nequitiam tegant, honeſtæ orationis larvam induunt, libidinoſi caſtitatem laudant, ebrioſi, & heluones temperantiam. Quid? quod nonnulli verbis improbantes, quod factis imitantur, ſibi tamen à ſupplicio, & vindicta divina immunitatem pollicentur? Rom.2. 3.21.22.

Quam autem deforme ſit te humi ſerpere, cum verbis in cœlum volitare videri vis, pſaltes docet Pſal. 50. 16. &c. & propheta noſter comparatione pari hic oſtendit. Huc refer illud; *eſtne Saul inter Prophetas?* Sicut enim greſſus, ſeu ambulatio claudicãtis propter inceſſus inæqualitatem, & tortuoſam totius corporis in alterum latus inflexionem deformem aſpectum habet: ſic tantam ſermonis à moribus diſcrepantiam intueri ſtomachum movet. Et ſicut claudum ſeſſio; ſic improbos ſilentium maxime decet. Nobis igitur danda eſt opera, ut utroque pede firmi, & erecti incedamus; h.e. honeſtæ orationi vita conſimilis adjungenda. Cujus enim vita ab oratione diſſonat, is unico pede, & quidem ſiniſtro incedit.

Verſ. 8. Vt incluſio lapilli (ſeu inſitivus lapis) in acervo lapidum: ſic qui tribuit honorem ſtulto.

Summa eſt, abſurdum, & ſtultum eſſe improbo honorem deferre.

Salomoni ſingulari ſapientiæ datum eſt, quod unicuique ſervorum ſedem ſibi convenientem aſſignaverit 1. Reg.10.5. Et ſane in rebus domeſticis rite ordinãdis judicio utendum eſt, ut pro rei cujuſque dignitate honeſtiorẽ locum obtineat. Nunquis æque ferat, aulæa pretioſa in coquina appendi; aulæ vero & triclinii parietes nudos, & inornatos conſpici? Quis matulam ferat in loco eminente, & conſpi-

conſpicuo collocari; gutturinum autem, vel cyathum aureum humi jacere? Quod ſi in privatis ædibus,& in rebus leviuſculis hoc ferendum non ſit, quanto minus in Rep. aut Eccleſia, qui ſupplicio digni ſunt, honore afficiendi erunt? Quod luculentiſſ. ſimilitudine Propheta hoc in loco demonſtravit. Quemadmodum enim margarita inter vulgares lapides (quibus quid vilius 1. Reg. 10.27?) non eſt collocanda: ſic honor ſtultis non eſt concedendus. Hoc enim eſt, non modo ephippium bovi imponere, ſed furioſo gladium in manum tradere.

V. 9. *Spina, quæ aſcendit in manũ ebrij; ſic eſt ſententia in ore ſtulti.*

In חוח (*ſpina*) eſt ſynecd. ſpec. pro omni inſtrumento noxio.

Summa eſt, ſermonis excellentiam in ore improbi cum ſibi, tum aliis noxiam eſſe.

Apoſt. Eph. 4.29. & Col. 4.6. monet, ut ſermo noſter gratioſus ſit, & ad ædificationem ſpectet. Quod tum fit, cum non tantùm ſermo corruptelæ expers eſt, ſed & illum proferens moribus integer. Sententia enim, quamlibet excellens in ore improbi inſtar ſpinæ, cultri, aut gladij eſt in manu ebrii, quo ſibi ad lapſum proclivi, aut aſtantibus damnum infert.

Stultum ſibi benè loquendo, dum malè vivit, obeſſe palàm eſt. Nam gravius judicium, & atrociorem condemnationem hoc nomine attrahit, quod non tantum intus, & in animo ſceleris ſui reus tenetur, ſed tanquam ſorex ſuo indicio, & ſui oris teſtimonio convincitur. Sed illud difficultatem habet, quomodo ſermo, qui honeſtus, & laudabilis eſt, aliis noxius eſſe poteſt; maximè cum Chriſtus Scribis, & Phariſæis, quamdiu in cathedra Moſis ſedentes vera doceant, auſcultare jubeat. Agnoſco hoc fieri debere, & fieri etiam ab his, qui in pietatis ſchola multum profecerint; ſed qui pietate leviter tincti ſunt, nedum qui illam ne primoribus quidem labiis guſtârunt, nõ perinde faciunt; apud quos vitæ improbitas omnem orationi authoritatem abrogat. Quemadmodum enim ex duobus viatoribus eundem ſibi itineris exitum proponentibus, ſi, qui viam callet, ſocio viam ignoranti rectam quidem commonſtret, ſed contrariam ineat, illum factis potius, quàm verbis fidentem in devia ſecum ducit: ſic improbus, quamvis recta docens, prava tamen vitæ converſatione proximum à recto tramite in errorem abducit.

V. 10. *Potens omnibus mœrorem adfert; & mercedem dat ſtulto, & mercedem dat tranſeuntibus.*

Summa eſt, improbum rerum potitum per ſe, & ſuos negotium omnibus faceſſere; & illos damno, & mœrore afficere.

Ea eſt mortalium ad malum propenſitas, ut verbero ſæpe, & terræ filius magnas in Rep. & Eccleſia turbas det, imo calamitates, & clades afferat; ut in Sheba, & Doego videre eſt. Quod ſi abjecti homunciones tantũ poſſint; quid illi facient, quorum improbitas authoritate, & potentia armata eſt? Neque enim ipſi tantum nocent, ſed quàm plurimos ſui ſimiles ſatellites congregant, qui ipſorum authoritate freti, tectiq; totidẽ ad Remp. & Eccleſiam opprimendum tyranni exſiſtunt. Sicut enim David in pii regis perſona profitetur, ſe pios ſibi in aula miniſtros adjuncturũ: Pſa. 101. ſic impii principes, & magnates non niſi ex facinoroſis ſibi aſſumunt famulitium, & clientelam.

Quantam vero lachrymarum vim hujuſmodi homines per ſe, & ſuos populo exprimunt, & extorquent, cogitatu, nedum

dum

dum dictu difficile eſt. Tanquam enim cœlum triſte, & nubibus obductum illis ſemper impendet, dum vultum principis, qui terreſtris quidam Deus eſt, torvum aſpiciunt; maxime vero cum gladium adverſus illos, ad quos defendendum illi in manum inditus eſt, diſtringi experiuntur.

Verſ. 11. Vt canis rediens ad vomitum ſuum, eſt ſtultus iterans ſtultitiam ſuam.

Scopus eſt, propoſito periculo fræ-num injicere, ne homines ad priſtina peccata, à quibus deſueverunt, revertantur.

Hic proponitur primo documentum, deinde ratio, cui innititur. Et quod ad documentum ipſum attinet, meminiſſe oportet, quod docetur 1.Pet.4.3. ſufficere nobis, quod ullam vitæ partem in peccatis tranſegerimus. Qua loquẽdi formula, tanquam μείωσις plus intelligit, quàm verbis exprimit. Omnino enim verè dici poteſt, plus ſatis eſſe, vel minimam ætatis noſtræ particulam in peccatis, & Satanæ obſequio collocâſſe; cum quanti, quanti ſumus, toti propter creationem, redemptionem, & conſervationem Dei ſimus; maximè vero cum tantillum ſit, quod Deo per univerſum vitæ noſtræ curriculum præſtare poſſumus. Sunt ſervi illis prudentiæ, & diligentiæ donis inſtructi, ut in unius anni ſpatio tantum honoris, & divitiarum heris adjecerint, ut, ſi multos deinceps annos in otio conſumerent, pro frugi tamen ſervis habendi eſſent: nos vero ita viribus exhauſti ſumus, ut, cum omnia pro ſumma virili noſtra fecerimus, inutiles tamen ſervi merito habeamur. Quanto igitur gravioribus, aut pluribus, aut diuturnioris conſuetudinis peccatis liberati ſumus, tanto magis cavendum eſt, ne in eadem denuo relabamur.

Ratio eſt ab adj. periculo, eoque duplici. Sic enim fiet, ut peccata graviora ſint, & ſupplicia acerbiora. Immundus enim Spiritus ſemel ejectus, ſi illi aditus denuo pateat, ſeptem ſpiritibus ſe nequioribus comitatus revertitur.

Hæc ratio illuſtratur comparatione par. Nam ſicut vomitus ſolis æſtu, & aëris flatu deterior factus canem eundem reſorbentem magis, quam antè, ægrotum reddit: ſic repetitum peccatum & atrocius eſt, & graviori damno peccatorem afficit. 2.Pet.2.20.&c.

Denique prætereundum non eſt, ſceleratum hominem ad vetera ſua peccata recurrentem cani, viliſſimo animali, aſſimilari; & peccatum ejus vomitui. Unde non difficile eſt judicare, quo in loco habendi ſint impii (præſertim veteratores,) & quid de peccato, quod iis adeo in deliciis eſt ſentiendum ſit.

Verſ. 12. Vidiſti hominem ſapientem in oculis ſuis? Spes eſt de ſtolido præ illo.

In בעיניו (*in oculis ſuis*) metaph. eſt ab oculorum viſione ad judicium animi. כסיל (*ſtolidi*) aliter videtur hoc in loco ſumi, quàm in pleriſque aliis, ubi ponitur pro improbo: quandoquidem is, qui arrogans eſt, in illo ſenſu ſtultus eſt. Stultus igitur hic appellatur, qui tardo, craſſoque ingenio difficulter in pietate informatur; quique, ut nihil ſcit, ita ignarum ſe agnoſcit.

Summa eſt, difficillimè ad frugem revocari, qui propriæ ſapientiæ opinione turget.

Hominem ſibi quacunque de cauſa præſidentem perſanare difficile eſt. Unde Chriſtus diviti in divitiis ſpem ponenti non minus difficile eſſe affirmat ſalvari, quàm *camelo per foramen acus tranſire.*

Marc. 10. 24. 25. Quanto autem præſtantior eſt ſapientia divitiis, tanto difficilior eſt curatio ejus, qui ſapientiæ, quam qui divitiis confidit. Eccl. 7. 14. & 9. 16. 17. 18. Hinc Apoſt. 1. Cor. 1. 26. non multos ſapientes ſecundum carnem ad vitam vocatos eſſe aſſerit.

Hinc liquet, præſtantiſſ. Dei dona corporis, fortunæ, atque adeò animi, quæ in improbos, minimeq; regenitos conferuntur, totidem quaſi pedicas eſſe, quibus non in via ad regnum cœlorum tardantur; ſed, ne illam ingrediantur, conſtricti tenentur. Cumque unum ex his ità impediat, quid de illo fiet, qui ſapientię, robori, divitiis, & amicis confidit? Neque vero intereſt, utrum hic, de quo Propheta loquitur; humana prudentia revera, in ſua tantùm opinione præditus ſit: niſi fortè deterior ſit ejus conditio, qui falſa opinione ſapientiæ inflatur; quandoquidem, altero arundini innitente, hic vento, & fumo incumbit.

Hoc axioma confirmat à compar. minor. nempe hominis craſſæ, & pinguis intelligentiæ, modo ſibi ſuæ ſtultitiæ conſcius ſit. Joh. 9. 34. 39. Hinc Chriſtus gratias agit Patri, quod, celatis à ſapientibus myſteriis regni cœleſtis, infantibus illa revelàrat Mat. 11. 25. Et Deus ſtulta mundi elegiſſe dicitur 1. Cor. 1. 27.

Hujus tanti mali medicinam Servator præſcribit Luc. 9. 23. nempe ut nos ipſos, & ſapientiam noſtram abnegemus. Et. 1. Cor. 3. 18. [ſiquis ſapiens ſit in hoc mundo, ſtultus fiat, ut verè ſapiens ſit.] Quod tamen ita non intelligendum eſt, ac ſi ſapientia, quæ eſt ſecundum carnem, ſit penitus damnanda, & ejus uſus omnino rejiciendus, ſed ut illam, ſiquando nobis dictet quid, aut ſuadeat, quod verbo Dei non eſt conſentaneum, eidem ſubjugemus; deinde ut moderatè ſapiamus ſecundùm menſuram, quam nobis Deus dimenſus eſt. Rom. 12. 3.

Verſ. 13. Dicit piger, immanis leo eſt in ipſa via, leo eſt inter plateas.

Summa eſt, pigrum vanas excuſationes obtendere, quibus ſe labore eximat, ſubtrahatque.

Pigrum ſibi vana pericula cominiſci, aut parva exaggerare, ſuperius dictum eſt cap. 22. verſ. 13. idq; verbis penè eiſdem. Videtur autem hoc loco de pigro inſeruiſſe, ut doctrinam in ſuperiore verſu, maximè verò verſ. 16. propoſitam illuſtraret.

Verſ. 14. Sicut janua circumagitur in cardine ſuo, ſic & piger in lecto ſuo.

Summa eſt, pigrum ſomno plurimum indulgere.

Videtur propheta hoc verſu compar. minor. confirmare, quod ſuper. verſu dictum eſt; tantum abeſſe, ut velit piger in agrum prodire, aut in plateas, ut ne vel ex lecto ſuo ſe proripere fere velit, atque ut ad opus foras egredi recuſat, ſic domi etiam quidquam agere, quod ex uſu ſit, renuere.

Quàm ſit piger ſomno deditus, ſupra cap. 6. & 19. 15. demonſtratum eſt. Cujus rei cauſa etiam indicata eſt; humorum ſcilicet abundantia, quæ ex alimentorum copia, & laboris, quo exhaurientur, fugâ naſcitur.

Pigri oſcitantiam illuſtrat à pari. Sicut enim janua, quamvis nunc aperiatur, mox claudatur, à ſuo tamen cardine non avellitur: ſic piger ab uno lecti latere in aliud ſe vertit volutatque, inde tamen non recedit. Poſtquam enim unum incumbendo latus fatigaverit, in alterum ſe convertit; ambobus laſſatis, reſupinus, dein pronus

nus cubat, omneſque corporis ſitus experitur, donec oſſa cubandi diuturnitate dolorem ei cientia è lecto invitum quaſi extrudant. Hæc autem crebra corporis ab uno lecti loco in alium jactatio, illum in ſomno modum excedere, facilè probat, cum ſomni tam breves ſint, & abrupti. Prætereà ut, qui penè ad defatigationem laborant, quamvis inviti quodammodo, altè, & ſuaviter dormiunt; ſic nihil agentes ſomnum, quem tantoperè expetunt, placidum non aſſequuntur.

Quod ſi vitio detur, ſiquis nimio ſomni ſtudio rem familiarem negligit; quanto magis damnandus eſt, qui lecto ſuo affixus hæret, cum ſacris opera danda ſit; aut certè in conventum ſacrum lectum quodammodo ſecum affert.

V. 15. *Abſcondit piger manum ſuam ſub axilla: defatigatur illam reducendo ad os ſuum.*

In להשיבה אל פיו (*reducendo ad os ſuum*) eſt duplex ſynecd. partis pro omni re ſummè neceſſaria, & laboris leviſſimi.

Summa eſt, pigrum ne minimum quidem laborem ob res apprimè neceſſarias obire velle.

In priore verſu docuit, quàm ægrè piger à lecto abſtrahitur; jam oſtendit, quid è lecto ſurgens faciat. Alimenta in rebus ſunt ad hanc vitam ſummè neceſſariis. Qui ergo pro his nolit pro nulla rè alia laborem ſuſcipiet; & qui pro victu proprio laborare renuit, nedum pro domeſticis laborabit, minimè omnium pro pauperibus; quibus tamen aliquid ex noſtro labore partis largiendum eſt, Epheſ. 4.28. Quod ſi victum, qui præſenti neceſſitati inſerviat, parare nolit, quanto minus aliquid, quod recondat, & liberis, aut neceſſariis poſt mortem relinquat, cōparabit? Quod tamē faciēdū monet A poſt. 2. Cor. 12. 14.

Deinde dicit, pigrum ne minimum quidem laborem ſubire velle, quandoquidē vix manum ori, ut ſe paſcat, admovebit; ſed præoptaret potius, ſibi ab aliis (quod infantibus fieri ſolet) cibum in os ingeri. Non quod piger non ſit in edendo, & bibendo immodicus (ſicut priùs dictum eſt;) ſed quod hoc modo hyperbolicè inſignem ejus inertiam eleganter perſtringere voluit. Manus enim extenſio, & reductio facillima eſt. Et videtur oratio Prophetæ alio adhuc gradu creſcere, & ſuperius Proverbium comp. minor. confirmare; tantum abeſſe, ut præ pigritia velit lectum relinquere, ut victui quærendo operam det, ut ne acquiſitum, & in menſa appoſitum ori indere libenter velit.

Quod ſi tam odioſus eſt, qui alimentum periturum præ pigritia non acquirit, quāto magis damnandi ſunt illi, qui cibum animæ ſemper duraturum adeò aſpernantur, ut in os impoſitum reſpuant, & rejiciant?

Verſ. 16. Sapientior eſt piger in oculis ſuis, quàm ſeptem reſpondentes ſcitè, [*ſeu ſermone condito.*]

In משבעה (*quam ſeptem*) eſt ſyn. part. pro ullo majori numero. In טעם (*ſcitè*) eſt metaph. à cibis benè conditis ad ſermonem opportunum, & commodum tranſlata.

Scopus eſt docere, quàm difficilis tractatu, & emendatu ſit piger.

Speciem, ſeu exemplum hic ſubjicit Propheta generalis illius axiomatis, quod propoſuit verſ. 12. tanquam de eo, qui κατὰ περιοχὴν ſit ſuo judicio ſapiens, & quidem acutiorum, & ſapientiorum, qui ab aliis conſulti nôrunt reſponſum rei cuiq; accommodatum reddere, ſapientiſſimus; idque in quo ſtultiſſime agit, nempe quod labore ſe non fatiget, ſed trāquillè vitam

tranſigat,

tranſigat, cum ſapientes non ſine algore, & ſudore ſapientiam conſequuti fuerint. Eccleſ. 4. verſ. 5. 6. Tametſi porrò ratiunculæ, quas,ut à labore ſe eximat,obtendit(ſicut accepimus,)ſint inſulſiſſimæ, ſuo tamen judicio perquam ſpecioſæ, & nervoſæ videntur, & quibus ſe aliorum oculos perſtrinxiſſe autumat.Quales ſunt latrones viam, qua iturus eſt, obſidere; nimio æſtu, aut frigore correptum mortem contracturum; tempeſtate aliqua, fulmine &c. obruendum eſſe. Hæc omnia, & reliqua hujus generis quid aliud clamant, quam immanem leonem in via eſſe; leonem in media platea inſidiaturum?

Quòd ſi cauſam inquirimus, unde hi Spiritus, & animi elatio; reſponſum in promptu eſſe videtur,quia laborem, qui à Deo humiliandis hominibus, & ſpiritibus altis retundendis imponitur, genio indulgens ſtudiosè declinet. Alia etiam cauſa eſt, quod verbi lectioni,& meditationi,quæ vel regis animum humilem, & manſuetum reddit;Deut.17.20. non incumbat.

Effectum hujus præſidentiæ eſt, quod à nemine ſe doceri patitur. Unde domi reſidens, imò in lecto cubans non veretur de ſe prædicare,ſe ſuum erga Deum, &proximum non minus callere officium, quam ipſum eccleſiaſten. Luculentum hujus rei exemplum,& illuſtre eſt in clero Papali,præſertim monachis, quibus otium, & à labore vacationem quodammodo profitentibus nihil unquam (ſicut hiſtoria docet) ſuperbius fuit. Qui, tametſi ſua profeſſione primo inter clericos numerati non ſint, tantum nihilominus ſibi arrogabant, ut ſe ex Epiſcoporum obſequio ſubtrahere, & toti Eccleſiaſticorum choro anteferre voluerint.

Verſ.17. Prebendens auribus canem,eſt,qui iraſcitur in lite non ſua; [aut immiſcet ſe in lite aliena.]

Summa eſt, hominem liti alienæ ſe ingerentem, ubi velit, ſe expedire non poſſe.

Cap. 25. verſ. 8. 9. 10. docemur,noſtra ipſorum cauſâ nõ temere,aut cupide litem cum proximo agitandam eſſe diſceptandam, placideque componendam eſſe controverſiam. Quo etiam ſpectat illa Chriſti exhortatio Matt.5.25. Quod ſi in propria cauſa non ſit ad lites ſubitò proſiliendum, multo minus in aliena: &, ſi omnia prius tentanda ſint, quàm litem aliis pro nobis ipſis intendamus, nedum pro aliis temerè decertandum eſt. Præterquam enim quod hoc modo in ſextum præceptum peccemus, dum pacis nos parum ſtudioſos declaramus; curioſitate in rebus alienis adverſus octavum delinquimus, quo cavetur, ut rebus noſtris intenti, aliena,quæ ad nos nihil attinent,omittamus. Quæ curioſitas, & libido contendendi ex deſidia ferè naſcitur: 1. Tim. 5.13. 1.Theſſ.4.11. ideoq; non incommodè ſuperioribus de pigritia Proverbiis hoc ſubnectitur. Quod ipſum de aliis itidem de ſuſurrone, & contentioſo Proverbiis intelligendum eſt.

Quid igitur pius in litibus alienis faciet? An ita ſuis rebus attentus erit, ut aliena non reſpexerit,nec litigantes reconciliare quæſiverit? Verum quidem eſt,debere pios paci ſtudere: ſed pax non procuratur, dum quis aut acerbè in utrunque litigatorem ſe gerat, aut etiam ab altera parte ſe litigatorem conſtituat; ſed cum ſequeſtrem ſe, & interceſſorem interponat.

Doctrina hæc confirmatur ab adjuncto damno. Illud autem pro ratione peccati duplex eſt.Nam quoad ſextum præceptum ſua ad lites proclivitate tranſgrediatur,

diatur, periculum vitę, aut ſanitati ſuæ acceſſit, maximè cum jam alter ab illo, quicum contendit, irritatus atrocius in hunc feretur: quoad verò in octavum curioſitate peccat, damnum contrahit, dum alienis addictus rem ſuam familiarem negligendo diſſipat. Hæc incommoda comparatione pari illuſtrantur. Quemadmodum enim qui canem auribus tenet (qua parte maximè irritabilis eſt,) periculũ ſibi non leve creat, cane ilico in illum involaturo. Huic affine eſt, τὸν λέοντα ξυρᾶσθαι & σφῆκας ἐρεθίζειν. ſic cum deſtiteris illi, quocum inimicitias exercuiſti, adverſari, ille in te non amplius repugnantem viciſſim incurſabit. Quemadmodum è regione, ſi canem pergas auribus tenere, præterea nihil agere potes, neque teipſum, aut tua curare: ſic liti, quam ſuſcepiſti, adhærenti rebus tuis proſpicere non vacabit. Qui verò, ut litigantium animos demulceat, & alienatos conciliet, ſequeſtrem ſe præbet, cani fruſtum panis, quo à morſu inhibeatur in os injicere non ineptè dici poteſt: ſicut Magiſtratus pro officii ſui ratione liti finem juſta delinquentis punitione, & innocentis patrocinio imponens canem baculo cædere (quod Moſem feciſſe legimus) jure perhiberi poterit.

Verſ. 18. Sicut ſe inſanum ſimulans jactat malleolos, ſagittas, & mortem.

v. 19. Sic eſt vir, qui fallit proximum ſuum, & dicit; an non jocans hæc feci?

In מות (*mortem*) eſt metonym. eff. pro armis lethalibus.

Summa eſt; non ferendam eſſe injuriam, quæ per amicitiæ, aut benevolentiæ ſpeciem fit; ſed puniendam graviùs.

Salus proximi non minus, quam propria, nobis à Deo commendatur. Qui ad ejus incolumitatem nihil confert, damnatur, multo magis, qui damnum infert; maximè omnium, qui per nomen amicitiæ nocet, qui una manu lapidem tenens altera panem oſtentat. A violentia, & veluti leonina injuria ſibi quis cavere poteſt; ab inſidioſa, & quaſi vulpeculina difficiliùs quidem, ſed conſilio & excubiis poteſt tamen: ſed ab illa, cui amicitia prætexitur, difficillimum, vel potius impoſſibile eſt cavere. Quibuſcunque enim telis lethalibus armatur, ab illis non metuimus, ne tum quidem, cum illa in nos vibraverit: ut ſi in nos ſagitta collimaret, nihil tamen minùs velle, quam nos trajicere, conſideremus. Illuſtre exemplum extat in Ioabo, qui Abn. & Amaſ. oſculans, & amplectens proditoriè interfecit. Unus Chriſtus, qui hominum corda novit, Iudæ proditionem per oſculi ſpeciem faciendam potuit (ſi libitum fuiſſet) declinare.

Hanc improbitatem illuſtrat comparatione pari: perinde eſſe, ac ſi quis ut alteri grave damnum impune inferat, ſe furioſum ſimulet. Furorem ſimulare, etiam ut ex certo mortis periculo ſe eripiat, homini dedecoroſum eſt. 1. Sam. 21. Quanto igitur minùs, ut hominem perdas, idem faciendum erit?

Verſ. 20. Ubi non ſunt ligna, extinguitur ignis: ſic ubi non eſt ſuſurro, ſilet contentio.

Summa eſt, ab omnibus, qui paci ſtudent, declinandos eſſe ſuſurrones.

Suſurro eſt, qui occultè proximum apud alium traducit. Tametſi enim ſatis clare, & alta voce ſuas calumnias diſſeminet, quia tamen non niſi in angulis & ſemotis arbitris hoc faciat, muſſitare, & in aurem alteri narrare rectè cenſeri poteſt.

Unde etiam eſt, quod ſuas calumnias hac ſententia ferè claudunt; ſe ejus, quod dicunt, nolle judices, aut authores eſſe. Quod quidem rectè aliquando, & officiosè dici poteſt; nempe cum quis ſibi ab ejus potentia, &tyrannide, de quo aliquid narrat, metuit; aut quia, cum res in judicium adducēda ſit, unius teſtimonio convinci nequit, cum tamen ejus, cui indicium fit, ad cautionem illud ſcire plurimum interſit. Tamen ſæpiſſimè fit, ut, qui hac cautione utuntur, ſibi ſint in alium illatæ injuriæ conſcii. Inſtar enim ſerpentum ſunt ſuſurrones, qui latenter, & ſine ſtrepitu mordent.

Neque vero ſuſurro is ſolus habendus eſt, qui à ſe, aut aliis conficta refert; ſed qui etiam vera, quæ indicari non debent, retegit; aut alii narrat, quàm cui oportet; aut alicujus verba repetens in alium, quàm quo dicta ſunt, ſenſum trahit.

Hoc peccatum, odioſum reddit Salomon ab effect. quia lites excitat; & quidem ſæpe inter conjunctiſſimos: quod Deus pacis maximè averſatur. Unde & homines inter ſe, & Deus cum hominibus committuntur. Iſai. 19. 14. Matt. 12. 25. Gal. 5. 15. Sicut enim beatus Spiritus concordes donis ſuis proſequitur Act. 2. 1. ita contentioſos refugit. Neque vero diſcordias inter illos modò, de quo, & ad quem calumnias muſſitat, diſſeminat; ſed inimicitiæ inter duos ſatæ plerunque ſerpunt longiùs, & ad cognatos utriuſque, & clientes pervadunt; aliquando tota regna, & regiones integras incendunt.

Hoc effectum illuſtratur compar. par. Nā ſuſurro lignis aſſimilatur, quæ ignem, non ad utilitatem aliquam (quod plerunque fit,) ſed ad ea, quæ uſui hominibus ſunt, conſumendum alunt. Sicut igitur incendiarii, peſſimum genus hominum, & Reip. infenſū, gravibus ſuppliciis afficiuntur; ſic hi multò magis, qui ædificiis, non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo exſtructis faces ſubjiciunt, non tantùm ad corpora perimendum, ſed ad animas ſimul, & corpora igne inexſtinguibili perdendum. Ad has igitur flammas, antequam vires acquirant, reſtinguendum diſcamus ſemper ad manum aquam habere, & nobiſcum circumgeſtare. Cavendum tamen, ne odio ſuſurronum omnia, quæ nobis in aurem dicuntur, tanquam falſa rejiciamus. Gedaljah enim fidem illis, qui cōjurationem in ipſum factam narrabat derogans, in crudeliſſimas proditorum manus incidit.

Verſ. 21. Vt carbo prunis, & ligna igni: ſic vir contentionum ad accendendum litem.

In איש מדינים (*vir contentionum*) eſt meton. adj. pro viro ſummè contentioſo. In לחרחר (*ad accendendum*) eſt meta. ab igne ad litem tranſlata, qua, tanquam igne, omnia abſumuntur.

Summa eſt, pacis ſtudioſos ſibi cavere debere à contentioſis.

Hominem ad pacem natum eſſe, inde conſtat, quod, cùm alia animantia cornibus, ungulis, dentibus &c. natura armaverit, hominum his omnibus nudum, & inermem in lucem edidit, Quapropter ab hominis natura alienum eſſe debet temerè, & ſine cauſa ad pugnam proſilire: minimè vero omnium hoc piis convenit, qui filii pacis appellantur; qui gladios in ligones, & lanceas in falces putatorias convertere debent; qui agni, & columbæ vocantur, Iſa. 11. quibus nihil eſt māſuetius.

Quod contentioſus carboni, & ſarmentis aſſimilatur, eo docetur, quanto ſtudio contendendi ducitur; ac ſi hunc unum omnium ſuorum conſiliorum finem ſibi proponeret, & nulli rei propterea idoneus eſſet. Nam carbones, & ſarmenta igni fovēdo tantùm deſtinata ſunt. Deinde contentionē igni comparans oſtendit, quàm

quàm pernicioſum ſit contendere, & digladiari. Gal. 5. Hic enim ignis non aliis uſibus inſervit, quàm ut abſumat; idque non omnia, ſed illa ſola, quæ commodo hominibus, & uſui eſſe poſſent. Iſai. 19.2. &c Matt. 12.25.

Verſ. 22. Idem habetur c. 18. v. 8. Videtur autem hic repeti, ut cum aliis Proverbiis ejuſdem generis collatum ſplendeſcat magis; maximè vero ut doceatur, hoc peccatum ab otioſo nō facilè divelli.

Verſ. 23 Vt argentum ſcoriarum obductum teſtæ; ſic labia blanda, & cor malum.

In סיגים (*ſcoriarum*) eſt meton. adj. pro argento, cui ineſt, vel immiſcetur ſcoria; vel argento (ut ita dicam) ſcoriato.

Summa eſt, cautionem adhibendam eſſe, ne per ſpeciem blandorum verborum ab iis, qui animum in nos infenſum gerunt, circumveniamur.

Pſal. 15. in albo civium Eccleſiæ ponuntur, qui veritatem ex corde loquuntur: & Pſal. 17.3. laudi ducitur, cum, quod cogitamus, os non tranſgrediatur. Contrà vero improbi habentur Pſal. 12. qui corde, & corde loquuntur; atque adeo pro monſtris habendi ſunt. Eſt enim prodigioſum, in uno corpore duas includi animas. i. e. aliud in animo habere, aliud in ore, cum linguæ uſus à Deo datus ſit, ut ſenſa animi aliis exponamus. Siquis ex animo erga proximum infenſo contumelioſos ſermones & probra eructat, peccatum peccato accumulat: interim tamen non tam in culpa eſt, quàm qui blandis verbis ſuum, quod intus premit, odium diſſimulat. A priore enim poteſt quis ſibi cavere, ab hoc non poteſt. Ecquis enim ſibi proſpiciat adverſus canis illius morſum, qui non modo non latrat, ſed tanquam abblandiens accurrit? Ægrè illi obſiſtitur, qui de improviſo nos adoritur: ſed illi adhuc difficiliùs, qui ſub ſpecie amicitiæ ſe veluti in ſinum noſtrum inſinuat.

Hunc Propheta teſtæ comparat argento, & quidem reprobo obductæ. Ubi malus, & exulceratus animus cum teſta, quæ vilis eſt, & aſpectu turpi; verba autem blanda cum argentatione cōparatur, quia ſicut reprobo argento teſtæ vilitas, & turpitudo occultatur, cum tamen ipſum nihili ſit: ſic animi malitia verbōrū aſſentatione celatur, quæ tamē ipſa nullius pretij ſunt.

Huc etiam referri poſſunt picturæ, & ſimilitudines, quibus hypocritæ à Chriſto depinguntur. Matt. 23.

Verſ. 24. Labijs ſuis alium ſe ſimulat oſor; & in medio ſui diſponit dolum.

v. 25. Cum gratioſam præbuerit vocem ſuam, ne fidito illi. Nam ſeptē abominationes ſunt in corde ejus.

v. 26. Operit ſe odium in deceptionem; ſed malitia ejus revelabitur in cœtu.

Scopus eſt, propoſito odii ingenio, pios adverſus ejus fraudes cum inſtruere, tum etiam confirmare.

Hic duo proponuntur
- *Prius de ingenio ejus, qui odium proſequitur, v. 24.*
- *Alterum eſt nos adverſus odium munire*
  - *Inſtruendo, 25.*
  - *Confirmando, 26.*

Ingenium odio habentis eſt verbis, vultu, corporis geſtu alium, quàm eſt, præ ſe ferre. Iratus ſuam iram, quo minus

erumpat, comprimere nequit: ſed poſtquam ira diuturniore in animo commoratione in odium evaſit, tum demum, ut animi fervori multum detrahitur, ſic nequitiæ plurimum ſuperadditur, mendacium multiplex, hypocriſis tum ſimulando, tum diſſimulando, quæ etiam ab ignavia, & animi quadam abjectione non ſeparatur, qua efficitur, ut per cuniculos, & inſidias odio habentes habitos adoriantur. Quod quidem hoc vitio laborantibus ita conſuetum eſt, ut non tantum contra viribus ſuperiores, aut pares, ſed etiam longe inferiores inſidiosè agant. Nec enim Kain tantum in Abelem, & Abſh. Amnonem, ſed & Saul rex in Davidem ſubditum ſuum dolo, & fraude interitum machinabatur. Cauſæ enim unde odium conflatur, ſæpe tam turpes ſunt, ut pudeat apertè profiteri.

Quod dolum dicit eſſe in medio ejus, notat ejus parentem, & ſemen. Nam ex corde fluit Matth. 15. 19. Marc. 7. 21. Quamvis enim Scriptura in ore dolum eſſe teſtetur, de rivulo tamen intelligendum eſt, non ſcaturigine.

Verſ. 45. Sequitur munitio adverſus fraudem odio proſequentis, & quidem inſtituendo, quomodo nos adverſus illam comparemus. Et primò hoc ipſum, quo ſuum in nos odium tegere conatur, ſæpe odii intus latentis indicio eſſe poteſt, nempe blandus ejus, & gratioſus ſermo, quem tanto copioſius adhibebit, quanto magis ſibi ſuæ malevolentiæ conſcius, ne nobis ſuboleat, metuit. Quamobrem tantum abſit, ut verbis blandulis nobis imponi patiamur, ut inde cautionis & circumſpectionis argumentum capiamus, & (ut propheta monet) fidem cohibere diſcamus. Nec enim ſine cauſa ἀπιστίαν optimum clypeum, quem hujuſmodi verbis opponamus, hujus mundi ſapientes eſſe dixerunt. Quod ſi juramenta, & *execrationes* crebras addiderit, Pſal. 10. 7. hæc tibi alia nota, & indicium ſit, illum *dolos* ſtruere, ſaltem, quod ſe facturum juravit, non præſtiturum. Sed quid ſi (quod in Saule videmus) beneficiis non vulgaribus nos afficiet? Quid? Recordari convenit, inimici δῶρα ἄδωρα eſſe, & Danaos etiam dona ferentes metuendos eſſe. Idcircò ita utamur hujuſmodi beneficiis, ut interim meminerimus illud Matth. 10. 17. *cavete ab hominibus.* Sed tutiſſimum eſt cum Davide Deum precari, ut nos liberet à labio falſitatis, & à lingua doli Pſal. 119. 2. Sed quorſum hæc nobis (dicat aliquis,) qui plus ſatis δύσπιστοι, & increduli ſumus? Reſpondeo, in rebus quidem divinis valdè nos incredulos eſſe, & ad fidendum Deo parum promtos: ſed in fidem hominibus habendo nimis plerunque temerarii deprehendimur.

20. Sequitur pars altera munitionis de confirmatione fidelium adverſus inſidioſa & clandeſtina impiorum conſilia; fore ſc. ut tandem pateſiant, & innoteſcant omnibus. Quod quidem ut improbos, nequid celandi fiduciâ admittant, admonere; ſic pios conſolari debet, ne inſidioſis improborum conatibus nimium conſternentur. Videmus, conſilia Saulis à filio ſuo Davidi retecta; conjurationem adverſus Paulum pueri indicio fruſtratam; & ſecretiſſima regis Syriæ conſilia ab Eliſha regi Iſraëlis indicata. Quod tametſi nō ſemper in hoc mundo fiat, tamē in ultimo judicio, niſi intervenerit peccatorum remiſſio, pleniſſimè perficietur.

V. 27. *Qui fodit foveam in illam cadet: & qui devolvit lapidem, ad eum revertetur.*

Scopus eſt deterrere à malò inferendo, propoſito damno, quod ad inferentem redundabit.

A damno.

A damno alteri inferendo primo, & præcipuè nos cohibere debet amor Dei, dein proximi. Sed Deus non contentus rationes, quæ pios in officio retineant, proponere alias exquirit (& hanc inprimis à noſtri ipſorum amore petitam) quibus homines minimè regeniti ab inferenda injuria deterreantur. Qui igitur, omnibus his perfractis repagulis, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα (ut in Prover. dicitur) πηδᾷ, furioſus, & amens ſit, neceſſe eſt. Cum enim malum aliis ſtruimus, nobis ipſis machinamur exitium, & interitum accerſimus. Quod veritatis ita liquidæ, & certæ eſt, ut ipſi ethnici & agnoverunt, & ſcitè dictis celebrarunt, κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Præclara exempla exſtant in Hamane, qui eadem cruce periit, quã Mard. erigi curaverat: & in Moabitis, qui Iſraëlitas execrationibus onerare conantes eaſdẽ in ſe attraxerunt. Num. 24.

Hanc doctrinam à pari illuſtrat. Perinde enim facere ait, qui in alium meditatur maleficium, ut qui foveam fodit, in quam ipſe oblitus incidit. Sed poſterior comparatio illuſtrior videtur; ubi, qui malum proximo infert, illi exæquatur, qui ingentem lapidem in acclivem locum attollere conatur, unde in caput ſuum continuo recidit. Cui non diſſimile eſt, quod Pſ. 7. 16. malũ in pios ab improbis machinatũ telo miſſili confertur, quod in aërem emiſſum in jaculatoris verticẽ denuo revertitur. Omnes latomũ ſtultitiæ damnãt, qui lapides capiti ſuo impendentes dolat, cum quicquid illis detrahitur, in ipſum recidit. Quidni igitur fatuus habeatur, qui malũ in ſe retorquendum alteri molitur?

Hinc contra atheos Dei providentiam negantes certiſſimum argumentum ducitur, Deum pro tribunali ſedentem res humanas moderari, cum improbus opere manuum ſuarum irretitus tenetur, Pſal. 9. 15, 16.

Verſ. 28. Vir lingua falſitatis odio habet à ſe attritos, & ore glabro perficiet impulſionem.

Summa eſt, cavendum eſſe à blandiloquentia, qua plerique odium celando ſibi exoſis interitum afferunt; &, quos læſerunt, porro occultè pergunt lædere.

Sunt, qui odium in alios conceptum palàm profitentur: alii viribus ſuis diffidentes, blando ſermone adverſarios demulcent, ut, ſublata odii ſuſpicione, incautos ex inſidiis adoriantur. Eſt autem peſſimum hoc genus hominum, & ingenio ignobili admodum. Odio enim tanto flagrant, ut à ſe læſos non beneficiis cõpenſent, ſed injuriis inſuper onerẽt; ita tamen ignavi ſunt, & timidi; ut à ſe attritos, ne quid ipſis periculi creent, funditus perdere, & obruere cupiunt; ſed palàm aggredi præ ignavia non auſi, clàm, & per ſpeciem amicitiæ facere conantur.

CAPUT XXVII.

Verſ. 1. Ne glorieris de die craſtino; quia neſcis, quid pariet dies.

In יום מחר (*die craſtino*) eſt ſynecd. part. pro futuro tempore; deinde eſt metony. adjunct. futuri temporis pro rebus in eo eventuris. In ילד eſt metaph. ab animantibus fœtum enitentibus tranſlata ad temporis eventum.

Summa eſt, de incertis, & quæ in noſtra poteſtate non ſunt, vanam eſſe gloriationem.

Ex malo ovo malus pullus. Nam animi ſuperbia, & ſtudium apud homines in pretio eſſe hujus oſtentationis ipſiſſima parens eſt, Rom. 1. 30. Hujus ſtudij in homine-

mine ſe venditandi ex eo vanitas conſtat, quod de his, quæ non ſunt, tanquam eſſent, gloriatur. Et primum quidem in eo peccat graviter, quod craſtinum diem ſibi pollicetur; cum hæc vita πομφόλυξ, ſeu bulla ſit, & (ut Iacob. ait 4. 14.) vapor, qui ad exiguum tempus apparens ilico diſparet. Deinde ut vivat in craſtinum, rei tamen, qua de gloriatur, non penes ipſum eventus eſt, ſed in unius Dei manu. Solus enim Deus futura (præſertim contingentia) ſcit, & dirigit. De iis, quæ naturæ vi, & conſtanti curſu fiunt, poteſt quis pronunciare, ut de ſolis ortu, occaſu, eclipſi, æquinoctio: de iis etiam, quæ in utramque partem eveniunt, poteſt ex ſignis conjecturam facere, ut ex cœlo ſub occaſum ſolis rubente de inſequent s diei ſerenitate, &c. ſed de his, quæ ex aliorum ſeu noſtro ipſorum arbitrio, aut induſtria pendent, certi aliquid conſtituere ſuperbæ arrogantiæ eſt. Nos vulgari Proverbio hujuſmodi homines irridemus: quos pullos ſuos numerare priuſquam excludantur; & de pelle feræ, quæ adhuc in ſaltu eſt paciſci dicimus. Exempla ſunt Iudic. 5. 28. 29. 30: 1. Reg. 20. 10. Luc. 12. 16. 17. 18. 20. Iacob. 4. 13.

Argumentum, quo ab hac gloriatione dehortatur, eſt ab adjuncta ignoratione ejus, quod craſtinus dies afferet. Quid, quod in illo ipſo die, in quo de craſtino gloriaris, neſcis quid ſerus veſper vehat, Luc. 12. 20: 1. Reg. 20. 11. Flagella enim, & judicia Dei tanquam *doloris parturientis* ſunt, & *inſtar furis nocturni* tum vel maximè homines invadunt, cum maximè de ſecuritate gloriantur, 1. Theſſal. 5. 3. Hujuſmodi oſtentatio cum in nemine ferenda ſit, tum in improbis, qui maleficiis dediti ſibi omnia proſpera pollicentur, qui ſe vindictam de aliis ſumpturos minitantur, qui reſipiſcentiam, non in diem, ſed in annum, aliquando in ætatem integram rejiciunt, maximè eſt intolerabile.

De quovis jactabundo (& his præcipuè) verum eſt, quod veteri nos, & ſcito admodum Proverbio celebramus; *many things fal betwen the cup, and the lip; the chalice, and the chin*; & illud; multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra.

Videtur Propheta hanc ignorationem confirmare à pari. Affingit enim diei craſtino puerperium. Sicut igitur, quamdiu fœmina uterum fert, nemo ſcit, pulchra, an deformis, integra, vel manca proles futura ſit: ita nec intelligit, quid craſtinus dies, donec eventus doceat, proferet.

Verſ. 2. Laudet te extraneus, non os tuum; alienus, non labia tua.

Summa eſt, ſordere de propria virtute teſtimonium.

Hoc Proverbium ſuperiori videtur affine eſſe, & prolepſin quandam complecti: cujus occupatio tacita eſt; tametſi non liceat homini de nondum partis gloriari, tamen de acquiſitis licebit ſuas laudes prædicare: ſubjectio in hoc verſu exprimitur, *laudet te* &c.

Hujus præcepti ratio una eſt φιλαυτία omnibus ingenita, qua fit, ut melius de nobis, & noſtris, quam par eſt, aut veritas fert, ſentiamus. Unde incorruptiſſimi ſeu teſtes, ſeu judices, ſiquando propria ipſorum cauſa diſceptetur, donec decernatur, à tribunali ſemoveri ſolent. Unus Deus, qui perfectiſſimè juſtus eſt, & ſe laudare, & in propria cauſa teſtari jure poteſt, & ſententiam ferre. Deinde ut judicium de nobis, aut noſtris incorruptum feramus, ei tamen fides derogatur. Hinc eſt illud Judæorum in Chriſtum dicterium Ioh. 8. 13. *tu de te ipſo &c.* Quod ille ita negat, ut ſi homo fuiſſet modo, verum fore non abnuat. Imitandum igitur nobis eſt illud Chriſti, de quo præclara ipſius opera teſtata ſunt; loquantur

tur pro nobis facta, non verba; manus, non linguæ. Denique cum decoro pugnat propria laus. In Olympiacis certaminibus victores non capitibus ſuis coronas impoſuerunt; ſed, dum ab aliis imponerentur, exſpectârunt. Et apud nos probroſe in laudatorem ſui dicitur, ei bonos vicinos non ſuppetere.

Taxantur hic, qui primas ſedes in conviviis, & ſynagogis captant; magis vero, qui, ſepultâ Dei gratia, & potenti operatione, non ſine ipſius contumelia ſeipſos laudant; maximè autem, qui in maleficiis ſuis gloriantur. Eſſe tamen tempus, cum quis ſe jure laudare poſſit, ſupra oſtenſum eſt.

Verſ. 3. Gravitas eſt lapidis & pondus arenæ: ſed indignatio ſtulti gravior eſt utriſque.

Scopus eſt oſtendere iræ, & indignationis in nō regenitis noxium ingenium.

Dictum eſt, iram furorem eſſe quendam, & amentiam. Irato enim, tanquam de poteſtate mentis exiiſſet, color, vox, oculi, Spiritus ſubito mutantur. Et ſicut furioſus in obvium quemvis magno impetu ruens faces, cultra, miſſilia, & lethalia quæque jaculatur, niſi vinculis conſtrictus teneatur: ſic ira, niſi vinculis S. Sancti, & manſuetudine cælitus ex regeneratione immiſſa cohibeatur, effrænis graſſatur, & omnia, quibuſcunque occurſat, pervaſtat. Cum igitur S. Sancti, & gratiarum ejus inanes ſint, quid mirum, ſi eorum indignationem, in qua nullum modum ſtatuere poſſunt alii gravem, & oneroſam ſentiant? Levi, & Simeonis ira quam oneroſa Schechemitis fuerit, ſacra hiſtoria teſtatur Gen. 34. 25. 26. & 49. 5. 6. 7. Davidis etiam qualis in Nabalem ira fuit, videre eſt 1. Sam. 25. Quod ſi ſervorum Dei, qui cœleſtis ſapientiæ participes ſunt, tam crudelis ira ſit, quam eſt improborum ira intolerabilis, quibus ne guttula quidem aquæ cæleſtis, qua incendium hoc reſtinguant, ſuppetit?

Gravitatem hanc, ſeu indignationis atrocitatem duplici pari amplificat; primo lapide, cujus gravitas omnibus notiſſima eſt (unde etiam gravia, quæ deorſum feruntur, lapidi aſſimilantur Exod. 15. 5;) ſecundo arenâ, cujus pondus tantum eſt, ut pro ſaburra in ipſo navis fundo ad eam contra ventorum, & fluctuum violentiam firmandum uſurpetur. Sicut igitur lapis, & arena portantem premunt: ſic indignatio ſtulti ei, cui indignatur, gravis admodum, & moleſta eſt. Deinde ſicut gravia non facilè ſuo loco moventur: ſic ſtultorum ira vix ullo modo eſt placabilis. Pii verò, tametſi nonnunquam iraſcantur, *ſol* tamen *ſuper eorum iram non cadit*. Eph. 4. Improborum iræ illuſtre exemplum eſt in Eſavo; cujus ira ad mortem uſque continuata, ad omnes poſteros tranſmiſſa & derivata eſt, Obad. 10. & in Abshalomo 2. Sam. 13. Contra in Davide iram vel maximè accenſam paulo momento repreſſam legimus 1. Sam. 25.

Hinc diſcamus primo, crabrones iſtos, nempe ſtultos, niſi officii in Deum, aut proximum ratio poſtulet, non irritare. Quod ſi poſtulet, tum cavendum, ne, dum ſtultum hominem placamus, Deum ipſum irritemus. Nam ſi ab homuncionis ira nobis pertimeſcendum eſt, nedum à præpotentis Dei indignatione. Deinde videndum, ut fræno patientiæ, & manſuetudinis injecto periculoſum hunc animi motum compeſcamus. Ira enim non aliis modo gravis, & moleſta eſt, ſed ipſis etiam dominis non rarò morbos, inſaniam, & mortem ipſam conciliat. Contrarium videmus in Moſe, qui manſuetudine id conſequutus eſt, ut ſenecta

admo-

admodum, & quidem ad miraculum vegeta fuerit.

V. 4. *Crudelitas excandeſcentiæ eſt, & mundatio iræ. Sed quis conſiſtet coram invidentiâ?*

In חמה, אף, קנאה (*excandeſcentiæ ira, invidentiâ*) eſt metony. adj. In שטף (*mundatio*) eſt metaph. tracta à fluminibus ripas perrumpentibus, & vicina loca inundantibus, & tranſlata ad iratos, qui nullum modum in ulciſcendis injuriis ſtatuunt.

Scopus eſt invidentię ſummam malitiam, & barbaram crudelitatem declarare.

Hic conſiderandum eſt
- *Primò axioma, quod Salomon probandum ſibi proponit.*
- *Deinde argumentum, quo probat.*

Res probanda eſt, incredibilem eſſe invidentiæ ſævitiam. Quod ut melius intelligatur, proponenda eſt definitio. Eſt autem invidentia triſtitia ex apparenti bonorum proſperitate. Ubi notanda eſt hujus vitij ſumma perverſitas, quod hominem ex aliorum bono, unde non modo ipſe non læditur, ſed etiam juvatur, aut certè juvari poteſt (quandoquidem Dei dona in unum aliquem collata in communem utilitatem referenda ſunt,) triſtitia afficit. Deinde obſervanda eſt hujus inſcitia. Nam (ut ingenium eſt inv dia flagrantium humile, & abjectum) quæ bona perexigua ſunt in aliis, invido, quaſi per nebulas ſpectanti videntur maxima. Imo (quod adhuc magis fatuum eſt) ob aliorum proſperitatem, quæ nulla eſt, nõnunquam mœrore ſe conficit; ut, cum exhauſtis divitias, aut aliis honores, qui aut nuſquam reperiuntur (Matth. 20. 24.) aut quibus nunquam potientur, invidet.

Deſcribitur hoc vitium ſuo effecto, quod nemo poteſt coram illo conſiſtere. Quod interrogatione elatum ἐμφατικώτερον eſt. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet; tanto impetu, & tam indefatigabili eum, cui invidet, perdendi ſtudio fertur invidus, ut vix quiſquam coram illo poſſit conſiſtere. Exemplo ſit diabolus Gen. 3. fratres Ioſephi, Saul, Phariſ. adverſus Chriſtum, Iudæi adverſus Gentes Act. 13. 45. Quid, quod nec ipſe coram ſeipſo conſiſtere poteſt? Proverb. 14. 30.

Amplificat invidiæ nequitiam à compar. minor. ira ſcilicet & excandeſcentia, quæ ſuis effectis crudelitatis exundantis exaggerantur. Nam ira crudelis eſt (Gen. 49. 7.) neque modum ſtatuit in vindicta, tamen ludus, & jocus eſt, ſi cum invidentia comparetur: Primum enim inſidioſus eſt invidus, & latet tanquam anguis in herba, nec odio habere propter cauſæ turpitudinem videri vult; cum iratus non dubitet ſuam iram profiteri, & iræ cauſam. Deinde iratus ex damno accepto, aut certè opinione damni iraſc tur: invidus non niſi alterius bono dolet nullo malo ab eo, cui invidet, provocatus. Tertio ira concitatus poſt aliquod intervallum ſæpe molleſcit ita, & miteſcit, ut ejus, quem, fervente ira, læſit, miſereatur; &, quod fecit, infectum cupiat: invidus contrà non ſolum temporis interſtitio non mitigatur, ſed exaſperatur magis; & cujus bono triſtiatur, ejus malo, ſi evenerit, gaudet, & exultat. Quarto iratus ita malum aliis infert, ut ſibi interim, quantum pote, à malo caveat: invidus vero (ſicut de eo memoriæ proditum eſt, qui ſibi unum oculum erui expetivit, ut æmulus utroque excæcaretur) non renuit grave damnum ſibi accerſere, ut graviore alium afficiat. Denique illa vis eſt invidiæ, ut bonum, quod alteri, tanquam nimis magnum ſit invidet, ipſa amplecti nolit. Actor. 13. 44, 45.

Hinc

Hinc colligit Salomon (eccleſ. 4.4.) vanitatem, quæ eſt in hac vita; quia, ſit paulo meliori conditione, doctrina, divitiis, &c. huic invidetur.

Verſ. 5. Melior eſt redargutio aperta, quam amor occultus.

Scopus eſt amicitiæ perfidioſæ damnũ oſtendere.

Hic infidelis amicitiæ effectum primo proponitur, deinde compar. minor illuſtratur. Et primum quidem videndum, quid ſibi vult occultus amor. Quomodo enim pro amore habendus, qui nullis unquam ſe fructibus declaravit? Sciendum igitur, occultum amorem eum eſſe, quem quis verbis profeſſus re, & factis, cum opus eſt, non oſtendit. Quamdiu igitur amicitiam nudis verbis, utcunque bonis, & promiſſis, quantumcunque profuſis teſtamur, occulta dicitur. Tametſi etiam beneficiis quibuſdam tempore non neceſſario iudicata fuerit, ſi tamen in re dubia (in qua amicus certus cernitur) langueſcat, & ſtagnantes aquas (de quibus Iobus c. 6. v. 15. &c.) imitetur, quæ in hyeme, cum opus non eſt, copioſæ ſunt, æſtate vero, cum viatoribus reficiendis utiles eſſe poſſent, exſiccantur, adhuc occultus amor habebitur. Denique qui amicitiæ fructus non ulterius extendit, quàm quoad amicorum libidini, & voluntati inſerviant, occultus amator dicendus eſt.

Hoc effectum illuſtratur minore malo, nempe aperta reprehenſione. Ubi quæritur, an aperta reprehenſio, quæ ab Apoſtolo imperatur, 1. Timoth. 5. 20. in malis ſit? Reſpondeo, debitè quidem adhibitam rem eſſe præſtantiſſimam, nec cum ſimulati amici perfidia comparandam; ſed eam hic intelligi debere, quam occultam eſſe oportet, cum peccatum non ſit publicum. Ex quo illud etiam ſubinnuit, redargutionem eam intelligi, quæ ab inimico provenit; quandoquidem inimicis ſolenne eſt occulta peccata evulgare, ſicut charitas multitudinem eorum tegit. Senſus igitur eſſe videtur; perfidioſum, & occultum amorem inimici redargutione deteriorem eſſe. Cujus rei inde veritas conſtare poteſt, quod amici perfidia præter exſpectationem accidat, cum ab inimico nihil boni exſpectetur. Deinde ex redargutione inimici adverſus culpam, de qua redarguimur, cautiores in poſterum reddimur. Prudentiæ enim eſt, non tam à quo, quàm quid dicatur, expendere. Si igitur verum ſit, quod objicitur, à quocunque proficiſcatur, eo proficiendum erit.

Verſ. 6. Fidelia ſunt vulnera amantis: ſed deprecanda oſcula oſoris.

In פצעי (*vulnera*) & נשיקות (*oſcula*) eſt ſynecd. ſpec. pro omni genere acerborum, & blandimentorum.

Summa eſt, amorem non tantùm in rebus gratis, & jucundis; ſed in iis etiam, quas animus ejus, quem amamus, averſatur, dummodo utiles, & neceſſariæ fuerint, exerceri.

Qui amicitiæ fœdus cum alio contrahit, fidem dat, ſe, quantum poterit, omnia, in quibus illi prodeſſe, & gratificari poſſit, effecturum. Plerique igitur, quamdiu amici, quæ cordi, & voluptati ſunt, faciunt, fidem ab illis ſervari, agnoſcunt; at ſi delinquentibus verbo, aut facto diſpliceant, illico fidem datam violatam eſſe clamant. Propheta, ut hunc errorem animis hominum eximat, apertè confirmat, etiam vulnera amici manu, qui de amico ſuo juvando fidem obſtrinxit, inflicta ad fidei ejus liberationem pertinere. Quemadmodum enim pharmaca,

quamvis amara, & ægroto ingrata, ſalutaria tamen amoris medici certius indicium præbent, quàm ſi jucunda, & palato grata conquirerentur: ſic qui in amicum delinquentem prudenter animadvertit, ardentioris benevolentiæ τεκμήριον edit; quam qui in delictis ejus connivet, ſive etiam (quod à vera amicitia longiſſimè abeſt) ei adblanditur. Hujus documenti ratio ex c. 20. verſ. 30. clarè oſtenditur. Vbi vibices, & vulnera ad ventrem uſque, & inteſtina pervadentia purgandi vim habere dicuntur. Quamobrem ſit ab iis, quorum imperio ſubijcimur, aſperioribus verbis plagæ etiam, & vulnera adijciantur, ſi non officii ratione, at noſtro ſaltem commodo adducti æque, & patienter feramus. Imo vero ita nos oportet comparatos eſſe, ut pro ratione delicti mallemus caſtigari, quàm pœna eximi. Nam ſi deprecanda ſint oſcula oſorum, precàndum contrà, ut delinquentes plectamur potius, quam in peccatorum fæcibus putreſcamus. Vid Zach. 13. 6. Vbi, qui temerè ſe in miniſterium, quo fungendo non erant, ingeſſerant, ſe id amicorum domo plagis affectos eſſe dicunt. Vid. etiam Pſalm. 141. 5. Quod ſi hominum nos amantium tam fidelia ſint vulnera, quanto magis, quæ à Deo amantiſſimo patre immediatè infliguntur? Heb. 12. 9. 10.

Hæc doctrina ſuo adverſo illuſtratur. Perinde enim expetenda ſunt vulnera amantium, atque deprecanda oſcula oſorum. Nemo autē tam demens eſt, quin oſoris blanditias, & oſcula refugiat, ne tā familiari acceſſu poteſtas ei fiat vitam eripiendi, aut alio quopiam malo afficiendi. 2. Sam. 3. 27. & 20. 9. Mat. 26. 49. Quod ſi parcere virgæ ſit odij effectum in parentibus, quàm pernicioſum eſt liberos inofficioſos, & immorigeros oſculari, aut præmio afficere? Cujuſvis igitur oſoris deprecanda ſunt oſcula; non ejus modo, qui de induſtria, & ex profeſſo; ſed ejus etiam, qui, licet non animo, & voluntate, facto tamen odium in nos exercet.

Quod dicit, deprecanda eſſe, periculum, quod inde imminet, magnum eſſe docet, & viam illud effugiendi fere nullam. Hinc David Pſal. 141. 4 precatur, ne improborum delicias comedat; & toties contra blandas hoſtium delinitiones preces fundit.

Notandum denique, omnia, quæ refugienda ſunt, à Deo deprecanda eſſe. Hominum autem pleriq; mala, quæ exhorreſcunt, ſua, aut aliorum opera vitare ſtudent; pauci ad Deum, qui ſolus avertere poteſt, precibus confugiunt.

Verſ. 7. Anima ſatura calcat favum: animæ verò famelicæ omne amarum dulce.

In נפש (*anima*) eſt ſyn. integri pro facultate appetitiva. In נפת (*favum*) eſt ſy. ſpec. pro omnib. deliciis.

Summa eſt, divites minus beatos eſſe, quàm ſibi, & aliis videntur; pauperes minus miſeros.

Salomon in ſuo Eccleſiaſte docet, omni vitæ conditioni vanitatem ineſſe, etiam iis, quæ beatiſſimæ putantur: qualis eſt regum cap 4, & divitū cap. 5. Hic vero, inſtituta comparatione, divitis, quàm pauperis conditionem deteriorem eſſe docet, quod dives varietate ciborum oppreſſus exquiſitiſſimas quaſque dapes faſtidiat, cum pauperi famelico craſſiſſima quæque grata ſint. Hujus rei inſigne exemplum eſt in Iſraëlitis, qui *man*, delicatiſſimum cibum propter abundantiā ſummo faſtidio habuerunt. Hinc aliud incōmodum naſcitur, (ſicut Eccl. 5. 11. declaratur.) Divites enim ſaturitas dormire non ſinit, cum pauperi ſomnus, ſive multum

multum, ſive parum comedat, ſuavis ſit, His accedit, pauperes nocturnos fures minus formidare, interdiu coram latronibus cantare, & in patriæ vaſtatione mollius tractari, Ier. 39. 10. Quamobrem neque dives ſuâ affluentiâ efferri debet, nec pauper inopia dejici; Proverb. 10. 15.

Saturitas cum in externis rebus moleſta ſit, in cœleſtibus multo magis miſera deprehenditur. Hujuſmodi ſaturionibus væ denunciatur Luc. 6. 25. Apoc. 3. 17. Sicut è contra fàmelici beati pronunciantur Math. 5. 6. Sciendum vero inter rerum divinarum, & mundanarum ſaturos magnum eſſe diſcrimẽ. Hi enim, non quod re vera ſint, ſaturi vocantur, ſed quia ſibi videntur; & cum cœleſtium inaniſſimi ſint, ventoſa ſaturitatis opinione turgent, & diſtenduntur. Tales ſunt, qui verbum divinum, pruſquam ſummis labris vere guſtârint, tanquam ſatis ſuperq; in via pietatis inſtructi eſſent, aſpernantur. Tales etiam juſtitiarii, qui cum nihil quicquam veræ pietatis in anius, ſit, vana tamen meritorum fiducia intumeſcunt.

Verſ. 8. Vt avicula fugiens ex nido ſuo: ſic vir fugiens è loco ſuo.

Summa eſt, cuique in ea vocatione, quam Deus illi aſſignavit, permanendum eſſe.

Vt in ſtatione noſtra perſiſtamus, reputandum eſt, Deum quorumcunque ad eam rem ope uſus ſit, nos in illa collocaſſe. Itaque, niſi non in homines tantùm, ſed & Deum ipſum rebelles erimus, firmiter in eadem, & conſtanter, permanendum eſt. Si enim militi locum, ab imperatore aſſignatum deſerere nefas ſit: quanto magis vocationi à Deo nobis demandatę renunciare piaculum erit? Hoc tamen faciunt πολυπράγμονες, & ἀλλοτριοεπίσκοποι, & qui Athenienſium more novitatis aliquid audiendi quotidiè, aut narrandi ſtudio rem familiarem negligunt Act. 17. 21.

Hanc doctrinã confirmat ab adj. damno ex comparatione, quam inſtituit, colligendo. Homo enim à vocatione ſua diſcedens aviculæ ſimilis eſt, quæ nidum deſerens avibus rapacibns, ſagittis, retibus, & multis aliis periculis obnoxia eſt. Hinc propheta ſpeculam, ſeu arcem epiſcopatum ſuum appellat. Qui vero ſtationem ſuam non ſervant, omnibus malis expoſiti ſunt. Nu. 16. 32. 2. Sam. 6. 6. 7. 2. Chron. 26. 19. Ionah. 1. Iud. verſ. 6. Quamobrem maturè deliberandum eſt parentibus, àliiſque, quibus liberi educationis ergo committuntur, quod genus vitæ cuique conveniat.

Sed an omnino (dicet aliquis) illicitum eſt, quam quis ſemel ſuſceperit vitę conditionem deponere? Reſpondeo, licere, primo ſi quis à Deo (ut Moſes, David, Eliſha, Amos) ad novam occupationem vocatus fuerit; deinde ſi Reipub. utilitas poſtulet. Præterea fame, aut loci inſalubritate coactus poteſt aliquis è loco ſuo commigrare, ſicut ab Abrah. Iſaaco, Noami, & Shunamitide factum legimus. Sed ſuperſtitioſæ pontificiorum & temerariæ juvenum peregrinationes, ſicut calamitatum plenæ ſunt (Pſal. 107.) ita Deo exoſæ.

Verſ. 9. Vnguentum, & ſuffitus exhilarant cor: ita dulcedo amici ſui [quemque] magis quam conſilium animæ.

v. 10. Amicum tuum, & amicum patris tui ne deſeras; neque domum fratris in die exitij ingrediaris Me-

lior eſt vicinus prpoinquus fratre longinquo.

In נפש (*animæ*) eſt ſyn. membri pro toto homine.

Scopus eſt eximios amicitiæ fructus ob oculos proponere.

Partes duæ ſunt. { *adhortatio in initio verſ.* 10.
{ *rationes, quibus nititur.*

Amicum non eſſe deſerendum (quæ ſumma eſt adhortationis,) ratio, & ſenſus docet. (Vnde improbiſſimus Abshalomus Hushajo deſertionem Davidis, quam tamen ſibi utilem putavit, exprobravit 2. Sam. 16. 17.) Cum enim amicus ſit alter idem, ſeipſum deſerit, qui amici deſertor eſt, præſertim veteris, qui à parentibus, tanquam pretioſa quædam hæreditas deſcendit, & devolvitur. Nam ut hæreditatem paternam pluris, quam à nobis acquiſitam facimus: ſic amici paterni, qui iidem & noſtri ſunt, novitiis anteferre debemus; quandoquidem amicitia, non ut veſtes, & ædificia novitate; ſed ut vinum vetuſtate commendabilis eſt. Salomon, quod illis præcipit, ipſe ſequutus eſt. Nã Hirami, qui Davidi charus fuerat, expetivit amicitiam, & coluit. 1. Reg. 5. 1. 12.

Adhortatio, ne amicum, præſertim veterem, deſeramus (quod non tantum fit, cùm apertam ab illo diſceſſionem facimus, ſed cum amicitiæ officiis cum illo nõ certamus, aut illi gratitudinis indiciis non reſpondemus Prov. 11, 24,) adhuc fuit: ſequitur argumentum, quo nititur, duplex. Prius eſt ab adj. voluptate, quæ porro arguitur comparatione primò parium quæ ſunt unguentum, & ſuffitus, quorum odore ad delectationem, & cerebri confirmationẽ nihil opportunius. Quemadmodum igitur hæc corpus; ſic amicitia animam recreat. Quo etiam ſpectat, quod amici conſuetudo melli cõparatur Prov. 25. 16. Deinde dulcedo hæc, præſertim cum conſilium quod ab amico provenit, ſubjectum nacta ſit, comparatione minoris amplificatur; qua aſſeritur, conſilium amici proprio conſilio ſuavius eſſe. Nam, cum in conſilio dando ſpectari ſolent fides, & prudentia. de amici fide non eſt dubitandũ; & prudentiam quod attinet, notum eſt, quod dici ſolet, adſtantes plus videre, quam actores ipſos. Quod ut alias ubique ita præcipuè in rebus afflictis, cum animi judicium dolore, & iniquietudine, veluti offuſa caligine, intercipitur, locum habet.

Alterum argumentum eſt ab adj. utilitate, quod declaratur adj. temporis ſummæ calamitatis; in quo petitum opem amici ædes adeundas eſſe monet. Et hoc compar. minor. exornat; amicum potius, quàm fratrem adeundum eſſe. Ratio petitur ex Prov. 17. 17. quod amicus omni tempore diligat, & in tempore afflictionis maximè amorem declaret; cum fratres odio pene irreconciliabili ſæpe inter ſe diſſideãt Prov. 18. 19. maxime vero cũ res adverſæ premunt. Prov. 19. 7. Sicut etiam conſtantius; ita impenſius amicus, quàm frater Prov. 18. 24. Hoc autem in loco propheta, amicum potius, quam fratrem adeundum eſſe probat à ſubj. loco; quia amicus fratre propinquior ſit. Quo ſubinnuit, oportere, ut in amicis deligendis, iis potiſſimum, ſi fieri poſſit, qui ex vicinia ſunt, nos adjungamus. Sic enim Chriſtum videmus ex ſuis diſcipulis à latere ipſius nunquam deſcendentibus amicum delegiſſe. Quinimo propheta habitationis propinquitatem tanti ad opportunè auxiliandum momenti eſſe ſtatuit, ut vicinum, quamvis arctiori amicitiæ vinculo non devinctum, urgenti calamitate, fratri procul remoto præferendũ eſſe doceat. Atque ita ratio videtur eſſe com-

compar. minor. Si enim vicinus in tempore calamitoſo fratri anteponendus eſt, amicus multo magis.

Verſ. 11. Sape fili mi, & exhilara cor meum, ut reſpondeam exprobanti mihi rem aliquam.

In בני (*fili mi*) eſt ſyn. ſpec. pro utriuſque ſexus liberis.

Summa eſt, liberos vel ob hanc cauſam, ne malevoli ex ipſorum inſcitia parentes probro afficiant, ſapientiæ ſtudio duci oportere.

Quomodo ſapientia eſt comparanda, c. 23. v. 23. docetur. Liberorum etiam ſapientiâ parentum animos exhilarari, ibidem dictum eſt v.24. Reſtat igitur hoc in loco alterum ſapientię, & pietatis liberorum effectum perſequi, quod in opprobria, quæ alioquin ex ignorantia, & perditis eorum moribus parentibus obtingerent, depellendo verſatur. Liberis igitur ſapientiæ, & pietatis ſtudio incumbendum eſt, ut, argumentis lætitiæ ſuppeditatis, mœroris, & ignominiæ occaſiones præſcindantur. Eorum enim inſipientiam ad parentum ignominiam non uno modo redundare, facilè rem conſideranti occurret. Primum enim ſuſpicionem affert, eos in liberis inſtituendis ſuum officium neglexiſſe. Deinde eadem inſipientiæ labe eos aſpergi, concluditur, qua liberi inficiuntur. Unde illud commune proverbium; *qualis mater talis filia*; Ezek. 1. 44. Atque ut nihil horum ſit, tamen ignominię nota liberis inuſta cum parentibus hominum iniquitate communicatur. Imò vero juſtiſſ. Dei lege parentes honore propter liberorum improbitatem, & luxum privantur. Hinc 1. Tim. 3. ab Eccleſiæ epiſcopatu arcetur, qui liberos luxu diffluentes habet. Huc refertur, quod mandavit Deus, nuptum datam, ſi ſtupri ante nuptias convincatur, ante ædes paternas lapidibus obruendam eſſe Deut. 22. 21. Contra vero liberi in officio manentes coronæ ſunt parentibus Pſal. 127. Prov. 17. 6. Quod ipſum & diligentiam parentum ad liberos rectè educandum, & liberorum ad pietatem, & ſapientiam amplexandum acuere debet.

Verſ. 12. Aſtutus prævidet malum, abſcondit ſe; fatui tranſeunt plectuntur.

Hujus proverbii expoſitionem Vide ſupra c. 22. v. 3. Quanquam non ſine uſura hic repetitur. Nam quod verba hic ἀσύνδετα ſint, quæ ibi conjunctionum nexu copulantur, notare videtur, prudentem maturè ſe abdere, & fatuum ſubito malo opprimi. Deinde videtur etiam hoc loco alium ſapientiæ, ad quam ſuperiore Proverb. adhortatus eſt, fructum indicare, eam non parentibus ſolis prodeſſe docens, ſed porro, & præcipuè liberis ipſis.

Verſ. 13. Accipe veſtem ejus, qui ſpondet pro extraneo; & pro extranea ſpondentem pignerare eum.

Vide cap. 20. verſ. 16. Diſcrimen in eo verſatur, quod hoc cum proximè præcedenti conjunctum videtur laudabilis aſtutiæ partem aliquam deſignare.

Verſ. 14. Qui benedicit amico ſuo voce magna manè ſurgendo tempeſtivè, maledictio reputabitur illi.

Scopus eſt aſſentationem odioſam reddere.

Hic deſcribitur aſſentatoris
- *Primò ingenium,*
- *Deinde præmium.*

Ingenium deſcribitur primum ab adjuncta vocis intenſione. Cujus quis alius finis, quàm ut exaudiatur? Qui igitur amicum coràm in os laudat, aut apud illos ſaltem, qui præconium ad eum perferant, aſſentator habendus eſt. Germanus amicus non ſuo, ſed ejus commodo amicum laude proſequitur; hic autem ſe reſpiciens eum, ut gratiam ineat, laude afficit, quem, niſi ad aures ejus perlatum iri exiſtimaret, non afficeret.

Sed an omnis præſentium laudatio illicita? Nequaquam Exod. 39. 43. Jehoſ. 22. 1, 2, 3. Et, magiſtratum benè meritos laudare oportere, monet Apoſt. Rom. 13. 3. ut in bono opere confirmentur. Nam virtus laudata creſcit. Sic parens liberos, herus ſervum, præceptor diſcipulos laudat. Profuerit etiam benè meritos laudare, ut certiùs intelligant, ſe benè agere, & rectum iter tenere.

Aliud, in quo aſſentatoris ingenium perſpicitur, adj. eſt manè, ut amicum laudet, ſurgere. Qua loquendi formula ſignificat Salomon laudationis aſſiduitatem, & continuitatem; tanquam, initio laudandi manè ſumpto, ad noctem uſque laudatorium ſermonem produceret. Quod eſt nullum modum, aut rationem in laudando ſtatuere. Qui igitur in laude immodicus eſt, indiciũ non dubium præbet aſſentationis. Deinde mane hoc facere dicitur, quia præfeſtinat, ne ab alio laudatore anticipatus lucro, quod ſperat, excidat. Unde eſt, quod etiam intempeſtivè hoc faciat; cum laudaturis tempus, & opportunitas exſpectanda ſit. Denique manè, & tempeſtivè laudat, qui eum laudat, cujus virtus nondum certa, & explorata eſt.

Aſſentatoris ingenium ejuſmodi eſt; ſequitur præmium, nempe laudem iſtam pro maledictione reputatum iri primum à Deo, cui exoſa eſt aſſentatio; deinde ab amico ipſo, qui (ſi quidquam intelligat,) hiſce laudibus ſe facilè corrumpi poſſe, & aſſentatorem opes ipſius ſibi aucupari, non poteſt non intelligere. Et quidem rectè judicanti facilè conſtabit, adulatorias laudes quibuſvis maledictis longè deteriores eſſe. Maledicta enim, ſi immerita ſint, nihil obſunt (Prov. 26. 2;) ſin vera, proſunt; cum inde & pœnitentiam de iis, quorum accuſamur, agendi, & cautius in poſterum incedendi accaſio arripi poſſit. Immodicæ vero adulatorum laudes, ſi non eorum, qui laudantur, ad ſuperbiam, unde ſint in æternum exitium præcipitandi, animos attollant, nec opibus ſpolient, ſuſpicionem tamen aliis movent, eos laudis avidos eſſe, & inanem gloriam captare.

Verſ. 15. Stilla continua in die vehementiſſimæ pluviæ, & mulier contentionum æquantur.

V. 16. *Quisque abſcondentium illam abſconderit ventum, & unguentum dexteræ ejus clamabit.*

Scopus eſt contentioſæ uxoris malitiam ob oculos ponere.

Hic proponuntur mulieris contentioſæ
- *Effectum,*
- *Adjunctum.*

Effectum quod attinet, viro, cui omnibus diebus vitæ ſuæ adjutrix eſſe debet, maximam adfert moleſtiam. Qua de re ſupra ca. 19. v. 13. ubi eadem inſtituitur comparatio parium. Quæ tamen hic ex adj. tempore illuſtrior efficitur, pluviæ ſcil.

ſcil. vehementiſſimæ, quæ tanto impetu irruit, ut domum quantumvis ſartam tectamque penetret. Vox enim, quæ hic uſurpatur, talem notat pluviam, quam quis fugiens domi ſe concluſum tenet; & quæ omnes ex agris fugans in ædibus veluti obſignat Iob. 37. 7. Tametſi igitur omnibus deliciis, & commodis domus abundet, lauta ſupellectile, exquiſitis, dapibus, amœniſſimis hortis, ſuaviſſima etiam ſobole, contentioſæ tamen uxoris continuum, & vehemens ſtillicidium omnia fœdat, & habitaculum incommodum omnibus, & odioſum reddit.

Verſ. 16. Sequitur adj. difficultatis curandi hujuſmodi mulieris pertinaciam; quod duobus par. illuſtratur, vento, quem nemo comprimere poteſt; & unguento odorifero, fragrantique, quod manu alicujus comprehenſum, & calefactum odorem multo vehementiorem ſpargit. Nam ut unguentum capiti ſervatoris affuſum totam domum odore ſuo complevit: ſic contentioſæ mulieris rixæ in omnes domus partes ſuum fœtorem emittũt. Quid, quod è domo propria erumpentes ad aliorum aures (quod ſine maxima viri ignominia fieri non poteſt) clamoſæ ejus vociferationes perveniant?

Hæc Sp. Sanctus ob eam cauſam propoſuit, quia plerique in uxoribus deligendis, modo nobiles, divites, aut formoſæ ſint, nulla earum maledicentia, aut pervicacia, quo minus ducant, abſterrentur, ſibi in animum ſtultiſſimè inducentes, ſe nullo negotio pertinax earum ingenium cicurare poſſe, quod nullo modo, niſi potentiſſima Sp. Sancti per Euangelij prædicationem operatione ſubjugari poteſt.

V. 17. *Ferrum acuit ferrum; & vir acuit faciem amici ſui.*

In poſteriore יחד (*acuit*) eſt metaphora à reparatione cultrorum ad recreationem hominum. In פני (*facies*) eſt metonym. effecti, qua vultus pro animo ponitur, triſtem illum aut hilarem, prout ipſe afficitur, effingente.

Scopus eſt amicitiæ fructum ob oculos proponere.

Quamvis latè pateat amici officium, nihil tamen adeo ei proprium eſt, quam amico laboranti, & afflicto, conſilio ſubvenire, & animum dejectum conſolationibus Dei erigere. Hinc Iobus ab amicis ſuis non dona ſe petiiſſe dicit, quibus paupertas ipſius levaretur; nec poſtulâſſe, ut ex hoſtium manu aſſererent (quod ſine ſumptu, aut vitæ periculo præſtare non poterant;) ſed conſolationem in malis exſpectaſſe. c. 6. 22, 23. Hinc Ionath. Davidem afflictum cõſolatus eſt. 1. Sam. 20. maximè vero c. 23. 16, 17. Hinc etiam Ioh. idem diſcipulus Chriſti, & amicus nunquam voluit in ſummo ejus diſcrimine vel latum quidem unguem ad extremum uſque ſpiritum ab eo diſcedere.

Hoc amici officium comparatione par. illuſtratur. Sicut enim ferrum, cujus acies retunditur, ferro conſimili denuo acuitur: ſic homo malis fractus ab amico priſtinæ animi hilaritati, quæ vultum placidum, & ſerenum reddit, reſtituitur. Neque enim quiſquam eſt ex affinibus, aut conſanguineis tam ad reficiendum afflictum idoneus, quam amicus; cujus conſolationes propter amorem facilius in animum influunt, & hærent firmius. Hic tamen cavendum eſt, ne aliter quam cõſolationibus Dei amicos labantes confirmemus, ſicut à Ionathane factum eſt, 1. Sam. 23. 17. & amici Iobi profeſſi ſunt. Plerique vero ſuis conſiliis nixi ita amicos malis eximere conantur, ut in graviora conjiciant 2. Sam. 13. verſ. 3. 4. &c.

Poteſt hoc ad alia amicorũ officia in cõſilio capiẽdo, aut adhortando trãsferri.

Verſ. 18.

Verſ. 18. Qui cuſtodiet ficum, comedet fructum ejus; & qui obſervat dominum ſuum, honorabitur.

Scopus eſt mutuum ſervi, & domini erga ſe invicem officium explicare.

Partes ſunt officium { *Servi,* / *Domini,*

Erga { *Dominum,* / *Servum.*

Servi officium eſt hero morem gerere, & nutum ejus ita obſervare, ut mandata ejus non dicta citius, quam facta ſint (Tit. 3. 1.) idque prompto & alacri animo, ſine quo, ut hominibus, ita Deo imprimis ingratum, & exoſum eſt omne obſequium. Hoc compar. par. exornatur. Quemadmodum enim qui ficeti cuſtodiæ præficitur, diligenter illud tueri debet: ita ſervi utilitati domini ſui procurando bona, & mala depellendo, quantum poterit, inſervire.

Sequitur officium domini; quod eſt ſervum fidelem; & ſolertem honore afficere. Ubi obſervandum eſt, honoris attributionem pro omni boni compenſatione accipi. Alius autem honor eſt, quo dominus ſervum proſequitur, alius, quo ſervus dominum. Honor etiam vel pauperculis viduis haberi dicitur, cum de victu illis, & veſtitu proſpicitur 1. Timoth. 5. Hoc autem in loco honoris nomine intelligit Salomon dignam laboribus, & fide mercedem. Deut. 15. 12. 13. 24. Quo ſpectat, quod prius docuit, talem ſervum fidem, & principatum aſſequuturum.

Hoc oſtenditur compar. minor. Si enim ficeti cuſtos ex fructu ejus affatim comedat, quanto magis, qui obſervat ficeti dominum, præmió afficietur? Non tamen fidelis ſervi remuneratio beneficentia heri terminatur: ſed Deus ipſi ampliſſimus ejus remunerator eſt. Tametſi igitur in ingratos heros ſervi inciderint, non tamen oleum, & operam perdēt, quia Deus, juſtiſſimus cui ſerviunt, dominus, fidem eorum, & diligentiam cumulate compenſabit Col. 3. 22, 23, 24. Cujus rei memorabile exemplum eſt in Labane, & Iacobo.

V. 19. Vt in aquis facies ergo faciem; ſic cor hominis homini.

Summa eſt, alterius animum plene nobis cognitum non eſſe.

Tanta eſt cordis profunditas, tot anfractus, receſſus, & veluti plicaturæ, ut nec ſuū quiſque penitus excutiat, & perſcrutetur. Luc. 22. 33. 2. Cor. 4. 4. 1. Joh. 3. 20. Quod ſi proprium non cognoſcamus, quanto magis ignotum erit alterius? Ier. 17. 9. 10. Poteſt aliquis ex vultu, dictis, & factis, præſertim ſæpius repetitis bonus, aut malus judicari: ſed non certo, & indubitato, maxime ſi de bonitate quæſtio fuerit; facta enim ſæpe mentiuntur, vultus ſæpius, ſæpiſſime oratio. Et cum rectum feratur judicium, ſolummodo tamen generale eſt; quandoquidem lateant particulares animi cogitationes, & bonitatis, aut malitiæ, quæ cognoſcitur, quantitas.

Hoc ſimilitudine illuſtratur. Quemadmodum enim nativæ faciei, non viva effigies, ſed rudis quædā ſpecies in aqua repræſentatur: ita ex ſignis, & indiciis externis de interno cordis ſtatu conjectura fieri poteſt, non ferri ſententia. Unde obſervandum eſt, non eſſe de animo cujuſquam (quod tamen à quàm plurimis fieri ſolet) temere ſtatuendum. Deinde enitendum eſt, ut vultus, oratio, & facta animi,

animi, & cogitationum noſtrarum ſinceritatem teſtentur; niſi graves cauſæ quandoque ad ſanctam ſimulationem nos, aut diſſimulationem adigant, ut Iehosh. 8. 15. Gen. 19. 2. Luc. 24. 28.

Verſ. 20. Sepulchrum, & perditio non ſatiantur: & oculi hominis non ſatiantur.

In עיני (*oculi*) eſt ſyn. ſpec. pro omnibus ſenſibus, & animi deſiderio.

Summa eſt, ex inſatiabili animi cupiditate naſci inquietudinem.

Hoc Proverbio docet Propheta, nullam hominibus in rebus mundanis ſuppetere veram animi tranquillitatem: nec quidquam eſſe, in quo animus humanus acquieſcat. Oculorum enim inſatiabilitas non aliunde manat, quàm ab inexplebili cupiditate animi, quæ, cum ad fœlicitatem in ſolo Deo, qui infinitus eſt, inveniendam feratur, ipſa etiam infinita eſt. Hinc immodica oritur videndi, audiendi, & cæteros ſenſus in ſuis ſenſilibus exercendi libido Quo argumento probat Salomon miſerã hujus vitæ, & rerum omnium mundanarum vanitatem. Eccleſ. 1. 8. Vbi, quod hic de oculis dicitur, de auribus (& pari ratione de reliquis ſenſibus) verum eſſe confirmatur

Oculi autem, cæterique ſenſus ideo non explentur, vel quia comparari nequeant, quibus frui cupimus; vel quia eorum, quibus fruimur, faſtidiũ nos capit, & ſatietas, qua fit, ut, ſpretis iis, nova affectemus; vel denique quia illis, quibus abundamus, & oblectamur, non tamen ſaturamur, ſed in immenſum ſe dilatat, & diffundit cupiditas noſtra. Sic avarus deſtitutus opibus incredibili earum deſiderio flagrat, multas nactus ardentius, quam iſtas pridem, nunc plures expetit. Creſcit enim (ſicut in Proverbio eſt) amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit; Sic ventri deditis ſæpe experimur, hodiè faſtidio eſſe, quæ heri in deliciis erant cupediæ. Idem etiam in quibuſlibet portentoſis hominum, & prodigioſis cupiditatibus quotidiana experientia veriſſimum eſſe comprobat.

Hanc doctrinam Propheta paribus illuſtrat, ſepulchro, & perditione, quæ per metony. effecti videtur idem cum ſepulchro deſignare. Sicut igitur ſepulchrum (cujus elegans admodum deſcriptio eſt Iſai. 5 14.) cadavera quævis injecta conſumendo inijciendis locum parat, nec unquam ad finalem uſque in die judicii abolitionem 1. Cor. 15. 55. ſatiabitur: ſic animi cupiditas ante obitum expleri nequit. Tametſi vero in rebus ſub ſole conſtitutis nunquam acquieſcat, aut ſatietur animus hominis, interna tamen rerum cæleſtium viſione in hac vita ſe mirifice oblectabit, & eadẽ in vita futura pleniſſime ſatiabitur. Hinc fide in Chriſto radicati, & pace ex fide donati totos ſe in Deo oblectant, & præthereà nihil deſiderant. Ita Simeon, poſtquam Chriſtum oculis intuitus fidem in eo confirmâſſet, ſibi una & oculos, & vitam claudi expetivit Luc. 2. Fides enim, & pietas in omnibus Dei filiis immenſæ illi, quæ omnibus ingeneratur, cupiditati modum ita imponit, ut præſentibus contenti (Heb. 13. 5.) norint abundare, & penuriam pati Phil. 4. 11. 12. Quamobrem fidei in Chriſto, & pietati ſedulo incumbendum eſt, quibus ſolis inquietudo animi, quam depravata cupiditas, ſi non frænetur, nobis adferet, tollitur.

Verſ. 21. Vt fuſorium vas argento, & catinum auro; ſic eſt vir ſecundum laudationem ſuam.

Scopus eſt, ut caveamus, ne noſtris laudibus corrumpamur.

Cum natura magna ſuiipſius lena ſit; cumque magna ubique ſit aſſentatorum copia, qui ad gratiam loquuntur omnia; cumque præter hos multi intelligentia ita tenui ſint,& debili judicio, ut, quid laude dignum, aut indignum ſit,non internoſcant, ſed non raro vituperandos laudent, aut mediocriter laudandos in immenſum laudibus efferant, videndum nobis eſt, ne ex aliorum ſententia ſeu aſſentatoria,ſeu temeraria de nobis,& virtutis noſtræ laudibus ſtatuamus.Quin eodem animo, quo vituperium noſtri audire ſolemus, præconium etiam audiamus. Quantumcunque enim ab aliis vituperamur, & probris oneramur, ſi noſtræ in eo,de quo accuſamur,innocentiæ nobis conſcii ſimus,non ita inde commovemur, ut quicquam de dignitate noſtra detractum putemus. 1.Cor.4. 3.4. Pari igitur ratione laudes, quibus nos alii afficient, excutiamus, & ad noſtri ipſorum judicii (qui melins noſmet, quam alii,novimus) ſtateram expendamus. Sed videndum,ut judicium noſtrum non aliunde, quam ex verbo divino,omnium noſtrarum actionum incorrupto judice informetur. Nam cum is ſolus commendabilis ſit, quem laudat Deus (Rom. 2. 29. & 2. Cor. 10.18;) Deus autem non niſi verbo, quid de nobis judicii habeat, declaret; verbum ejus unicam laudis normam eſſe conficitur. Itaque non debemus noſtro, nedum alterius pede nos ipſos metiri, ſed ad divinæ voluntatis amuſſim exigere.

Comparatione par. virum laudibus ornatum vaſi fuſorio, aut catino aſſimilat ſubinnuens, aliorum, quibus nos proſequunrur,laudibus vanitatis plurimum, & falſitatis, tanquam ſcorias à nobis excoquendas, adhæreſcere. Danda etiam opera eſt, ut (qui optimus eſt immodicæ laudis fructus) ſupra veritatem laudati, quales aliis videmur,tales evadere enitamur. Deinde ſiquid in nobis verè quidem, ſed præterita Dei in nos liberalitate, & gratia, prædicent, ilicò ad Deum, omnis boni unicum authorem, & fontem omnis laus referenda à nobis,& reſervanda eſt. Ita enim à Joſepho & Daniele factum eſt. Gen. 41.12.15,16. Dan.2.28. Quod idem ex intimis præcordiis nobis faciendum eſt (præſertim ſi in ſummo dignitatis faſtigio collocati certatim ab aliis (ut fit) laudemur) ne, qui inanis gloriæ ſitientes admodum naturâ ſumus, aliorum de nobis præconio ſuperbiamus.

Verſ. 22. Si ſtultum contuleris in mortario per medium hordeorum piſtillo, non recedet ab illo ſtultitia ſua.

Summa eſt,peccatorem in profundum lapſum inſanabilem eſſe, nec poſſe verbis, aut verberibus divinis, aut humanis ad frugem revocari.

Peccatoris in ſceleribus ſuis diuturna conſuetudine radicati miſerrima omninò & exhorrenda conditio eſt. Etenim à peccatorum tyrannide liberatum iri, Deus ipſe apertiſſimè in ſacris ſcripturis negat non tantum impoſſibilitatem generaliter aſſerendo (Ier. 13. 23.) ſed cauſas etiam liberationis ſigillatim removendo. Benignitate enim & clementia tantum abeſt, ut emendetur,ut inde fiat ſceleratior Iſai. 26. 10. Et cum reliqua ſpes in afflictionibus, & caſtigationibus ſita ſit univerſa, eam Propheta hoc Proverbio vanam eſſe docet. Aſſerit enim,ſtultum caſtigationibus duriſſimis, iiſque magna contentione,& vi ſæpe repetitis nihil omnino profecturum. Quam ejus impœnitentiam comparatione par. eleganter depingit, frumenti ſc. in mortario plurimis, graviſſimiſque ictibns contuſi

contuſi. Exempla illuſtriſſima ſunt in Pharaone, Exod. 5. 6. 7. 8. qui toties & tam horribiliter à Deo afflictus in ſua tamen nequitia adverſus omnia Dei judicia ſe obfirmavit, & quaſi occalluit. (Tametſi enim ſeveritate judiciorum Dei fractus aliquoties peccatum ſuum agnoverit, &, ſe à maleficio deſtiturum, pollicitus ſit, non modo tamen non deſtitit, ſed indies deterior evaſit:) in Ahazo 2. Chr. 28. 22; in Iudęis Iſai. 1. 5. 6. Amoſ. 4. Quorſum igitur Deus (obloquetur aliquis) in iſtiuſmodi improbos comminationibus, & judiciis ſuis levioribus fulminat? Reſpondeo licet ipſi in deſperatis ſint hinc tamen alios juſtitiam diſcere, Iſai. 26. 9. Quod, cum ab iis, qui à Deo alieni ſunt, nonnunquam fiat, quanto magis à fidelibus faciendum eſt?

Prov. 22. 15. aliquid eſt hinc proverbio in ſpeciem repugnans. Cum enim ibi dictum ſit, ſtultitiam cordi pueri alligatam virgâ correctionis profligari; quidni flagitioſum hominem vehemens afflictio (tanquam malum nodum durus cuneus) ad frugem revocet? Reſponſio eſt, magnum diſcrimen eſſe inter eum, qui ſtultus eſt, & cui ſtultitia adhæret. Deinde ſicut in tenella arbore magna curvitas facile corrigitur, cum in adulta minima non emendetur: ſic ex animis puerorum facile eſt vitiorum ſemina excutere, quę tamen ex provecta ætate hominibus, in quibus prę diuturna peccandi conſuetudine altas radices egerunt, evelli nequeunt. Cum enim ad reſipiſcentiam duo neceſſaria ſint, flexaminitas, & docilitas, utraque in tenera ætate, in confirmata neutra invenitur. Hinc igitur admoneamur, ut ad reſipiſcentiam agendam noſmet ipſi properemus, & incitemus alios; nec ad extremam ætatem differamus & procraſtinemus.

Verſ. 23. Cognoſcendo cognoſce facies pecudum tuarum, & appone cor tuum ad greges;

v. 24. Quia opes in æternum non ſunt, nec coronamentum eſt à generatione in generationem.

v. 25. Prodit fœnum, & apparet gramen, colligantur herbæ montium.

v. 26. Agni erunt tibi pro veſtitu, & pretium agri erunt hirci.

v. 27. Sufficientia lactis caprarum erit tibi pro cibo domus tuæ, & pro convictu puellarum tuarum.

Iu צאן *(pecudum)* & עדרים *(gregum)* eſt ſyn. ſpec. pro omni eo, quo quis legitime victum quærit.

Summa eſt, ex provida, & diligenti rei familiaris adminiſtratione varia hujus vitæ incommoda declinari, & commoda percipi.

In his omnibus duæ continentur exhortationes, quę ſuas ſibi annexas habent rationes. Prioris adhortationis verſu 23. comprehenſæ ſententia eſt, ut patresfamilias greges, armenta, & quicquid illud eſt, quo victum & veſtitum honeſtè acquirant, perſpecta penitus, & cognita habeant. Hujuſmodi enim accuratam eorum cognitionem præcipit cum jubeat primo vultus, ſeu facies pecudum cognoſcere (in quo ad morem eorum alluſiſſe videtur, qui paſtoritiam vitam exercentes tam exactè pecudes norunt, ut ſingulas potuerint nominatim appellare Ioh. 10;) deinde cor ad greges apponere. Qua præcipiendi ratione non obſcurè docet Propheta, non nimium ſervis aut villicis credendum eſſe, neque omnia illorum fidei eſſe committenda. Si-

quidem oculus domini ſaginat equum, & veſtigia ejus fœcundant agros. Quod ſi tanta brutorum, & quæ brevi funditus peribunt, animalculorum cura habenda ſit, ut ad illorum conſervationem tutum non ſit in aliena cura, & cuſtodia acquieſcere: quanto magis cavendum eſt iis, qui ovibus Chriſti pretioſo ipſius ſanguine redemptis præficiuntur, ne vicariâ tantum in illis paſcendis utantur opera?

Verſ. 24. Ratio hujus adhortationis ſumitur ab adj. divitiarum inſtabilitate: quæ quidem permagna eſt, cum rubigini, incendio, furibus, prodigo, aut imprudenti domino, & quamplurimis aliis caſibus obnoxiæ ſint. Hanc rationem (qua privatos reſpicit) amplificat comparatione maj. cum dicit, coronam, ſeu regis opes caducas eſſe, & perituras. Si igitur theſaurus regius ſine provida procuratione (niſi fortè injurioſè ſuos ſubditos expilare velint) diſſipetur, quanto magis privatis hominibus res familiaris ſedulo curanda eſt!

Sed excipiet aliquis, poſſe quemlibet pecuniâ fœnori locata (maximè ſi opima prædia, niſi præſtituta uſura ſolvatur, ſibi obnoxia habeat) victum, & veſtitum ſuum conſtanter tueri. Reſpondeo, nemini fas eſſe ſuam in hunc modum pecuniam elocare, niſi pupillis, morionibus, & quibus nulla facultas ſuppetit, & ne ſuppetere quidem pro ſua conditione poteſt pecuniam ſuam conſervandi, atque augendi. Iniquum enim eſt ignavum ex alieno labore vivere, nedum ditari.

Verſ. 25. ſequitur altera exhortatio de pabulo ſtudioſè colligendo, quo pecudes hyeme, cum omnia glacie, nive, & tempeſtatibus rigent horrentque, nutriantur. Hoc ſtudium duplici circumſtantia notatur, ſubj. loco, adj. tempore. Nam fœniſecium non in convallibus tantum, ubi herba abunde provenit; ſed in montibus etiam, quamprimum gramen matureſcit, ne pluviâ corrumpatur, faciendum monet. Quod ſi de pecuino pabulo tempeſtivè, & ſolicitè colligendo tantopere laborandum ſit, multo magis ne oves Chriſti paſtus inopiâ pereant, curandum eſt; & providendum, ne crucis tempore, tanquam hyeme; aut, ceſſante verbi prædicatione tanquam in ſumma annonæ caritate, fame pereant.

Ratio exhortationis eſt ab adj. utilitate. Docet enim Propheta, hominem ex diligenti hac, & provida rerum ſuarum adminiſtratione conſequuturum, ut victus, & veſtitus tum ſibi, tum ſuis abundè ſuppetat. Deus enim ſua benedictione, quæ ſola, ut vitam hilariter, & jucundè tranſigamus, efficit, proſequetur ſuorum diligentiam. Pſal. 127. 2. Quinetiam uſque eo Deus laboribus ejus benedicet, ut poſſit pretio hircorum ſuorum, & arietum (quibus faciliùs, quam ovibus, aut capris carere poterit) latifundia comparare, & augere vectigalia. Unde, quouſque hac in re Chriſtiana libertas ſe extendat, animadverti poteſt. Non enim illa ſolummodo quærere conceditur, quæ ſunt ad hanc vitam abſolutè neceſſaria; ſed aliquid etiam, quo poſteri fruantur, recondere.

Quod autem puellis doceat lac cibo fore, innuere videtur earum diœtam tenuiorem eſſe oportere, quam quæ maribus conveniat, qui operibus geſtandis, bello gerendo, & aliis gravioribus negotiis obeundis deſtinati cibo ſolidiore (quales ſunt carnes) opus habent.

Obſervandum denique, ſolitos eſſe veteres ex grege, & armento, non (ut nunc dierum) ex cupediis, & mangonicis deliciis, victum petere. Nec diſſimilis erat veſtimentorum ratio, quæ ex lana erant domi (ut videtur) contexta.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Verſ. 1. Fugit unuſquiſque improbus, nemine perſequente: ſed juſti ſunt, ut leunculus, qui confidit.

SCopus eſt miſeram, & inquietam improborum conditionem ob oculos ponere.

Deut. 28. 25. Deus, tanquam magnum malum, & acerbam maledictionem, minatur, Iſraëlitas, ſi mandatis ejus non parerent, hoſtibus terga obverſuros. Quanta igitur, & quam gravis maledictio Dei cenſenda eſt, cum quis, nemine perſequente, aut mali quicquam intentante, in fugam ſe conjicit. Hujus trepidationis ſi cauſam inquiras, verior nulla aſſignari poteſt, quàm quod improbus ſibi Deum ſentiat adverſarium; atq; ita metu divini furoris exanimatus omnes Dei creaturas exercitus eſſe ſibi infeſtiſſimos non exiſtimare non poteſt. Nec eum hac in re ſua fallit opinio.

Hic tamen quærat aliquis, quomodo improbus, nemine perſequente fugiat: cum in illum omnes creaturæ hoſtiliter armatæ ſint? Reſpondeo, Deum, & creaturas ejus animo erga improbos ſemper quidem infenſo eſſe, ſed hoſtilitatem ſuam non ſemper declarare. Eſt enim Deus longanimus, & infinitæ patientiæ, qua ad hominum improbitatem connivet, & illos ad pœnitentiam invitat. Nihil igitur impedit, quo minùs verum maneat, quod prius dictum eſt, improbum nemine perſequente, fugam arripere. Nam propriæ conſcientiæ ſtimulis ſubinde exagitatus non quieſcit. Iob. 15. 21. Unde apud Iſai. mari turbido, quod ventis, & tempeſtatibus impulſum quieſcere nequit, ſed lutum & cænum egerit, comparatur. Hinc Deus improbos ad folii ſtrepitum tremore correptum iri minatur Levit. 26. 36. Huc etiam afferri poteſt, quod eleganter à Zebule dictum eſt Iudic. 9. 36. Gaali umbras viros viſas eſſe; & quod de Ahazo, ejuſque ſubditis dicitur, Iſai. 7. 2. quorum animi juſta quidem de cauſa, ſed inſtar arborum trepidabant, quæ minimo venti flatu, & tenui aura commoveri ſolent. Egregium etiam, & illuſtre exemplum eſt 2. Reg. 7.

Ecce autem aliud malum eo, quod jam dictũ eſt, multo periculoſius. Quamvis enim panico tremore, ubi nihil eſt opus, conſternentur, graviſſimo tamen ingruente periculo, imminenteque extrema internecione, in utramvis aurem ſecurè dormiunt. 1. Theſſ. 5. 3. Luc. 17. 27. 28. 29. 30.

Hæc improborum infœlicitas adverſa juſtorum fiduciâ porro declaratur. Iuſti enim Deo reconciliati pacem cum hominibus habent, atque adeo cum brutis, & inanimatis etiam creaturis fœderati ſunt Iob. 5. 23. Quod ſi à creaturis quibuſlibet forſan aliquando impetantur non læduntur tamen; nec illis boni aliquid hinc decedit, ſed accedit potiùs, cum omnia piis in bonum cooperentur Rom. 8. 28. Quinetiam piis ſancta quadam gloriatione cum Apoſtolo uti licet Rom. 8. 33. 34. 35. 36. 37. & hoſtium impreſſionibus quodammodo illudere Iob. 5. 22. Hæc doctrina fuſius explicatur Rom. 5. 1. &c. & illuſtri exemplo confirmatur Pſal. 3. 5. 6. Vid. Pſal. 37.

Juſtorum fiducia, inſtituta comparatione par. audaciæ juvenis leonis (qui, cum leo ſit, reliquas beſtias non metuit; cum juvenis, leonibus aliis propter nativum calorem, quo abundat, ad omnia audacior eſt) exæquatur. Quid quod nonnulli juſti cum leonibus congreſſi ſuperiores in pugna exſtiterint? Iudic. 14. 6. 1. Sam. 17. 36.

V. 2. *Propter defectionem terræ multi ſunt principes ejus: ſed propter hominem intelligentem, & peritum, ſtatum prorogabit Deus.*

In ארץ (*terræ*) eſt metony. ſubj. pro incolis terræ.

Summa eſt, remp. ruere, aut ſtabiliri, prout cultus divinus floret, aut negligitur.

Tametſi unius peccatum quandoque Deus in totam gentem vindicet, non tamen ideo totam evertit, niſi forſan ſceleris ab uno, aut aliquibus admiſſi reliqui [quod à Benjamitis factum legimus Iudic. 20.] patroni, & propugnatores reperiantur. Tunc autem aliorum peccata, quibus patrocinantur, facientes ſua merito ejuſdem ſupplicij participes fiunt, Atque hoc inde colligitur, quod dicit, *propter defectionem terræ*.

Deinde notandum eſt, non uno, aut altero delicto, ſed defectione accerſi Dei judicia. Pœna vero defectionis eſt, crebra principum mutatio. Ubi quæri poteſt, quomodo cum juſtitia Dei conſiſtat principis aut morte, aut abdicatione populi defectionem punire? Reſponderi poteſt, facilè Deum, ut abdicatio, aut mors quæſtuoſa, & ſalutaris principi ſit, poſſe efficere; nec injuriam illi fieri, ſi pro hac vita, tanquam argento, vitam æternam, tanquam aurum tribuat; aut ſi principatum illi in perditos homines abjudicans ad ampliſſimum in cœlis dominatum comparet, formetque.

Denique & illud obſervandum eſt, affirmare Prophetam, non bonos tantùm (quod tamen dicendum videtur, cum malorum ſublatio beneficij loco habenda ſit) ſed principes, ſive boni, ſive mali fuerint, tolli. Et quidem bonos, pioſque principes è medio tolli, graviſſimnm Reipub. ſupplicium eſſe, nemo ignorat. Iſai. 57. 1. Sed neque improborum, niſi boni ſucceſſerint, ſine magno Reip. diſpendio fieri poteſt crebra mutatio. Nam cum ipſa mutatio in ſe undè conſiderata à malo non abſit, tum tumultus, qui ex regum mutatione naſcuntnr; tum nova vectigalia, quæ ferè exiguntur; tum etiam munera, quæ recens de more dabantur; 1. Sam. 10. ult, denique legum, & magiſtratuum (maxime ſanctioris ſenatus) mutatio quem ſumptum, quam amicorum offenſionem, quod periculum, & damnum Reip. afferre ſolent, difficile dictu eſt. Si enim novi regis domeſticos excipias, pauci inveniuntur, etiam inter novandarum rerum ſtudioſiſſimos, quibus non ſaltem aliquid hinc miſeriæ accedit. Exemplum egregium eſt in decem tribubus Iſraeliticis, quibus poſtquã à vero Dei cultu, & Davidis domo defecerant, quàm plurimi principes Dei indignatione dati ſunt. In illo enim regno videas reges unius anni, paucorum menſium atque etiam dierum; ut qui plerunque non hæreditario jure, ſed proditione principatum adepti ſunt.

Sequitur illuſtratio à diſparat. Deum ſcil. propter hominem intelligentem, peritum, regni ſtatum prorogare. Si rex ipſe prudens, & pius ſit, ejus unius cauſâ toti regno non raro parcitur, 2. Reg. 22. ult. Sed de ſubditis non perinde videtur conſtare. Magna quidem illa fuit, & ſingularis Dei clementia, quod toti Sodomę, & vicinis urbibus, ſi decem ibi fuiſſent juſti viri, pepercifſet; ſed an unius ſubditi prudentia, & pietas à Republ. excidium avertet, dubitari poteſt. Quæ dubitatio hoc Proverbio tollitur, quo confirmatur, ob unum *intelligentem peritum*, id eſt, egregiè intelligentem (illud enim omiſſione copulę ſignificari videtur) totam Rempub. dummodo reliqui cives ejus conſilio acquieſcant, aut certè non obnitantur, à Deo conſervari, 2. Sam. 20. 16, &c. Eccl. 9. 13, &c.

Ex utraq; hujus Proverbij parte liquido conſtat, Deum ad benignitatem magis, quàm ad ſeveritatem propenſum eſſe; quandoquidem propter unicum intelligentẽ toti regno parcat, cum nõ niſi ob multorum defectionem illud evertat.

Verſ. 3. Vir pauper, qui opprimit tenuis eſt pluvia everrens, ut non ſit panis.

In לחם eſt metonym. effecti pro cauſa materiali, granis ſcil. unde panis conficitur.

Scopus eſt pauperes ab aliorum pauperum oppreſſione cohibere.

Cum furtorum varii gradus ſint, inter atrociora (qualia ſunt ſacrilegium, plagium, peculatus, & quale à Nathane fingitur 2. Sam. 12. 1, 2, 3, 4.) ponendum videtur, ſi pauper pauperem opprimat. Multo enim gravius à paupere hac in re, quàm à divite peccari videtur, primo quia pauper ex ſenſu inopiæ, & miſeriæ ſuæ, quantum ſit paupertatis onus, quanta nuditatis, & famis acrimonia, probè intelligens non tantum ab injuria aliis pauperibus inferenda magis ſibi temperare debet, ſed & miſeriæ illorum magis miſereri, quam dives, qui, indigentia, quam ipſe nunquam expertus eſt, quam aliis moleſta ſit, minus ſentit; deinde, quia pauper non eſt damnum, quod intulit, compenſando, cum dives poterit, ſi velit, aut cogatur, quadruplum reſtituere; maximè vero quia pauper (quod in poſteriori parte verſus comparatione par. oſtẽditur) nocturnis furibus (Obad. v. 5.) & oppreſſore divite, qui ferè nõ niſi quod oblectamento ſibi eſſe poterit, aut propter vicinitatem maxime opportunum videtur, pauperibus eripere ſolet, crudelior omnia corradat, & converrat, Vide Math. 18. 28, &c.

Verſ. 4. Qui derelinquunt legem, laudant improbum: ſed qui obſervant legem, miſcent prœlia cum illis.

Scopus eſt viam, & rationem proponere, qua quis cum de ſua, tum de aliorum probitate, aut improbitate judicare poterit.

David improbum graphicè deſcribens Pſal. 10. inter alia hoc illi attribuit, quod ſeipſum laudat, & ſibi valdè in ſuis ſtudiis placet. Tametſi vero malum ſit hoc ſuiipſius lenocinium, gravius tamen is peccat, qui alium improbe facientem laudat, quia propter φιλαυτίαν omnibus ingenitam ad propriam laudem procliviores ſimus, quam alienam. Vnde etiam Apoſt. gravius eſſe peccatum ſtatuit maleficiis patrocinari, quam perpetrare Rom. 1. ult. Præterquam enim quod alterius peccata laudando ſua facit, peccatorem ita in nequitia confirmat, ut qui prius ex infirmitate, aut imprudentia lapſus eſt, nunc ſtudio & delectu audacter peccatis indulgeat: Verumenimvero diffitendum non eſt, improbum φιλαυτία motum alias eiſdem, quæ ipſe aut patravit, aut patrare conſtituit, flagitiis addictos laude proſequi. Cum enim maleficiorum ſuorum in proprio ore laus ſorderet, in aliis laudat, ut ad ſeipſum eiſdem ſtudiis deditũ laus reflectatur. Quo ſpectat, quod Prov. celebratur; *mulus mulum ſcabit*. Nã cum improbi inanis gloriæ, quam à piis obtinere nequeunt, avidiſſimi ſint: ad ſui ſimiles confugiunt, quos laudibus onerant, ut ab illis invicem onerentur. Quamobrem caute nobis circumſpiciendum eſt, quis, & qualis ſit, quem noſtro præconio ornamus, cum malos laudando non improbi ſolum haberi, ſed eſſe quoque periclitabimur. Et ſi recte præcipiatur, ſigilli noſtri magnam curam haben-

habendam eſſe, ne cuivis ſcripto temerè apponatur; cavendum etiam eſt, ne aliorum dicta, aut facta, niſi bene explorata laudis noſtræ ſignaculo confirmemus.

Hic tamen aliqua exceptio eſt. Nam ſiquis per imprudētiam, aut artificio quodam uſus (2. Sam. 17.) maleficium aliquod laudaverit, non ilicò ſequitur, illum eſſe improbum. Quanquam reſponderi poteſt, aliud eſſe improbum, aliud factum ejus aliquod vituperio dignum laudari; quandoquidem improbus non ex uno aliquo maleficio, ſed ex pluribus, & aſſiduitate malefaciendi æſtimetur.

Prior pars verſiculi in poſteriore ab adverſo comparatione majoris amplificato illuſtratur. Aſſeritur enim, juſtos non tantùm improbos criminari, ſed eorum ſtudiis, & conatibus obſiſtere. Ubi notatu dignum eſt, ſatis argumenti eſſe ad aliquem improbitatis coarguendum, ſi improbos laudaverit; ſed ad juſtum aliquem declarandum non ſufficere, ſi malos improbet, & verbis aſperioribus inſectetur, niſi porro illorum nequitiæ obluctetur. Utriuſque horum tam vituperii, quam oppoſitionis fons eſt perfectum odium improborum [Pſal. 9. 13. 21, 22.] ex Dei amore ortum. Quemadmodum enim Deus [Gen. 12. 3.] Abrahamo [atque ita fidelibus omnibus Abrahami filiis] ſe benedicturum amicis ejus, & inimicis maledicturum, pollicitus eſt: ſic à nobis ſtipulatur, ut non ſanctos modo diligamus, verumetiam cum inimicis ejus inimicitias exerceamus, 2. Chr. 19. 2. Hujus pugnæ detractatio, ut in omnibus damnanda, ſic præcipuè in Magiſtratibus, quibus ad improbos coërcendum gladius cōmittitur.

Hinc facilè perſpicitur, quam exiguus ſit legem cuſtodiētium numerus. Quamvis enim nonnulli reperiantur, qui improbos vituperant, qui tamen illis obſiſtunt, pauciſſimi ſunt, Iſai. 59. 4. Quàmplurimi litigabunt de ſuis commodis, & pro honoribus adipiſcendis, aut retinendis in manifeſta ſe conjicient diſcrimina: ſed pro Dei gloria nolunt cum improbis decertare. Quo ſe produnt parum γνήσιοι eſſe cœleſtis patris filios.

Hic tamen cavendum, ne, quæ in improbis bona ſunt, damnemus; aut etiam pro dignitate non laudemus. Qua de re alibi dictū eſt. Deinde videndum etiam, ne (quod Iudæis accidit ſæpiſſimè) delicta bonorum probemus.

Verſ. 5. Homines mali non intelligent judicium: ſed quærentes Dominum intelligent omnia.

Scopus eſt ad probitatis ſtudium extimulando ab improbitate deterrere.

Omnes ducuntur ſtudio ſciendi, eaque aviditate ad rerum cognitionem feruntur, ut illorum ſæpiſſimè magno conatu notitiam indagent, quorum præter inanem voluptatulam nullus uſus, fructus nullus eſt. Attamen illarum rerum, quæ ad hanc vitam commodè agendum, & ſanctam cum hominibus ſocietatem conſervandum referuntur, pauciſſimi ſcientiam aſſequuntur. Quamvis enim multa multi de hac ſcribant, & verbis præcipiant, nulla tamen ad eam via patet, niſi per verum pietatis ſtudium; quod pauciſſimi amplectuntur. Jus enim, ſeu in re quaque, prout tempus, aut locus, aut perſona poſtulat, agendi rationem ingenioſiſſimi, & ſagaciſſimi quique, ſi à pietate alieni ſint, ignorant; cum ſimpliciſſimi, qui θεοδίδακτοι ſunt, iidemq; æqui, boniq; cultores, probè teneant. Sed hæc ſeorſim conſiderentur. Et quidem quod ad homines malo deditos attinet, primo conſtat, illos eorum cognitionem repudiare, quæ cum affectibus ipſorum pugnant, ne, ſi illa reſcirent, quæ nolunt præſtare, conſcientiæ

ſcientiæ ſtimuli magis ſauciarent. Deinde ſicut piis ſapientia facilis, & pervia eſt (Prov. 8. 9.) ſic impiis (ſi maximè cuperent) in edito quaſi, & inacceſſo loco ponitur, Proverb. 24. 7. Huc accedit, quod Deus improbis (tum ob peccata alia, tum quia propria induſtria, aut aliunde, quàm à Deo, & verbo ejus, hæc ſe conſequi poſſe, ſibi perſuadeant) iratus illam, quam habent, harum rerum ſcientiam permat, & veluti expectoret.

Longe alia eſt piorum conditio. Illi enim intelligent omnia. Quod tamen ad illa reſtringendum eſt, quæ ad vitæ ſocietatem rectè tuendam ſcitu neceſſaria ſũt. Nam alioqui noſtra omnium ſcientia debilis & imperfecta eſt, 1. Cor. 13. 9. Hujus doctrinæ veritas confirmatur exemplo Ioſephi, qui adhuc juvenis conſultiſſimos quoſque in Ægypto de iis, quæ ad Reip. conſervationem ſpectabant, informavit; & Davidis (Pſal. 119. 98, 99, 100.) teſtimoniis vero ejuſdem Davidis Pſal. 112. 4. & Pauli. 1. Cor. 2. 15.

Deinde conſolationis plenum eſt, quod pios effecto, non inveniendi, ſed quærendi Deum deſcribat. Hac enim loquendi formula idem eſſe docet, quærere illum, & invenire. Qui enim quæſivit non quærentes, quanto magis quærentibus obvium ſe præbebit? Luc. 11. 9.

Verſ. 6. Melior eſt pauper ambulans in integritate ſua, quam perverſus duabus vijs, tametſi ſit dives,

Hoc Prov. ſupra habuimus. Sed divitis vox, quæ ibi ſubintelligitur hic exprimit. Deinde quod ibi de perverſitate labiorum dicitur, hic generaliꝰ de perverſitate duarum viarum, ſive dictis illæ, ſeu factis, ſeu denique cogitatis, & opinionibus ineantur, ut 1. Reg. 18. 21. Tanto autem deterior eſt divitis in utramque partem claudicatio, quia divitiis abundãti nulla incumbit ſimulandi neceſſitas, cum pauper rerum inopia preſſus ad aliorum ſe libidinem confirmandi quaſi neceſſitate quadam urgetur.

V. 7. Cuſtodiens legem filius prudens eſt: ſed qui ſe conſociat comeſſatoribus, ignominiâ afficit patrem ſuum.

In זללים (*commeſſatoribus*) eſt ſynecd. partis pro omni genere ſceleratorum. In אביו (*patrem ſuum*) eſt etiam ſynecd. part. pro utroque parente. Idem quoque dicendum de בן (*filius.*)

Summa eſt, liberorum vitam integrè, aut corruptè actam ad parentum decus aut dedecus redundare.

In priore hemiſtichio duo habentur; quorum prius expreſſe ponitur, poſterius ex adverſo ſecundi hemiſt. petitum intelligitur. In priore oſtenditur, quis ſit ingenuus, & benè moratus filius; is ſcilicet, non qui bonitate quadam naturæ præditus eſt, aut ex ſchola philoſophica inſtitutus prodiit, aut præcepta urbanitatis imbibit; ſed is demum, qui divinæ legis notitia inſtructus ad eam, tanquam ad amuſſim vitam ſuam exigit. Cum enim duæ principes ſunt in homine facultates, ſine recta quarum informatione filius, aut vir prudens, & bonus nemo eſſe poteſt, intellectus, & voluntas; ad intellectum illuminandum abundè ſcripturam ſufficere, ex eo convincitur, quod ad miniſtrum ipſum plenè inſtituendum idonea ſit, 2. Timot. 3. 17. ad voluntatem vero, & affectus regendum inde ſatis potentem & efficacem eſſe conſtat, quia regem (Deut. 17. 19. & juvenem, tametſi ad omne ſcelus proclivem, in pietatis quaſi clauſtris, & ſeptis cõtinere poteſt, Pſalm. 119. ſect. 2.

Quod ex adverſo poſteriore hemiſtichio intelligitur, eſt adjunctus honor, quo parentes afficiet. Hinc igitur liquet, liberos, tametſi urbanitate, & artibus ingenuis excultos, nunquam tamen parentibus honori futuros, niſi ad legis Dei præſcriptum ſe compoſuerint. Quod ſi parentibus perſuaſum foret, non tam liberos in illa inſtituendi, & ad normam ejus tum adhortationibus, tum vitæ exemplo dirigendi ſtudium deponerent. Plerique enim, ſi liberos præcepta moralia, aut artem aliquam quæſtuoſam, aut ad ſummum liberales docuerint, officio ſuo egregiè ſe functos autumant, cum tamen, quod caput eſt, penitus neglexerint.

In poſteriori parte duo itidem proponuntur; quorum prius filii pudendi deſcriptionem complectitur, poſterius adj. mercedem. Videtur ad plenam antitheſin à tranſgreſſione legis deſcribendus. Sed vitium comeſſatoribus ſe conſociandi ſpeciatim deſignatur, quia juvenili ætati voluptatum, & deliciarum avidæ facillimus eſt in hoc peccatum lapſus. Quam enim pauci inveniuntur juvenes, qui cum Davide adhuc juvene lectione, & commentatione verbi divini ſe oblectant, & favo mellis, dapibuſque exquiſitiſſimis anteferunt, Pſal. 119.9. Deinde quæritur, cur potius comeſſatorum ſocium, quam comeſſatorem nominaverit? Reſpondeo primum quidem, quia illorum conſuetudine, utcunque educatione in victu moderatus, & temperans, talis redditur (Pro. 13.20.) deinde, quia, ſi illorum contubernio non inficeretur, merito tamen in ejuſdem ſceleris ſuſpicionem veniret, cum non malum tantum, ſed mali etiam ſpecies, & ſuſpicio vitanda ſit.

Quomodo autem hujuſmodi filius parentes ignominia afficiat: vide ſupra cap. 27.11. Quod ſi parentibus ex improbitate filii ignominiæ nota aſpergitur, quanto magis ipſe filius aliorum irriſioni ſe exponit?

Verſ. 8. Qui auget ſubſtantiam uſura, & fœnore, gratioſè largituro tenuibus illam colligit.

In נשך ותרבית [*uſura & fœnore*] eſt ſynecd. ſpec. pro omni illegitima ratione divitias colligendi.

Scopus eſt divites à pauperum oppreſſione cohibere.

Palam eſt, divites avaros nullum finem augendi ſubſtantiam, nec modum ullum ſibi ſtatuere tantoque ſtudio rei augendę rapi, ut nec quibus rationibus, nec à quibus hominibus, quod cupiunt, adipiſcantur, curæ ſit. Et quidem quod ad rationes divitias corradendi attinet, ſynecdochicè hoc in loco duabus vocibus exponuntur; quarum priore ſignificatur uſura, quæ, mediante pecunia, exercetur [ubi etiam ex ipſius vocis etymologia non alia, niſi quæ mordeat eum, cui mutuo datur, uſura intelligitur;] altera voce notatur uſura, ſeu multiplicatio, quæ ex frumento, aliiſve hujus vitæ ſubſidiis percipi ſolet, ſicut ex Levit. 25.35, 36, 37. planè colligi poteſt. Hinc apparet, tam prohiberi frumenti, & aliarum omnium rerum ex uſura multiplicationem, quam pecuniæ, adverſus illos, qui uſuram ſolius pecuniæ contra jus naturæ ob eam cauſam eſſe exiſtimant, quia pecunia pecuniam non generet. Si igitur in aliis rebus uſura ſupra caput admittatur, illa itidem, quæ ex pecunia oritur, approbetur neceſſe eſt! Quamobrem hoc in loco, ut & Exod. 22. & Levit. 25. (ſicut alibi à me oſtenſum eſt) uſura illa prohibetur, qua proximus, maximè tenuis, quovis modo opprimitur, & expilatur. Quod etiam ex poſteriore hemiſtichio ſubindicatur: ubi dicitur, ad illum denuo divitias illas injuſte partas devolu-

devolutum iri, qui in tenues liberalis exiſter, quaſi dicas, ad pauperes tandem rediturum, quod illis per fas, & nefas ereptum eſt.

Diſcamus porro ex hoc loco liberalitate erga tenues uti. Solet enim magnum eſſe eleemoſynæ erogandæ obſtaculum, quod hoc pacto ſe homines exhauſtum iri timeant. Cui timori præſenti promiſſione Spir. Sanctus occurrit. Si enim pauperum miſeriis benignè, & liberaliter ſubveniamus, ipſi improbi, quantumvis avari, & tenaces, noſtri villici, & mancipia erunt, qui pro nobis divitias congerent, & comportabunt.

Verſ. 9. Qui avertit aurem ejus ab audienda lege, etiam oratio ejus abominationi eſt.

In אזנו (*aurem ejus*) eſt ſynecd. numeri ſingularis pro duali. Ubi etiam metony. eſt ſubj. pro adj. attentione, & facultate audiendi.

Scopus eſt ſtudium noſtrum in audiendo Dei verbo accendere.

Hic præcipuus uſus aurium indicatur, nempe ut Dei vocem audiant. De quo ſuprà dictum eſt. Deinde quæri poteſt, cur non dicat potius, *qui ſe ab audienda lege abducit*? Reſp. quia poteſt quis verbi auditioni intereſſe, cum interim utraque auris aut verbi odio, aut aliarum hujus mundi rerum cogitatione, ſomno, inertia, colluſione, & cum aſſidentibus colloquio, aut ignorantia denique (quod poſtremum in pontificiis præcipuè locum habet, qui eorum, quæ audiunt, propter linguæ, qua efferuntur, ignorationem nihil intelligunt) ita avertatur, ut omnem verbi fructum amittat.

Subj. auditionis hujus, & quidem proprium eſt doctrina Dei litteris conſignata, quæ voce תורה notari ſolet. Quod ſi doctrina ſcriptis exarata tũc ſola audienda in Eccleſia erat, cum pleri que etiam veteris teſtamenti libri nondum exſtarent; quanto magis nunc in novi ſimul & veteris inſtrumenti libris omnibus abſque traditionum humanarum ſupplemento acquieſcendum erit? Nomine etiam תורה (*lege*) utrumque fœdus tum mandatorum, tum gratuitæ promiſſionis comprehenditur. Qui igitur ab alterutro (ut à priore ſæpe Euangelici, à poſteriore ſemper pontificii) ſe, aut aurem ſuam avertit, pœnæ, quæ ſequitur obnoxius erit.

In poſteriore parte ſubjicitur pœna contemptus auditionis verbi. In qua, tametſi expreſsè orationis à Deo rejectæ mentionẽ faciat, tamẽ particula גם (*etiam*) tectè innuit, omnia ejus opera quantacunque pietatis ſpecie obducantur, Deo abominationi eſſe. Quod ipſum videtur Propheta comparatione maj. comfirmare. Perinde enim eſt, ac ſi diceret; non tantum alia ejus opera, verum etiam oratio, quæ [cum ab auditione verbi diſceſſum eſt] præſtantiſſimum opus eſt, à Deo rejicitur. Quamobrem eorum, qui ab audienda doctrina Dei aurem avertunt, eleemoſynæ Deo abominationi ſunt. Unde, quanta de ſpe decidant pontificii, facilè conſtat, qui verbũ Dei aſpernantes de cœlo ſuis eleemoſynis promerendo ſomniant; atque etiam, quam craſſe hallucinentur multi ex noſtris, qui papiſtas in pauperes plurimum erogantes pios, & Deo charos putant & pronunciant.

Hujus pœnæ æquitas clara eſt. Qui enim reſpuit Deum in verbo, & verbi miniſterio loquentem audire, non mirum eſt, ſi illum Deus loquentem aſpernetur: ſi Deum ſapientiſſimè loquentem non dignetur auſcultare, quomodo illũ Deus balbutientem exaudiat? Si regem ſubditus audire nollet, quis regi vitio verteret,

 ſi ſub-

ſi ſubdito ſupplicanti aurem non præberet? Et cum hic ex illorum numero ſit, *qui Deo dicunt; recede à nobis; ſcientiam nolumus viarum tuarum*; Iob. 21. 14. & 22. 17. juſtiſſimum eſt, preces ejus à Deo in hac vita repudiari, & ipſum tandē inter illos collocari, quibus dicetur; *diſcedite à me*, &c.

Verſ. 10. Qui ſeducit rectos in viam malam, in foveam ſuam ipſe cadet: ſed integri hæreditate poſſidebunt bonum.

Summa eſt, malo piis ab improbis intentato in ipſorum caput recidente, pios ſuo, quod illis gratuito deſtinatur, bono non privari.

Grave eſt errantem in viam non revocare; ſed multo gravius è recta via in errorem abducere. Verumenimvero cum bifariam ſeducanrur homines, vel cum à pietate, & juſtitia in peccatum; vel cum à via, quæ pacem, & utilitatem ſpectat, in periculi, & damni plenam impelluntur; de poſteriore hic agi inde liquet, quia in errorem ducens in foveam, quam alteri defoderit, caſurus affirmetur. Qui enim in peccatum trahit, ipſe prius in fovea eſt, quàm alteri eam paret. Qua de re vide quid ſupra annotatum ſit Proverb. 26. 27.

Aliud argumentum, quo Propheta deterret improbos ab hoc maleficio, ſumitur ab adverſo bono, quod piis loco mali, quod improbi machinantur, obveniet. Non quod pij in laqueum aliquando, qui illis tenditur, non incidant; ſed, illo, ſi inciderint, expediti, bonum, quo improbi conantur illos fraudare, conſequentur. Quamobrē ſubeat memoriam, quod ſuprà dictum eſt, *juſtum, ſi ſepties uno die cadat, toties reſurgere*, Prov. 24. 16. Sed ne exiſtimetur, bonum hoc piis, tanquam mercedem ſuæ rectitudinis retribui, aut pro juſta injuriæ ab improbis illatæ compenſatione, affirmat Propheta, gratuito Dei dono hoc illos bonum conſequi, ſicut filius à patre hæreditatem accipit. Qua loquendi formula boni, quod promittitur, indubitatam demonſtrat certitudinem. Cum enim inter homines non ſæpe accidat, ut hæreditate paterna filius defraudetur; quanto minus cœleſtis patris filii hæreditate, quam is paravit illis, & pollicitus eſt, privabuntur? Verum quidem eſt, ἐπὶ τὸ πολὺ tatum præſtari, quæ ad hanc vitam ſpectant promiſſiones, quoad ſcil. Dei gloriæ, & piorum ſaluti inſerviant; quod ſi afflictionum finē, & eventum ſpectemus, in univerſum, quod hoc loco dicitur, affirmari poteſt; quandoquidem ipſa mala piis in bonum cedant, Rom. 8. 28.

Verſ. 11. Sapiens eſt in oculis ſuis vir dives: ſed tenuis intelligens perſcrutatur illum.

In איש (*vir*) per univerſam fere ſcripturam eſt ſynecd. ſpec. pro toto utriuſque ſexus genere humano. In בעיניו (*in oculis ſuis*) eſt metaph. à ſenſu coporis ad animi intelligentiam tranſlata.

Summa eſt, pauperem intelligentem præferendum eſſe diviti ſtulto.

Quod hic ſpeciatim dicitur de inflata ſapientiæ ſuæ opinione, quam dives concipit, generalius ab Apoſtolo docetur 1. Tim. 6. 17. ubi, divites ad faſtum, & ſuperbiam propenſos eſſe, innuens, Timotheum illos, ne animo elato ſint, monere jubet. Diſquirendum igitur, quid cauſæ ſit, cur divites tanta de ſapientia ſua opinione turgeant. Vbi occurrit primum, quod ſuis retibus (ut Propheta loquitur) ſacrificant, & ſuæ præ cæteris ſapientiæ adſcribant, quod tantas opes (quæ tamen non hominum ſolertiâ, ſed benedictione Dei acquiruntur, Proverb. 10. 22.)

præ

præ aliis poſſideant. Hæc ſuperbia naſcitur etiam ex uſu, & commodis, quæ ex divitiis percipiunt. Quod enim ſplendidius veſtiuntur, quod lautiore menſa utantur, quod mollius cubant, ſe aliis, quibus hæc aut deſunt, aut tam affatim non ſuppetunt, præſtantiores putant. Maximè vero quod tantus honor ipſis habeatur, quod ad ipſos undique accurratur, quod honorificè ſalutentur, ipſis aſſurgatur, de via decedatur, encomiis ornentur, non raro falſiſſimis, hæc omnia, quæ revera divitiarum nomine exhibentur, tanquam ſapientiæ ſuæ accepta ferunt. Exemplum hujus doctrinæ videre eſt in Nabale, qui divitiis elatus in Davidem, unctum Domini debacchari auſus eſt.

In poſteriore hemiſtichio ab adverſo paupere intelligente convincitur divitis de ſua ſapientia inanis fiducia. Et primum quidem, quia pauper ſapiens ſit, documento eſt, divitem ſuâ ſapientia divitias non acquiſiviſſe. Deinde cum pauperem intelligentem vocat, videtur cauſam indicare, cur pauper diviti ſapientia plerunq; antecellat, non aliam eſſe, quàm quod dives ex ſumma divitiarum copia torpeſcens ſæpe obbruteſcat, cum pauperē ſua egeſtas (quæ inventrix artium, & magiſtra celebratur) ad ſapientiam urgeat, impellatque. Atque hæc fuit deſcriptio pauperis ab adj. intelligentia: ſequitur effectus divitem perſcrutandi. Vnde conſtat, divitem ſeipſum (quod ad humilitatem facile erudiret) non explorare; ſed miſera ſua conditione præterita, & veluti ſilentio ſepulta, omnes animi cogitationes in explorando, & appendendo divitias, & divitiarum pretium defixas habere; pauperem autem prudentem non ſtultè eum cum cæteris propter opus admirari, ſed inſipientiæ, quæ ſano judicio perſcrutanti facile apparet, coarguere.

Huic doctrinæ repugnare videtur, quod ſupra ex cap. 27. v. 19. docetur. Sed reſponſio in promptu eſt; poſſe prudentem ex verbi divini intelligentia præcipue, deinde ex ſano rectæ rationis diſcurſu de alterius prudentia & probitate aut inſcitia, & improbitate in genere judicium ferre, tametſi de cogitatis ejus, & animi conceptis ſingularibus nihil certo ſtatuere poſſit, aut debeat.

Hic tamen illud ſolicite cavendum eſt, ne intelligentiam noſtram in aliis perſcrutandis exerceamus, priuſquam noſipſos ſtudioſe perſcrutati ſimus, 1. Cor. 11: 28: & 2. Cor. 13. 5.

Verſ. 12. Cum exſultant juſti, amplus ornatus eſt: ſed cum ſurgunt improbi perveſtigatur homo.

In עלץ (*ornatus*) eſt metonym. effecti pro rebus proſperis (& nominatim principatu, ſicut ex oppoſito membro conſtare poteſt) quæ exultationis cauſa ſunt. In קום (*ſurgunt*) eſt ſynecd. gen. pro exaltatione in principatum.

Scopus eſt latum diſcrimen inter juſtorum, & improborum imperium oſtendere.

Principatus recte pieque inſtitutus adj. ornatu adj. amplitudine amplificato deſcribitur. In piorum enim principum adminiſtratione omnia ordinate, & compoſite ad verbi Dei normam exiguntur: cumprimis Dei cultus floret, & ſuis omnibus ornamentis excultus conſpicitur; juſtitia deinde in foro incorrupte exercetur; viget in militia diſciplina; denique in privatis ædibus ex rerum affluentia, quā benedictione Dei conſequuntur eorum ſubditi, magnus ſplendor, & ornatus plerumque viſitur.

Hoc ſuo adverſo illuſtratur. Nam regnantibus improbis, omnia in Repub. in Eccleſia, in bello, in pace, domi, foris confuſa ſqualent, Pſal. 75. 3. Quin etiā privatę

ædes ſuis ornamentis carent. Nam tyrannis in ſolio collocatis, privatorum opes diligenter perveſtigantur, ut canonarii ab unoquoque pro ſuo ſenſu vectigalia exigant. Quo fit, ut quibus lauta ſupellex, & vaſa Corinthia abundè ſuppetunt, illa in cavernis abdita ab oculis hominum quam longiſſime removeant. Vide Iudic. 4. 5. & 6. 11.

Verſ. 13. Tegens defectiones ſuas non proſperabitur; confitens verò, & relinquens miſericordiam conſequetur.

In פשעיו (*defectiones ſuas*) eſt ſynecdoche ſpec. pro quibuſlibet peccatis.

Scopus eſt reſipiſcentiæ fructum ob oculos ponere.

In priori parte proponitur pœnitentiæ à ſuo contrario declaratio. Ubi primo impœnitentiæ adjuncta peccati occultatione deſcribitur. Quæ occultatio non tantum aperta ejus negatione fit, ſed & excuſatione 1. Sam. 15. vel extenuatione, *hæc ego ſolus non feci; ego non primus ſum nec ero poſtremus, &c.* Quibus tantum abeſt ut peccata extenuent homines, ut exaggerent quam plurimum. Debuerant enim, perſpecta in aliis peccati deformitate, & ſuppliciorum, quæ conſequuta ſunt, gravitate, à nequitia deterreri; non autem ſequi veſtigia præcedentium, & ſubſequentes in idem ſecum exitium exemplo trahere. Occultatur etiam peccatum, cum in alium derivetur, Gen. 3, 12.13. Quale fuit illud Iudæorum Proverbium Ezek. 18. 2. Præterea defectiones tegit, qui confeſſione quadam hypothetica utitur; *ſi peccavi, &c.* cum propria conſcientia admiſſi peccati convictum teneat. Denique graviſſime ab iis in hoc genere peccatur, qui peccata defendunt.

Deinde notandum eſt, quod defectiones nominet: Nam ſi error levis ſit, aut parvum, quod admiſimus, delictum, facilè agnoſcimus. [In promptu enim eſt illud; homo ſum, humani nihil à me alienum puto;] at ſi atrocius quid deſignatum ſit, quod ſecum ignominiæ notam, aut ſupplicium gravius attrahat, ilico omnes artes, vel fraudes potius, conquiruntur, quibus aut negetur ſcelus, aut infucetur.

Sequitur pœna defectiones ſuas tegentis; ei ſcilicet nil profuturam diſſimulationem ſuam. Peccata tegendo, ſe & ignominiam, & pœnam effugiturum ſperat: ſed in utraque parte fallitur. *Nihil enim, tectum eſt, quod non palam fiet*, Luc. 12. 2. Re autem patefacta, multo gravius erit malum, quod infligetur, cùm pœnæ, tùm ignominiæ. Veruntamen in his verbis videtur eſſe μείωσις. Neque enim non proſperabitur tantùm, ſed gravi etiam damno afficietur, qui ſuum peccatum diſſimulat. Quemadmodum enim, qui morbum aliquem ſuum, aut vulnus celat, vel etiam extenuat, magnum ſibi vitæ periculum accerſit: ſic qui defectiones, lethales animæ morbos, & vulnera diſſimulat, in manifeſtum æternæ mortis diſcrimen ſe conjicit. Periculum enim non minus eſſe, ex adverſo ejus, quod in poſteriori hemiſtichio dicitur, facile colligitur. Cum enim peccata confitenti, promittatur miſericordia; quid aliud tegenti denunciatur, quam quod miſericordiam [ſine qua impoſſibile eſt à morte æterna liberari] non conſequetur?

In poſter. parte, quod in priori de peccatis tegendis traditur, ſuo adverſo declaratur. Ad veram autem, qua de hic agitur, reſipiſcentiam confeſſio peccatorum ſincera, abjecta omni excuſationum, & extenuationum larva, requiritur. Quæ quidem ut in foro civili, & Eccleſiaſtico, ubi ſæpè ſperari poſſet, fore ut delicta ſi negare-

negaremus, deliteſcerent; adhibenda eſt; ita coram Deo multo magis, quem omnium non actionum modo, ſed & cogitationum noſtrarum conſcium eſſe, confitemur, & prædicamus. Exempla ubique occurrunt in ſacra ſcriptura. Pſal. 32. 5, Dan. 9. Act. 22. 4. & 26. 10. 11. 1. Tim. 1. 13.

Peccatorum ocultationem ſatis eſſe audivimus ad accerſendum Dei vindictam; ſed eorum confeſſio non ſatis eſt ad conſequendam miſericordiam, niſi porro relinquantur. Confiteri enim peccatum, & ad illud recurrere, quid eſt aliud quam ludificari Deum? Talis fuit Pharaonis & Saulis confeſſio: quorum uterque ſua faſſi peccata à divina tamen miſericordia excluſi ſunt, quia non ita multò poſt ad eadem relapſi ſunt. Talis etiam eſt auricularis [quam vocant] confeſſio Pontificiorum, qui in aure ſacerdotis peccata ſua muſſitantes deinceps ad peccandum audaciùs proruunt, fore confidentes, ut, anno exacto, & nova confeſſione edita, illis etiam omnibus expedientur.

Præmium hujus tum confeſſionis, tum à peccato diſceſſus in eo ponitur, quod ita faciens conſequetur miſericordiam illi haud diſſimilem, qua pia mater infantulum recens editum complectitur; imo tanto majorem, quanto cogitationes Dei humanas ſuperant.

V. 14. *Beatitudines ſunt hominis, qui pavet jugiter: ſed qui obdurat cor ſuum, ruet in malum.*

In מקשה *(obduratis)* eſt metaph. à rebus corporeis ad animum traducta, qui impreſſionem S. Sancti non admittit.

Scopus eſt pios ab improbis diſcernendo ad ſerium Dei timorem excitare.

Videtur hoc Proverbium prima fronte pios in miſeram vitæ conditionem conjectos in eadem ſemper retenturum, cum perpetuam animi inquietudinem illis imponat, quæ paci videtur penitus adverſa, qua pios omnes donatos eſſe docet Apoſt. Rom. 5. 1; atque etiam fiduciæ illi, quæ initio hujus cap. juſtis omnibus ineſſe dicitur. Sciendum igitur, Prophetam in his ſententiis probè ſibi & Apoſtolo conſtare; & non tantum inter ſe has non pugnare, verumetiam mutuam ſibi confirmationis operam præbere. Nam cum juſtus perhibetur timoris expers, reſpectu creaturarum, & præcipuè improborum hominum intelligendum eſt: hoc autem loco timoris ſubj. ſtatuitur ipſe Deus, quo fremente, vel montes ipſi contremiſcunt. Apoc. 5. Deinde ibi de afflictionibus, & hujus vitæ incommodis agitur, quæ juſtus pro fidei, quam habet, menſurâ non metuit: ſed timor hic circa peccatum verſatur; de quo fugiendo pios quotidiè ſolicitos eſſe quàm maximè decet. Denique in ipſo timore latiſſimum diſcrimen eſt. Qui enim in juſtum non cadit, ſervilis eſt, quem ſolo pœnę metu ſuſceptum, & propterea cum horrendo animi cruciatu cōjunctum libentiſſimè improbi, ſi poſſent, excuterent: ſed timor hic filialis eſt, quem pius ſponte ſuſcipit; & quo, ſi optio daretur, quamdiu hic in vivis eſt, carere nollet. Deinde pavor hic in piis continuus eſt, cum improbi non niſi manum Dei ſentientes, aut jamjam expectantes pavere ſoleant. Denique pavor ille ex acerbiſſimis implacabilis conſcientiæ accuſationibus, & horribili vindictæ divinæ exſpectatione oritur; hic verò ex puriſſimis duobus fontibus dolore ſecundum Deum (2 Cor. 7. 11,) & ſeria conſideratione noſtræ ad omnia bona opera impotentiæ ebullit, & emanat. Hujus timoris egregium exemplum exſtat in Iobo, qui, ne filij Deum in conviviis offendiſſent, veritus ſacrificia pro illis obtulit cap. 1.

Pios in jugi pavore confirmat Propheta ab adj. beatitudine; cujus quæ vis, & pondus ſit, in explicatione primi Pſal. fuſiùs à me traditum eſt, atque etiam ex adverſo ejus ſupplicij, quod poſterius hemiſt. obduratis peccatoribus imminere docet, aliquatenus hinc colligi poteſt.

In poſteriori parte illuſtratur pavor juſtorum adverſa obduratione impiorum. Hæc variis modis attrahitur; primò, & quidem ſæpiſſime falſa de miſericordia divina perſuaſione, qua freti, cum Deus è Sione rugiat, & terribiliter in verbi præconio fulminet, ſibi in cordibus benedicunt; Deut. 29. 19. deinde quia, cum ſæpiſſimè antehac, & graviſſimè Deum irritarint, nihil tamen adhuc mali ſenſerint, obliti, patientiam Dei ad pœnitentiam ipſos veluti manu ducere oportere Rom. 2. 4; præterea quia, parte hominum longè maxima in eodem peccati luto hærente, indignum putent clementia divina, ut illi univerſi exitio, & interitu involvantur; denique quia reſipiſcentiam jam olim, urgente ſenectute, vel in ipſo mortis articulo ſatis maturè ſe acturos arbitrentur. His (ut hujuſmodi aliis, & nonnulla, à quibus ut abhorrent piæ aures, ita digna ſunt, quæ fuſtuario potiùs frangantur, quàm à præcone verbi coarguantur, miſſa faciam) flagitioſi homines in nequitia ſe confirmant, & animos ad peccandum obdurant.

Obdurationis pœna, quæ beatitudinibus paventis è regione adverſatur, in eo conſtituitur, quod in mala improviſa (quæ propterea longè, ut certiſſima, ita graviſſima ſunt) illos inducet, quorum animis inſidet.

Verſ. 15. Leo rugiens, & urſus diſcurſans eſt dominator improbus ſuper populum tenuem.

V. 16. *Anteceſſor deſtitutus intelligentiis, & multus oppreſſionibus decurtabit; odio verò habens quæſtum prolongabit dies.*

Summa eſt, tyrannorum vitam plerunque brevem eſſe.

Deſcribitur tyrannus oratione primum figurata, deinde ſimplici. In oratione figurata deſcribitur ab effecto opprimendi, & expilandi; quod comparatione par. quàm ſævum, & noxium ſit, declaratur. Tyrannus enim in hoc leoni, & urſo, non cuivis, aut quovis tempore, ſed (ut adj. rugitu, & diſcurſatione indicatur) ſummè famelico exæquatur. Qua deſcriptione quid luculentius cogitari potuit, aut vividius? Satis enim notum eſt, leones, & urſos cæteris feris nunquam non truculentiores, cum fame premantur, ſeipſos crudelitate, & ſævitia ſuperare.

In ſimplici oratione amplificatur tyrannis à ſubj. Nimis enim injuſtum foret divitibus per injuriam aliquid eripere. Sed populum tenuem, [hoc enim tyrannidis, circa quod verſatur, ſubjectum ſtatuitur] oppreſſione, & injuriis divexare longè eſt atrociſſimum. Tyrannus vero, qui, dum metui vult, alios metuit; ideo ad diripiendos tenues paratior eſt, quia nullis ſint viribus ad tyrannidi reſiſtendũ, aut ulciſcendum injurias.

Deinde deſcribitur ab efficiente cauſa tantæ ſævitiæ. Quę non alia eſt, quàm inopia, vel potius vacuitas omnis veræ intelligentiæ. Tametſi enim ſibi in oppreſſionibus ſuis valdè placeat, & ſapientiæ titulo illas ornet [Exod. 1. 10.] ne micam tamen veræ intelligentiæ illis omnibus ineſſe, docet Salomon, & experientia ſatis probat. Hinc enim [ut de æterna pœna, quæ illum expectat, nihil dicatur] regnum ejus parum tutum, & ſecurum; parùm etiam [ut mox videbitur] diuturnum exſiſtit. Hujus rei veritas in ipſo Salomone

mone

mone clarè perſpicitur, qui, quod populum tametſi omnium ex omni memoria regum eſſet ditiſſimus, vectigalibus onerabat, parte regni longè maxima in Rehob. filio exutus eſt. Quod tametſi Iſraëlitæ beneficia, quæ ex Salomonis regno ſingularia perceperant, pro dignitate non reputantes, & regem regitimum imperio abdicantes injuſtè fecerint, Dei tamen judicium juſtum, & ſanctum erat.

Reſtat deſcriptio ab adj. pœna ſua adverſo (uti mox videbimus) amplificata. Pœna eſt vitæ brevitas. Nam cum tyrannus multum ſanguinis hauriat, & in pauperum oppreſſione quaſi à carne pellem, ab oſſibus carnem dilaceret, & oſſa ipſa comedat, juſtiſſimo Dei judicio, & lege quaſi talionis fit, ut & vitæ ejus filium immature abrumpatur, Quod ſi oculos noſtros vel ad hiſtorias præteritorũ temporum, vel ad hujus ætatis exempla conjecerimus, facilè utrobique hujus pœnæ veritatem agnoſcemus. Si vero (quod fieri poteſt, cum externæ hujuſmodi maledictiones ἐπὶ τὸ πολύ tantùm eveniant,) vità diutiùs prorogata, ad extremam ſenectutem perveniat, nihil tamen hoc prodeſt; imo obeſt plurimum, cum ſenex impius centum annorum tanto magis maledictus ſit, quanto longius vitam produxerit. Iſai. 65. 20.

Iam accedit ad pœnæ tyrannidis ab adverſo illuſtrationem. Ea eſt hujuſmodi; vitam odio quęſtum habenti prorogatum iri. Ubi alia etiam tyrannidis cauſa indicatur, nempe avaritia, quæ deſcribitur non tantum abſtinentia à turpi lucro, ſed ejus etiam odio. Vitæ autem in pio principe prolongatio ut à Deo authore manat, ita ſubditorum charitate, & fidelitate, dum & à domeſticis inſidiis, & ab externa vi ſartum tectum conſervent, plurimum promovetur.

Verſ. 17. Homo preßus propter ſanguinem animæ ad foveam uſque fugiat; ne ſuſtentanto eum.

In נפש (*animæ*) eſt ſyn. membri; vel metony. ſubj. pro ſanguine vitali, vel pro ſanguine, cui vita ineſt. In בור (*foveam*) eſt metony. ſubj. pro adj. morte.

Summa eſt, homicidæ mortem non eſſe à quoquam impediendam.

Vix quiſquam ita tenuis, & amicis, aut conſanguineis, aliiſve neceſſariis orbus eſt, quin, ſi injuſtè interficiatur, vindicem habeat, qui juſtas ab interfectore pœnas depoſcat. Unde homicida in hoc Prov. premi, & urgeri dicitur. E regione nullus ferè homicida eſt, cui non ſit aliquis affinitatis, aut conſanguinitatis vinculo conjunctus, qui debito illum ſupplicio eximere cupiat. Ad hos præcipuè hoc admonitio dirigitur, ut nec perverſo amore ejus, nec famæ ſuæ, & nominis (ut falſo ſibi perſuadent) ſtudio abrepti homicidæ patrocinium præbeant. Nam ut ἀσεβεῖς Deus, ita & illos odio habet, qui affectus ſuos ad verbi normam non revocant. Atque ut famam tueri laudi ducitur, ita honori proprio velificari, neglecta Dei voluntate, ſcelus eſt. Veruntamen quem hinc honorem ſe quiſquam conſequuturum ſperet, unde Deus inhonoratus eſt? Turpiſſima potiùs in corpore familiæ macula reputandus eſt homicida, quæ, quamdiu ille in vivis manet, non eluitur. Quocunque igitur fugiat, ſive ad aſylum aliquod, ſive ad munera, & corruptelas; ſive ad lachrymas, & deprecationes; omnibus tamen, quorum hoc intereſt, curandum, nequid huic ad vitæ conſervationem proficiat. Quid, quod ne ipſi quidem homicidæ vitæ prorogationem [ſicut ex Pſal. 109 7. coll gi poteſt] fas ſit vel precibus à judice expetere? Quod ſi reo hoc non perm tatur, quanto minùs ali s, ut ſequeſtres pro illo, & inter-

pellatores ſe conſtituant, conceditur? Huc accedit, quod ejuſdem ſceleris ſit abſolvere improbum, & innocentem condemnare. Cum igitur à poſteriori omnes, in quibus humanitatis veſtigium aliquod apparet, abhorreant; quidni etiam à priore animum peræquè abhorrentem gerant? Deinde ubi homicidium impunè fertur, tota Reſpub. rea peragitur. Num. 35. 33. 34. & terra ipſa ſterilis redditur Gen. 4. 12. Si igitur Reſpub. tota reatum contrahat, quantam ejus partem illi ferent, qui homicidam à juſta pœna liberaverint, judex, teſtes, neceſſarii, aut conſanguinei? Denique intempeſtiva hac indulgentia pœnitentiæ peccatoris, quæ debita ſupplicii exequutione promoveri potetat, via obſtruitur. Pauciſſimos enim reperias, qui hac pœna abſoluti ad frugem redierunt. Nec deſunt illorum exempla, qui, actâ reſipiſcentia, magnam tamen Dei ſeveritatem (quam morte vel maximè ignominioſa redimere præoptârint) in hac vita experti ſunt.

Pontificii hic damnantur; apud quos ipſis etiam homicidis aſyla patent.

Verſ. 18. Ambulans integritate ſervabitur: ſed perverſus duabus viis in una corruet.

In הולך (*ambulans*) & דרכים (*vijs*) eſt metaph. à viatoribus.

Scopus eſt pios in ſinceritate, & integritate confirmare.

Huic Proverbio ſimillimum eſt illud c. 10. v. 9. Diſcrimen eſt, quod fructus ſinceræ converſationis ibi in fiducia poſitus, hic ſalute ejus, qui integrè vivit, definiatur. Quæ ſalus, utcunque ad vitam futuram præcipuè ſpectet, hujus tamen vitæ incolumitatem (quæ carnis ſenſu, & judicio ex vita integrè acta vel maximè periclitari exiſtimatur) in ſe complectitur.

Deinde hypocriſeῶs pœna ibi in eo conſtituta eſt, quod quantumvis occulta retegetur: hic autem pœna eſt, quod hypocrita ipſe in malum, cui ſe omni fraude, & aſtutia ſubducere conatus eſt, pronus incidet. Præterea fraus illa hypocritica magis hic graphicè depingitur, cum perverſus duabus viis (h. e. aliam animo, & cogitatione, aliam externa converſatione iniens, omnibus ſe accommodans, & ſcena (quod dicitur) ſerviens) hypocrita nominetur. Denique quod dicitur, in alterutra via caſurum eſſe hypocritam, huic Proverbio peculiare eſt. Unde conſtat, æquè illum perire poſſe, cum ſe bonis accommodat, atque cum ſe maleficis conſociat; quandoquidem, quod bonum eſt, operans non benè illud, nec virtutis ſtudio, ſed ſimulatè, & per hypocriſin facit.

Verſ. 19. Qui colit terram ſuam ſatiabitur pane; ſed ſectans vanos ſatiabitur paupertate.

In עבר אומתו (*colit terram ſuam*) eſt ſyn. ſpec. qua agricultura pro quavis arte honeſta, & legitima ponitur.

Summa eſt, ſedulum ex ſuo in legitima vocatione labore omnia ad vitam neceſſaria abundè acquiſiturum.

Proverbium perquam huic conſimile eſt c. 12. verſ. 11. Hoc ſolum intereſt, quod, qui ilico defectus corde, hic paupertate ſatiandus dicitur. Qua loquendi formula ſignificare videtur, vanorum hominum ſectatores paupertatis veluti fame, & ſiti laborare. Deinde cum dicat, illos paupertate ſatiandos eſſe, μείωσις eſt. Nam non ſatiantur modo, ſed ad nauſeam uſque, & maximam animi ægritudinem tuburcinantur.

Verſ. 20. Vir fidelitatum, amplus

eſt

eſt benedictionibus: ſed præceps ad diteſcendum non erit innocens.

In אמונות eſt metony. adj.

Summa eſt, Deum homini fideliter ſe in commerciis, & contractibus gerenti cumulatè benedicturum.

Per hominem fidelitatum, vel fideliſſimum eum intelligit, qui in emptione, venditione, commutatione, locatione, & aliis quibuſlibet negotiationibus ex animo veritatem loquitur; qui fidem datam vel cum maximo diſpendio ſervat, nec cujuſvis lucri ſtudio ad mentiendum proximo adducitur. Hujuſmodi hominem carnis ſenſus minimè omnium idoneum judicat, qui cum hominibus converſetur, aut ſaltem qui rem faciat: tanquam mendicitati penitùs adjudicandus eſſet, qui ſimulare, & diſſimulare neſciat. Quam opinionem tam altas radices in animis hominum egiſſe ex 1. Theſſ. 4. 6. apparet, ut ex ipſis fidelibus non facile exſtirpetur. Quotus enim quiſque eſt, qui in contractibus quàm minimo emere, & quàm maximo vendere (quæ ſine mendaciis qui poſſunt fieri?) conceſſum eſſe, ſibi perſuaſum non habeat? Huic errori occurrit Propheta, dum bona fide in ſuis ultrà citraque commerciis utentem multiplicibus à Deo benedictionibus oneratum iri confirmat. Cum igitur benedictione divina diteſcant homines Prov. 10. 22. Hag. 2. 19. 20. & maledictio omnia diſſipet Hag. 1. 9; quanti hoc, quod affert Propheta, ad illam, quam oppugnat, falſiſſimam opinionem animis hominum evellendam momenti ſit, facilè conſtat. Quantæ enim dementiæ eſt, abjecta fidelitate, quam benedictione proſequitur Deus à mendaciis, & perjuriis, quæ maledictionem attrahunt, quæſtum exſpectare? Nam (ut maledictiones illas graviores, quæ tandem non bonis modo exuent perfidioſos homines, ſed in abyſſum etiam inferni detrudent, omittamus) hæc non parva eſt, quò minùs diteſcant, remora, quod emptores non facilè inveniant. Quis enim homini cretica fide facilè credat; aut cum mendace, & perjuro rem ullam ſibi intercedere cupiat? Contrà verò ad eum, cujus fidem in commerciis perſpectam habent, omnes certatim accurrunt. Quo fit, ut præter illa, quæ ſenſibus non incurrunt, in hoc etiam non parvam Dei benedictionem ſentiat, quod crebra, & prompta mercium ſuarum diſtractione ampliorem multo quæſtum faciat, quam venditione nimis cara facturus erat.

In altero hemiſt. confirmat, quod dictum eſt, à diſpari. Opponit enim homini veraci in contractibus, & fideli eum, qui ad diteſcendum præceps eſt. Ubi cauſa perfidiæ in commerciis hæc aſſignatur, quod ad opes parandum properent homines, & perfeſtinent; quod quæſtum faciendi occaſionem nacti, quamvis injuſtam, non dimittent. Eſt autem memorabile illud Iſai. 28. 16. *qui credit, non feſtinabit.* Impatientiã enim, qua mora omnis, ut in rebus aliis, ita in parandis opibus gravis, & oneroſa eſt, non aliunde, quàm ex defectu fidei provenire certũ eſt. Nec illud parvi momenti eſt Prov. 23. 4. Si enim ad defatigationem, ut ſine fraude, aut in quenquam injuria diteſcas, laborandũ non ſit; quanto minùs deſudandum eſt, ut ex aliorum damno lucremur, & aliorum exuviis noſmet induamus?

Hanc doctrinam confirmat ab adj. mercede ejus, qui præproperè diteſcere cupit. Prov. 20. 21. hæreditas feſtinanter acquiſita ad extremum non proſperè ſucceſſura dicitur, quia cito parta cito etiam dilabetur, & evaneſcet. Hic autem præcipiti ad diteſcendum gravius quid denunciatur, nimirum quod non erit innocens; quandoquidem fieri nequit, quin

ſua ad diteſcendum præcipitantia multis ſe peccatorum vinculis conſtringat. Hinc enim ſæpiſſimè nominis divini, & Sabbati profanationis, furti, mendacij, & nonnunquam homicidii (dum pauperes ab illo oppreſſi fame, aut frigore pereant) ſe reum conſtituit.

Verſ. 21. Agnoſcere facies non eſt bonum. Nam pro buccella panis deficeret vir.

In פנים (*facies*) eſt ſyn. ſpec. pro re omni extra cauſam. Item in פת לחם (*buccella panis*) pro quavis re vili.

Summa eſt, corruptum judicem accipiendis munerum corruptelis aſſuefactum eo tandem devenire, ut vel minimo pretio juſtitiam venalem habeat.

Prior pars hujus Proverbij 28. 5. & 24. 23. & alibi in hoc libro occurrit. In poſteriori parte prioris aſſertionis ratio redditur ab adj. facies agnoſcendi periculo: fore ſcilicet, ut jus, & æquitas, quæ incorrupto judici vita ſuâ chariora ſunt, fruſto panis, aut rei cuivis viliſſimæ poſtponantur. Sicut enim virgines prima vice non niſi magnis pollicitationibus, & præmiis, ut ſui copiam faciant, adducuntur; poſteà vero, abjecta omni verecundia, viliſſimo pretio ſeipſas proſtituunt: ſic judices, qui primo muneribus inexpugnabiles viſi ſunt, deinceps, judicio facierum agnitione ſemel corrupto, tam faciles ſe ad injuſtitiam patrandum præbent, ut vel panis buccellam, vel vini cantharum pluris, quàm jus, & æquitatẽ æſtiment. Vide Amoſ. 8. 6. Quamobrem cavendum eſt, ne latum (quod ajunt) unguem à juſtitiæ regula deflectamus, neque habenas juris vel minimum remittamus.

Verſ. 22. Accelerat ad ſubſtantiam vir malignus oculo; neque novit, quòd inopia illi obveniet.

Scopus eſt modum, & rationem in colligendis divitiis imponere.

Accelerandi ad divitias cauſam modo aſſignavimus fidei defectum verſ. 9. aut certè tenuitatem; qua omnem moram, donec cupiditates noſtrę expleantur, gravem, & moleſtam putamus, & ad diteſcendum plus cõferre credimus propriam induſtriam, quàm benedictionem divinam. Ecce autem alteram, oculi ſcil. malignitatem, id eſt avaritiam. Avarus oculo malignus dicitur, quod iniquè ferat, & quaſi ægris oculis intueatur, ſiquid decedat ſibi, aut alteri accedat Proverb. 23. 6. Math. 20. 15: Sicut è contra benignus oculo appellatur, qui liberalitatem in pauperes prompto, & hilari animo exercet. Prov. 22. 9.

Avarus ab effecto ad ſubſtantiam accelerandi deſcribitur. Qua in re inſignem ingenii ſui perverſitatem prodit, quod in diſtribuendis opibus (quod tamen longè fœlicius eſt) nullus cum ſit, in accipiendis tamen, & quovis modo corradendis nullum novit modum. Quid autem hoc aliud eſt, quàm ſyndon tineis, æs rubigini, aut prædam parare furibus? Minoris vituperij eſſet, ſi opes, quas avaritia congeſſerat, prodigialitas diſſiparet; & mare avarus imitaretur, quod aquas in ſe undiquaque ex fluminibus, & fontibus infuſas refundit ilico. Mare quidem in eo imitatur, quod divitiarum (ut aquarum illud) nunquam ſatur fit; ſed diſſimillima de cauſa. Illud enim, quod aquas acceptas reſtituat, non impletur; hic, quia cupiditas inſtar ſepulchri, aut inferni infinitè ſe dilatet.

Inter alias turpiſſimi hujus vitii pœnas (quarum præcipua eſt, quod regno cœli avarus excluditur, 1. Corinth, 6. 9, 10.) hoc

hoc in loco inopia exprimitur. Certiſſimum eſt, avaro, (cui tam, quæ habet, deſunt, quàm quæ non habet, inopiam, cum maximè opibus affluit, adhærere; hic tamen omnium rerum penuria, & propriiſſimè dicta paupertas intelligitur. Sæpè enim humanitus, nonnunquam divinitus omnibus, quæ poſſidet, ſpoliatur, Job. 27. 16. 17. Divinitus illud accidit, quod eſt in octavo hujus cap. Damnis vero, quæ ab hominibus illi imminent, hoc accedit, quod fures, & latrones, tyranni, & alii raptores erga avaros ita affecti ſint, ut illis, quicquid habent, vi, aut fraude eripere, juſtum, & conceſſum putent.

Inopia amplificatur ab adjuncta avari ignorantia. Inopinanter enim nil tale cogitantem opprimet. Unde facilè æſtimari poteſt hujus pœnæ gravitas. Cum enim pauperies ipſi fidelibus (quibus nullà calamitas omninò inexpectata accidit, Jobi 3.25. & qui in acerbiſſimo afflictionis vulnere amici, imò amantiſſimi patris manum ſentiunt) deprecanda ſit Prover. 30.8; quàm illa avaro moleſta, & intolerabilis erit, qui ex maxima rerum affluentia in ſummam omnium penuriam (quod illi non aliud videtur, quàm à ſummo bono ad maximum malum, ab ipſo fœlicitatis apice ad profundiſſimum miſeriæ barathum decidere) ſubitò lapſus, fidei alas, quibus ſe cadentem ſuſtineat, nullas habet; ſed calamitatem hanc ab irato Deo provenire ſentit!

Verſ. 23 Qui redarguit hominem, poſteà gratiam inveniet præ eo, qui adulatur linguâ.

In לשון (*linguâ*) eſt meton. efficientis.

Scopus eſt ad juſtas, & debitas fratrum correptiones exſuſcitare.

Non pauci reperiuntur critici, qui ad alios reprehendendos facilè proſiliunt. Hypocritæ enim reprehenſione aliorum ſe juſtos (cum ipſi interim iiſdem, aut etiam gravioribus, quàm quæ in aliis damnant, vitiis laborent) habitum iri exiſtimant, Matth. 7.3,4. Rom. 2.1.2.3.21,22.23. Sunt alij, qui ab ipſorum placitis diſcedenti iraſcuntur ilico, & verbis intonant acerbiſſimis Galat. 4.17. & Act. 20.30. Inter Iudæos etiam, ad quos ſcripſit Iacobus, multos magiſtros, & reprehenſores fuiſſe apparet; ſed qui ea acrimoniâ utebantur, ut homines animo à pietate magis alieno redderent. Ab his univerſis reprehenſoribus Salomon hunc ſuum diſtinguit, & ſecernit; cum dicat illum ita redarguere, ut inveniat gratiã. Quamobrem qui alios ita increpare vult, ut illis proſit, & ſibi gratiam conciliet, caveat primùm, ne à culpa, quam in aliis exagitat, ipſe immunis non ſit; deinde ne ſtudio ducatur illos ſibi conformandi, niſi quoad ipſe Deo conformis eſt; denique ne ſeveritate nimia utatur, ſed in ſpiritu manſuetudinis illos corripiat.

Hæc doctrina prolepſi exornatur. Occupatio tacita eſt; *Atqui alios redarguendo invidiam mihi, & odium conflabo.* Subjectio eſt, tantùm illud abeſſe, ut porro gratiam inventurus ſit. Hujus promiſſionis veritatem ſiquis propterea in dubium vocat, quod pleroſque videmus eos, à quibus reprehenduntur, odio proſequi, & damno nonnunquam afficere 1. Reg. 22. 8: & 2. Chron. 16.10; reſpondeo, redargutionem hominibus non raro gratam eſſe (ſiquidem pii, qui non tam hominem adferentem, quàm allatam à Deo increpationem reſpiciunt, increpantes ſummo amore complecti ſolent. Pſal. 141. 5. Gal. 2. 11. compar. cum 2. Petr. 3.15;) ſed Deo ſemper eſſe acceptiſſimam, cujus unius gratia omni omnium malevolentiæ infinitè præponenda eſt. Si enim principis terreni favorem 1000. ſubditorum offenſioni anteferimus, quanto magis

odium mortalium benevolentia Dei præponderabitur!

Promiſſio amplificatur comparatione minoris. Plus enim gratiæ redarguenti, quam linguam ad aſſentationem elocanti obventurum affirmat. Vide Prov. 27. 14. Si enim (quod ferè fit) primo adulatio placet, poſteà tamen, cum ipſos videamus ab iſtis adulatoribus perditos, amor in odium convertitur.

Verſ. 24. Qui ſpoliat patrem, aut matrem, & dicit, non eſt dejectio, ſocius eſt viri corruptoris.

In משחית (*corruptoris*) eſt metonym. adjuncti.

Scopus eſt liberorum, qui parentum bona ſuffurantur, nequitiam oſtendere; præſertim ſi perſtiterint.

Cuiquam quid ſurripere furtum eſt. Sed ut multis rationibus aliis, ita reſpectu perſonæ, cui eripitur, furtum unum altero gravius exiſtit. Nam ut parricidium homicidio; & in patris, quam in alterius cujuſquam cubile aſcendere, & patri maledicere atrocius flagitium eſt, quam alium petulanter inſectari; ſic & bona illi auferre. Nam ut arctiori amore parentes, quam alii complectendi ſunt, ita major quædam cura adhibenda eſt, ne quid in ſe, vel ſuis detrimenti capiant. Quanta igitur liberorum perverſitas eſt, qui hoc furtum aut non peccatum ducunt, aut certè leviuſculũ eſſe delictum ſtatuunt! Quorum error inde natus, quod bona parentum ſua ducant, tollendus eſt. An enim quia parentum ſumptibus gratis educati ſint, idcirco licebit invitos bonis ſpoliare? Imo quo majorem parentum liberalitatem ſenſeris, eo minus oportet eorum arcas exhaurire; cum ne minimum quidem parentum in liberos beneficium exiſtat, quod eos ad majorem obſervantiam, & promptius obſequium non obſtringat.

Hujus ſceleris gravitas adj. pœnâ arguitur, nempe morte. Sic enim ſonare hæc verba, *Socius eſt viri corruptoris*, docetur Exod. 12.23. Ezek. 9. 1. &c. Tametſi enim furta ordinaria quadrupli, aut tripli reſtitutione expientur, hoc tamen non niſi furis ſanguine eluitur: Nec mirum. Nam ſi parenti maledicens morte multandus ſit, Exod. 21. 17. multo magis bonis ſpolians. Siquidem hoc peccatum illo gravius eſſe, ex ordine mandatorum patet. Huc videtur ſpectare ſententia, quam Iacobus in illos tulit, qui Labanis ſoceri furto idola abſtuliſſent, Gen. 31.

Verſ. 25. Amplus animo miſcebit litem: ſed confidens in Iehova pinguis reddetur.

In רחב (*amplus*) eſt metaph. à dimenſionibus rerum corporearum tranſlata ad animi faſtum, quo quaſi dilatatur. Item in ידשן metaph. eſt à carnibus, quæ quia pingues ſunt, aliis præſtant; ad homines benedictione divina aliis præſtantiores factos.

Scopus eſt à ſuperbia abſterrere.

Prius hemiſtichium habetur cap. 13. verſ. 10. Sed diſcrimen eſt primum quod ſuperbus hoc in loco eleganti metaphora exornetur, animi ſcilicet tam latè ſe diffundentis, ut in ſuo loco, & conditione ſe continere neſciat. Sicut enim πολυσαρκίᾳ turgens non tam anguſto ſpatio, quam gracilis circumſcribitur; ſic ſuperbus æquis conditionibus cum aliis vivere nequit. Unde eſt, quod ubique de primatu, & primis ſedibus contendat; quod re ſua familiari non contentus de alienis, quibus ambitionem, & faſtum ſuum tueatur, lites moveat; quod denique

minimam

minimam ſuæ aut famæ, aut rei familiaris jacturam paſſus ilico ad arma proſiliat. Alterum diſcrimen eſt, quod hoc Proverbio pœna ſuperbi miſcentis litem non obſcurè indicatur. Nam ex adverſo præmio ejus, qui confidit Deo, fore colligitur, ut macreſcat ſuperbus, 2. Chr. 26.16. Iſai. 2. 11. 12. 13. Quod non tantùm fit, cum ad ſummam egeſtatem, & ignominiam redigitur; ſed multo magis cum mala conſcientia, qua tanquam tabe langueſcere ſolet, ſauciatur, Matth. 12. 25. Galat. 5. 15. Exempla paſſim obvia ſunt in ſcripturis ſacris, in omnium ætatum hiſtoriis, & noſtris ipſorum temporibus.

Superbo opponitur, non humilis, ſed qui fiduciam habet in Deo. Qua antitheſi fontem ſuperbiæ, & ſubmiſſionis indicat; hujus fiduciam in Deo, illius ejuſdem vacuitatem. Deſtitutus enim fiducia in Deo nullum nec adipiſcendum bonum, nec malum depellendum à Deo exſpectat; ſed quicquid proſperè & fœliciter ſuccedit, ſuæ prudentiæ, aut induſtriæ acceptum fert. Unde non mirum eſt, ſi (ut Propheta loquitur) retibus ſuis ſacrificet, & magnificentiſſimè de ſeipſo ſentiat. Contra vero, qui Deo confidit, quam maximè ſibi diffidens ad umbram, & clypeum divinæ protectionis accurrit, quam humillimè.

Verſ. 26. Confidens in corde ſuo ſtultus eſt: ſed ambulans in ſapientia eripiet ſe.

Scopus eſt homines à fiducia in ſe ad Deo fidendum abducere.

Fiduciæ in Jehova opponit fiduciam in nobis ipſis, ſive in corde noſtro: quod etiam clariùs liquet ex cap. 3. verſ. 5. Ubi tamen non ſimpliciter prohibemur ingenii vires in rebus hujus vitæ excogitandis, adminiſtrandis, & ad uſum accommodandis exercere; ſed in rebus ſacris, ubi ex unius Dei voluntate in verbo pateſacta omninò pendendum eſt. Verumtamen in ipſis rebus ad hanc vitam ſpectantibus cavendum, ne uſque adeo nobis ipſis placeamus, ut aliorum conſilia aut rejiciamus, aut contemptim prætereamus. Videmus enim, Salomonem omnium mortalium longe ſapientiſſimum ſenatores ſuos habuiſſe, quorum conſilio in regni adminiſtratione adjutus eſt. Deinde cavendum eſt, ne prudentiſſime excogitatis, & adminiſtratis ſapientiſſime confidamus; quandoquidem Deus, qui ſuperbis ſe repugnaturum minatus eſt, omnia conſilia & incœpta noſtra facillime fruſtrari, & diſſipare poterit. Quamobrem ſi fœlicem rerum ſucceſſum cupimus, danda eſt opera, ut rebus bene, & prudenter diſpoſitis, benedictio divina imploretur. Quicunque enim, non exſpectata benedictione divina, ſuis conſiliis innititur, Salomone, vel potiùs Spiritu Sancto judice, ſtultitiæ reus peragitur. Quid igitur de ſapientibus hujus mundi exiſtimandum eſt, qui ad conſequendum in rebus gerendis fœlicem exitum de nulla re alia ſatagunt, aut ſolliciti ſunt, quam ut maturè deliberentur negotia, & certo quodam ordine diſponantur?

Hæc doctrina confirmatur ab adjuncta pœna, quæ ex adverſo præmio in poſteriore hemiſtichio propoſito elicitur. Si enim ambulans in ſapientia eripiet ſe, tum in corde ſuo confidens in mala, unde nullo modo ſe extricabit, incidet. Deus enim aſtutos in ſua verſutia deprehēdet.

Ex his quæ dicta ſunt, facilè conſtat, eos in ſapientia ambulare, qui, poſtquam maturè conſultârint, & honeſtas rei gerendæ rationes inierint, ad Deum, ut benedicat, precibus confugiunt. Hi omnes, tametſi periculis non eximantur, promiſſione tamen muniuntur, ſe illis, quot, & quæcunque fuerint, ereptum iri.

Verſ.

V. 27. *Danti pauperi non eſt egeſtas: occultans verò oculos ſuos amplus eſt maledictionibus.*

Scopus eſt homines ad beneficientiam in pauperes excitare.

Duo hic proponuntur:
- *Exhortatio.*
- *Rationes, quibus illa confirmatur.*

Exhortatio eſt; dandum eſſe pauperibus. Quæ ſola ſatis argumenti continet ad hominum inclementiam, & in indigos ſiccitatem convincendum. Ipſi enim pauperum miſeriæ, nedum lachrymis, & clamoribus ſatis eloquentiæ ineſſe debet ad viſcera miſericordiæ commovendam. Aut ſi hæc minus, perſuadere tamen oportet vocem, & clamorem Dei, qui pauperum cauſam agens pro illis obſecrat nos quodammodo, & obteſtatur.

Rationes ſequuntur: quarum prior ducitur à Dei in eos, qui inopi ſubveniunt, munificentia, quæ prolepſi figuratur. Occupatio tacita eſt hujuſmodi; pauperibus largiendo ipſe pauper evadam. Sic enim naturà comparati ſumus depravata plane, & perverſa, ut illud omne, quod in pauperes erogamus, tanquam in mari, vel petris ſementem faceremus, nobis perire exiſtimemus. Cujus vaniſſimæ opinionis non alia cauſa eſt, quam quod oculis, quibus facultates noſtras minui cernimus, nimium; fidei & rectæ rationi, quibus, quantum nobis hinc accedat, perſpiceremus, nihil quicquam tribuamus. Contra tacitam hanc objectionem ſubjectio eſt; *danti pauperi non eſt egeſtas.* Hinc liberalitas in pauperes ſemini comparatur; unde pro unico grano centum, 60 aut 30 redduntur, 2. Cor. 9. 6. Hinc etiam ſinus pauperis fœcundo ſolo aſſimilatur, Eccleſ. 11. Huc accedit, quod dicatur Deo ipſi, qui largo cum fœnore redditurus eſt, mutuo dare, qui pauperibus aliquid largitur, Proverb. 19. 17. Vide etiam verſ. 8. hujus cap.

Sequitur alia ratio ab adj. pœna aridorum & triparcorum; qui ampli erunt maledictionibus in ſe, fortunis, liberis. Sed illa omnium miſerrima eſt, quod ſicut ipſi ad clamores pauperum aures obturant, ita cum ipſi Deum ſummo clamore invocaverint (quod maxima calamitate, quia alioqui non invocarent, opprimendos eſſe indicat,) non exaudiet, Prov. 21. 13. Quod ipſum egregie confirmatur, Luc. 16. Ubi videmus, Abrahamum epulonis precibus ne minima quidem ex parte ſatisfeciſſe.

Quod dicit, immiſericordem oculos ſuos, ne pauperem aſpiciat, claudere, aut avertere, immiſericordiæ cauſam eſſe innuit, quod pauperum miſeriam (cujus intuitus, & diligens conſideratio ad frangendum cor ejus lapideum non levis momenti eſſet) aſpicere non dignetur. Vide 58. 7. Cum igitur propriæ cordis duritiei conſcius ſis, non inutile erit ad affectus commovendum, ſi ptochodochia, carceres &c. inviſeris.

Verſ. 28. Cum ſurgunt improbi, abſcondit ſe homo: ſed, cum pereunt illi, augentur juſti.

In קום (*ſurgunt*) eſt metaphora, tranſlata à corporis proceritate, quę ſurgendo apparet, ad honoris, & dignitatis eminentiam. Quemadmodum enim aſſurgens ſedente, aut jacente altior eſt; ſic in dignitate conſtituti iis, qui privatim & obſcuram vitam agunt.

Summa eſt, omni honeſta, & legitima ratione providendnm eſſe, ne improbi principatum obtineant.

Ut ad imperium improborum à cervicibus noſtris depellendum ſtudium noſtrum

ſtrum magis accendatur, conſiderandum eſt, improbos piis longè plures eſſe, & honorem ſitientiſſimos, cum pii præ modeſtia, & ſubmiſſione animi ab imperandi cupiditate alieni ſint. Niſi igitur intendamus animos, & in hanc cogitationem acriter incumbamus, pios, rerum potiri, rariſſimè eveniet. Quid igitur faciendum eſt (dicet aliquis,) ut improbos à principatu arceamus, quandoquidem major pars, cum ipſi ſint improbi, ſibi ſimiles magiſtratus cupiant? Reſpondeo præcipuum hac in re præſidium, & (quod ajunt) proram, & puppim in eo ferè verſari, ut divinum auxilium ſuppliciter, & obnixè imploretur. *Neque enim ab oriente, aut ab occidente, aut à deſerto eſt principatus: ſed Deus judex hunc attollit, illum deprimit.* Pſal 75. 6, 7. Deus igitur orandus eſt, ut pro ſua miſericordia pios principes populo ſuo præficere velit; aut impiorum corda, ſi tales jam præfecti ſunt, ad ſe atque ita ad ſuos convertere aut ſaltem frænum maxillis tyrannorum injicere, quo ferociam eorum cohibeat & infinita potentia ſua efficiat ut leones mel populo præbeant, & ab edaci proveniat edulium.

Atqui, ut ad precandum vehementius inflamemur, duplex ratio hic adhibita conſideranda eſt. Primo enim, *cum dominentur improbi, abdunt ſe homines*, Pſal. 12, 8. Hebr. 11. 35, &c. Sed cur non ſpeciatim juſtos dixit ſe abſcondere? Hoc enim tyrannorum ingenio, & antitheſi poſterioris hemiſtichii maxime videtur conſentaneum. Reſp. improbos inſtar ferorium belluarum non raro inter ſe committi, & exitium invicem machinari. Tyranni enim, ut ſuis affectibus indulgeant, & libidinem expleant, non iis parcent, quibuſcum arctiſſimo affinitatis, aut cōſanguinitatis nexu copulantur. Sed eſt adhuc majus quiddam, quod hinc occultationi hominum etiam improborum cauſam præbet; flagella nempe Dei bella, fames, peſtis, &c. quæ tyrannis & in tyrannide confuſio, & rerū omnium perturbatio evocat. Vnde princeps impius hoſtis humani generis nō immerito vocari poteſt. Abſconſionis hujuſmodi exēpla ſunt non pauca in libro Iudic. 1. Reg. 18. 13.

Ratio poſterior eſt à diſparato nempe juſtorum, cum tyranni pereant multiplicatione. Nam, ſublato metu, & pœnis, quibus anteà pietas oppreſſa eſt, ab exilio pii redeunt, è latibulis prodeunt, &, exſerto capite pietatem palàm profitentur, & alii ad eorum imitationem (maxime ſi impiis magiſtratibus pii ſuccedant, qui pietati præmia, & impietati debitas pœnas conſtituunt) juſtitiam, quam ante averſabantur, colunt. Huc accedit Prophetæ Iſaiæ teſtimonium, qui incredibilem Eccleſiæ multiplicans cauſam ejuſdem non minimam aſſignat, cum dicat, reges, & reginas nutricios Eccleſiæ, & nutrices fore, 49. 23.

CAPUT XXIX.

V. 1. *Vir redargutionem obdurans cervicem ſubito confringetur, nec erit curatio.*

In איש תוכחות (*vir redargutionem*) eſt metonym. adjecto. In מקשה עכף (*obdurant ſervicem*) eſt metaph. à refractariis bobus, qui jugū excutiunt. In ישבר (*confringitur*) eſt metaph. à rebus corporeis inanimatis, quæ fractæ ſarciri nequeunt, tranſlata ad improbos juſto Dei judicio penitus obtritos.

Summa eſt, mortiferis verberibus perditum iri, quem verborum caſtigatio non emendat.

Is eſt peccati torpor, ἀναισθησις & indolentia, ut illi ſemel admiſſo prorſus indormiant homines, donec admonitione, & caſtigatione expergefiant. Nam & ipſe David de adulterio ſimul, & homicidio reſipiſcentiam non egit, quoad acri Nathanis reprehenſione excitatus fuerit. Quamobrem deplorata eſt eorum conditio, qui fidelem monitorem non habent; ſed miſerior adhuc eorum, qui non audiunt.

Prov. 17. 10, docetur, mauu reprehenſionem plus, apud intelligentem ponderis habere, quam centem plagæ habeant ſtulto inflictæ. Itaque inſipientiam ſuam manifeſte produnt, qui vana propriæ ſapientiæ opinione inflati ſaluberrimas admonitiones, præſertim ſi ab æqualibus (multo magis honore, vel ætate, vel ſcientia inferioribus) proficiſcantur, reſpuunt. Hic tamen obſervandum eſt, non ſtatim refractarium judicandum eſſe, qui unam aut alteram admonitionem non admiſerit; cum hoc proverbium in illos ſtringatur, qui ſæpius convicti, & admoniti in maleficiis perſtant. Servator Matth. 18. triplicem ſi opus fuerit, admonitionẽ ad collapſorum reſtitutionem exigit. Et Apoſtolus Tit. 3. 10. deploratum hæreticum non alium ducit, niſi qui poſt ſecundam, aut tertiam admonitionem errori ſuo pertinaciter adhæret. Vid. 2, Chron. 15. 10. quamodo Aſa rex pius in Prophetam, qui ipſum corripuit, exarſerit.

Adjuncta obfirmationis, & obſtinaciæ pœna eſt fractura, quæ juſtiſſimo Dei judicio illis accidit, qui inflecti nolunt. Satius igitur eſt hominum ferulis emendari, quam incidere in manus Dei viventis. Nunquid enim ferrum a ferro aquilonari, id eſt, chalybe frangetur, Ier. 15. 12. & homunculus potentiſſimo vindictę divinę ictu in minutiſſimas particulas, tanquam vas figulinum non diſſilier?

Fractura hæc amplificatur duobus adj. Primo enim ſubitanea erit; deinde immedicabilis. Vnde vaniſſimam eſſe conſtat eorum ſpem, qui utcunque admonitiones, & caſtigationes negligant, æternum tamen exitium reſipiſcentiam, quam ante obitum agere conſtituunt, ſe anticipaturos ſperant. Primo enim reſipiſcentia non penes ipſos eſt, ſed in manu Dei, qui illam oblatam reſpuentibus quęſitam deinceps jure poterit denegare: deinde, ſi reſipiſcere in eorum arbitrio eſſet maxime, de ſpatio tamen ad reſipiſcendum neceſſario incerti ſunt.

Quod ſi obduratio cervicis tam pernicioſa eſt, caveant Magiſtratus, & quicunque aliis præficiuntur, ne delinquẽtes, frequentius de re eadem reprehendant. Nam ſi puer verberibus pluſculum aſſuetus ita callum contrahat, ut illa parum ſentiat, & nihili faciat; quanto id in adultis fiet magis, ſi nudæ reprehenſiones ingeminentur ſæpius, & inculcentur? Si igitur admonitiones fiant, plagæ addantur, ut ſi minus poterint ſeparatim, conjunctim tamen ad frugem revocent.

V. 2. *Cum augentur juſti, lætatur populus, ſed cum dominantur improbi ſuſpirat populus.*

Summa eſt laborandum eſſe omnibus, maxime rerum potitis, ut homines pietatem, & juſtitiam colant.

Iſai. 3. 10, 11. docetur, piis ſemper bene eſſe, impiis vero, vel cum proſpere agant, male. Hic autem docet Propheta, toti Reipub. bene eſſe, ubi plures inveniuntur juſti. Miſerrima quidem eſt illa Reſp. in qua juſti aut nulli ſunt aut pauci admodum (Gen. 18;) ſed juſti civitatis, & regni arces ſunt, propugnacula, murus aheneus, armamentarium, currus, & equites; ſine quibus parum, aut nihil

nihil juvant munitiones aliæ, leges, & politica adminiſtratio. Quod his cum primis obſervandum eſt, quibus committitur arcium, & propugnaculorum cuſtodia, ut, rejectis latronibus, & ganeonibus, milites ſibi adſciſcant religioſos. Sed civitati, aut regno prodeſſe nihil eſt: juſtus fundamentum mundi appellatur, Proverb. 10. 25. & mundus univerſus conſervatur electorum cauſa, Math. 13. 28, 29.

Sed objici poteſt, Deum propter incredibilem numerũ infantium, qui dextram à ſiniſtra non dignoſcebant, atque etiam beſtiarũ Ninivitis omnibus peperciſſe. Reſp. multitudinem iſtam non moviſſe Deum, ut civitatem ab interitu liberaret, ſed commoviſſe tantum. Quod enim maximè Deum ad miſericordiam (ſi ab ipſius bonitate receſſeris) excitavit, erat Ninivitarum ipſorum à ſummo ad infimum humiliatio. Nam alioqui in ipſius Ieroſolymæ everſione infantibus parcitum non fuiſſe, teſtatur hiſtoria ſacra, & Eccleſiaſtica. Deinde excipi poteſt, Deum, ſi inter Ieroſolymitanos vel unus aliquis juſtitiæ cultor inventus fuiſſet, voluiſſe omnibus parcere Ier. 5. 1. Reſponſio eſt, longè aliam rationem fuiſſe Ieroſol. & aliarum, quæcunq; fuerint, urbium. Nam ibi Deus ſolium regni, & ſedem cultus ſui collocârat; quibus Chriſti regnum, & Eccleſia adumbrata ſunt. Quo nomine illa non ſemel conſervata eſt, cum reliqua Iudæa ab hoſte vaſtata, & veluti aquarum inundatione oppreſſa fuerit. Unde & capiti comparatur, quod reliquo corpore in aquis demerſo, exſtabat.

Ex his intelligitur, quàm ſit ingratus mundus, qui piis pro vitæ, & incolumitatis beneficio contumelias, & injurias retribuit; deinde quàm demens, cum, qui in pios ſæviunt, eadem operâ, in propria viſcera graſſentur, & propriis manibus Rempubl. ſuam demoliantur. Vide hiſtoriam diluvij, incendij Sodomæ, & excidij, quo Ieroſol. poſtquam Chriſtiani in oppidum, cui *Pelle* nomẽ, commigrâſſent, horribiliter everſâ eſt. Vide etiam Num. 16. 26.

In poſteriore hemiſtichio confirmatio eſt prioris ab adverſo. Si enim, dominantibus improbis, ingemiſcat populus, ex dominatu bonorum exhilarari neceſſe eſt. Pii enim principes de incremento Eccleſiæ ſoliciti ſunt, neque tam in numero ſubditorum ſuorum, quàm eorum, qui Deo etiam obſequuntur, exſultant. Quam ob cauſam cultum Dei germanum, quo pii generantur, in lucem eduntur, atque etiam adoleſcunt, procurant, & tuentur: & econtrà exſcindunt operarios iniquitatis Pſal. 101.

Principatus improborum effectum eſt gemitus populi. Inprimis verò pij amplam habent luctus, & lamentationis materiam, cum cultum Dei neglectum videant, & juſtitiam conculcatam. Deinde improbis etiam mala, quæ ex tyrannorum luxu, avaritia, ambitione, bellis non neceſſariis &c. dimanant, ſuſpiria extorquent. Denique judicia divina, quæ pios, & impios potiſſimum involvunt, in totum regnum effunduntur.

Cum dicit, populum ingemiſcere, indicat, à tyrannis oppreſſos querelas ſuas non palàm facere, ſed privatim, & tacitè ſuſpiria ducere Exod. 2. 23. Unde latum diſcrimen colligitur inter caſtigationes divinas, & hominum ſævitiam. Nam Dei manu percuſſi ſumma fiducia, & libertate eum invocamus, & querimonias ei noſtras exponimus; cùm adverſus homines nos opprimentes ne mutire quidem audemus. Quid igitur hic piis agendum? Certè querelæ in ſinum, apud quem ſumma eſt conquerendi libertas, effundenda ſunt.

V. 3. *Vir amans ſapientiam exhilarat patrem ſuum; ſed ſe conſocians ſcortis perdit ſubſtantiam.*

Summa eſt, quærenda eſſe parentum ſolatia; & omnia; quibus mœrore conficiantur, declinanda.

Priorem partem jam antea habuimus c. 10. v. 1. & 23. 15, quam tamen hîc habemus aliquanto pleniorem. Nam præter ſapientis filij effectum cum iſtis locis huic communem, hic peculiariter adjicitur quædam ejus deſcriptio, cum dicatur, eum, quia ſapientiam amat, exhilarare patrem ſuum. Multi ſunt ampla rerum divinarum notitia præditi, qui tamen nullo ſapientiæ amore ducantur, ſed quā animo intelligunt, & profitentur lingua, factis negant. Nonnulli etiam ſapientum veſtigiis inſiſtunt, & ſapientiam, quam verbis præ ſe ferunt, factis exprimunt; qui tamen amore ſapientiæ hoc non faciunt, ſed metu pœnæ, aut ſpe præmij adducti. Sed ille demum ſolido parentes gaudio perfundit, qui ex animo ſapientię operam navat.

Filio ſapienti ſe ſcortis conſociantem opponit. Quod eo conſilio factum eſt, quia, cum ſcelera ſint quàm plurima, quibus poteſt, & ſolet ſe contaminare adoleſcentia, nuſquam tamen tam facilis ſit, quàm hac in re adoleſcentum lapſus. Unde etiam in præfatione hujus libri copioſiſſimè tractatum eſt hoc argumentum. Quod adoleſcentibus admonitioni eſſe debet, ut adverſus omnia illectamenta, & illecebras cautè, circū ſpecteque ambulēt.

Videtur ad juſtam antitheſin conſtituendam ſcortis ſe conſociantis effectum triſtitiâ patrem afficiendi exprimendum fuiſſe. Atqui hoc ipſum non obſcurè innuens amplius quiddam proponit, & cauſam doloris aſſignat, diſſipationem ſc. paternorum bonorum. Hoc autem Proverbiorum naturæ congruentiſſimè factum eſt; quibus ſummæ laudi ducitur, ſi res quàm plurimas pauciſſimis verbis complectantur. Quomodo verò ſcortator opes perdat, facile eſt intellectu, cum meretrices inſtar voraginum ſint inexplebilium, quæ luxu omne genus diffluentes nullis muneribus ſatiari poſſunt. Cur hujus vitæ potius, quàm futuræ incommoda ob oculos proponet, rationem ſuprâ reddidimus.

V. 4. *Rex judicio ſtabilit regionem: ſed vir oblationum diluet eam.*

In יעמיר (*ſtabilit*) & יהרסנה (*diruet*) eſt metaphora ab architectura. In ארץ (*regionem*) eſt meton. ſubj. pro populo, ſeu cōmoda adminiſtratione populi: vel potiùs ſynecd. membri pro ipſa terra, & populo terræ; ut ex interpretatione conſtabit.

Scopus eſt homines, & præcipuè reges ad juſtitiæ amorem excitare.

Partes ſunt
- *Adhortatio ad jus, & æquitatem exſequendum,*
- *Argumenta, quibus adhortatio nititur.*

In adhortatione obſervandum eſt, ad regē eam potiſſimum dirigi, primo quia, utcunque in omnibus etiam infimæ conditionis magiſtratibus divinæ majeſtatis nonnihil appareat, in regibus tamen, maximè conſpicitur viva ejus, & expreſſa effigies, 2. Chron. 19. 7. Et proinde illis potiſſimum laborandum eſt, ut Deo judici incorrūpto quàm ſimillimos ſe exhibeāt. Altera ratio eſt, quod penes regem ſit, ut jus, & judicium per univerſam regionem adminiſtretur, procurare: quod inferiores magiſtratus præſtare nequeunt.

Sequuntur

Sequuntur argumenta. Quorum prius ducitur ab adjuncto præmio metaphorâ ab architectonica ducta exornato. Quẽadmodum enim magnificæ ædes firmis innixæ columnis ſtabiliuntur, & à ruina conſervantur: ſic Reſpub. ubi viget juſtitia, commodè, & tranquillè, agens ab interitu liberatur. Hinc David affirmat, ſe, rectiſſimè judicando columnas Reipubl. aptaturũ Pſal. 75. 3. Etenim duæ ſunt columnæ (quod & in cultu Dei fit 1. Regum 7. 21.) quibus Reſpub. fulcitur, & ad omnem æternitatem conſervatur; religio à dextra, & jus, ſeu juſtitia à ſiniſtra: quibus dum incumbit illa, & ſtatuminatur, non eſt neceſſe circumſcriptas (quæ ferũtur) regnorum periodos formidare. Stabilientur enim judicij cultores non liberationib. modo ab externis hoſtium impreſſionibus, ſed domeſtica etiam fœlicitate. Ad ipſam enim tellurem (ſicut in analyſi rhetor. innuimus) pertingit hoc ſtabilimenti præmium. Unde David cum incolarum, tum ipſius etiam terræ columnas ex divini cultus & recti judicij ſub imperio Saulis neglectu ſolutas, & labefactatas eſſe narrat. Pſal. 75. Quod ſi mirum cuiquam videatur, terram, quæ ſemper ſtabilis eſt, Eccle. 1. 4. judicio ſtabiliri, reſponſio eſt, terræ, ſtabilitatem non immobilitatis nomine attribui modo, ſed tum etiam ſtabilem duci, cum alimenta abundè proferens incolarum vitam ejus proventui, quaſi fundamini maximè neceſſario innitentem ſuſtentet. Atque ita debita judicij executione ſtabiliri terram, ex Pſal. 72. 1, 2, 3. plane liquet. Quamobrem, conſiderata præmij hujus bonitate ſimul, & extenſione, excitandi ſunt univerſi terræ incolæ (& inprimis reges, quorum ſolia non ſemel in hoc libro juſtitia ſtabiliri dicuntur; & qui cauſas forenſes tractant, & pro tribunali ſedent) ad juſtitiæ amorem, & exercitium.

Alterum argumentum eſt ab adj. pœna violati judicii. In juſtis enim judiciis hominum Deus ad juſtiſſ judicia ſua exſequendum quodammodo impellitur. Unde terrę populique ipſa veluti fundamenta vacillant, & convelluntur. Quantæ igitur dementiæ eſt ita velle rem familiarẽ augere, ut publica evertatur; eo pacto opulentiam quærere, quo terra ferrea fit, & cœlum æneum?

Notandum porro, quod non dicat munerum corruptelis, ſed muneribus ipſis violari juſtitiam. Quod omnibus admonitioni eſſe debet, privatis hominibus, ne offerant munera; judicibus, ne accipiant.

V. 5. *Vir blandiens proximo ſuo rete pandit greſſibus ejus.*

In poſteriore hemiſt. eſt allegorica metaph. tracta à venatoribus, & aucupibus, vel piſcatoribus.

Summa eſt, ſolicite ab aſſentatoribus cavendum eſſe.

Partes ſunt { *Aſſentatoris ab etymol. vocis deſcriptio.*
Aſſentationis effectum. }

Adulator hic diviſor dicitur, qui ſermonem ſuum à mente dividit. Siquidem aliud loquitur, aliud ſentit; ſe optime ei velle profitetur, quem odit peſſimè; illos laudat, quos non tantum laudibus indignos eſſe, ſed vituperio digniſſimos probè novit. Sed tectior adhuc eſt, & proinde periculoſior, in aſſentatore diviſio, cum vera quidem loquitur, ſed ad alium, quam prætendit finem. Quamquam enim videri vult alterius virtutem admirari, re ipſa tamen non aliud ſpectat, quam emolumentum proprium. Sed præter hanc dividendi ſignificationem nomen חלק glaber, vel molis ſonat. Quo etiam ſigni-

ficato non ineptè depingitur adulatoris ingenium. Nam ſcaberrima aliorum vitia fictis laudibus glabrare ſolet, & rigidiſſimos odij gladios butyrinis verbis obtegere.

Sequitur effectus aſſentatoris, nempe quod interitum ei, cui aſſentatur afferat. Nam cum ex innata nobis φιλαυτία ad ſuperbiam, quæ ad exitium ducit, proclives ſimus, quam ille ad interitum feſtinat, qui ad ſuperbiam ſponte ruens ab adulatoribus etiam impellitur! Hinc eſt illud Iſai. 3. 12. *Popule mi, qui te beatum prædicant, te ſeducunt, & viam ſemitarum tuarum abſorbent.* Cumque juſta reprehenſio inſtar pretioſi unguenti ſit, quo delibutus ſanatur, & recreatur; contrariam aſſentationem perquàm noxiam, & exitialem eſſe conſequitur. Vid. exemplum in Prophetis Ahabi.

Sed hic quæret aliquis, quomodò veris laudibus, quamvis aſſentandi animo alium ornans eum perdat? Reſp. pios ipſos plerunque ſuis laudibus valdè corrumpi, nec ſuam ab extremo exitio conſervationem aut ſibi, aut adulatoribus, ſed miſericordiæ Dei, qui ſuos nunquam prorſus deſerit, acceptam ferre. Sed de impiis dubium non eſt, quin arrogantia verarum etiam laudum fomentis aucta ad interitum ducat.

Nunquamne igitur licebit præſentem laudare? Imò verò nonnunquam expedit. Nam ſiquem peccatorum, & propria indignitatis conſcientiâ magis, quàm par eſt, dejectum videmus, imitanda nobis eſt medicorum prudentia, qui ægrotum de ſalute ſine juſta cauſa deſperantem, conquiſitis omnibus, expoſitiſque recuperandæ valetudinis argumentis, conſolantur.

Hoc effectum allegoriâ illuminatur, qua aſſentatores venatoribus, vel aucupibus, vel piſcatoribus aſſimilantur. Quod omnes (& cumprimis magnates, quibus paraſiti nunquam deerunt) admonere oportet, ut ab hoc hominum genere, ne incauti intercipiantur, ſolicitè caveant. Qui enim adulatoriis verborum lenociniis ſe decipi ſinunt, imò (quod à pleriſque fit) gaudent, brutis animalibus longè ſunt inſipientiores, quæ, quantam poſſunt, ut retia effugiant, cautionem adhibent; &, cum ſe irretita ſentiant, totis viribus ſe conantur extricare.

Sed aſſentatio in rebus aliis pernicioſa in divinis ad ſalutem animarum ſpectantibus multo eſt pernicioſiſſima, Iſai. 3.12. Rom. 16. 18. Quo in genere graviſſimè peccatur à doctoribus pontificiis, qui liberum arbitrium, & merita humana ita laudibus efferunt, ut animas in æternum exitium catervatim dejiciant.

Verſ. 6. In defectione viri mali eſt laqueus: ſed juſtus cantat, & lætus eſt.

In מוקש (*laqueus*) eſt met. ſatis nota.

Scopus eſt, ut à peccato abſterriti juſtitiam colamus.

Ad nos à defectione cohibendum argumentum ducit ab effecto ejus, quia peccatorem illaqueat. Nam Satanæ, magni illius Nimerodis ea eſt aſtutia, ut, laqueo mœroris, ignominiæ, & mortis æternæ ſub eſca voluptatis, commodi, aut honoris abdito, miſeros peccatores ex improviſo occupet, & tam firmiter implicitos teneat, ut (niſi laqueo divinitùs rupto) nullum detur effugium. Qua in re miſera profectò eſt peccatoris conditio, & conditione piſcium, aut avicularum longè deterior. Nam iſta animalcula non raro, devoratâ eſca effugiunt laqueum; &, ſi capiantur, priùs tamen voluptatis aliquid ex eſca percipiunt, & poſteà, ne ulterius miſeriam ſentiant, prorſus intereunt; ſed peccator laqueum Satanæ nunquam

quam

quam vitat, & ſæpe bonum, quamlibet exiguum, & momentaneum, cujus deſiderio in tantum & tam certum æternæ mortis periculum ſe conjecerat, non aſſequitur. Gen. 19.

Quid igitur de piis delinquentibus dicendum eſt? Reſp. ubicunque ſcelus admittitur, ibi laqueum eſſe, & quicunque in illud incidit, eadem operâ in hunc incidere. Pij quidem, peccatis Chriſti morte expiatis, & repetitis ab eo pœnis, è laqueo Satanæ liberantur; ſed non tam facilè, quin virgâ Dei, paterna illa quidem, nonnunquam tamen peracerba caſtigentur. 2. Sam. 12. 10. 11. 12. 14. Notandum tamen, non pro quovis peccato ex infirmitate, ſed pro defectione, ſeu flagitio homines (præſertim pios) huic laqueo involvi.

Si quæratur, quid laquei nomine intelligitur, ex ſequentibus ſatis conſtat. Notat enim plagam aliquam ab irato Deo immiſſam, quæ peccatores ad mœrorem, & ex mœrore clamorem, & ejulatum piorum lætitiæ contrarium adiget. Hujuſmodi laqueus eſt ſævis conſcientiæ ſtimulis cruciari, vel ad civile ſupplicium rapi, vel immediatum Dei judicium aliquando in hoc ſeculo, ſemper in futuro experiri. Eſt etiam ubi peccatores [ſi pios excipias, quos Chriſtus ab inferno liberavit] in hæc omnia incidunt.

Poſterius hem. ad virtutis ſtudium inde animum accendit, quod juſtus præ animi lætitia voce cantet. Nam juſtificatus fide pacem habet Rom. 5. 1. & pacem quidem eam, quâ mundus eum privare nequit. Ex quo illud emanat, piorum vitam non eſſe [ut vulgo exiſtimatur] ita mœrore plenam, ut, niſi miſſo pietati nuncio, lætari non liceat. Quæ quidem ſtultiſſimorum hominum paradiſum non niſi in regno Satanæ, & infernali barathro ſtatuentium inde orta eſt opinio, quod viam pietatis nunquam ingreſſi ſunt. Si enim ſemel, quàm Deus ſuis benignus ſit, guſtaſſent, 1. Pet. 2. 3. nullis unquam hujus vitæ illecebris, & vitiorum irritamentis in priorem iſtam peccati captivitatem ſe abduci paterentur. Impiis enim pax nulla eſt, & eorum riſus cum primis inſanus eſt: ſed juſtis lætitia, & cantus ex jugi bonæ conſcientiæ convivio tam fideles ſunt, & individui comites, ut illos in maximis anguſtiis nunquam deſerant. Act. 5. 41. & 16. 21.

V. 7. *Novit juſtus cauſam pauperum; improbus non intelliget ſcientiam.*

In ידע (*novit*) eſt ſyn. gen. Cognitio enim pro agnitione ponitur, ſeu approbatione.

Scopus eſt homines cohortari, ut ſuum erga tenues officium, cum probè norint, fideliter præſtent.

Cum in omnibus mundi plagis, & ſæculis pauperes, quos ipſe Chriſtus curæ noſtræ commendavit, futuri ſint, intereſt omnium, quomodo erga illos ſe gerere oporteat, intelligere. Magiſtratibus præcipuè, qui judiciariam poteſtatem exercent, videndum eſt, ut pauperum cauſæ [qui ſibi à divitum potentia, & gratia metuentes non niſi inviti fere, & dura neceſſitate preſſi cum illis diſceptant] diligenter cognoſcantur, & incorruptè dijudicentur. Si enim, cum juſtam in judicio cauſam obtinuerint, plerunque tamen propter graves divitum, quibuſcum jure experti ſunt, inimicitias, parum commodè cum illis agatur; quàm miſera erit, & calamitoſa eorum conditio, ſi ad divitum injurias, & odium, judicis accedat injuſtitia, aut negligentia! Sed latiùs patet hoc officium, & ad omnes homines, quamvis privatos extenditur. Nam intereſt omnium diligenter cauſam tenuium animadvertere;

vertere; & poſt commiſerationem animi, & συμπάθειαν, poſt promptitudinem, & animi ad juvandum alacritatem quæ ſemper, & erga omnes requiruntur, de ſublevationis genere, conſilione, an re familiari, donatione, an mutuo præſtanda ſit; de temporis opportunitate; de modo denique, utrum clàm, an aliis conſciis, prudenter pro re nata ſtatuere; ut his ſubſidiis adjutus facilius cauſam ſuam cum adverſario diſceptet.

Hoc piorum officium ſuo adverſo arguitur. *Improbus enim non intelligit ſcientiam* de pauperis conditione prudenter judicandi. Verum quidem eſt, multos improbos valdè ſe benignos, & liberales pauperibus præbere; ſed veram eis ſubveniendi rationem aut non intelligunt, aut ſequi nolunt. In ſuis enim largitionibus non tam miſeriam pauperum ſublevandam proponunt, quàm ſalutem propriam [uti falſo, & ſtultè ſibi perſuadent] promerendam: nec in dandi ratione id ſequuntur, quod eorum egeſtatem maximè ſuſtentet; ſed quod ſibi ad famam, & nominis celebritatem maximè videtur compendioſum. Apage igitur fucatas illas & fumeas, de quibus Pontificij tantoperè gloriantur, & ſuperbiunt, eleemoſynas. Deus enim ſuâ in pauperes beneficentia, ſi non famam inter homines ſe adepturos, ſaltem animarum ſalutem, tanquam condignam eleemoſynarū mercedem, à Deo reportaturos, ſperant, & exſpectant; in improborum numero, qui non intelligunt ſcientiam, reponēdi ſunt, vel potiùs relinquendi.

V. 8. *Viri irriſionis ſufflant urbem: at Sapientes avertunt iram.*

In לצון (*irriſionis*) eſt metony. adj. In יפיחו (*ſufflant*) eſt metaph. ab ignem flatu accendentibus tranſlata ad eos, qui irritant Deum. In קריה (*urbem*) eſt ſyn. partis pro urbe, incolis, & urbis adminiſtratione.

Summa eſt, Reſpub. & Eccleſias labefactari, aut conſervari, prout in eis nequitia, aut pietas locum obtinet.

Cum pii, ut ſuprà dictum eſt, totius mundi (qui ob impiorum flagitia alioqui ſtatim perderetur; &, conſummato electorum numero, incendio periret) conſervatores ſint, non mirum, ſi incolarum impietas civitati alicui, aut particulari hominum ſocietati exitialis ſit. Tanta vero Dei patientia eſt, ut, neglecto quaſi ignorantiæ tempore, privata cujuſque condemnatione potiùs, quàm publica aliqua calamitate ſcelera plerunque vindicet. Sed cum ad irriſionem ventum fuerit; cum officij ex verbo divino admoniti homines, & convicti ſcelerum non modo non reſipuerint, ſed admonitiones ipſas, & earum authores contemptui habuerint, tum demum ira Dei in totam civitatem, aut Remp. exardet. Quot enim in civitate irriſores ſunt, tantum ſtupæ eſt; & quot eorum ſcelera exiſtunt, tot ſcintillæ ſunt, quæ non ad irriſorum modò perniciem conflagrant, ſed in proximas etiam ædes incendia ſpargunt Iſai. 1. 31. imo tormentarium iræ divinæ pulverem quo diſſipantur omnia, & abſumuntur, inflammant. Quamobrem ad irriſores è Repub. Eccleſia, & ſocietate qualibet exterminandum non minùs (imò multo magis) concurrere oportet, & deſudare, quàm ad commune incendium reſtinguendum.

In poſteriore hemiſtichio eſt illuſtratio prioris ab adverſo. Siquidem iram divinam, quam accerſunt improbi, juſti avertunt; & ignem ab illis accenſum reſtinguunt. Unde non ſemel in hoc libro ſcaturigini comparantur. Eodem etiam ſpectat, quod dicantur in ruptura, Pſal. 106. 23. quam impij, tanquam proditores nequiſſimi, ſcelerum ſuorum machinis

nis in muro civitatis ſuæ faciunt, conſiſtere, & Deum hoſtiliter invaſurum quaſi arcere, & aditu prohibere, Vid. Exod. 32. 10. 14. Num. 25. 10. 11. Iob. 22. ult. Gen. 18. 32. Ier. 5. 11. Et Ezek. 14. 14. ſeveriſſimæ, & extraordinarię Dei excandeſcentiæ tribuitur, quod piorum precibus, ut Iudæis parceret, exorari noluit. Hinc intelligitur, quàm immerito pij (& ab impiis præſertim, qui ipſi folles, & flabella ſunt iræ Dei) incendiarij orbis terrarum audiant. Poteſt enim juſtorum quilibet impio ita accuſanti cum Elija jure optimo reſpondere; ego non turbavi Remp. aut Eccleſiam; ſed tu, & tui ſimiles, qui dereliquiſtis mandata Dei, 1. Reg. 18. 18.

V. 9. *Diſceptat vir ſapiens cum viro ſtulto: ſive commoveatur, ſive rideat, non eſt quies.*

In שחק (*rideat*) eſt metony. ſubj. pro molliori tractatione, qua utuntur, qui rident.

Scopus eſt humani ingenij, præſertim cõſuetudine maleficiorum obdurati perverſitatem oſtendere.

Humanum (quale nunc eſt) ingenium, innatę vitioſitati accedente diuturna peccandi conſuetudine, tam indomitum eſt, & intractabile, ut cauſæ maximè contrariæ eundem in illo ſortiantur effectum. Sive enim cũ obſtinato peccatore ſeverius agas, ſive mitius eum tractes, perinde operam perdis. Quàm verò deplorata eſt hujuſmodi hominis conditio! Et quo tandem modo condemnationem Gehennæ effugiet, qui peccatis ſuis tã arctè adhæret, ut, ſive contrahas frontem, ſive exporrigas; ſive aſpero ſermone utaris, ſive blando; ſive ſuppliciis oneres, ſive beneficiis afficias; imo ſive Deus ipſe rebus proſperis attollat, ſive dejiciat adverſis, ad frugem tamen neutiquam redigetur! Hinc gravis illa Dei querela; Quid potui amplius? &c. Iſai. 5. 4. Hinc etiam Deus, ſapientiſſimus nonnunquam à Prophetis, quaſi dubius animi introducitur, & conſilij inops, quæ via ad hoſce homines emendandum ineunda ſit. Eximium obſtinatæ hujuſmodi malitię exemplum eſt, Luc. 7. 31, 32, 33, 34. Quod argumentum alibi fuſius à me tractatum eſt, *de concordia hiſt. Euang. l. 2. p. 59.*

Illud tamen ex hoc Prov. conſtat, eorum, qui adhuc in deſperatis non ſunt, alios facilitate melius, alios ſeveritate emendari; ſicut etiam in Dei cum hominib. agendi ratione nonnullos reperias, qui rebus adverſis in officio retinentur, qui idem in proſperis luxu diffluunt; & contrà, qui rerum affluentiam moderate ferunt, ſed penuria preſſi impatienter fremunt, & obmurmurant. Quamobrem prout ſuum cujuſque ingenium fert, ita tractandus eſt, Jud. v. 22, 23.

Notandum porro, commotionem riſui, ſeu manſuetudini ſeveritatem ordine præponi. Quod tametſi hominibus alienum fortè videatur, Deo tamen ſapientiſſimo videtur optimum & ſaluberrimum morbos hominum lege priùs patefacere, quàm Evangelij medicinam præbeat; Et primum nuditatẽ illis ſuam, & mendicitatem demonſtrare, tum demum veſtimenta alba, & opes Evangelij offerre Lucæ. 7. 33. 34.

Sed uſque quo (dicet aliquis) cum ſtulto diſceptandum? Reſpondeo, donec ejus in maleficiis pertinacia (quæ, niſi cunctis prius tentatis dignoſci nequit) palam innoteſcat. Quod ſi omnia nihili fecerit; ſi, te tibiis canente, non ſaltaverit; nec ad luctum provocante, lachrymaverit, oleũ tamen, & operam non perdes. Nam Deus in ejus interitu glorificabitur, tu laboris tui præmio (de quo ſuprà) non privaberis Iſai. 49, 4, 5. & pietatis larvâ illi hoc modo detracta, pij omnes facile cavebunt, ne

hypocriſis ejus imponat ipſis, & in errorem abducat.

Verſ. 10. *Viri ſanguinum odio habent integrum: ſed recti quærunt animam ejus.*

In אנשי דמים (*viri ſanguinum*) eſt met. adj. pro ſanguinariis. In נפשו (*animam ejus*) eſt ſyn. membri pro perſona.

Summa eſt, amore, & odio piorum diſcerni probos ab improbis.

Hic primo videndum, quis integer ſit, deinde quæ ſint individua ejus & neceſſaria adj. Is integer eſt, qui ſemper Deum ſibi ob oculos proponens ei, & ſanctiſſimæ ejus in verbo patefactę voluntati, abnegatà carnis prudẽtia, ſe morigerũ prębet: cui è regione adverſatur, qui obſequiũ pręſe ferens non tamẽ ulterius obſequitur Deo, quam corruptiſſima ratio, id commodo ſuo aut voluptati inſervire dictaverit. Vel integer is eſt, cujus probitas non in vultu tantum, & externo corporis habitu conſiſtit, ſed in fibris intimiſque animi præcordiis radicatur; nec fluxa, & inconſtans ad hujus ſæculi figuram conformatur, ſed conſtans, & immutata permanet: cui opponitur, qui aliud ore profitetur, aliud in animo ſentit; aliud vultu ſimulat, aliud corde premit.

Iam conſideranda ſunt individua integri adj. Prius eſt, ſanguinariis eum odio haberi. Quod decreti illius divini de inimicitia inter ſemen ſerpentis, & mulieris ſerentia ſtabilitatem indicat. Sed quęri poteſt, cur nõ generaliter potius enunciet, omnes impios [quod verum eſt] odio habere integrum; præſertim cũ Proverbiis laudi tribuitur pauciſſimis verbis ampliſſimam proponere doctrinam? Reſpondeo, iſtam laudem huic Proverbio jure optimo deberi. Nam non illud affirmat ſolum, improbos omnes [qui omniũ Dei mandatorum violationis rei peraguntur, Iac. 2. 10. & proinde ſanguinarii etiam ſunt] integrum odio proſequi; ſed aliud etiam docet judicio humano non ita obvium, aut conſentaneum, nempe eum, qui fratrem, aut proximum odit, homicidam eſſe. 1. Ioh. 3. 15. Deus enim non ad illud, quod manu geritur, ſed quod animo concluditur, reſpiciens ſententiã dicit; & homicidij dãnat non eũ ſolum [ut homines,] cujus manus ſanguine alterius coinquinatur, ſed & cujus animus ſanguinem ſitit. Quãobrem ſi ſententiã terreni judicis in ſanguinarios ferri ſolitã reformidemus, quanto magis ad Dei formidabilem in fratrum oſores ſententiam perhorreſcere debemus? Et ſi metu momentaneæ hujus vitæ amittendæ homicidium fugiamus, quanto magis æternam vitam amittendi periculum frænum nobis, quo minus odio alios proſequamur, injicere oportet? Quod ſi inteſtinum homicidium tam nefandum ſcelus fuerit, quid eſt diſtrictis gladiis in armam idque ſæpius leviſſimis de cauſis deſcendere, atque ita interno externum adjungere.

Deinde, cur ſanguinarius integrum odio habet, diſquirendum. Cauſa duplex eſt, prior, quod ei natura, & ingenio diſſimilis ſit. Ea enim eſt hominum ſuperbia, ut ægerrime alium à ſe diſſentire patiantur. Altera cauſa eſt, quia ſtudiis contrarius ſit 1. Iohan. 3. 12. Quo accedit, quod pii, ſi minus verbis, re tamen, & factis teſtantur, improborum opera mala eſſe Ioh. 7. 7. Quæ autem tenebris cum luce concordia? Aut quomodo nigror albedinis, & turpitudo ſanctæ puritatis conſpectum ferat?

In poſteriore hemiſtichio videtur ad plenam antitheſin aptius, nec aliis ſcripturæ locis incongrue dicendum fuiſſe, ſanguinarios integro exoſos eſſe. Sic enim Proverb. 28. 4. dicuntur legis obſervatores cum ejuſdem deſertoribus litem move-

movere: & Pſal. 139.22. Propheta, ſe oſores Dei odio perfecto proſequutum fuiſſe, teſtatur. Sed intelligendum eſt, Chriſtiani eſſe odio ipſum habentes diligere, & maledicentibus benedicere. Nec repugnant loca citata, quorum prior de violatoribus voluntatis non noſtræ, ſed Dei; & poſterior de inimicis loquitur Dei, non noſtris. Si quis objecerit, Prophetam inde probare, ſe oſores Dei perfecte odiſſe, quia, tanquam ſui eſſent, oderit; reſpondeo, verſionem iſtam, ut à veritate, ita à nativo verborum ſenſu diſcrepare, לאויבים היו לי (*hoſtium loco ſunt illi mihi*) in quibus nihil aliud Propheta aſſerit, quam ſe hoſtem fuiſſe iis, qui Dei hoſtes erant.

Alterum integri adj. eſt, quod recti eum quærant, ut eum ſibi in ſocietate, & communione vitæ adjungant. Quod primo omnes monet, ut, ſi recti, & boni viri eſſe, & haberi volunt piorum contubernium ad mutuis ſe charitatis officiis in pietate confirmandum, non admittant modo, ſed etiam expetant. Deinde magnæ piis adverſus impiorum malevolentiam conſolationi eſt, quod improbis odioſi bonis tamen chari ſint, & ex impiorum ſocietate ejecti in ſanctorum tamen conſortium cupidiſſime admittantur. Vnde Iohan. 9. 35. &c. 2. Tim. 1. 16. &c.

Verſ. 11. Stultus totum ſpiritum ſuum profert ſed ſapiens in poſterum cohibet illum.

In רוחו (*ſpiritum ſuum*) eſt metonym. ſubiect. pro cogitationibus, & conſiliis, quæ ſunt in animo. In באחור (*in poſterum*) eſt metaph. à rebus quibuſlibet, interiori aliquo loco reconditis ad cogitationes hominis, cujus animo pars anterior, & poſterior affingitur. Vnde Proverb. 10. 14. & 14. 33. & 15. 28.

Scopus eſt inter prudentem, & ſtultum in ſermonis uſu diſcrimen ſtatuere.

Animi ſenſa verbis exprimere integritatis prima ſpecie, & honeſtæ ſimplicitatis videri poteſt. Sed attentius conſideranti facile conſtabit, longe aliud eſſe ex animi ſententia, cum opus eſt, loqui, atque quicquid animo ineſt, temere effutire. Hoc enim non ita hypocriſeos charybdim vitat, quin in Scyllam ſtolidæ, periculoſæque loquacitatis incidat.

Vitium igitur hic damnatum illud eſt, cum quis ſine ullo perſonarum, loci, aut temporis delectu, quicquid ſentit, effutiat. Tales deſcribuntur Pſal. 12. 4. & ejuſmod. fuerunt Rabshake Iſai. 36. Nabāl. 1. Sam 25. Herod, Matth. 14. 7. Neque vero impii ſoli huic vitio obnoxii ſunt, ſed homines etiam ſanctiſſimos perturbatis animi affectibus in illud nonnunquam abreptos legimus, ita Moſem Num. 20, Pſ. 106 33. & Davidem 1. Sam, 25, 21, 22. dolore Iobum 3. 1. gaudio Petrum Math. 17. 4. Quamobrem lumbi affectuum cingulo moderationis, & patientiæ cingendi ſunt, & os tanquam fræno conſtringendum, & cuſtodia diligenti aſſervandum.

Stultorum loquacitas contraria ſapientum taciturnitate, quæ eleganti ſimilitudine depingitur, illuſtratur. Cum enim ſtulti verba in ipſo animi quaſi frontiſpicio, unde, patenti & ſemper recluſa porta, nullo negotio foras evolent, collocantur; ſapientis cōtra in ulteriore animi receſſu, unde exitus difficilior, reconduntur; Prov. 10. 14 Quod tamen non eſt ita intelligendum, quaſi ſapientem oporteat ſibi ſoli, & muſis canere, aut talentum ſapientię in ſtrophiolo obvolutum occultare (eſt enim nonnunquam locus ad liberrime loquendum idoneus, atq; adeo neceſſarius.) ſed abſtinendum eſt à futili illa, quam dixi, loquacitate, qua, quidquid in buccam venerit, ſine debito circūſtantiarum

rum reſpectu temere effunditur. David quidem, & Ionath quicquid in animo erat, patefecerunt, ſed obſervata perſonarum circumſtantia. Neque enim aliis expoſuerunt, quam ſibi invicem amiciſſimis inter ſe, & fidiſſimis. Sic Abigail temporis, 1. Sam. 25. 36, 37. Elihu perſonarum, Iob 32. & temporis, diſcipuli loci rationem habuerunt, Matth. 13. 36. & alibi ſæpe. Hæc prudentia ut omnibus Chriſtianis, ita miniſtris verbi præcipua quadam ratione neceſſaria eſt, Matth. 7: & 1. Cor. 3. 1, 2.

*Verſ. 12. **Dominatoris auſcultantis verbo falſitatis omnes adminiſtri ſunt improbi.***

In מושל (*dominatoris*) eſt ſynecd. ſpec. pro omnibus, qui ſummum in ditione aliqua imperium obtinent. In שקר (*falſitatis*) eſt metonym. adjunct.

Summa eſt, enitendum eſſe, ut imperio inſtructi quam optimi ſint.

Tanta eſt peccati contagio, ut non tantum ab uno æqualium ad alterum diffundatur, verumetiam ab inferioribus ad ſuperiores aſcendat, ab uxore ad maritum 2. Reg. 8. 18. & imprimis 1. Reg. 11. 3, &c. Nehem. 13. 26 à conſiliariis ad reges 1. Reg. 12, verſ. 12, 14: & 1. Chron 19. 3, 4: à ſervis ad dominos, ab ancillis ad heras. Quæ cum ita ſint, quam late, celeriter, & pernicioſe graſſatur peccatum illud, quod à rege & potentioribus ortum ad inferiores devolvitur! Si enim peccati lues ſponte ſerpat, quanto idem faciet magis authoritate confirmatum, incitatum præmiis, comminationibus, & pœnis impulſum! Si ſurſum feratur à pedibus ad caput, quanto citius à capite ad pedes feretur deorſum! Si mõtes, quantumvis acclives, & præruptos conſcendat, quanto facilius a verticibus montium ad convalles decidet! Imo vero ſi authoritate regia ægre compeſcitur, quæ reliqua ſpes erit, ſi eadem fulciatur, & confirmetur!

Regis improbitas inde æſtimatur, non quod ſemel, aut iterum ſeducatur, (hoc enim optimo cuique contingere poteſt,) ſed quod ad res falſas advertat animum, addicatq; Cum rex ab aliis, puta uxore, conſiliariis, aut ſervis pervertitur, in immenſum audetur peccati lues: ſed cum ſuopte ingenio depravatus alios in eandem ſecum peccati communionem non tam admittit, quàm trahit, quam longè illa, lateque peſtis graſſabitur, & ab ejus contagione quid immune, & tutum erit! Tanta enim humani ingenii perverſitas eſt, ut, cum infinitus divinæ majeſtatis ſplendor illos cohibere nequit, quo minus de juſtiſſimis ſanctiſſimiſque Dei operibus male & ſentiant, & loquantur; umbella tamen ſplendoris ejus, quæ in regibus conſpicitur, turpiſſima eorum maleficia infucat, ut (tametſi quo ij majores, eò illa deteriora ſint) in virtutum, rectiſſimeque factorum albo ſcribantur. Vnde colligitur, plus exẽplo nocere improbos reges, quàm peccatis propriis; nec facinorum à ſe modo, ſed à ſubditis etiam commiſſorum reos eſſe. Quod ipſum horrorem eis, & ex horrore cautionem iniicere oportet, ne dominatu, quem à Deo acceperunt, ad eum ita inhonorandum abutantur. Si enim graviſſimum pro flagitiis propriis illos ſupplicium maneat, quomodo pœnis tot peccatorum ab aliis admiſſorum (quæ ſua faciunt) 1. Tim. 5. 22. ferundis pares erunt. Hinc etiam ſubditorum eſſe conſtat Deum pro regibus ſuis, niſi velint præcipites cum illis in exitium ruere, ſuppliciter, & obnixe precari. Et cum regis nomine deſignentur (ut ſupra dictum eſt) quicunque in alios dominatum exercent, ſervorum intereſt in deligendis heris, non emolumenti, aut pro ſuo arbitrio vivendi licentiæ (quod

tamen

tamen à pleriſque fit,) ſed pietatis ſummam rationem habere.

Denique obſervandum eſt, quod de adminiſtrorum improbitate dicitur: [illegible]; ſed de omnibus in univerſum impiorum regum miniſtris verum non eſſe docent exempla Obadiæ 1. Reg. 18. Ebedmelechi Ier. 38. Chuzæ Luc. 8. 3.

V. 13. *Pauper & vir induſtriarum occurrunt: utriuſque oculos Dominus illuminat.*

In רש (*Pauper*) eſt metaph. à paupertate externa ad animi paupertatem (ut ex oppoſito membro liquet) tranſlata. Vide ſimilem tropum Prov. 15. 15. In תככים (*induſtriarum*) eſt meton. adj. In מאיר עיני (*illuminat oculos*) eſt metony. adj. pro eo, quod eſt in vita conſervare.

Summa eſt, Deum ſapientiſſ. ſua providentia diſſimillimas animi facultates hominibus indidiſſe ad ſocietatem conſervandam, & reconciliandam eorum inter ſe benevolentiam.

Sicut aulæa colorum varietas mirifice ornat: ſic donorum inter homines diverſitas quam commendatiſſimam reddit ſapientiſſimam Dei, quam in terris exercet œconomiam. Hinc primum Dei gloriæ magnopere conſulitur. Homines enim tam iniqui rerum æſtimatores ſunt, ut præſtantiſſima Dei dona, niſi ex aliorum penuria potius, quam abundantia ſua dignitatem illorum cernerent, parvi facerent. Sed cum aliorum, quia donis, quibus ipſi gratis à Deo inſtructi ſunt, deſtituantur, miſeriam ex illa parte videant, prodigioſe ingratos eſſe oportet, niſi ad gratiſſimam divinæ in ſe benignitatis celebrationem excitentur. Quid igitur de iis ſentiemus, aut in quo tandem impiiſſimæ ingratitudinis gradu collocabimus, qui ex aliorum infirmitatibus, & nominatim debilitate ingenii, anſam, non laudandi Deum, ſed eidem convitiandi arripiunt? Cum enim ſubſannans pauperem creatorem ejus probris afficit, quid tamen pleriſque magis ſolenne, & tritum eſt, quam intelligentiæ in aliis paupertatem ridere, & aliis deridendam proponere? Quomodo vero gloriantur Chriſtianorum titulo, & pro Chriſti diſcipulis ſe ipſos venditant, qui, non dico præ ſuo in Chriſtum amore patres, matres, uxores, liberos, fratres, ſorores, & vitam ſuam oderunt: ſed corpora ſua myſtico Chriſti uſque eo corpori præferunt, ut, deformitate ſua ſtudioſe tecta, & majore ornamento partibus maxime indecoris impoſito, corporis tamen Chriſti nuditatem retegunt, & dicteriis ſcommatiſque, quantum poſſunt, dedecorant?

Deinde ad hominum ſocietatem inter ſe tuendam plurimum conducit donorum varietas. Si enim ingenio, & doctrina æque omnes pollerent, ad artes ingenioſiſſimas, neglectis aliis (licet Reip. & Eccleſiæ ſumme neceſſariis,) unuſquiſq; provolaret. Sed ex diverſitate facultatum ingenii fit, ut omnes artes, dum ſinguli ad ſibi maxime idoneas appellunt animos, excolantur, & floreant. Qui enim ingenio tardiori ſunt, aptiores inveniuntur ad capeſcenda ſervilia opera. Quamobrem ita invicem converſemur, ut ex donorum, quæ habemus, diſcrepantia cumulatiorem Deus gloriam, & ſocietas, in qua vivimus, fructũ percipiat. Hæc enim illa adhortatio eſt, quæ primo confirmatur ab effecto pauperum, & induſtriorum adjuncto eorum multitudinem adumbrante. Siquidem latius patet occurſus hic, quam ille pauperum, & divitum Proverb. 22. 2. Nullum enim regnum eſt, nulla civitas, vicus nullus, nulla deniq; familia, ubi non inveniantur variis donis inſtructi. Sed maximum pondus eſt in effic. hujus occurſationis principali, Deo

ſcil. qui utriuſque oculos illuminat, ſeu utrique oriri facit ſolem ſuum, id eſt in vita conſervat. Pauperes & divites ad mutua invicem præſtanda officia inde adhortatus eſt cap. 22. verſ. 2. quia uterque ſuam à Deo conditionem ſortiti ſint. Quæ ratio huc non ineptè, ſicut hæc illuc, transferri poteſt. Ideo enim rudes induſtriis invidere non debent, nec hi illos contemnere, quia Deus ipſe ingeniorum varietatis author eſt; & pauperes cum divitibus, & hos cum illis ideo benevole placideque converſari oportet, quia ad hunc finem, ut mutuo ſibi adjumento ſint, in vita à Deo conſerventur.

Verſ. Regis judicantis in veritate tenues ſolium in æternum ſtabilietur.

In מלך (*regis*) eſt ſynecd. ſpec. In כסאו (*ſolium*) eſt meto. adj. pro dignitate regia.

Scopus eſt magiſtratus ad juſtitiæ amorem accendere.

Notum eſt, & ante pedes poſitum reges ſuam tuendi dignitatem tam ſtudioſos eſſe, ut vel leviſſimam perduellionis ſuſpicionem perſcrutentur ſolicitè, & acerrimè perſequantur. Verum-enimvero cum omnes hoc ſpectent, ut regna quàm diutiſſimè ipſi teneant, & ad poſteritatem ſuam relinquant, pauci tamen viam, & rationem, quam ſpir. Dei illis in verbo præſtituit, ineunt Prov. 20. 28. & 25. 4, 5. Quotus enim quiſque, ut ſolium ſuum ſtabiliat, benignitatem exercet, impios è medio tollit, tenues in veritate judicat? Plerique opes in immenſum agent, equos, & currus infinito pene numero ſibi comparant, fœdera cum vicinis regibus ineunt; & in his ſpem confirmandi regna ſua neglecto conſtituunt, ſed interim fœdere cum Deo, & jam modo memoratis firmaminibus.

Regis tenues in veritate judicantis adj. præmium eſt ſolii ſtabilimentum. Cujus præmii cauſa primaria, & principalis eſt benedictio divina; deinde non parvi momenti eſt populi, quæ ex debita judicii adminiſtratione oritur, incolumitas. *Cum enim in multitudine ſubditorum honor regis, & ſalus conſtat* Proverb. 14. 28. (ſicut ex eorum defectu ejus ruina oritur,) juſtitia terram ipſam, ut incolis alimenta præbeat, quaſi fœcundat (verſu 4. hujus cap.) & ab injuriis homicidarum, & quorumvis crudelium oppreſſorum illos defendit.

Sed cur tenues ſoli, quaſi unicum, & adæquatum, in quo juſtitia exerceri deberet, ſubjectum, nominantur? Reſp. non quia magiſtratuum non ſit divitibus, etiam cum juſto pauperum damno, jus dicere; ſed quia ſæpiſſimè hac in parte accipiendo perſonas divitum ab illis delinquitur, deinde quoniam dubium non eſt, quin is, qui tenues rectè judicat, aliis idem facturus ſit. Atque hoc modo peſſimæ, quæ inter reges quam-plurimos, & magiſtratus vigere ſolet, ex profeſſo corruptelæ occurrit Propheta. Nobilium enim, & divitum cauſas ideo ex jure diſceptabunt, ne injuria laceſſiti in conjurationem aliquam clandeſtinam, aut apertam rebellionem erumpant: ſed pauperes, à quorum potentia non metuunt, ægrè ad conſpectum ſuum, & colloquium admittunt, & eorum de illata injuria querelas, quamvis juſtiſſimas, parum curant. Atqui horum, niſi armatam Dei manum, qui unus illis plus nocebit, quàm omnes omnium divitum, & nobilium copiæ, experiri velint, maxima cura ſuſcipienda, & gerenda eſt. Quàm enim ſtultum, & impiũ eſt divitibus, ne iraſcantur, jus dicere, & non raro plus æquo favere; ſed metu excandeſcentiæ præpotentis Dei, ad pauperibus, quod ſuum eſt, tribuendum, nequaquam commoveri!

Verſ.

Verſ 15. *Virga, & increpatio dabit ſcientiam: ſed puer permiſſus ſibi pudore afficiet matrem ſuam.*

In נער *(puer)* eſt ſynecd. ſpec. pro utriuſque ſexus prole; & in אמו *)matrem ſuam)* pro utrovis parente.

Summa eſt, liberos adhuc tenellos non eſſe nimia indulgentiâ corrumpendos.

Prover. 22. 15. virga cum correptione, ſeu increpatione conjuncta ſtultitiam è corde pueri profligare dicitur, hic autem ſapientiam ingenerare. Itaque cum in his duobus effectis tota hominis ſanctificatio comprehendatur, & ſanctificatio à juſtificatione nunquam ſeparetur, fit ut virgæ, & increpationis uſus non parum momenti habeat ad fidem, qua pueri juſtificentur, procreandum. Quod ſi virgæ, & increpationis illi fructus ſint, facilè conſtat, ineptam eſſe, & cum ſententia Spiritus Sancti è diametro pugnare quorundam parentum opinionem. Cum enim ſcriptura diſertiſſimè affirmet, caſtigatione ſtultitiam fugari, & ingenerari ſapientiam, illi contra, liberos, ne deſiperent, non eſſe corripiendos, exiſtimant.

Porro notandũ eſt in voce יתן magnam eſſe emphaſin. Quamvis enim caſtigatio in ſe, & natura ſua, niſi Deus ſuo ſpiritu benedicat, obſit magis, quam proſit; tamen ut neceſſitatem ejus Propheta indicaret, dicit, virgam, & increpationem ſcientiam conferre. Tametſi igitur parentibus grave ſit liberos ſuos verberare, & liberis à parentibus ſuis vapulare, ſi tamen fructum ejus amœniſſimum ſatis perpenderint, caſtigationem utrique in deliciis habeant neceſſe eſt.

In poſteriore hemiſt. prioris confirmatio eſt, & illuſtratio ab adverſo. Sicut enim liberi rectè inſtituti ipſi fœlices evadunt, & parentibus honori ſunt: ita è contra ſibi permiſſi in certum ſe exitium conjiciunt, & parentes ignominia afficiunt. Sed cur de ſola matre facta eſt mentio? Reſp. primo quia matres præcipua quadam ratione tenellæ ætati præſunt, & cum illa magis, quàm patres, conſueſcunt; deinde quia matrum ferè major eſſe ſolet in liberos indulgentia; denique quod propter ſexus infirmitatem perditi adoleſcentes audaciùs in matres contumelioſi ſunt, cum patres, qui & caſtigare illos poſſunt, & bonorum ſuorum ex hæredes facere, magis reformident.

Verſ. 16. *Dum augentur improbi, augetur defectio: at juſti caſum eorum vid bunt.*

Scopus eſt pios adverſus mœrorem, quem ex impiorum improbitate, & injuriis concipiunt, conſolari.

Hic primo de improborum nequitia agitur, poſteà de pœna illis debita. In priore verſiculi parte videtur nihil dignũ eſſe Sp. ſancti ſapientia, & præſertim ad quam deſcribendum tam eximij, quàm Salomon fuerit, amanuenſis ope uteretur. Ecquis enim ignorat, auctis improbis, augeri improbitatem: adulteris, adulterium; furibus, furtum? Sed penitùs introſpicienti reconditior ſenſus apparebit. Non enim docetur tantùm, pro numero improborum, dum unuſquiſque ſuam poſt ſe iniquitatem quaſi funibus trahat, creſcere improbitatem; ſed ex multitudine improborum augeri audaciam, & licentiam peccandi; quandoquidem, quod à pleriſque fit, utcunque nefarium, pro licito, & conceſſo ſumitur; deinde quia improbi non tantùm mutuis exemplis, ſed & hortamentis ſeſe ad peccandum exacuant, & in flagitiis confirment. Præterea hæc verba de ſingulis improbis ſeorſim ſpectatis

ſpectat's ita intelligi poſſunt, ut ſenſus ſit, prout improborum quilibet ętate, viribus, aut potentia augetur, ita augeri nequitiam ejus, & vires colligere.

Tanta improborum iniquitas piorum oculos, & aures (quamvis nulla vis, aut injuria ab illis inferretur) vehementer offendat, & juſtas animas cruentet neceſſe eſt. Quamobrem Propheta eorum dolorem hac promiſſione mitigat, fore ut improborum exitium ſuis oculis aſpexerint. Quo enim licentiùs, & avidiùs iniquitatem improbi, ut piſces aquam, hauriunt, eò citiùs, menſura ejus impleta, rapiuntur ad ſupplicium, & ſepulchro, quod ſibi nocte dieque defoderunt, conteguntur. Hujus promiſſionis, tametſi plenum ejus cōplementum ad diem extremum rejiciatur, ſpecimina quædam Deus exhibuit in diluvio, Sodomæ incendio, Ægyptiorum ſubmerſione &c. & exhibet quotidiè. Si quis excipiat, alienum eſſe ab humanitate, nedum pietate ex aliorum interitu oblectationē capere, ſuprà reſponſū eſt.

V. 17. *Corripe filium tuum, & quietum te faciet; & dabit delicias animæ tuæ.*

In בנך (*filium tuum*) eſt ſynecd. ſpec. In מעדנים (*delicias*) eſt metaphora à corporis deliciis ad oblectationem animi.

Scopus eſt parentes ad debitam liberorum caſtigationem, & liberos ad placidam ejuſdem patientiam adhortari.

Partes duæ ſunt { *Mandatum.* / *Promiſſio.* }

Quod parentes à Salomone toties, & tam parvo intervallo interjecto, de liberorum caſtigatione admonentur, indicatur eorum ad hoc officium tam neceſſarium tarditas, & cunctatio. Multi quidem nimia ſeveritate peccant, nimia lenitudine quam plurimi; ſed pauciſſimi mediocritatem ſervant: ſicut etiam magna liberorum penuria eſt; qui placidè ſubmiſſeque correctiones ferunt. Quibus de cauſis Propheta doctrinam hanc, quāvis intellectu facilem, ſubinde repetit. Sed cur certam, & definitam aliquam caſtigandi formam non præſcribit? Reſp. caſtigationis tantam eſſe oportere pro varia delinquentium ætate, ingenio, & delicti natura varietatem, ut [illegible] modus ejus definiri nequeat Parentum igitur judicio relinquitur caſtigationis genus, & menſuram ſtatuere. Si verbis fiat, mitioribus, aut acerbioribus, prout ætas, ingenium, aut delictum poſtulat, utendum eſt; ſi re, & factis, virga, tenuiore victu, viliore cultu corporis, patrimonij diminutione (Gen. 49.4.) abdicatione, aut à parentum conſpectu relegatione (2. Sam. 13. 37. & Numer. 12. 14.) delicta, prout opus fuerit, in liberos vindicanda ſunt.

Sequitur promiſſio de quiete, & deliciis ex juſta liberorum caſtigatione ad ipſos parentes redundatis. Quamobrem ſi liberorum fœlicitas (quorum tamen causâ parentes, ſe nihil non facturos eſſe, præ ſe ferunt) nihil moveat, permoveat tamen propria, quæ inde oritura eſt, utilitas. Hic videtur Propheta prolepticas anticipare vanas parentum exceptiones. Occupatio hujuſmodi ſubintelligitur; liberos, qui caro ſunt ex carne noſtra, ſine inquietudine animi, & dolore corripere non poſſumus: ſubjectio eſt, momentaneam hanc, & leviculam animi inquietudinem, & triſtitiam quiete illos poſteà, & voluptate ſolida diuturnaque perfundere. Si vero ex liberis (quod fieri poteſt) quietem, & delicias non percipient; Deus tamen officij liberis præſtiti ſibi conſcios quiete, & gaudio in hac vita, & prēſertim futura cumulatiſſimè compenſabit. Quo enim lucta major eſt inter

offic-ij

officij conſcientiam,&naturalem erga liberos affectum, eo rectè functis officio ex ſubjugatis affectibus clarior victoria, ex obſequio voluntati divinæ præſtito, Deo (præ cujus amore quaſi oderunt liberos)uberior gloria,& major ipſis conſolatio accedit. Unde enim Abrahami obſequium tam Deo gratum exſtitit, & omni poſteritati tā admirabile, niſi quod chariſſimo erga filium unicum,& merito multis nominibus dilectum affectui mandatum divinum uſque eo prætulerit, ut propriis manibus(ſi non fuiſſet Ab Angelo cohibitus) mactare non dubitaverit?

V. 18. *Vbi non eſt viſio, nudabitur populus; ſed qui obſervat doctrinam, beatus eſt.*

In יפרע [*nudabitur*] eſt metaph. à corpore ad animum. In תורה [*doctrinam*] eſt ſynecd.part.pro omni doctrina divinitus inſpirata.

Scopus eſt prædicandi verbum, & inprimis ad normam ejus vitam exigendi neceſſitatem proponere.

Partes duæ ſunt
- *Prior de prædicationis verbi neceſſitate,*
- *Poſterior de modo utiliter illud audiendi.*

In voce תורה (*doctrinam*) eam eſſe,quam dixi,ſyn. ex oppoſito membro ſatis conſtat,ubi vox ejuſmodi uſurpatur, quæ omnes revelationis divinæ voluntatis partes, & formas ſuo ambitu complect tur. Unde liquet, ineptè hoc proverbium ad lectionem, aut commentationem privatam reſtringi; præſertim cum iſta vox, ſi non eſſet (quod tamen apertè falſum eſt) ſynecdochicōs extendenda,ejuſmodi tamen revelationem denotat,quæ prophetis à Deo facta ab illis populo pro concione propoſita & patefacta eſt.

Neceſſitas prædicationis verbi ab adj. abſentiæ ejus incommodo arguitur, populi ſcil. nuditate. Ubi primum nuditas illa intelligi poteſt, quæ ex indumentorum defectu oritur; quæ præterquam quod frigoris & æſtus injuriis homines exponat, aſpectum habet propter deformitatem,& turpitudinem Deo, & hominibus exoſam. Atque hoc modo, ubi non eſt viſio, nudari populum neceſſe eſt. Fides enim, qua ſola apprehenditur, & induitur juſtitia Chriſti,verbi prædicatione procreatur,& conſervatur. Rom.10.14.17. 1.Petr.1.24,25. Matth.9.36,37,38. In eo autem diſſimilis eſt ratio corporeę, &,quæ animæ eſt, nuditatis, quod illam, cum Adamo, ſentimus, & quamprimum tegere cupimus; ſed hanc tanquam infantuli,qui nullo nuditatis pudore ducuntur,aut neſcimus,aut negligimus. Deinde nuditate ſignificatur amorum defectus, quibus in pugna ab hoſtibus tecti ſimus. Huic etiam nudati verbi præconio deſtitutus obnoxius eſt. Cum enim armaturæ chriſtianæ multæ partes ſint Epheſ.6.14,15,16,18.hic non una aliqua,puta gladio ſpiritus, quod verbum Dei eſt, ſed univerſis denudatur. Miſerrima ſanè conditio, & ſummè periculoſa, inermem eſſe, cui cum hoſtibus longè potentiſſimis (Epheſ.6.12.) & ſine ullis, non dico anni, ſed ne diei,aut horulæ induciis de vita æterna pugnandum eſt. Hinc liquet,quam jurati hoſtes ſalutis hominum ſint Pontificii,qui armaturā hanc populo eripientes aut cohibentes nudos diabolo necandos tradunt.Deinde illud etiā conſtat, quā ab αὐτοκτόνοι nihil differat, qui ab auditione verbi ſe ſubducit.Vid.c.28.v.9.Alias hęc vox ſeparationis aut diſſipationis ſignificationem habet: quo etiam in ſenſu veriſſimū eſt, quod hic de iis, qui prædicationē verbi aut nō habent,aut non audire volunt,enunciatur. Separantur enim à ſe invicem variis erroribus, & inimicitiis;

& à Dei gratia in hac vita, & gloria in futura.

Reſtat pars altera Proverbij de modo rectè verbum, & utiliter audiendi. Tametſi enim omnes, quibus verbi prædicatio non ſuppetit, infœlices ſint, non tamen beati ſtatim ſunt, quotquot eadem fruuntur, niſi ad auditionem accedat obſervatio, & obedientia Luc. 8. 21. Verbum quidem cibus eſt ſuaviſſimus (Pſal. 19. 10.) & ſummè neceſſarius (Amos 8. 11, 12, 13.) lucerna eſt ad nos per tenebras hujus vitæ dirigendum (Pſalm. 119. 105.) viæ dux ad nos, qui hic peregini ſumus, recto itinere ducendum. Quemadmodum vero iſta, quāvis ad manum ſint, niſi etiam ad uſum, cui deſtinata ſunt, accommodentur, nihil proſunt: ita verbum Dei, niſi ad ſanctificationem referatur, nullius ad ſalutem momenti eſt: imo vero cauſa interitus longè gravioris exiſtit, vide Iſai. 22. 1.

Verſ. 19. Verbis non caſtigatur ſervus; cum intelligit, tamen non reſpondet.

In עבד *(ſervus)* eſt, metaph. à corporea ſervitute ad ſervilem conditionem animi. In מענה *(reſpondet)* eſt metaph. à reſponſione, quæ verbis fit, ad obſequium, re & factis præſtandum.

Summa eſt, proterviam eorum, qui ſub imperio ſunt, non niſi plagis corrigendam eſſe.

Propheta alias ſæpenumero ad debitam delinquentium caſtigationem adhortatus, hic, quo caſtigationis genere quiſque pro delicti natura caſtigandus eſt, indicat. Caſtigationum enim duo genera recte conſtituens, unum, quod verbis (ſub quo continetur vultus triſtitia;) alterum, quod factis perficitur; aliis præfectos monet, quod genus quibus dilictis conveniat; ne (quod plerunque fit) de caſtigationis neceſſitate perſuaſi, generis tamen ignari nihil proſint caſtigando, ſed obſint plurimum. Dicitur igitur, eum, qui ſub alterius imperio agens, quid ſibi incumbat officij, probè intelligit, ſed non vult præſtare obſequium, non verbis, & proinde plagis caſtigandum eſſe. Quid igitur (dicet aliquis;) Nonne liceat officium mediocriter edoctos, & ab eo nonnihil deviantes perſuaſoriis verbis, præmio, & pœna propoſitis, in rectam obedientiæ ſemitam (ſi fieri poteſt) reducere? Reſpondeo, de iis hic ſermonem eſſe, qui de officio ſuo abundè admoniti, quia tamen ſervili ingenio ſint, nec, niſi malo coacti, quicquam faciant, ne minima quidem ex parte ſe obſequioſos præbent. Hinc igitur eluceſcit, officij ſui ignaros plagis urgendos non eſſe. Ecquis enim cœco, ſi à via deflexerit, vitio vertit? Ubi tamen excipienda eſt, quæ affectatur, ignorantia. Cœcum enim, qui ducem nactus ſequi nolit, omnes, qui in foveam incidat, dignum judicant.

Ex hoc proverbio obſervari poteſt, latum diſcrimen eſſe inter Dei, & hominum juſtitiam. Deus enim jure poterit ſuæ voluntatis ignaros æterno ſupplicio perdere, cum homines non niſi contumaces plagis debent afficere. Quanquam omnis noſtra, quæ in vitio eſt, ignorantia [ſi ad ſcientiam cum libero retinendi arbitrio nobis in protoplaſto inditam reſpiciamus) affectata quodammodo dici poteſt.

V. 20. Vidiſti virum præcipitem verbis ſuis: ſpes eſt de ſtulto magis quam de illo.

Scopus eſt, malum in linguę præcipitātia quantum ſit, oſtendere. Vid. cap. 2, 12

Loqua-

Loquacitas verſu 11. hujus cap. & alibi ſæpe vituperata eſt, & ſeria, priuſquam verba proferantur, deliberatio non parce laudata. Hoc antem in loco mali, quod ex ſermone temerario, & inconſulto oritur, magnitudo ex compar. minor. oſtenditur. Ipſa enim ſtultitia minus incommoda eſt. Sed quo tandem modo pręcipitem verbis, cum ipſe ex trita vocis in hoc libro ſignificatione ſtultus ſit, cum ſtulto comparat? Reſpondeo, cum ſtultorum in hoc libro alius impiè ſtultus ſit, alius præ imbecillitate ingenij, poſteriorem hoc in loco intelligendum eſſe.

Si quæratur, quid cauſæ ſit, cur præcipiti verbis præponatur ſtultus; reſponſio eſt, primo quia verboſus ille ſibi, & ſapientiæ ſuæ confidens, nullo ad deliberandum ſumpto ſpatio, nec conſultis aliis, aliquando etiam re ignota, ſenſum animi ſui proferat, cum fatuus imbecillitatis ſuæ conſcius facile ſe aliorum judicio ſubmittat. Deinde præceps verbis eadem animi elatione, qua adductus eſt ad ſententiam ſuam temere proferendum, ad pertinaciter in eadem prolata perſtandum, ne parum conſtans videretur, moveri ſolet: quod fatuis non accidit, quibus fere mentis, & intelligentiæ inopia hoc beneficium confert, quod de ſua apud alios exiſtimatione parum ſoliciti ſunt.

Vt vitij, quod hic redarguitur, immunes ſimus, à repentinis animi motibus, ex quibus ortum, & incrementum capit, diligenter cavendum eſt. Hinc Iac. c. 1. v. 19. adhortationi ad tarditatem in loquendo illam immediatè ſubjicit, ut ad iram etiam tardi ſimus. Vide 1. Sam 25. 13. 21, 22. Idem Herodi contigiſſe videmus ex nimia lætitia Math. 14. 6, 7. & aliis ex affectibus aliis.

Verborum autem præcipitantia in rebus civilibus periculoſa, in divinis, puta oratione, votis (Eccleſ. 5. 1, &c.) & præcipue verbi prædicatione, longe eſt periculoſiſſima.

V. 21. *Qui delicate nutrit à pueritia ſervum ſuum, in fine ſuo erit orbus.*

Scopus eſt herum in prudenti ſervorum ſuorum rectione inſtituere.

Plerique tanta ſunt in ſervos inhumanitate, ſeveritateque, ut nullus labor tam durus ſit, quin ſervis imperatus levis & facilis habeatur; nullus victus, aut cultus tam vilis, & tenuis, qui non ducatur plus æquo cultior, & exquiſitior. Peccatur etiam (quamvis rarius) in alteram partem, cum heri ſervos nacti idoneos libidinum ſuarum, & ſtudiorum adminiſtros delicatius illos paſcunt, ſplendidius ornant, nimiam ab opere vacationem concedunt, ad ampliora munera evehunt, familiarius, quam ſervi ratio poſtulat, alloquuntur. Ab inepta hac lenitate ut dehortetur Propheta, adj. ejus damnum proponit in fine verſiculi. Servi enim ex iſtiuſmodi tractatione ſpiritus ita ſument, ut (ſi alia ratione non poſſint) immatura dominorum morte in poſſeſſiones eorum ſibi aditum patefaciēt. Nam ut omnes ſumus licentia [referente poëta] deteriores, ita imprimis hoc hominum genus. Exemplum eximium eſt in Abnero, qui à Saule in ſumma authoritate conſtitutus tantum ſibi arrogavit, ut Iſhboſhethus ne tum quidem illum reprehendere auſus fuerit, cum regnum ab illo ambiri ſuſpicaretur. 2. Sam. 3. Sic Ieroboamus à Solomone plurimi factus Rehoboamum filium longè maxima regni parte privavit, 1. Reg. 11. Vide 1. Reg. 16. 9. 10, 11, 12.

Servos à pueritia delicatè enutritos hanc orbitatem afferre ideo dicit, ut intelligamus temporis diuturnitatem, quo tam lautè accepti ſunt, cum in majorem

animi ſuperbiã illos attollere, tum artes, quibus hæreditatẽ juſtis dominis ereptã ad ſe transferant, docere. Dominorum igitur intereſt moderatè ſervis ſuis imperare; ob eamque cauſam, prudentiam à Deo petere, ut, nimia ſeveritate, & indulgentia declinatis, mediocritatem teneant.

Verſ. 22. Vir iræ miſcebit contentionem; & Dominus æſtus multus eſt defectione.

In אף (*iræ*) & חמה (*æſtus*) eſt meton. adj. In בעל (*Dominus*) eſt metaph. à dominio, & poſſeſſione externa ad animũ.

Scopus eſt iracundiæ mala ad commodiorem ejus fugam oſtendere.

De priore hujus Proverbii parte vide alibi, præcipuè vero c. 15. verſ. 18. In poſteriore per dominum æſtus, ſeu æſtuantis iræ non intelligit eum, qui imperium habet in hanc animi perturbationem; ſed eum potiùs, cui æſtus dominatur. Notat enim eum, qui alios ira tantum excedit, quantum dominus dignitate ſuum ſervum. Unde etiam Deus Nahum 1. 2. בעל חמה dicitur propter furorem, quo in impios exardeſcit, incredibilem. Hujus hominis inſignis improbitas ſuo declaratur adj. quia multus, & magnus eſt defectione. i. multa, & magna peccata admittit. Ira enim temerè ſuſcepta, aut modum tranſiens non ſolum ipſa peccatum eſt, ſed tanquam fœcunda mater, alia parit quàm plurima. Vnde Jac. affirmat, iram hominis Dei juſtitiam non operari. c. 1. v. 20. Aliquando enim in Deum ipſum fertur 2. Sam. 6. Prov. 19. 3. cultum Dei, & invocationem nominis divini impedit 1. Tim. 2. 8; deinde ſanctiſſimum Dei nomen juramentis, dejerationibus, & exſecrationibus profanat. 1. Sã. 25. 22. Quid, quod nonnulli malignum ſpiritum invocant, ut illis, quibus iraſcuntur, malum aliquod immittat? Hominibus etiam valde pernicioſus eſt iræ furor. Et primum quidem domino ſuo rationem adimens belluæ rabioſæ formam ad tempus induit: atque ita mille periculis ex ſtulta temeritate objicit. Denique in proximum inſignitet injurioſus eſt. Nam (ut ex Prov. præſenti liquet) contentiones miſcet; convitia, & exſecrationes eructat; pugnas denique, & ſtrages edit. Ex quibus omnibus veriſſimè cum Propheta concluditur, dominum æſtus multum eſſe defectione.

Verſ. 23. Superbia hominis dejiciet illum: ſed humilis Spiritu retinebit honorem.

Scopus eſt homines ab animi elatione deterritos ad humilitatem excitare. Vid. c. 18. 12. & 28. 25.

Superbia eſt opinio alicujus eminentis boni, quo quis ſibi confidens, pluris, quam æquum eſt, ſe æſtimat. Deſcribitur verò hoc in loco ab effecto quod ab adverſo effecto contrariæ virtutis confirmatur.

Cum dicat, ſuperbiam dejicere hominem, non obſcurè innuit, illum priùs in ſublime evectum fuiſſe. Atque ita planè ſe res habet. Nam ſuperbiâ homines in altum attolluntur. Sed qualis tandem eſt illa elatio? Imaginaria tantum; ut quæ ex falſiſſima vaniſſimorum hominum opinione originem habet, & exiſtentiam. Non abſimile eſt, quod alibi latus animo appelletur, perinde ac ſi ſuæ præſtantiæ opinione diſtentus non poſſet commodo loco contineri; cum tamen latitudo iſta non aliuſmodi ſit, quam veſicæ eſſe ſolet vento inflatæ.

Deinde cum ſuperbia, non in cauſa eſſe dicatur caſus ſuperbi, ſed eum dejicere hac proſopopeia qua affectui iſti hominis perſonam

perſonam affingit malleo, vel alio id genus inſtrumento ad contundendum ſuperbum armatam ἐμφαντικωτέρως loquitur. Ea enim loquendi formulà declarat, ſuperbiam ipſam ad ſuperbi non imaginariam, ut elationem, ſic depreſſionem; ſed veram ex ſe ſufficere. Vide c. 1. verſ. 32. Hic igitur animadvertant ſeperbi quanto in errore, & quam pernicioſo verſentur, qui jactatione, & venditatione ſui, qua ruinam ſibi ſtruunt, ſe, ut magnifiant, effecturos arbitrantur.

Sed quomodo hominem dejicit? Reſpondeo, tum præcipuè, cum manum Dei in illum armet. Si enim in Deum ſuperbia feratur [ſicut fit, cum liberum ſibi arbitrium, & operum merita homines aſſumunt, & Deo providentia ſua, & prædeſtinatione quaſi ſpoliato nihil permittunt, niſi quod ipſi anguſtis ſuæ rationis finibus aſſequi poſſunt, & comprehendere; vel cum Deo cultum non niſi ex ſuo ipſorum, vel aliorum cerebro inventum deferunt,] iſtiuſmodi ſuperbos, ut qui in faciem ei reſiſtunt, extento brachio è ſummis cœlis, quo ſuperbæ mentis ſuæ alis ſe ſubvexerunt, in unum barathrum deturbabit. Deinde quorum ſuperbia in homines ſtringitur, quia tamen obliquè Deum petunt, Deum etiam ultorem ſentient, qui ſuperbis reſiſtit Iac. 4. 6. Præterquam verò quod Deus ſuperbis infeſtus ſit, angelos, & homines pios, & imprimis ſui ſimiles infenſos habent. Nam cum improbis aliis probè inter ſe conveniat, ebrioſus ebrioſum amet, & adulter adulterum &c. inter ſuperbos ſumma ferè animorum eſt diſtractio, quia nemo illorum ſuperiorem, aut æqualem æquo animo ferre poſſit, ſed unuſquiſque ſolus eminere, & in pretio eſſe cupiat.

In poſteriore hemiſtichio proponitur prioris confirmatio ab adverſo humilitatis effect. cum dicatur humilem Spiritu honorem retenturum. Tametſi enim depravata hominum ratio, eum, qui ſe depreſſerit, ab omnibus veluti pedibus protritum iri exiſtimet; tamen Spiritus veritatis ad honorem aſſequendum, & firmiſſimè retinendum maximum eſſe compendium ſtatuit, ſiquis humiliter ſe, & ſubmiſſe gerit. Primò enim Deum à ſe, & partibus ſuis ſtantem habet, qui ſuperbis reſiſtens gratiam dat humilibus, & cujus oculus in humiles, ut illis benefaciat, defixus eſt Iſai. 66.2; deinde homines etiam pios ſemper, & plerunque improbos ſibi propitios habet.

Siquis hic quærit, quis ſubmiſſus ſit; reſpondeo cum Propheta, eum eſſe, qui contritus Spiritu ex ſenſu peccatorum ad humilitatem edoctus eſt. Unde apparet, veram humilitatem nuſquam niſi in fidelibus reperiri. Tametſi enim nonnulli improborum externo corporis geſtu eximiam animi ſubmiſſionem præ ſe ferant, intus tamen, & in animo ſuperbia turgent tumentque.

Verſ. 24. Qui partitur cum fure, odit animam ſuam; & qui audit exſecrationem & non indicat.

In גנב (*fure*) eſt ſyn. part. pro peccato externe admiſſo contra quinque priora ſecundæ tabulæ mandata. In אלה (*exſecrationem*) eſt etiam ſyn. part. pro externa violatione trium poſtremorum primæ. In נפשו (*animam*) eſt ſyn part. pro integra hominis perſona. Item in שמע (*audit*) eſt ſyn partis, ut apparet Levit. 5. 1.

Scopus eſt ab omni communione, & participatione peccati abſterrere.

Hic primum conſideranda eſt communicatio cum aliorum peccatis, deinde effectum ejus. Homines ferè nullius ſceleris, niſi propriis manibus admiſſi ſe reos peragi; imo niſi duces, & anteſignani fuerint in peccando, nullos eſſe autu-

mant. Sic Hevah ſe inde ſatis excuſatam putavit, quod non niſi ſerpentis fraude præceptum Dei violaverit; & Adamus crimen à ſe depellere voluit, quod fœminæ impulſu illud fecerit. Et quidem ab improbis, qui S. Sancti expertes ſunt, quid aliud exſpectes? Sed videas aliquando pios ipſos S. Sancto non mediocriter imbutos in hunc errorem abduci. Exod. 32. 22.23. Hic autem error hominum tanto nequior eſt, quòd in rebus præclarè geſtis ſua laude, tametſi in tertiis, aut quartis conſiſtant, privari noluit. S. Sanctus, ut huic errori occurrat, docet, eum etiam implicari ſcelere, qui peccata alterius ullo modo participat. Exemplum ſtatuit in fure. Furti reus eſt, non qui prædatur modo, verumetiam qui cum illo, tametſi furti, cum admiſſum eſt, non conſcius prædam dividit. Hoc cogitent, qui à piratis vili vendentibus, quod aliis vi auferunt, merces coëmunt. Sed quanto magis fures perhibendi ſunt, qui furtum, & fraudem promovent; quales ſunt advocati, qui injuſtis cauſis patrocinantur, & linguas ſuas dealbandis illis, & infucandis locant; & cum primis judices, qui ſententiam ab illis dicunt, qui jure ſine cauſa experiuntur, maximè ſi, ut jus torqueant, munera accipiunt? Vide Iſai. 1.23.

Communicationis cum alterius ſcelere aliud adhuc genus eſt à ſenſu, & judicio humano remotius. Nam qui audit, aut videt, aut ratione quapiam alia cognoſcit blaſphemiam, ſeu exſecrationem, cui nullum aſſenſum præbet, quam non ſine animi mœrore intelligit, & cognitam improbat, niſi tamen indicet reus illius tenetur, Levit. 5.1: & 19.17. Quamvis igitur, qui hujus officii ſe ſtudioſos præbent, πολυπράγμονες, & ἀλλοτριοεπίσκοποι inter homines plerunq; audiant, nobis tamen, non ſtultis hominibus, ſed ſapientiſſimo Deo auſcultandum eſt. Sed cui faciendum eſt indicium? Reſp. diſtinctionem adhibendam eſſe. Si enim privatum delictum fuerit, modus indicandi, quem Servator pleniſſimè præſcripſit, obſervandus eſt; quod ſi ad publicum ſcandalum, aut aliud detrimentum ſpectat, magiſtratibus, aut Eccleſiæ deferendum eſt, Matth. 18.15, 16,17.

Sequitur pars altera de effect. in hoc genere delinquentium. Ubi, tametſi multa afferri potuiſſent, illud tamen delegit Propheta, quod aptiſſimum eſt ad confirmandum veritatem, & contrariæ cauſæ fundamenta convellendum. Cum enim caro obſtrepere poſſet, hominem ſpolia cum furibus partiendo, ſuo commodo, & peccata aliorum tegendo paci, & ſecuritati conſulere; reſpondet Propheta, dum aliorum divitiis inhiat, animam ſuam perdere, &, dum conatur aliorum ſibi conciliare amicitiam, acerrimum ſui ipſius inimicum evadere. Præterquam enim quod æternum exitium poſt hanc vitam illum maneat, ſibi, dum in vivis eſt, animi inquietudinem ex conſcientia igneis Satanæ, & peccati ſpiculis vulnerata accerſit, & mortem, quam Deus legem ſuam violantibus comminatus eſt, accelerat. Quod cum primis de iis intelligendum eſt, qui ſtudio divinæ gloriæ ab impiis vindicandæ non ducuntur. Si enim conjurationis in regem conſcius, ſi ad 24. horas illam diſſimulet, capite plectitur; quanto magis culpandus ſimul, & puniendus eſt, qui læſæ majeſtatis divinæ reos non palàm facit?

Verſ. 25. Trepidatio hominis dabit tendiculam: qui autem confidit in Domino, in edito collocatur.

In מוקש (*tendiculam*) eſt metaph. à periculo, cui obnoxiæ ſunt feræ, & aves, tranſlata ad periculum culpæ ſimul, & pœnæ, cui, qui trepidi ſunt, exponuntur. In ישגב (*collocatur*) etiam metaph. eſt ab his, qui in loco

in loco aliquo inacceſſo conſtituti extra telorum jactum ſunt, ad eos, qui in Deo fiduciam habentes à periculo peccati, & pœnæ tuti ſunt.

Scopus eſt trepidationis ex infidelitate profectæ miſeriam oſtendere.

Hic duo cōſideranda ſunt; primo quænam illa ſit, quæ hic redarguitur, trepidatio; deinde quibus argumentis damnatur. Eſt autem trepidatio hæc, ſeu metus exceſſus exſpectatio alicujus mali ex opinione Dei nobis infeſti, aut non plenè reconciliati. Ex quo intelligitur, non reipſa pugnare hoc Proverbium [quod tamen primo intuitu videri poteſt] cum illo, quod habetur cap. 28.14. Hic enim pavor inde ortus, quod Deus aut hoſtis creditur, aut ſaltem non propitius, aut hominem in peccati voraginem dum obſequium Deo, à quo nihil boni, ſed hoſtilia omnia exſpectat, præſtandi animum abjicit, præcipitem agit; aut ſi animi de Dei erga ſe voluntate pendeat, & in dubio verſetur, utrum Deus amore illum complectatur, an odio habeat, quicquid illi officii exhibet, id omne à charitate minimè profectum in bonorum operum albo, & cenſu haberi nequit. 1. Cor. 13. Gal. 5. 6. Nam hæc eſt illa trepidatio, quæ excludit charitatem; ſicut à vera charitate ipſa excluditur 1. Ioh. 4. 18. Non poſſe autem nos, priuſquam de Dei erga nos amore perſuaſi ſimus, ex charitate operari ex 1. Ioh. 4. 10. ubi Deus nos prior dilexiſſe dicitur, facilè conſtat. Vide Ioh. 15. 16. Unde Apoſt. charitatem Dei radicem, ſeu fundamentum conſtituit noſtri erga Deum obſequii. Eph. 3. 17. Quod ipſum Magdalenæ exemplo egregiè confirmatur Luc. 7. 47. quæ ideo dicitur Chriſtum dilexiſſe plurimum, quod plurima illi peccata remiſſa ſint. Ubi igitur nulla eſt perſuaſio divinæ erga nos charitatis, ibi, tametſi ſplendorem oculis hominum multa magnum exhibeant, bonum tamen opus nullum omnino eſſe poteſt. Et proinde in papatu, ubi ſumma eſt de bonis operibus jactantia, nullum eſt opus bonum. Nam cum ex charitate in Deum nō proficiſcantur eorum opera [ut qui de amore Dei perſuaſionem, tanquam ſuperbum, & impium commentum planè rejiciunt, nec niſi compenſationis ergo, & inferni metu operentur,] efficitur, quod hoc in loco à Propheta dicitur, ut in laqueum diaboli proni cadant. Verumquidem eſt, piis remunerationis exſpectationem calcar ad benè agendum addere, & metum pœnæ frænum, quo à maleficiis cohibeantur, injicere: ſed hoc intereſt, quod in ſuis operibus non ſe ſolos, & utilitatem ſuam, ſed Deum, & ejus gloriam ita reſpiciunt, ut, ſi neque juſtitiæ cultoribus fœlicitas in cœlo, nec operariis iniquitatis cruciatus in inferno reponeretur, bonis tamen operibus, quia Deo placeant, & gloriam ejus promoveant, navarent operam.

Sed non tantùm ſervilis hic Dei metus, ſed creaturarum etiam, individuus prioris ſocius, & progenies, in peccati laqueum homines conjicit. Hinc impii ſervi ſuis dominis, filii parentibus, ſubditi principibus in iis, quæ contra legem divinam imperant, obtemperant. Hinc impii non tantùm ad coruſcationes, & fulmina, ſed folii ſtrepitum expaveſcere, imo, nemine perſequente, in fugam conjici dicuntur. Levit. 26. 36. Prov. 28. 1. Denique hinc eſt, quod pii ipſi [quoad reliquiæ hujus perfidioſæ trepidationis illis adhærent] ſæpe ab officio diſceſſerint Gen. 20. 2. & 18. 15. & 26. 7. & 1. Sam. 21. 13. Atque dum timore in peccatum impelluntur homines, eodem impulſu in miſeriam, & calamitatem incidunt. Ut enim umbra corpus, & dominum ſatellites; ſic Dei vindicta peccatum comitatur. Et præter plagas à Deo immediatè inflictas, trepidatio hæc alios ad irritandum illos, &

injuriis

injuriis onerandum audaciores facit; deinde, ingruente periculo, animi conſilium, quo malum depellendum erat, perimit; denique corporis valetudinem nonnunquam frangit.

Poſterius hemiſt. complectitur prioris confirmationem ab adverſo cum dicatur, qui confidit in Domino, in edito collocari, id eſt cū à peccati dominio, tū a ſevera Dei vindicta, & formidabili judicio tutus, & tectus eſſe. Certum eſt, neminem mortalium poſſe dicere, cor meum mundum eſt; & juſtiſſimi quique paternam Dei caſtigationem experiuntur: ſed omnes in Domino confidentes tyrannide peccati, & ira Dei eximuntur. Hic videmus, fiduciam in Deo trepidationi contrariam eſſe, & illam, tanquam ancillam, & vile mancipium foras pellere. Hinc illud eſt Pſal. 27.1. & 56.4. 11. & 118. 6. Ubi etiam docetur, quis in Deo confidat; is ſcilicet qui ex vero ſenſu cordis ſui dicere poteſt; Iehovah eſt *mecum*. Hinc Chriſtus diſcipulorum in mari jactatorum formidinis cauſam aſſignat fidei imbecillitatem. Et Iacobus à Deo quicquam petentes jubet in fide petere; & dubitantes nihil à Deo impetraturos, cōfirmat c.1. verſ. 6. 7. Vnde concluditur, religionem Pontificiorum, quæ dubitationem de benevolentia Dei non admittit modo, ſed præcipit, falſam eſſe, & impiam. Deinde fidelium à peccati dominatu, & pœna liberatio eleganti metaph. depingitur ab illo ducta, qui in arce ejuſmodi collocatur, quæ, licet ab hoſtibus acerrime oppugnetur, expugnari tamen nullo modo poteſt. Pſal. 125. Matt. 16.18. Ioh. 4. 13. 14. & 1. Ioh. 2. 19. Vnde efficitur, Pontificiorum doctrinam de fidei inſtabilitate, & incertitudine fidei ex diametro cum ſcripturis pugnare.

Verſ. 26. Multi quærunt faciem dominatoris. ſed à Iehova eſt judicium cujuſque.

In פני (*faciem*) eſt metony. ſubj. pro gratia, quæ in vultus ſerenitate, & ad aliquē converſione cernitur.

Scopus eſt hominum inſcitiam, & impietatem externis mediis aut omnino, aut magis quam Deo innitentiū taxare.

Hic primo notatur hominum inſcitia illa, & impietas; deinde reprehenſionis ratio adjungitur. Et quidem haud facile dicas, ubi magis, quam hinc ſe prodat humani ingenii perverſitas, & ad defectionem proclivitas. Nam ſi deſint, hominibus externa, quibus res concupitas adipiſcantur, adminicula, animos ſtatim deſpondent penitus, ac ſi Deus aut idolum eſſet, aut manus ejus ita contraheretur, ut à malis liberare, & res neceſſarias ſuppeditare non poſſet, quod ſi illis fruantur, neglecto Dei auxilio, hinc ſatis ſe ad res ex voto gerendas præſidii nactos arbitrantur. Siquis, unde hoc conſtet, interrogat, reſpondetur, primo quia nimiam in aucupanda hominum gratia, & offenſione declinanda operam ponant, quod muneribus, aliiſque corruptelis principum & judicum favorem captent, & in his totam, aut certe maximam potiundi voti ſpem collocent, Deo interim vel non omnino, vel frigide tantum, & perfunctorie invocato, & non ante omnia in conſilium per preces, & voluntatis ipſius cognitionem adhibito; deinde quod rei ex voto confectæ Deus author non agnoſcatur, aut ſaltem pro dignitate nulla ex parte laudetur. Hæc hominum inſania creaturis potius, quam creatori confidentium, quantumvis late ſe diffundat hoc ipſo Proverbio ratione parium redarguitur; ut cum ægroti à medicis, in mari periclitantes à ſua navigandi peritia, in

bello à rei militaris ſcientia, & apparatu bellico, Dei auxilio aut non exſpectato, aut parum ſolicitè quæſito, pendeant.

Sequitur reprehenſionis ratio ducta ab effic. principali. Ideo enim damnatur hominum vecordia, quia externis mediis innitentes Deum negligant ſucceſſus proſperi, aut adverſi pro ſuo arbitrio authorem unicum, & proinde ante omnia invocandum, &, rebus ex ſententia geſtis, prædicandum. Quam rem Nehemiah, & Eſter rectè reputantes, cum à regibus populi ſui liberationem petituri eſſent, petitiones à jejunio, & precibus ad Deum [in cujus manu ſunt corda regum] orditi ſunt Nehemias 1.4.&c. Eſter.4.16.

Verſ. 27. Abominatio juſtorum eſt vir iniquitatis; & abominatio improbi eſt rectus via.

In תועבת [*abominatio*] & עול [*iniquitatis*] eſt metonym. adj.

Scopus idem hic eſt, qui fuit cap. 28. verſ. 4.

Abominari improbum plus eſt, quàm odio eum habere, cum abominatio ſummus ſit odii gradus, quod Davidi perfectum odium dicitur Pſal.139.22. Quod adhuc liquet magis, quia dicatur juſtus perinde iniquum, ac hic illum odio habere. Nemo autem ignorat, odium acerrimum eſſe, & irreconciliabile, quo juſtos proſequuntur improbi. Quamobrem alienum videri non debet, piis non improbitatem ſolam, ſed propter eam ipſos etiam improbos exoſos eſſe. Verum quidem eſt creaturam, quatenus à Deo creata eſt, odiſſe non licere, ſed quatenus imago Dei in illa deformatur, odio haberi poteſt, & debet. Sicut enim Deus improbos jure odit, & æternis in illos inflictis ſuppliciis odium teſtatur; ita nihil obſtat, quo minùs pij (qui eoſdem ſe cum Deo amicos, & hoſtes habituros pacti ſunt) homines nequam, & ſceleratos deteſtentur. Cumque improbi pios ſine cauſa, imo contra eorum merita abominantur, quidni illos hi juſta de cauſa itidem abominentur? Quo accedit, quod impii ſemen ſerpentis ſunt, ideoque eodem, quo parens, habendi loco. Verumenimvero cum hujus Proverbij ſcopus ſit indicia, vel ſigna proponere, quibus pij ab improbis dignoſcantur, oportet abominationem hanc non otioſam in animo deliteſcere, ſed verbis, & factis exprimi. Sicut igitur improbi piorum conſortium fugiunt; ſic horum illis fugiendum eſt: & ut illi piorum excidium quærunt; ſic ipſi à piis (ſi res poſtulat) Miniſtris è cœtu Eccleſiaſtico ejiciendi ſunt, & Magiſtratibus è vivis exterminandi: tantum abeſt, ut honoribus illos, & muneribus in Repub. Eccleſia, aut familia cohoneſtari oporteat, aut fœdere nobis vel affinitate adjungi, 2. Chronic. 19.2.

Sed hic quærat aliquis, quomodo congruat hæc doctrina cum cura illa, quam unuſquiſque habere debet, improbos à nequitia revocandi; quandoquidem charitatis hoc effectum eſt, quæ cum odio, nedum abominatione conſiſtere nequit? Reſp. curam illam de peccatoribus, non profligatis, & perditis (de quibus hic ſermo eſt;) ſed de iis gerendam eſſe, quos ſanabiles credimus. Deinde ſicut impiorum in pios odium non impedit, quo minus illos ſuis moribus, & ſtudiis conformare ſtudeant: ſic neque pii ſuo in improbos odio à ſtudio, & conatu illos Deo lucrandi retardantur.

Denique prætereundum non eſt, quòd juſtum definiat, qui via, ſeu vivendi ratione, dictis, & factis integer eſt.

CAPUT XXX.

Verſ. 1. Verborum Aguris filij Jake comportatio : dictum viri de Ithiele, de Ithiele [inquam] & Vcale [ſit.]

HActenus fuerunt Proverbia Salomonis;

Sequuntur { *Aguris,* / *Betſhabæ.* }

Ex Aguris dictis via æternæ ſalutis informatur.

Partes ſunt { *Inſcriptio priore hemiſt. verſus primi.* / *Informatio, ſeu corpus in ſequentibus.* }

In inſcriptione indicatur hujus prophetiæ, ſeu doctrinæ inſtrumentalis effic. qui adj. nominis, & relat. patris à ſuo etiam nomine deſcripti arguitur; deinde forma, nempe comportatio, ſeu collectio; deniq; ſubjecta materia, Chriſtus nimirum, qui duplici adjun. nominis deſcribitur, Ithiel, & Vcal.

Quod comportationem vocat, obſervandum eſt, non illos dedecere, qui nihil ipſi ſcribunt, operam dare, ut aliorum ſcripta, & dicta Eccleſiæ commodo ad poſteritatem tranſmittantur. Vide cap. 24. verſ. ult. Nam varia ſunt Dei dona in ſuos collata, quæ omnia in medium proferenda ſunt, & ad ædificationem Eccleſiæ referenda. Qua in re graviter à pleriſque peccatur, qui ea ambitione ſunt, & elatione animi, ut, niſi palmam omnibus præripere poſſint, & in primis conſiſtere, malint otioſi ſpectatores eſſe, quàm boni quicquam agere. Davidis aliter ſententia fuit, qui, cum honor templum Deo ædificandi negatus eſſet, ad illud tamen, quod in ſecundis erat, ſe, & operam ſuam conferens, quæ templi ſtructuræ inſervire poſſent, comportavit, 2. Sam. cap. 7. & 8. Sicut obſtetrices, licet ipſæ non pariant, qui tamen aliarum partus adjuvent, & promoveant, non minus, quam ipſæ puerperæ Reipub. & Eccleſiæ neceſſariæ ſunt. Quid, quod Salomon ſapientiſſimus librorum ſcriptor non eſt dedignatus ſuam in aliorum, & quidem fœminæ, nempe matris dictis digerendis, & deſcribendis operam, & ſtudium ponere, ut ex ſequenti capite liquet?

Ejus vero, qui hæc Proverbia contulit, fides notanda eſt, quod non pro ſuis venditat. Quod tamen nonnulli faciunt, qui aliorum ſcripta ſuffurati, expunctis authorum nominibus, ſua præfigunt. Qui autem hæc collegit, & literis mandavit, non tantum aurhoris nomen protulit, ſed ſuum (fortaſſe nequid authori meritæ laudis decederet) reticuit.

Hactenus inſcriptio fuit: ſequitur pars altera, nempe informatio:

Cujus partes ſunt modus { *ad Chriſtum perveniendi,* / *cum ad eum pervenerimus, converſandi.* }

Chriſtum hujus prophetiæ materiam eſſe, mirum non eſt, cum totius legis, & Prophetarum (addo etiam Apoſtolorum, & Euangeliſtarum) ſub. ſit, Actor. 3. 22, 23, 24. Rom. 10. 4. Hinc igitur concludimus, omnem doctrinam, quæ ad Chriſtum non dirigit, & ejus in nos meritum, & gratiam non prædicat, à legis, & prophetarum (& inprimis Euangelij) ſcopo aberrare. Quamobrem merito damnanda, & repudienda eſt Pontificiorum doctrina,

ctrina, quæ cogitationes noſtras in nobis ipſis noſtris meritis, & libero arbitrio defixas retinet.

De Ithielis appellatione, quandoquidem eadem prorſus eſt cum illa, quæ eſt Matth. 1. 23. Vide quæ à me in illum locum annotata ſunt. Hoc tantum intereſt, quod hoc nomen eo plus conſolationis exhibet, quo Chriſti beneficium ſingulis ſeorſim fidelibus proprius, & familiarius accomodat.

Quod ſpem victoriæ de mundo, carne, & diabolo reportandæ [hæc enim alterius nominis vis, & ſenſus eſt] in uno Chriſto collocat, doctrina eſt inſignis, & ex aliis ſcripturæ locis abunde confirmata. Pſ. 45. &. 125. Ier. 23. 24. Ioh. 16. 33. Rom. 8. 31, 32. 33. &c. Quemadmodum igitur lacertos noſtros intuentes animum adjicimus, ſic oculos ad Chriſtum attollentes confidere, & alacres eſſe debemus.

Verſ. 2. Omninò brutus ſum, ex quo ſum vir; nec eſt mihi intelligentia Adami.

v. 3. Sed nec didici ſapientiam, nec ſanctorum ſcientiam ſcire queam.

v. 4. Quis aſcendat cœlos, & deſcendat? quis colligat ventum pugillis ſuis? quis liget aquas ſuo pallio? quis ſtabiliat ullos fines terræ? quod [eſt] nomen hujus, & quod nomen filij ipſius? ſi noveris?

v. 5. Totus ſermo Dei purgatiſſimus [eſt,] ſcutum eſt recipientibus ſe ad ipſum:

v. 6. Ne adjicito ad verba ejus, ut non corripiat te, & efficiaris mendax.

In his verſiculis arguitur Chriſti nobiſcum præſentis ſufficientia ex adverſa infirmitate, & omnimoda inanitate noſtra, quæ ſuis partibus.

concluditur {
- *vacuitate veræ Dei cognitionis, ſeu cœcitate mentis v. 2. 3.*
- *impotentia reliquarum animæ facultatem v. 4.*

Priorem partem de cœcitate mentis confirmat diſtributione, & ad hunc modum concludit; Si vera Dei ſcientia præditi ſumus, tum aut originalem illam habemus, aut labore noſtro, & induſtria acquiſivimus; Sed neutro modo, ergo non omnino.

Verſ. 2. Et quidem, quod ad nativam cæcitatem attinet, ait ſe brutum eſſe, ex quo vir fuerit: quaſi dicat, non magis divinæ ſapientiæ, qua ad cœlum perveniatur, participem eſſe, quam bruta rationis humanæ, qua ſibi de hujus vitæ commodis proſpiciant. Unde homo aſino tardiſſimo animalium confertur Iob. 11. 12. Non ſumus igitur (ut ſomniant Pontificij) in iis, quę ad vitam æternam ſpectant, animi facultatibus ſemi-mortui tantum, ſed omninò mortui. Et, ſi in ludicra illa, quam ex Luc. 10. 30. comminiſcuntur, allegoria veritatis quicquam ſit, in eo tantum conſiſtit, quod ratiocinandi facultas lapſu Adami maximam partem obſcurata igniculos quoſdam, ſeu ſcintillas priſtinæ lucis reticuerit. Deinde quod dicit, ab ipſo ſtatim vitæ initio ſe brutum fuiſſe (quod idem confirmat Gen. 6. 5. & 8. 21. Pſal. 51. 5. Epheſ. 2. 1.) notandū eſt, adverſus eos, qui dicunt, nos

exemplo, & imitatione aliorum totam noſtram pravitatem contrahere: maximè verò cogitandum eſt, ut ad humilitatem nos erudiat, qui, ut tales naſceremur commeriti ſumus. Quemadmodum enim nobilitas illa, quam quis ex clara multorũ majorum proſapia quaſi hæreditario jure ad ſe devolutam poſſidet, præfertur, quæ nova eſt, & aſcititia; ſic naturæ pravitas ab ipſo protoplaſto orta, & per tot ætates hominum, & ſeculorum ſucceſſiones continuata tanto tetrior eſt, quãto antiquior. Deniq; mirè hinc eluceſcit Dei gratia, & benignitas, qui ex altiſſimo cœli, & dignitatis ſuæ throno ab tam abjecta, quàm nos ſumus, mancipia, & natalibus tam prudendis orta demittat oculos; cum non principes ſolum, ſed ex media nobilitate domini ſervos, & adminiſtros non niſi honeſto loco natos admittant.

Naturæ corruptelam inde porro exaggerat, quod olim in Adamo ſcientia Dei, & rerum ſanctarum præditi eramus. Sicut enim nobili familia ortus, ſi ad infimam conditionem ſua ſe inertia dejecerit, magis culpatur, quam ſi humili loco natus in eodem manſiſſet; ſic homo ad imaginem Dei creatus, & veluti ex cœlo oriundus merito damnandus eſt, quod ſe ad inferos præcipitem egerit.

Verſ. 3. Hactenus (quæ aſſumptionis pars prior eſt) originalis de Deo, & rebus ſanctis notitiæ negatio fuit verſ. 2. in verſu tertio negat ſe illam acquiſiviſſe. Hinc igitur illud conſtat, naturæ viribus utcunque ad aliarum rerum ſcientiã pervenire poſſint homines, ad ſanctarum tamen non poſſe. [Nemo venit ad Chriſtũ, niſi quem pater traxerit & animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei 1. Cor. 2. 14. Et 1. Cor. 2. 9. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ diligentibus ipſũ preparavit Deus.] Imo vero tantum abeſt, ut ſuo ingenio, & proprio marte in vera Dei ſcientia proficiant homines, ut à Deo ſibi relicti deſipiant indies, & obbruteſcant magis. Atque ita cum aſinis, aut bobus ſimiles naſcantur, poſtea ſtupidiores illis evadunt Iſai. 1. 3.

4. Iam de reliqua animæ impotentia agit nempe voluntatis pervicacia & à Deo averſione. Quæ quidem tanta eſt, ut, quãvis homo veritatem intelligeret, tamen non magis illam exercere poterat, & factis, dictis, aut etiam cogitatis exprimere, quam corpore terreſtri, & ponderoſo gravatus in cœlum aſcendere, aut ſi ibi eſſet, ſine lapſu deſcendere. Quod ſolus Ithiel pręſtare poteſt ſicut etiam apertius docetur Iohan. 3. 13. Hanc voluntatis ad ſalutem conſequendum ἀδυναμίαν aliis cõpar. par. declarat: tam ſcilicet hoc mortalibus impoſſibile eſſe, quàm ventum pugno comprehendere, &, ubi velis, emittere; & aquam in veſte vincire, ut Deus nubibus ſupernè, & arena infernè: quam omnes terræ plagas firmare. Hæc omnia Chriſtus, qua Deus, facillimè præſtare poteſt Iſai 40. 12, 15, 16, 17. Nemini autem mortalium hæc competere docet ab adjuncto nomine, quia nomen ejus nondum auditum ſit. Poſteà videtur eſſe prolepſis; cujus tacita occupatio eſt, *forſan talis olim, qualem quæris, extitit, ſed nunc è vivis exceſſit*: Subjectio eſt; *Vbi igitur eſt filius ejus, quem ſibi ſimilem genuit?*

Siquis igitur horum aliquid in ſe præſtandum ſuſciperet, nonne irriſioni illum omnes, & ludibrio haberent? Nec minus à Deo, & beatis angelis irridebuntur illi, qui cœleſtem ſapientiam, & ſalutem ſe propriis viribus conſequi poſſe jactitant. Imo præter ſtultitiæ irriſionem, acerbiſſimas ſuperbiæ pœnas dabunt, cum ſibi arrogent, & ſuis viribus aſcribant, quod in unius Dei manu eſt.

Verſ. 5. Miſerrimam hanc conditionem hominum non ideo proponit, ut ad deſpera-

deſperationem eos adigat; ſed ut, perſpecta miſeriâ propria, ad Deum ſupplices confugiant, & promiſſiones ejus gratuitas, quibus, tanquã funibus à cœlo demiſſis ex hoc, in quo fixi hærent, condẽnationis cœno ad ſalutem, & cœlum extrahi poſſint, apprehendant. Neve de promiſſionum Dei veritate dubitemus, aſſimilantur auro, & argento igne exploratis, imò vero ſepties excoctis, & defœcatis Pſ. 12. Quicquid enim Deus pronunciavit ore, id brachio effectum dabit 1. Reg. 8.24. Et Ier. 2.5. compellat Iudæorum conſcientias, an patres illorum pravi aliquid in ipſo invenerint. Hominum fides etiam ſanctiſſimorum vacillat aliquando, ut in Davide cernimus, qui fœdus cum Ionathano ictum, & interpoſito jurejurando confirmatum non omni ex parte ſanctum, inviolatumq; ſervavit, 2. Sam. 16.4. & 19.29. ſed Deus Iehovah eſt, & non mutatur; fidelis eſt, nec poteſt ſe ipſum negare. Sed qua tandem manu apprehendẽdi ſunt funes iſti promiſſionũ Dei? Fide inquam; ſine qua nihil prodeſt verbi auditio, & cognitio. Quod vero fidem, cum Apoſt. Eph. 6. clypeum vocat, eo docet nobis ad cœlum tendentibus bellum fore cum hoſtibus accerrimis, carne, mundo, & principe tenebrarum, qui, niſi clypeum fidei objecerimus, millies animas noſtras vulnerabunt, & confodient.

Veram fidem deſcribit ab adj. quod puro puto Dei verbo nitatur ſine ulla aut additione, aut detractione. Cum enim omne, & ſolum verbum Dei peculiari modo defœcatum ſit, & probatum ſepties, neceſſe eſt, ut diminutione, quod purum eſt auferatur, & additione, quod adulterinum eſt, adferatur. Hujus tamen cum additionis, tum detractionis exempla paſſim occurrunt in papatu; cujus totus ferè cultus fictitius eſt. Huju perfidiæ in addendo, & detrahendo adj. pœnam, qua Deus illam puniet, proponit. Et merito quidem verbum Dei adulterans pœnas luet, quandoquidem qui pro regis terreni mandato, aut promiſſo ſuppoſitum emittit, gravi ſcelere ſe conſtringit; & qui pecuniam regiam adulterat, capite plectitur. Deinde cauſam pœnæ aſſignat, mendacium ſcilicet, dum illud pro verbo Dei venditatur, quod Dei verbum non eſt, ſed commentum humanum. Quæ etenim communio luci cum tenebris? Aut quid tritico cum palea, ut eſt apud Prophetam?

V. 7. *Duo peto abs te: ne prohibeas à me, tantiſper dum vivo.*

v. 8. *Vanitatem & rem mendacem longe amove à me: paupertatem aut divitias ne des mihi; ale me cibo demenſi mei:*

v. 9. *Ne ſaturatus ementiar ac dicam, quis [eſt] Iehova? neve pauper factus furer, denique abutar nomine Dei mei.*

Summa eſt, petitio, ut, peccatis remiſſis, & expurgatis, Deus illi hujus vitæ cõmoda, prout cum Dei gloria, & ſalute propria non pugnant, gratuito largiretur.

Partes igitur ſunt petitio
- *Redemptionis à peccatis,*
- *Commodorũ vitæ præſentis ad Dei gloriã, & ſalutem propriam.*

Verſ. 7. Hic primum notanda, quæ ſunt utrique petitioni communia. Primum eſt, quod hæc, quoad in vivis fuerit, ſe petiturum, dicat. Nam poſt

hanc vitam nullus precibus, ſed tantum gratiarum actioni locus relinquetur. Deinde obſervandum eſt, Agurem pro ſe ſolo hanc petitionem fundere. Unde & illud liquet, formam orationis dominicæ, qua docemur, non pro nobis tantum, ſed pro fratribus etiam hæc duo petenda eſſe, non impedire, quo minus ſinguli fideles pro ſeipſis petant. Tertio notandum eſt, non prohibere rem aliquam idē apud Deum eſſe, atque modo ſuo effectam dare: quod apud homines longè ſecus eſt, qui poſſunt nihil prohibere, & nihil tamen largiri. Hoc illorum errorem jugular, qui otioſam quandam permiſſionem Deo affingunt.

8. Petitionis, qua redemptionem à peccatis ſpectat, duo ſunt membra; prius de juſtificatione, poſterius de ſanctificatione. Quæ ambo in unica voce comprehendũtur. Peccati enim procul à nobis amandatio tam ad ſanctificationem, quàm ad juſtificationem pertinet; & duas illas precationis dominicæ petitiones de remiſſione peccatorum, & liberatione à malo ſuo ambitu complectitur. Quod enim petit, ut peccata procul à ſe propellantur, aptiſſimè convenit remiſſioni peccatorum, qua peccata noſtra omnia tanto à nobis ſpatio removentur, quanto à cœlo terra diſtat, & oriens ab occidente; qua in profundum maris demerguntur, unde nunquam poſſunt emergere Mich. 7.19. Pſalm. 103. 11, 12. Hinc igitur illud efficitur, ſalutem ejus, cui ſemel peccata remittuntur, certam, minimeque dubiam eſſe. Nec repugnant, quod eſt Matt. 18. Ubi rex debitum ſervo condonatum, quia conſervum paucis denariis illi obæratum inhumaniter tractaverat, poſteà ad calculos revocat: quo modo pater cœleſtis nobiſcum, niſi fratribus noſtris ex animo condonaverimus, acturus dicitur. Nam ſimilitudines non ſunt extra ſcopum torquendæ, urgendæve. Iſti autem propoſitum eſt oſtendere, nihil ei à Deo dimiſſum eſſe, qui fratri nihil remittit. Aliter enim intelligi nequit, cum hominibus fas non ſit [nedum juſtitiæ divinæ conveniat] debitum ſemel remiſſum propter debitoris delictum aliquod retractare. Si Deus peccata ex hypotheſi, & lege quadam condonaret, equidem fas eſſet, non præſtita conditione, illa in judicium denuo adducere. Sed cũ omnia gratuito, & plenè in Chriſto remittat, certum eſt, ſemel peccatorũ abſolutos nunquam in judicium venturos eſſe. Quorſum igitur [dicet aliquis] remiſſionem peccatorum toties, atque adeo aſſiduè à Deo petimus? Reſp. primò quia nova indies peccata admittamus; deinde ut accepta peccatorum remiſſio firmius animis noſtris obſignetur. Unde Propheta hoc in loco quamdiu vivit, hæc ſe petiturum, affirmat.

In altera parte redemptionis, nempe ſanctificatione, quæ ſynecdochicè per mortificationem (ut priùs juſtificatio per remiſſionem peccatorum deſignatur), nonnihil difficultatis ineſt. Quæri enim poteſt quorſum petamus expurgationem à peccato, cum tenaciùs adhæreat, quam ut poſſit è ſanctiſſimis extirpari. Reſp. non peti tantum præſentem mortificationem quæ jam inchoata eſt, ſed porrò ejus progreſſum & continua incrementa, quouſque ad ſanctitatem omnibus numeris abſolutam pertingatur; quam Deus in futura vita, cum animam ſimul, & corpus ab omni vel minima peccati contagione aſſeruerit, perfecturus eſt. Quamobrem Propheta petit, ut petitio hæc (ſicut etiam illa, quæ ſequitur) ipſi non denegetur, quoad vivat, eo indicans, ſe juſtificationem, & ſanctificationem, quoad in vivis eſſet, petiturum eſſe. Cum verò peccati procul à ſe remotionem poſtulat, docet, non tantum peccata ipſa, ſed peccati ſpeciem, & fomenta ejus omnia, & irritamenta

tamentà declinanda eſſe. Vide c.7.v.7.8. Deinde peccati omne genus vocibus vanitatis, & mendacij complexus monet, quo loco vanitas habenda ſit; alio ſcil. quam homines illam habere ſolent, qui hominem vanum à peccatore diſtinguunt (ſolent enim dicere, non improbum eſſe aliquem, tametſi vanus ſit;) cum tamen, ut hic peccatum vanitas, ita homo ſceleratus, & qui fidem, & pietatem profeſſus vitiis coopertus eſt, vanus dicitur Iac.2. 20. Porro vox דבר כזב (*rem mendacem*(tam largè hîc accepta oſtendit, mendacium non modò verbale eſſe, ſed & reale. Unde eſt, ut veritatis ambitu omnis cùm pietas erga Deum, tum juſtitia erga homines comprehendatur. Vanitatis autem, & mẽdacij nomine merito denotatur omne peccatum, quia non ſolum peccatoribus quod pollicitum eſt, bonum non exhibet, ſed econtrà magnum illis adfert malum.

Sequitur altera petitio de rebus, quæ ad hujus vitæ victum, & cultum pertinent. Hîc quæritur, quid cauſæ ſit, cur hæc petitio, quam Chriſtus præpoſuit, poſteriorem locum ſortita ſit? Reſponſum eſt in expoſitione dominicæ orat. in maj. catech. Hujus petitionis duo membra ſunt, deprecatio, & precatio, quæ deprecatione, tanquam ſuo adverſ. illuſtratur. In deprecatione alienum videri poteſt, ita illum divitias, quæ bonum Dei donum ſunt, averſari, ut illarum in ſe collationem etiam deprecetur. Unde nonnulli exiſtimarunt, ſpecialem eſſe hanc deprecationem, quæ omnibus fidelibus non competat, ſed ab Agure ex ſenſu propriæ infirmitatis gravem paupertatem, aut magnas divitias moderatè ferendi prolata ſit. Ego vero nihil dubito quin deprecatio ut precatio ei oppoſita ſit omnium communis; ut quæ eũdẽ ſenſum habeat cùm quarta petitione dominicæ precat. Unde etiam regibus ipſis divitias præter modum & menſuram accumulare vetitum eſt Deut. 17.16.17. Vide Iſai. 2.6.7. Salomoni ſupra omnes, qui fuerunt, aut futuri ſunt, reges divitiis opus fuit, nec fas eſt cuiquam regi tantas opes expetere, quantas ille habuit, qui templum Deo cœli magnificentiſſimum, palatium regium, & tribunal juſtitiæ exſtructurus erat; Chriſti, & Eccleſiæ typos excitaturus; & externo regni ſui ſplendore Chriſti regnum adumbraturus. Quia tamen modum in divitiis acquirendis non tenuit, non dubium eſt, quin miſera ejus defectio ab hac radice primariò pullulaverit. Quamobrem unuſquiſque conditionem vitæ ſuæ, & ſtationem, in qua Deus illum conſtituit, debitè, & attentè expendat, ut illas divitias à Deo petat, & labore ſtudioque honeſto comparet, quibus ſe, & ordinem ſuum tueatur. Quod ſi Deus illi meliorem conditionem veluti in os offerat, illam cum gratiarum actione accipiat, & fruatur. Contrà vero ſi Deus aliquem de ſua, aut majorum dignitate adjecerit, ad eam conditionem, ad quam deprimitur tuendam, ſeipſum applicet. In quo utroque graviſſimè à pleriſque peccatatur, qui ut in honoribus, & divitiis acquirendis nullum tenent modum, ita moderatè illorum amiſſionem ferre prorſus neſciunt.

Petitio, ut alatur pane dimenſi ſui, quamvis eodem recidat cum petitione panis noſtri quotidiani (de qua vide maj. catech.) aliquid tamen videtur amplius complecti, quod nos debet ad patientiam, ſi quando penuria urgemur, vel ad gratitudinem, ſi nobis omnia ad votum ſuppetant, erudire: ſcilicet quod à Deo non aliter nunc alimenta noſtra, quàm olim Man. Iſraelitarum, dimenſum, & conſtitutum ſit; deinde quod Deus ſit, qui nos alit, & nutricis inſtar cibum nobis veluti in os ingerit. Quod illorum impatientiam ſedare poterit; qui ſi quando ipſis

ipſis minus lautè, & abundè proſpiciatur, fremunt, & obmurmurant.

Verſ. 9. Rationes adnectit hujus petitionis ab adj. incommodis nimiam pauperiem, & opulentiam conſequentibus. Ubi in genere obſervandum eſt, normam ad quam in rebus externis noſtra tum deſideria, tum ſtudia, & conatus exigenda ſunt, hanc eſſe, ut ea menſura nobis à Deo concedantur, qua in Dei obſequio, pietate, & juſtitia retineamur, neque aut ab officio erga Deum, aut charitate in proximum abducamur. Qua in re facile ſe prodit multorum pietatem profitentium hypocriſis qui res externas religionis normam conſtituunt, dum uſque eo religioſi eſſe volunt, & in Deum & proximum officioſi, quoad honores captent, & rem faciant.

Specialius obſervandum eſt, quid incommodi ſeorſim, & ſeparatim divitiarum abundantia nimia, aut penuria ferat. Et primum quidem exſuperantiæ incommodum eſt ſaturitas in cibo, qua Sodomitæ propter agri feracitatem laborantes pœnas Deo graviſſimas dederunt. Qui enim divitiis affluunt, in convictus ratione tum varietate, tum lautitia luxuriari ſolent; unde ſaturitas plerunque oritur. Vide Deuteronomium 8.12. Ezek. 16.49. Aliud affluentiæ effectum eſt mentiri, & dicere, quis eſt Deus? Deuteronomium 32.15. Quæ intolerabilis eſt, animi ſuperbia, & quæ vix videtur in veritatis profeſſorem cadere poſſe. Quod tamen multis, qui ſe chriſtianos perhiberi volunt, competere videbimus, cum ſenſus non ſit, quenquam in Deum diſertè, & totidem verbis blaſphemum eſſe (ut Exo. 5. 2.) ſed officium erga Deum, cum notum ſit, nolle præſtare; & Chriſtum potius, quam divitias velle deſerere, Matth. 19.22. Huic ſimile eſt illud Iob. 21. 14. Ubi dicuntur impii Deo, ut procul ab illis diſcedat indicere; quod nihil aliud eſt (ut ex verbis ſequentibus conſtat,) quàm nolle notitiam viarum ejus. Talem Dei abnegationem in multis apud nos videre eſt, qui, tametſi probè norint, nec inficias ire poſſint, par pari referendum non eſſe, ſecum tamen ſuas vices ulciſci prorſus conſtituunt, imo non dubitant aliquando hujuſmodi blaſphemias eructare; ſe Deo, ſi hoc mandet, nolle hac in parte obſequi, &c.

Sequuntur nimiæ paupertatis incommoda. Primum eſt, quod ad furtum ſolicitet. Homines enim (contra Apoſtoli exemplum Phil. 4. 11.12. & præceptum Hebr. 13.5.) ferè impatientes penuriæ ſæpe ejus remedium in furto, & rapina quærunt. Deinde aliud incommodum ex furto naſcitur, facti ſcilicet, etiam cum profanatione nominis divini negatio, præſertim ſi gravior fuerit, qua urgetur quis, accuſatio. Sic peccatum peccato contiguum, & concatenatum eſt. Hic etiam animadverſione dignum eſt, Prophetam non à pœna furto ex lege debita ſibi tam metuere, quàm à nominis Dei profanatione. Unde vanitatis, ſeu peccati præ afflictione electio, tanquam grave, & turpe flagitium Iobo objicitur cap. 36. 21. Hinc refelluntur religioſuli illi inter Pontificios, qui paupertatem ſponte ſubeunt, & mendicitatis votum in ſe ſuſcipiunt.

Verſ. 10. Ne lingua lædas ſervum apud dominum ſuum, ne maledicat tibi, & reus ſis.

In עבד [*ſervum*] eſt ſynecd. ſpec. pro quovis miſero, qui aliqua ſocietatis conjunctione tenetur. Quamobrem etiam ex voce אדניו [*dominum ſuum*] ſignificantur, qui in alios ſummum, & ſingulare imperium exercent.

Summa

Summa eſt, cavendum, ne abjecta cujuſpiam conditio nos ad illum lædendum animet, præſertim ad ſocietatis cujuſlibet vinculum diſrumpendum.

De ſervis apud ſuos dominos queri nō ſimpliciter illicitum eſſe, docet Abrahami exemplum Geneſ. 21. 25. Et multo æquius videtur ſervi delicta hero ſuo, quā alieno deferre. Quis enim commodius ſervum pro delicti ratione puniet, quàm ille, cui notum eſt ejus ingenium, cujus poſſeſſio eſt, & qui jus imperij in illum obtinet. Quapropter damnatur ſervi apud dominum ſuum accuſatio, non omnis, ſed falſa, temeraria, aut levi de cauſa, & præcipuè quæ ex contempta, & abjecta ejus conditione inſtituitur. Servi enim conditio in ſe miſera eſt (& fuit præſertim inter Iudæos, ubi ſervitutis jugum ante definitum annorum numerum excuti non poterat.) Itaque ferinum, & barbarum eſt miſeriam miſeriæ addere, & onus ſervitutis per ſe grave, & moleſtum gravius, & acerbius reddere. Huic illud non abſimile eſt, Deut. 25. 15. Quod non ita intelligendum eſt, ac ſi transfugæ non eſſent juſtis dominis reſtituendi. [Illud enim pugnat cum Angeli ad Hagarem licet durius tractatam conſilio, & cum Apoſtoli exemplo in epiſt. ad Philem.] ſed ſenſus eſt, ſervum crudeliter ab hero acceptum [præſertim ſi religionis erga ad te confugiat] non eſſe in heri poteſtatem iterum concludendum, qui illum majori, quàm prius, ſævitia cruentabit. Hinc David cum ſervo Ægyptio, quem herus in itinere ægrotum neglexerat, ne illum in domini ſui manus traderet, pactus eſt, 1. Sam. 30. 15. Hoc (ut dixi) ad alios miſeros transferri poteſt, pauperes, orphanos, viduas, captivos, &c.

Deinde alia ratio eſt, cur ſervus apud herum ſuum traducendus non ſit, quod illi cum hero arctum ſocietatis vinculum intercedat, quod non eſt temere, & levi de cauſa diſſolvendum. Hinc ſuſurronis peccatum exaggeratur Proverb. 16. 28. quia conjunctiſſimos disjungat; & cap. 17. 9. eorum, qui vulnus obductum repetitione, & commemoratione refricant, renovantque. Quamobrem diligenter cavendum eſt, ne temerè ſciſſuram faciamus in ſocietate aliqua: & quanto arctior eſt conjunctio (ut inter maritum, & uxorem; parentes, & liberos,) tanto magis à violatione ejus abſtinendum.

Hujuſmodi accuſationis duo adjuncta ſunt. Primum eſt maledictio ſervi ex acerbitate animi in maledictiones, & exſecrationes erumpentis. Atqui [dicet aliquis] cur mihi ab hujuſmodi maledictionibus, cum injuſtæ ſint, metuerem? Reſpondeo, tribunalis divini longè aliam rationem eſſe, atque humani. Homines enim nihil licitè poſſunt concedere, quod legitimè petitum non ſit: ſed Deus juſtiſſimè concedit, quæ homines injuſtè petunt. Sic Iudæos audivit petentes ut innoxius Chriſti ſanguis in ſe, & poſteros ſuos devolveretur. Et minatur Deus, ſe viduarum, & pauperum clamores exauditurum, & injurias ulturum Exod. 22. 22, 23, 24. Nam utcunque oppreſſi vindictam petendo injuſtè, & contra officium faciant; tamen Deus, juſtus judex, merito de oppreſſoribus ultionem ſumit.

Poſterius adj. eſt, quod accuſator, utcunque ſervus non maledicat, reus peragitur: qui reatus non poteſt non pœnam accerſere. Atque hinc maledictio ſervi vim ſuam, & vigorem accipit; à qua, abſque reatus eſſet, haudquaquam pertimeſcendum erat Proverb. 26. 2. imo Dei benedictio potius exſpectanda, 2. Sam. 16. 12.

V. 11. Generatio patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedicit.

In אב (*patri*) & אם (*matri*) eſt ſynecd. ſpeciei.

Verſ. 12. Generatio pura in oculis ſuis, quæ ab excremento ſuo nō eſt.

Verſ. 13. Generatio, cujus quàm elati ſunt oculi, & palpebræ attolluntur!

Verſ 14. Generatio, cujus dentes ſunt gladij, & cultri molares ejus ad conſumendum pauperes è terra, & egentes ab hominibus.

Primum de his omnibus ſimul ſumptis, poſteà de ſingulis ſeorſim agendum. Et primo quidem non dubitaverim, quin memoriæ juvandæ cauſâ quaternarium numerum hic (ut non ſemel deinceps in hoc capite) adhibuerit. Deus enim non ignarus noſtræ pertuſæ, & fragilis memoriæ ejus imbecillitati ſubvenit. Ad hunc finem obſervatur ordo alphabeticus in multis Pſalmis, & cumprimis 119. & in Lament. Ier. Vide Math. 1. 17. Deinde alia ratio hæc quatuor aggregandi videtur eſſe, quod habeant inter ſe affinitatem quandam, & ſimilitudinem: quæ in eo conſiſtere videtur, quod ſingula peccata atrocia ſint, & fere Eccleſiam, & Rempubl. turbent.

Ex voce *Generationis* obſervandum eſt, nunquam defuturos etiam inter Dei populum, qui ſe his vitiis polluent. Quod nos ad curam, & excubias excitare debet, ne à maledictis iſtis, & exſecrandis generationibus corrupti in earum ſceleris communionem, & ſupplicii pertrahamur. Paterfamilias, ſi certò ſciret, fures per urbem certa nocte graſſaturos, per totam noctem excubias ageret. Quanto magis vigilandum eſt nobis, ne hujuſmodi malis, quibus ſcatere ſcimus civitatem Dei, incauti opprimamur, & pereamus!

Hinc deniq; animadverti poteſt ſapientiſſima Dei providentia, quæ in cauſa eſt, quod, tametſi ſemina, & radices horum omnium ſcelerum ſint in omnibus, non tamen iidem omnibus addicti ſunt. Nam alioqui actum eſſet de ſocietate humana.

Verſ. 11. Primum ſcelus eorum eſt, qui portentorum quorundam potius, quàm hominum ſimiles patribus ſuis maledicunt. Hoc flagitium quantum, & quam enorme ſit, docetur Iſai. 45. 10. *Vbi qui in Deū rebelles & blaſphemi ſūt, cum illis cōparantur, qui dicūt patri, quid nos genuiſti? & matri quid peperiſti? Pari enim jure poſſunt rationē ortus ſui à parentibus poſcere, atque illis maledicere. A parentibus quilibet vitæ principium duxit, ab eiſdem in hanc lucem editus altus & enutritus eſt, & ab his proſpectum illi, conſultumque eſt, cum adhuc ſe tueri non potuit. Hos igitur maledictis proſcindere, & linguam in eos ſtringere, à quibus linguæ uſum acceperis, à graviſſimo ſcelere abeſſe non poteſt. Hujus ſceleris atrocitatem Lex oſtendit, quę idem ſupplicium præſcribit maledicenti parentibus, & blaſphemo in Deum. Nam certe, qui in parentes maledicus eſt, idem in Deum contumelioſus, & blaſphemus facile evadet. Imo vero quandoquidē Deus eſt, qui parentum opera, & miniſterio nos in hanc lucem eduxit, nemo parentes maledictis inceſſere poteſt, quin eadem opera Deum etiam inceſſat. Vnde Iobus in Deum ipſum maledicta congeſſiſſe deprehenditur, quia in parentes congeſſerit, c. 3.

Deinde notandum eſt, ſimpliciter condemnari, quicunque patrem exſecratur. Non enim dicit, ſcelus eſſe, ſiquis à patre minime læſus, aut irritatus ei maledixerit; ſed quicunque ei maledicit, quamvis gravi injuria affectus, atrocis flagitii reum eſſe. Si enim injuria illi, à quo nihil unquam boni acceperis, inferenda non ſit,

ſit, nec ſæviſſimo hoſti maleficium pro maleficio reddendum; multo minus pater, qui plura in te beneficia contulit, quàm injurias inferre poteſt, vel verbo laceſſendus, & ignominioſè tractandus eſt. Quæ igitur, & qualia monſtra hominum ſunt, qui in parentes amantiſſimos, contumelioſi eſſe non deſinunt!

In poſteriore hemiſt. amplius quiddam dicitur; nempe illum etiam nefarium eſſe, qui matri (quod etiam de patre perinde verum eſt) non benedicit. Atqui inquis parentum eſt benedicere liberis, non liberorum parentibus. *Reſp.* liberis à parentibus benedici, & eiſdem hoc modo benedicere perinde competere. Benedicere enim hoc in loco non aliud eſt, quàm benè de illis loqui. Quod ſi excipias, non poſſe bona de illis prædicari, ſi ſunt improbi; reſpondeo, neminem tam perditè flagitioſum eſſe, quin aliqua habeat, quæ jure laudari poſſunt, Dei dona; ut in Saulis encomio, ſeu epitaphio à Davide compoſito apertè liquet. Deinde, ſi nil boni illis ineſſet, preces tamen ad Deum pro illis fundendo benedicendum eſt.

Verſ. 12. Semper exſtitiſſe, qui ſe juſtos exiſtimârunt, & propriam juſtitiam jactarunt, docet gravis illa, & nervoſa oratio Moſis Deuter. 7. 8. 9. &c. Vbi multis argumentis inanem iſtam hominum in ſe fiduciam confutat; docent frequentes Servatoris cum hoc peccato (præſertim in Phariſæis) conflictus; docent Apoſtolorum multa de hoc argumento ſcripta; denique liquidiſſimo documento ſunt hæc noſtra tempora, in quibus fœdus hic, & pernicioſus error tantoperè invaluit, qui nunc eò portentoſior eſt, quam olim fuit, quia tot fulminibus iræ divinæ in juſtitiarios per tot annorum ſeriem vibratis non obruitur; nec gladio ſpiritus ancipiti, & acutiſſimo, validis doctiſſimorum hominum manibus tractato jugulatur, aut confoditur. Vnde conſtat, noſtrorum temporum juſtitiarios omnium, qui unquam vixerunt, eſſe nequiſſimos.

Tantæ impietatis cauſæ variæ ſunt. Ad aliorum, & eorum quidem ſceleratorum mores & converſationem ſe componentes ſtatim optimi eſſe volunt, quia non ſint peſſimi; imo ſuo plerunque ſe pede metiuntur, quo fit, ut vitia, quibus olim cooperti ſunt, aliqua ex parte correxerint, & ad virtutem aliquanto propius acceſſerint, tum juſtitiæ ſuæ opinione ilico turgeſcant; præterea juſtitiam in externa, & viſibili ſpecie totam conſtituunt; totum boni viri officium externo ſecundæ tabulæ obſequio, & nonnunquam ſola erogatione in pauperes definiunt; denique rerum, quam habent, abundantiam Deum ipſis, tanquam mercedem ſuæ juſtitiæ congruam tribuiſſe autumant. Quorum quidem omnium fons eſt, quod ad rectiſſimam Legis Dei normam ſe componant. In hoc genere ſunt Papiſtæ, Anabaptiſtæ, & Libertini.

Hoc ſcelus exaggerat à conditione adverſa ei, in qua ſe eſſe comminiſcuntur, nempe quod à ſordibus ſuis non ſint abluti. Quas ſordes nomine fœtidiſſimorum excrementorum, ſeu oleti denotat. Qua voce declarat, tantum abeſſe, ut (ſicut ipſi ſomniant) puri eſſent, ut ſint graviſſimis ſceleribus conſpurcatiſſimi.

Hujuſmodi erant Iſraëlitæ ex Ægypto commigrantes, qui cum fœdiſſimi eſſent idololatræ, propriæ tamen juſtitiæ opinione inflati ſunt: tales erant Phariſæi, quos Chriſtus dealbatis ſepulchris aptiſſime aſſimilat Matth. 23. 27. 28; tales etiam pſeudoapoſtoli fuerunt inter Galatas, qui juſtitiam ex lege docentes ipſi legem non obſervârunt, Gal. 6. 12. 13; tales denique ſunt Pontificii, & inter Euangelicos quàm

plurimi,qui ſe ſatis abundè rerum divinarum ſcientia inſtructos, & ſanctitate præditos exiſtimant, cum tamen ſolidam Dei cognitionem, & veram ſanctimoniam primoribus [quod ajunt] labris non attigerint. Vocabulum autem, quo peccatum notat, ejus in animis noſtris odium & deteſtationem ingenerare debet; ut,ſicut ſtercora oculis,auribus,naſo, & reliquis omnibus corporis ſenſibus averſamur,ſic animis peccatum abominemur, idque tanto magis (ſi fieri poſſet,) quanto peccatum Deo magis exoſum eſt, quam ſtercus hominibus etiam delicatiſſimis eſſe poteſt.

Aliud genus hominum eſt ſuperbum, & faſtuoſum; quorum ſuperbia, & animi elatio ab adjuncto oculorum, & ſuperciliorum elatione deſcribitur, deinde ab adjuncto gradu,ſeu quantitate ad miraculum uſque magna. Sedem ſuperbiæ in oculis, & ſuperciliis ideo conſtituit, non quia nullibi ſuperbia ſit,niſi ubi oculi, & ſupercilia tolluntur,ſed quia plerunque ſe in his membris prodat. Legimus enim, Abſhalonem regnum jam affectantem, cum nihil unquam ſuperbius fuerit, externam tamen humilitatis ſpeciem induiſſe, infimos quoſque humaniſſimè ſalutâſſe, amplexum, & oſculatum eſſe. 2. Sam. 15. Tales etiam ſunt inter Pontificios præcipue Fraterculi, & Monachi, quorum oculi quidem ex profeſſione dejiciuntur in terram, ſed animi uſque adeo elati ſunt,ut alios omnes præ ſe, tanquam profanos aſpernentur.

Deinde adj. admirationis notâ odioſum redditur hoc genus hominum; cum eorum ſuperbia tanta ſit, ut admirationem moveat. Vbi non ſolum diſcrimen ſtatuitur inter ſuperbiam improborum, & illam, quam fideles ſibi adhærentem gladio ſpiritus amputant quidem, ſed radicitus evellere nequeunt; ſed illa in improbis ſuperbia notatur, quæ omnem modum & menſuram tranſilit. Cujuſmodi illa fuit in Korah, Dath. & Abir. Nebuchadnezzare Dan 4. in Moabitis Ier. 48. in rege Tyri Ezek. 28. in Herode Act. 12. Et mirum profecto eſt, ita faſtu homines turgere, cum tot illos mala circumſtent, atque adeo adhæreant, cum nihil habeant, quod non acceperint, & quod idem caducum non ſit,& cito periturum.

Verſ. 14. Quarta generatio eſt ſycophantarum,qui calumniis homines evertunt bonis, atque adeo è medio tollunt. Horum venenatæ linguæ aſſimilantur gladiis, & cultris; & ipſis lupis,urſis, leonibus, aliiſve id genus voracibus belluis. Vid. Pſal. 14. 4. & 56. 4. Maximè verò in hoc genere deteſtandi ſunt,qui pauperes non tantum è terra conſumunt, ſed è regno cœlorum excludunt, aut conantur ſaltem excludere. Hic igitur multa mala turmatim concurrunt; primo calumnia contra mandatum nonum,deinde cædes adverſus ſextum; denique afflictos etiam & ad reſiſtendum impares adoriuntur, quæ atrocior eſt cædis gradus. Exempla hujus ſceleris ſunt in Ziba 2. Sam. 16. 3. 4: & Iezebele 1. Reg. 21. 10. 13: & 2. Reg. 9. 26.

Verſ. 15. Præter hirudinem, cui duæ ſunt filiæ, præbe, præbe, tria ſunt inſatabilia, imò quatuor non dicentia, ohe;

v. 16. Sepulchrum, occluſio vulvæ; terra non ſatiatur aqua, & ignis non dicit, ohe.

Videntur hi duo verſus à Propheta adhibiti ad quartæ illius, modo dictæ generationis immanitatem oſtendendum, & originem etiam iſtius ſceleris indicandum. Hæc enim nude ſine applicatione aliqua

aliqua propoſuiſſe naturalis potiùs philoſophi videtur, quam Prophetæ divinitus inſpirati; nec comparationibus ſequentibus congruenter fieret. Hinc autem conſtat, naturalis philoſophiæ ſcientiam perutilem eſſe, ut cæleſtia cum terrenis, quibuſcum ſimilitudinem aliquam & affinitatem habent, compoſita faciliùs intelligantur, & retineantur firmiùs. Neque enim ſine cauſa dictum eſt; bis dici, quod per ſimilitudinem proponitur.

Et quidem quod ad hirudinem, vel ſanguiſugam attinet, notum eſt, linguam biſulcam eſſe; cujus utroque ramos ſanguinem ejus, cui admovetur, tamdiu exſugit, donec ſanguinis affluentia non cupiditatem expleat, ſed ventris capacitatẽ ſuperet. De ſepulchro prius dictũ eſt.

Tertiæ comparationis de occluſa vulva, quæ ſemen non continet, id eſt de ſterilis fœminæ immenſo concipiendi deſiderio exemplum eſt in Rahele, quæ in deſiderio liberorum uſque adeo modum tranſiit, ut marito, quod ſterilis eſſet, ſuccenſu erit.

Terram item ſabuloſam, & torridam, tametſi maxima aquarum copia irrigetur, exiguo tamen temporis intervallo iterum tam ſitibundam eſſe, ac ſi nihil aquarum imbibiſſet, notiſſimum eſt.

Ignem denique, licet perexiguum infinitam materiam abſumere, liquidius eſt, quam ut probatione egeat.

Quod autem de avaritiæ inſatiabili cupiditate hæ ſimilitudines proponunt, de aliis etiam vitiis intelligendum eſt; de idololatriæ inexſtinguibili ardore, de libidinis flamma, de ambitione, ſeu æſtuante honoris deſiderio.

Verſ. 17. *Oculum qui ſubſannat patrem, & ſpernit obedientiam matris, effodient corvi vallis, & illi comedent filij aquilæ.*

In אב (*patrem*) & אם (*matrem*) eſt ſynecd. ſpec. pro quibuſvis ſuperioribus: item in ערבי (*corvi*) & בני נשר (*filii aquilæ*) pro omni genere avium rapacium. In עין (*oculum*) eſt ſynecd. membri pro quolibet corporis membro.

Scop. eſt liberos in parentũ obſervantia, propoſita contemptus pœnâ retinere.

Verſu cap. hujus undecimo peccatum liberorum tantum proponitur; hic autem peccati ſimul, & pœnæ deſcriptio habetur: ibi damnatur, qui patri maledicit; hic vero, qui ullo corporis geſtu pietatem, & officium erga parentes violat. Et quidem inter gentes à Deo alienas reperti fuerunt qui affirmare non dubitarunt, ſola vultus torvitate violari erga parentes officium. Animi enim à parente abalienationem declarat quivis corporis geſtus ad ſubſannationem, & contemptum compoſitus. Deinde aliud liberorum grave ſcelus eſt, ſi juſta parentum mandata nulla animi, aut corporis infirmitate impediti, ſed præ obduratione, & pervicacia exſequi nolint; quamquam verbis, & externo geſtu corporis obſequentiſſimos ſe præbeant.

Sequitur pœna ludificationis, & contemptus parentum, nempe mors ignominioſa per magiſtratum infligenda. Et quidem maledicentibus, percutientibus, aut imperium paternũ contemnentibus lex Dei diſertis verbis mortem adjudicavit. Et ne ambigeretur, quo ſupplicii genere ſubſannator afficiendus ſit, Propheta hic optimus legis interpres hunc illis prioribus aggregandum docet. Quare igitur (quæret aliquis) Noachus totius mundi Magiſtratus Chamum filium morte non multavit, ſed in poſteros ejus maledictionem tranſtulit? Reſp. primo, illud Chami peccatum ante legem à Moſe ſcriptam commiſſum eſſe, cum non tam clara eſſet officiorũ cognitio; ſed quæ cordibus tantum inſcripta erat, aut de manu in manũ

(ut loquuntur) tradita; ideoque non tam grave in illo fuiſſe, quam in aliis poſt legis promulgationem fuerit. Deinde, cur illi parcitum ſit, alia ratio eſt; quia ſcilicet tam pauci reſtabant ſuperſtites quorum operâ mundum Deus inſtaurari voluit. Quod ipſum in cauſa fuit, cur Cainus paricidii pœnas non dederit Geneſ. 4. Quanquam pœnæ in utroque dilatio gravitate abunde compenſata eſt.

Cum dicat, corvos vallis oculos ejus, qui hujus ſceleris reus eſt, comeſturos, illud indicat, quod in crucem actis accidere ſolet. Quamvis enim illos poſt occaſum ſolis inhumatos eſſe lex ceremonialis non permitteret, tamen dubiũ non eſt, quin ſimulac exſpiraſſent, corvi, quos notum eſt, in oculos mortuorum animalium ſtatim involare, & aliæ rapaces aves, quales cum primis juvenes aquilæ, illos adoriri ſoleant. Apud nos quamvis legum vitio hujuſmodi hominum monſtra morte non plectantur, juſto tamen Dei judicio fit, ut ob alias cauſas hac plerunque leviores laqueo vitam finiunt. Quo in judicio, quamvis terreni judices ſæpe modum excedant, Deus tamen juſtiſſimus judex jure de illis (ſicut ipſi non raro morituri confitentur,) quia parentibus immorigeri fuerint, ſupplicium ſumit.

Verſ. 18. Tria hæc occulta ſunt à me; imo quatuor ſunt, quæ non novi;

v. 19. Viam aquilæ in cœlo, viam ſerpentis in rupe, viã navis in corde maris, & viam viri in virgine.

v. 20. Sic eſt via mulieris ſcortantis: comedet, deinde abſtergit os ſuum tum dicit, non ſum operata iniquitatem.

In לב (*corde*) eſt metaph., à corpore humano, in cujus medio cor ſitum eſt. In verbis אכלה ומחתה פיה (*comedit, deinde abſtergit os ſuum*) eſt allegoria metaphorica. Libidinis enim expletio comparatur cibi ad ſatietatem comeſtioni, & occultatio ejus oris abſterſioni, poſtquam quis comederit.

Scopus eſt ad amplificationem ſceleris, & majorem cautionem, clandeſtinam ſcortationis patrationem oſtendere.

Inſidioſæ, & occultæ hujus peccati admiſſionis primum argumentum ducitur ad adj. Aguris (atque ita ſynecdochicōs aliorum omnium) illud perveſtigandi impotentia. Nã ſcortorum mille artes ſunt partim a ſe excogitatæ, partim à diabolo ſuggeſtæ, quibus ſuam & libidinem expleant, & contegant turpitudinem. Vid. 2. Sam. 13. 5. Deinde compar. parium illud ipſum oſtendit. Tã enim difficile pronunciat viam virginis in ſcortatione cũ viro perſcrutari, quam viam aquilæ in aëre dignoſcere, qui alarum remigio diremptus ſtatim coaleſcit; quam viam ſerpentis in rupe obſervare (quod ſane difficillimum, vel potius impoſſibile eſt, cum ſerpens nihil habeat, quod relinquat; non plumas, ut aves; non excrementa, ut cætera animantia fere omnia; non fimum, ut vermes, & teſtudines; & rupes ad veſtigium, aut impreſſionem aliquam accipiendum propter duritiem inepta ſit:) quam denique navis curſum in aquis ſtatim poſt diſceſſum ejus recurrentibus invenire. Alia etiam ſimilitudine, ſed contractiore idem declarat, cum ſcortum (ut ſupra attigimus) ei aſſimilat, qui aliquid ſibi denegatum expetens illud comedit, &, ne comediſſe deprehendatur, os, & dentes tergit. Hoc etiam adhuc conſtabit melius, ſi cum aliis ſceleribus, furto, homicidio, &c. comparatio inſtituta fuerit. In illis ſiquidem indagandis multa extare ſolent indicia non tantum ex reis

ex reis ipſis, eorumque ferramentis, ſed ex aliis etiam, qui fere in horum facinorum ſocietatem veniunt.

Sed quæri poteſt, quo ſpectet, aut quid ſibi velit occultæ ſcortationis tot ſimilitudinibus illuſtratio? Nunquid hinc Propheta ſcortationem, ut Lacedæmonii furtum, extenuat, aut minus periculi in ſe habere docet? Nihil minus. Peccatum enim, quod majori fraude, ſimulatione, & arte admittitur, & occultatur, eo gravius eſt, quod Dei dona ad juſtitiam, & honeſtatem colendam tueandamque collata ad uſum plane contrarium detorquentur. Vid. Ioſh. 7. 11. Periculi etiam tanto plus ſubeſt, quanto diuturnius in hoc cœno hærentes magis computreſcunt; & à pœnis immunes turpitudinis ſenſu minus ad reſipiſcentiam urgentur, & excitantur. Deinde præter gravitatis, & periculi peccati demonſtrationem ulterior propoſitæ doctrinæ finis, & uſus eſt, ut quilibet ſibi, & ſuis ab his Satanæ technis ſolicite proſpiciat. Curatorum intereſt ita filias, & ancillas inſpicere, ut ſemper ſecum habeant ſuæ caſtitatis teſtes, ne ſolivagæ imprudentes in laqueum cadant. Sed nonne ſcorta ipſa hinc in ſua nequitia confirmabuntur? Reſpondeo, non eſſe, ſi ſatis intelligant, cur ſuis artibus nimium confidant. Præterquam enim quod Dei oculum omnia luſtrantem ſibi ob oculos proponere oportet Proverb. 5. 20. 21. & illum magis revereri, quam conſpectum hominum reformidare; præterquam etiam, quod Angelos teſtes, & ſpectatores habeant; cogitandum eſt, Deum poſſe, atque etiam ſuo tempore velle occultiſſimum hoc peccatum in lucem, & cognitionem publicam educere. Vide Numer. 5.12, &c. 2 Sam. 12. Johan. 4. 17, 18. Luc. 12. 2. Iohan. 8 7, 9.

Iudæi ſolent hunc locum vehementer jactare, quaſi hinc de præcipuo chriſtianæ religionis fundamento convulſo, & labefactato triumpharent. Nam, ut probent voce העלמה (*virgo*) Iſai. 7. 14. non intelligi virginem, hunc locum citant, ubi עלמה vocatur, quæ conſtuprata eſt. Sed non attendunt (ut de loco illo Iſai. nihil dicam, ubi partus ejus, quæ עלמה dicitur, pro miraculo quod niſi de virgine intelligatur, nullum omnino eſſet, affertur,) non attendunt, inquam, Prophetam hoc in loco συγχωρητικῶς per conceſſionem loqui, prout verſus ſequens aperte declarat; quia ſcilicet, tametſi vitiata ſit, pro virgine tamen ſeipſam venditet. Ad eundem modum incantatores, quamvis inſigni ſtultitia ſunt, quia tamen ſapientes haberi voluerunt, & habiti ſunt, ſapientes in ſcriptura non ſemel appellantur. Quæ etiam cauſa eſt, cur Pſeudo prophetæ prophetarum titulo inſigniti ſint.

Verſ. 21. Sub tribus commovetur terra imò ſub quatuor, [quæ] non poteſt, ferre,

v. 22. Sub ſervo, quum regnat, & ſtulto quum ſatur eſt cibo.

v. 23. Sub exoſa, quum maritatur, denique ſub ancilla, quum hæres efficitur heræ ſuæ.

In ארץ (*terra*) eſt metonym. ſubj. pro incolis terræ. Alioqui poteſt eſſe hyperbole. In ימלך (*regnet*) eſt ſynec. ſpec. Regnum enim ponitur pro quavis conditione ampla, & honorabili.

Summa eſt, in promovendis hominibus ad honeſtiorem vitæ conditionem cautione utendum eſſe.

Hinc in genere notandum eſt, homines bene meritos non eſſe præmio laboribus, & virtuti debito privandos; ſed cavendum,

vendum, ne quis ex abjecta conditione in altiorem dignitatem ſine ſummo, & ſingulari merito, & exquiſita attollatur. Magnum enim periculum eſt, ne meriti ſui opinione inflatus alios præ ſe contemnat, & authoritate ſua ad incommodum publicum, & ſuum abutatur. Hinc Paulus 1. Tim. 3. 6. cavet, ne quis νεόφυτος in miniſterium cooptetur, ne inflatus, &c. Quamobrem magna cautio adhibenda eſt in diſtribuendis muneribus, ut cuique pro dignitate, & prout conditio ejus poſtulat, honor habeatur. Alioqui enim id uſu veniet, quod vulgari apud nos Proverbio jactatur, *Set à beggar on horsback: and he wil ride ful gallop*. Nam quemadmodū mendicus equitans præ imperitia aut ſeipſum, aut equum perdit: ſic qui præter meritum honoribus augetur, ſibiipſi, & ſubditis nocet. Soli Deo, qui omnium corda novit, & nihil pœnitendum facere poteſt, licet, quos velit, ex abjecta conditione ſubito in faſtigium honoris efferre. Sic David ex ovili ad regnum, Eliſha ex agro, & Amos ex armento ad prophetandi munus, & Paulus ex phariſaiſmo, & inaudita contra Chriſtianos ſævitia ad Apoſtolatum evectus eſt.

Sed jam de ſingulis ſeorſim. Horum quatuor duo priora ad viros ſpectant, poſteriora ad fœminas: illa turbas in Rep. hæc in familia excitant. Primum eſt, cum quis ex ſervili conditione ad amplam, & nobilem attollitur. Hic ideo intolerabilis eſt, quia non minus ab aliis omnibus obſequii exſpectat, quam olim hero præſtitit. Sic enim ratiocinatur; ſi ego hero meo tam vili, præ mea hac conditione homunculo in mandatis omnibus etiam de rebus abjectiſſimis morem geſſerim, annon alios oportet mihi in ipſo dignitatis culmine jure conſtituto obſequi? Huc accedit, quod ſe propter ſubitum hunc honorem ſuis inviſum eſſe ſuſpicans majore in illos ſævitia uti conſuevit. Hujus doctrinæ exemplum eſt in Zimri, qui proditione domini ſui regnum adeptus, ea animi ſuperbia erat, ut urbe, in qua erat, ab hoſtibus capta, maluerit vivens à ſeipſo cremari, quam ab aliis regno, quo tam nefarie potitus erat, privari, 1. Reg. 16. 18. Sic Haman gente obſcura & Deo, Deique, populo maxime exoſa ortus ita honore ſibi à rege collato ſuperbivit, ut unius hominis odio omnibus Iudeis interitum machinatus ſit. Sic etiam Ieroboamus, tametſi à Deo ipſo rex factus, quia tamen non fuerit à Deo humilitatem condocefactus, ſuperbe ſe in ipſum extulit, vide Prov. 19. 10.

Secundum genus ſtultorum eſt ſaturorum cibo. Hi omni tempore importuni ſunt; ſed cum potu, & cibo hebetatur animus, & obſtupeſcit, tum demum intolerabiles ſunt, & omnes cancellos modeſtiæ tranſiliunt. Hoc confirmatur Proverbio illo Salom. cap. 14. 24. Sicut enim ſapientum divitiæ illis inſtar coronæ ſunt, quibus ornantur: ſic ſtultorū ſtultitia divitiis affluentium ſtultitia eſt, hoc eſt ſtultiſſima. Nam cum cuivis diviti difficilis ſit in cœlum aditus, multo magis ſtulto: & cum ſapientes præ divitiarum copia non raro ſtulti evadant, Deuter. 32. 15. & Ieſhurun impinguatus recalcitret, non mirum, ſi ſtulti prorſus inſaniant Vide 1. Sam. 25. 10, 11, 17: & 1. Tim. 6. 17.

Hactenus de viris Rempub. perturbantibus: reſtat, ut de fœminis in familia faces accendentibus dicamus. Tertium igitur locum occupant fœminæ maritis ſuis frigide amatæ, ſeu (ut ſcriptura loquitur) exoſæ. Cum enim ſub lege obtineret, ut vir unus plures ſimul uxores haberet, neceſſe fuit, una reliquis eſſet charior; minus autem charæ dicebantur exoſæ. Quod ſi accideret, ut, quæ exoſa erat, intimum mariti amorem conciliaret, tum illa reliquis intolerabilis exſtitit. Quanto enim ægrius tulit, ſe olim poſthaberi reliquis,

reliquis, tanto magis eaſdem ſibi poſthabitas contumelioſe tractat,

Quarta claſſis, & reliquarum (ut videtur) inſolentiſſima ancillarum eſt, quæ dominarum ſuarum hæredes factæ ſunt, ſive in loca earum ſuccedunt. Cum enim, ſicut filiarum ſtrictior, & ſeverior cuſtodia & diſciplina eſt, quam filiorum; ſic ancillarum durior conditio ſit, quàm ſervorum; fit ut, quanto magis jam deprimuntur, tanto ad dignitatem evectæ inſolentiùs ſe gerant. Expreſſa hujus rei imago in Agare cernitur, quæ in Saræ locum non ſine conſenſu ejus, & conſilio ſuffecta faſtidioſe tamen eam contempſit. Hinc igitur illud liquet, quam malè ſibi conſulant, qui, defunctis uxoribus, ex ancillis ſuis novas ducunt. Nam præter adulterii, aut animi ſaltem à priori uxore, dum adhuc in vivis eſſet, abalienati ſuſpicionem, parum proſpiciunt ſuæ quieti, & vitæ tranquillitati, quæ novarum uxorum arroganti, & turbulento ſpiritu ſæpiſſimè interrumpitur.

Verſ. 24. Quatuor iſta parva ſunt terræ [ſeu in terra,] & ſunt ſapientia, maximè ſapientia:

v. 25. Formicæ populus non firmus, quæ parant æſtate cibum ſuum;

v. 26. Mures montani populus minimè robuſtus, qui ponunt in rupe domum ſuam;

v. 27. Non eſt rex locuſtæ, tamen omnes, quotquot ſunt, exeunt confertæ;

v. 28. Aranea duabus manibus prehendit, & eſt in palatiis regum.

In עם (*populus*) eſt metaph. à ſocietate hominum tracta, & ad beſtiolas tranſlata, quæ Politeias imaginem quandam, & umbram referunt. In מלך (*rex*) eſt ſyn. ſpec pro duce בידים תתפש (*duabas manibus prehendit*) eſt metaph. à manuum humanarum apprehenſione traducta ad pedes araneæ, quibus prehendit prædam, & texit telam.

Summa eſt, conſiderandam, & meditandam eſſe eorum animantium naturam, quorum induſtria, & ſolertia ad officium, quod nobis incumbit, præſtandum invitemur.

Hic primùm, quid univerſus ab omnibus, deinde quid à quibuſdam poſtremo quid à ſingulis diſcendum ſit, obſervemus.

Et primo quidem, cum parva hæc, ſeu minima in terra vocentur, admonemur, nullam creaturarum propter parvitatem contemnendam eſſe; quandoquidem quod illis in corporis mole deeſt, aliis, quibus à Deo ornantur, dotibus compenſari ſolet. Imo vero non minima hinc celebrandi Deum, & ſapientiam ejus admirandi anſa porrigitur. Sicut enim artifices illi peritiſſimi, & ingenioſiſſimi habentur, qui in arctiſſimo ſpatio plurimum artis oſtendunt (ut qui ſub muſcæ umbra currum, & equos repræſentavit:) ſic Deus, ſi non tantum in minutis animalculis potentiam, quantum in majoribus oſtendit, at ſapientiæ certè majus ſpecimen edidit. Sicut autem Deus minimarum creaturarum librum nobis ad hunc finem proponit, ut hinc diſcamus gloriam ejus, & laudes concinere; ſic eundem hoc etiam à nobis conſilio ſpectari, & legi vult, ut earum exemplo, nos ipſos ad officia præſtandum acuamus; atque etiam ad humilitatem erudiamur. Quorſum enim de nobis, noſtriſque aut viribus, aut prudentia (quod plerique faciunt) gloriemur, cum, ut majora animalia viribus, ita minima nos induſtria & peritia aliqua ex parte

ſuperent? Una enim aranea tenuitate fili omnes fœminas, & ædificandi arte omnes viros, qui unquam fuerunt, ſunt, aut futuri ſunt, excellit. Quod ſi ab iſtis deſpicabilibus animalculis diſcendum ſit, multo magis ab hominibus, quamvis in ſpeciem contemptibilibus.

Hactenus de omnibus univerſim, de formica, & aranea conjunctim notandum eſt, hæc inſecta ad vitam humanam nihil commodi, ſed damnum potius adferentia à nobis ſpectanda proponi. Quod nos admonet, non tantùm in illarum creaturarum natura inveſtiganda deſudandum eſſe, quæ vitæ noſtræ conſervationi inſerviunt; ſed in his etiam cognoſcendis operam ponendam eſſe, quæ nihil ad humanum cultum, aut victum conferunt, imo quæ [ut dictum eſt] ſæpe plurimum nocent. Qua in re plerique omnes culpandi ſumus, qui illa animalia, ex quibus nihil commodi ad victum, aut cultum exſpectamus, prorſus negligimus,

Verſ. 25. Nunc de ſingulis ſeorſim agendum eſt. Primo quod ad formicam attinet, illam nobis [ut ſupra oſtendimus cap. 6. v. 6, 7, 8.] proſpicientiæ magiſtram eſſe oportet; cujus induſtria in rebus cœleſtibus [ubi pigritia turpiſſima, & pernicioſiſſima eſt] tempeſtivè procurandis & reportandis imitanda nobis eſt.

Verſ. 26. Vox שפנים redditur [mures montani,] non ut à pleriſque, cuniculi, primo quod in rupibus illi latibula ſua faciunt, quod ab his fieri non obſervatur; deinde quod cuniculi non tam minuti ſint, ut inter reliqua tria, quæ hic recenſentur, animalium genera numerari conveniat. Quod autem tam minuta & infirma animalia in rupibus, tanquam latomi, domicilia ſibi exſculpent, confirmare nos debet, ut non dubitemus etiam infirmi, & imbelles quæ difficilia ſunt, aggredi, dummodo officij ratio id poſtulet. Plerique enim partim rei difficultate, partim virium ſuarum tenuitate ab iis rebus aggrediendis abſterrētur, quas, ſi anniterentur modo, & nervos intenderent, optimè efficerent. Maximè vero in militia chriſtiana hoc cogitandum eſt; in qua, tametſi nobis, qui debiles ſumus, cum pugnaciſſimis hoſtibus congrediendum ſit, conatus tamen tantum poteſt ut ipſe tenebrarum princeps & ſummus hoſtium imperator, ſi modo reſiſtamus, fugiet. Iacob. 4. 7. Deinde ſicut mures hoc modo ſecuritati ſuæ, & prolis conſulunt: ſic homines, ut in tuto agant, maximè in his, quæ ad vitam æternā ſpectant, proſpicere debent. Et ſicut de victu formicæ, ſic mures hi de tectis commodè procurandis admonent.

Verſ. 27. Locuſtarum ordinata ſine duce proceſſio, & reverſio pudori hominibus eſſe debet, qui ſub imperio vitam agentes & pauciore plerunque numero, quam locuſtæ, in unam vitæ ſocietatem convenientes tumultuantur, & mutuis odiis, & diſcordiis flagrant; atque ita ſe prædam hoſtibus exponunt; cum locuſtæ diviſim infirmæ, gregatim tamen formidabiles ſint, nec poſſint ab agro, quem occuparunt, depelli.

Verſ. 28. Denique cum aranea in ipſis regum palatiis, utcunque magna hominum frequentia quotidiè calcatis, & diligenter purgatis domicilium ſuum exſtruat; apparet quanta artis & ſolertiæ vis ſit; utpote quibus ea, quæ affectamur, quamvis multa ſint obſtacula, conſequi poſſimus.

Verſ. 29. Tria hæc bonum faciunt progreſſum; imò quatuor; quæ bonam faciunt ambulationem;

Verſ 30. Vetus leo robuſtus inter beſtias, qui non retrogreditur à facie cujuſquam;

Verſ.

Verſ. 31. Accinctus lumbis equus, aut caper; & rex in quem non ſurgit quiſquam.

Summa eſt animi fortitudinem & conſtantiam in rebus honeſtis horum imitatione colendam eſſe.

Superiorem animalculorum exemplo ad prudentem rerum procurationem adhortatus eſt; horum autem quatuor ad conſtantem, & intrepidam in rebus benè ſuſceptis progreſſionem excitat. Sicut igitur hæc quatuor viribus ſuis, aut ſuorum, tantum valent, ut nullo terrore à cœptis averti, aut abſterreri poſſint: ſic nos ea fortitudine eſſe decet, ut nullius metu à præclaris inſtitutis deſiſtamus. Sed antequam ad hujus comparationis redditionem accedamus, propoſitionis partes enucleandæ ſunt.

Verſ. 29. & 30. Leonem, & imprimis veterem (qui tametſi velocitate, & agilitate à junioribus ſuperetur, illis tamen robuſtior, & cordatior eſt) à nulla beſtia ſibi extimeſcere, notiſſimum eſt. Imo vero tãta eſt animi magnitudine, ut vel perſequentibus eum venatoribus, greſſum tamen magnificum quamdiu in conſpectu eſt, non accelerat.

Verſ. 31. Vocem זרזיר (*equum*) converterunt viri doctiſſimi, tum quod lumbis accingi ſoleat animal, tum quod animoſitas in eo tanta cernatur, ut prælio gaudeat & exſultet. Vide Iob. 39. 22. &c.

In hirco, ſeu capro eſt etiam robur admirabile, & ſupra, quam corporis proportione credibile eſt. Aries enim robore capitis tauro æqualis, vel (ut pleriſque placet) ſuperior eſt. Unde imperium Medorum, & Perſarum, quod tot nationes debellavit, arieti aſſimilatur Dan. 8. Sed hircus ariete robuſtior eſt: & proinde regnũ Macedonicum, quod Perſicum fregit hirco arietem proſternenti adumbratur.

Regis autem potentia, & ex potentia animoſitas, & confidentia notior eſt, quàm ut explicatione egeat. Hinc enim Salomon monet, ne quis temerè à regis obſequio diſcedat Eccleſ. 8. 2, 3, 4.

Hactenus de comparationis propoſitione: redditio eſt, ut ad horum imitationem quæ prudenter ſuſcepta ſunt, ſtrenuè exſequamur. Multi, quid faciendum ſit, probè norunt, ſed præ timiditate perſequi non audent; Multi etiam quidvis audent, ſed prudentia deſtituti nihil rectè agunt: pauci autem ſapientia ad deliberandum, & fortitudine ad perficiendum inſtructi ſunt.

Verſ. 32. Si Stultus fuiſti te efferendo, aut ſi cogitaſti, manum ori imponito.

v. 33. Nam preſſura lactis educit butyrum, & preſſura naſi educit ſanguinem, & preſſura irarum educit litem.

Summa eſt, cavendum eſſe, ne donorum fiducia, quæ ad hujus vitæ conſervationem ſpectant, efferamur.

Superioribus ad varias virtutes adhortationibus commodè adjungit hanc cautionem, ne quis ex iſtis virtutibus, ſi adeptus ſit, ſpiritus æquo majores ſumat. Qua ex parte tanto plus imminet periculi, quia plerique ſola umbra, & fucata, vel unius harum virtutum, ſpecie ſuperbire ſoleant. Quamobrem, ſi virtutibus ipſis inſtructi ſumus, ſedulo cavendum eſt, ne animis elati, quod nobis indignum ſit, defendamus. Multi autem, præſertim authoritate, vel ingenio pollentes ſub ſpecie fortitudinis, & conſtantiæ quicquid ſemel (quamvis contra jus, & æquum) decreverunt, retractare nolunt. Nec ſolis improbis hoc accidit Dan. 6. 8, ſed piis

etiam 2.Sam.19.29. Sed ex omnibus ſuperbiæ fructibus maximè lites cavendæ ſunt. Nam ſuperbus facilè irâ inflammatur, ex ira verò ad jurgia, ex jurgiis ad manus, atque ita ad cædem devenitur. Quo ſpectat duplex illa comparatio par. quæ in poſtremo verſu proponitur. Quēadmodum enim ex preſſura lactis bonitas ejus tota deperditur, & preſſurâ naſi ſanguis, in quo vita eſt, exprimitur: ſic contentionibus tum animi, tum corporis bona exhauriuntur, & abſumuntur. Vide Gal. 5.15. Quinetiam contendendo veritas ipſa non raro amittitur. Quod ſi lites tam ſtudioſè cavendæ ſunt, linguam frænari oportet, quæ fax ad contentiones accendendum præcipua eſt, Iac.3. Quamobrem ſiquis humana infirmitate lapſus (vel potius elatus) malè aliquid cogitaverit, manus ori, ne lis oriatur, admovenda eſt. Nam ut mollis reſponſio frangit iram, ſic dura excitat.

CAPUT XXXI.

Verſ. 1. *Verba Lemuelis regis, comportatio, qua illum erudivit mater ejus.*

*v.*2. *Quid fili mi! & quid fili uteri mei! & quid, fili votorum meorum!*

Summa primi verſus eſt, parentum eſſe liberos ſuos inſtituere, liberorum vero inſtitutionem, & præcepta firmiter tenere; ſecundi, parentum erga liberos amorem, quo magis in doctrina proficiant, perſuaſiſſimum eſſe oportere.

In hoc capite duo ſunt:
- *Inſcriptio,*
- *Adhortatio, & commonefactio Bethſhabæ matris ad Salomonem filium.*

Inſcriptio complectitur cauſam:
- *Effic.*
  - *Betſhabam authorem, quæ ſuo relato notatur, quòd mater Salomonis fuerit.*
  - *Salom. comportatorem, qui ſuo etiam relato, quod rex fuerit, exornatur.*
- *Finalem, ut Salom. erudiretur.*

Quid ex comportationis voce notandum ſit ſuprà oſtendimus, cap.30. verſ.1. Quo accedit, quod Salomon non tantum Propheta, & mortalium ſapientiſſimus, ſed & rex Iſraëlis plenus graviſſimis occupationibus hoc fecit.

Deinde officium liberorum declaratur: quorum eſt ſalutaria parentum præcepta fideliter retinere, & ſcriptis potius mandare, quàm, ut è memoria excidant, committere. Obſequium enim liberorum non tam in honorifica appellatione, benedictionis petitione &c. verſatur, quàm in documentorum obſervatione, quæ illis à parentibus traduntur. Atque ut Sal. non ſibi ſoli præcepta hæc retinuit, ſed toti Eccleſiæ publicavit: ſic liberorum intereſt parentum pręcepta primò ad proprium uſum accommodare, deinde ad liberos ſuos eadem tranſmittere.

In altera effic. nempe Bethſhaba notandum eſt officium parentum in genere, & in ſpecie matrum eſſe liberos etiam mares in timore Dei à teneris unguiculis inſtituere, eoſque inſtitutis illis imbuere, quæ non tantùm, quamdiu ſub tutela, & imperio ipſorum degunt, uſui ſint; ſed porro quæ ad univerſum vitæ curriculum rectè tranſigendum conducant. Prov.4.3.4. & 2.Tim.3.14.15. Nam Bethſhabam Salomonem à teneris annis hæc docuiſſe, blanda Lemuelis appellatio (quales matribns erga liberos adhuc tenellos uſitatæ ſunt) oſtendit.

Deinde

Deinde illud etiam obſervandum eſt; ubi potiſſimum cernatur legitimus parentum amor; nimirum ſi, quo magis liberos amant, eo diligentiùs, & abundantius illos in timore Dei informant. Nam cum Salomonem mater chariſſimum habuerit (c. 4. 3. & verſ.2. hujus,) hunc amorem ſuum pia, & religioſa educatione teſtata eſt; contrà quàm parentum plerique nunc dierum faciunt, qui ſuum erga liberos amorem ſplendidioribus veſtimentis, exquiſitioribus eſculentis, & remiſſioribus vitæ habenis oſtēdere ſolent.

Denique pia hæc fœmina, quamvis tres alios Davidi pepererit filios, quia tamen Salomonem patri in regno ſucceſſurum novit, in pia ejus educatione præcipuam curam poſuit. Quod nobis oportet documento eſſe, ut, quanquam omnibus liberis de honeſta, & liberali inſtitutione proſpiciendum ſit, in iis tamen rectè educandis ſummoperè deſudemus, de quibus maxima ſpes & exſpectatio eſt, fore aliquando, ut in oculis hominum, & luce Reip. aut Eccleſiæ vivant. Vide annotat. meas in Pſal.72. & 127.

Hactenus de priori parte hujus cap. Sequitur commonefactio matris ad filium; quæ in duobus verſatur {
- *captatione benevolentiæ verſu ſecundo.*
- *præcipiendi ratione in reliquo capite.*

In priore id agit Betsh. ut Salomon, ſe ab illa unicè diligi intelligat, & proinde omnia hæc præcepta ab intimo, & ferventiſſimo amore profecta eſſe. Huc enim ſpectat pathetica hæc oratio, qua ſubinnuit, ſe pro amore ſingulari plura velle eum docere, quàm verbis conſequi poſſit. Unde illud intelligitur, in omni inſtitutione, ſeu commonefactione publica, aut privata, ab æqualibus, vel inæqualibus profecta dandam eſſe operam, non tantùm ut amoris erga admonitos nobis conſcii ſimus, ſed ut ipſi nos nō niſi ratione officii, atque etiam charitatis in illos noſtræ commonefacere intelligant. Et quo majora, aut difficiliora præcipiuntur, vel acerbiora verborum, aut verberum pharmaca adhibentur, eo plenius, & cumulatius noſtri erga illos amoris teſtimonium exſtare ex uſu eſt. Vide epiſt. ad Gal. & ſecundam ad Corinth. Sicut enim chirurgi pharmacorum, ſi mordaciora ſint, malagmate aliquo acrimoniam mitigant: ſic amoris teſtificatione caſtigationis ſeveritas lenienda eſt.

Cum Sal. filium votorum nominet, oſtendit, ſe non tantum cum filio de pia ejus educatione egiſſe, ſed Deo [ſine cujus auxilio irritus fuiſſet reliquus labor] rem precibus commendâſſe. Cum verò non preces ſolas, ſed votum, nec unum, ſed plura adhibuerit, ſingularem & amorem erga filium, & pietatem erga Deum declaravit. Quod præterea ad hunc locum pertinet de uſu votorum ſub Euangelio, in maj. catech. dictum eſt. Sed quis inſtitutionis hujus fructus exſtitit? Uberrimus ſanè. Nam filium nacta eſt pietate, ſapientia, & gloria inſignem. Quod parentibus incitamento eſſe debet, ut ſimilis aliqua ex parte ſucceſſus ſpe ſimili ſint in educandis liberis diligentia.

Sequitur ut de præceptis dicamus.

quæ ſunt de {
- *fugiendis.*
- *faciendis.*

Verſ. 3. Ne dedito fœminis robur tuum; neque vias tuas facientibus ut deleantur reges.

In דרכיך (*vias tuas*) eſt metaphora ſatis trita.

Scopus eſt Salomonem, gravi damno propoſito, à fœdis libidinibns abſterrere.

Partes ſunt { *à fœdis libidinibus dehortatio.* / *dehortationis ratio.* }

Præter facilem juventutis in hoc ſcelus lapſum, conditio regia multa libidinum flammis fomenta ſuppeditat. Qualia ſunt convictus lautitia, Ezek. 16. 49. tantus clientum, & ſatellitum numerus, inter quos non deerunt, qui regum libidines, quibus poſſunt modis irritabunt, & alacerrimè iiſdem inſervient Gen. 26. 7. 8. & 2. Sam. 11. 3. & 13. 4. 5; denique impunitatis ſpes, dum neminem fore confidant qui pro merito illos punire, aut etiam contrà mutire audeat, vel dicere iis, quid hoc feciſtis? Quid ſi attentè cogitarent reges, quàm deplorata ſit ipſorum in hoc vitium prolapſorum ſalus, frænum illis non injicere non poterat. Cum enim alij liberius redargui poſſunt, atque ita ex cœno tantæ fœditatis extrahi, reges plerunque adulatoribus ſtipati, fideles, & ſinceros monitores, quorum ope (ut David Nathanis) ad mentis ſanitatem redeant, nullos habent.

Ratio adhortationis ducitur ab adj. damno, nempe quod iſta via itur ad regum, & regnorum excidia. Iob. 31. 3. 9. 10. 11. 12. Nam ſicut in privatis hominibus huic flagitio deditis corporis vires Prov. 7. 20. animi virtutes, & facultates Hoſ. 4. 11. & opes omnes Prov. 5. exhauriuntur: ſic regis in hoc genere delictum ad everſionem regni, & ſuam, non parvi momenti eſt, Nam Davidem ipſum hoc peccatum penè regno exuit: & Salomonem, quamvis omnium longè ditiſſimum, prodigioſæ (contra matris præceptum hoc) libidines eo redigerunt, ut vectigalia duriora à ſubditis exigens occaſionem decem tribus à filio ſuo deficiendi præbuerit. Verum quidem eſt, hos, quia reſipuerint, exitium effugiſſe: quod ſi Deus duos eximia alioqui pietate reges tam ſeverè caſtigaverit, qui tandem impunitatem ſibi promiſerit?

V. 4. *Abſit regibus, ô Lemuel, abſit (inquam) regibus bibere vinum, aut dominatoribus deſiderium potus inebriantis:*

v. 5. *Ne bibat, & obliviſcatur ſtatuti, & mutet jus ullorum filiorum afflictionis.*

v. 6 *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo.*

v. 7. *Bibat, ut obliviſcatur paupertatis ſuæ, & moleſtiæ ſuæ non recordetur amplius.*

Scopus eſt reges, & quotquot rerum potiuntur, de vini legitimo uſu erudire.

Multa ciborum genera lege ceremoniali interdicta ſunt, Num. 6: ſed poculentorum tam amplam, ut reges attingat, reſtrictionem fuiſſe non legimus. Quamobrem prima facie videtur aliquantulum à lege alienum, quod hic præcipitur, maximè cum regibus, & principibus, ut in cibis, ſic in potu deliciæ (tum quia divitiis inſtructi facilius illas comparare poſſunt; tum quia neceſſariæ quodammdo videntur ad regiam dignitatem tuendam, & ipſos gravioribus negotiis fractos recreãdum, reficiendumque) ſunt aptiſſimæ. Sed paulo penitius in hęc verba introſpicienti facilè conſtabit, vini uſum non prohiberi, ſed in vino luxum; qui, ut in omnibus ab Apoſt. damnatur, Epheſ. 5. 18. ſic in regibus, & principibus maximè noxius eſt, ut qui exemplo ſuo maximè nocent, & juſtitiam pro ſumma, quam habet, authoritate

ritate

ritate maximè pervertunt. Vide Eccleſ. 10.16, 17. Exceſſus autem à cauſa deſcribitur, nempe deſiderio vini,& potus inebriantes. Quemadmodum enim pecuniæ uſus non damnatur, ſed cupiditas, & amor, 1. Tim. 6. 17. ſic vini non uſus, ſed deſiderium immodicum prohibetur.

Obſervatione dignum eſt, quod adj. vini immoderata ſumpti incommodum dicat eſſe oblivionem judicij,&ejus,quod lege præſcriptum eſt. Hinc enim conſtar, peritiſſimos, atque etiam probiſſimos juriſconſultos (ſi peritia, & ingenij bonitate freti nimium in vino ſibi indulgeant) ab æquitate in judicio diſcedere. Tameſi enim ebrietas non ilico juris ſcientiam perimat, cerebrum tamen ad tempus lædit, &, diuturniore accedenti conſuetudine, perpetuum ſtuporem inducit Hoſ. 4. 11.

Deinde alia, eaque valida, qua reges, & judices à nimio vini uſu deterreantur, ratio eſt, ne filiorum afflictionis judicium pervertant. Filios autem afflictionis eos omnes appellat, qui juſtam litem alteri in judicio intendunt. Quanquam enim in diverſo afflictionis gradu conſtituti ſint, & alij aliis gravius afflicti, nemo tamen bonam cauſam in judicium adducit, qui non mœrore ex injuria ſibi illata plus, minus afficitur. Mœrentem vero nova inſuper calamitate onerare injuſtum ſimul, & crudele eſt. Quamobrem parcior vini uſus à regibus in judicio, ut omni ita inprimis capitali obſervandus eſt. Nec in ſe ſolum temperantiæ ſtudioſi eſſe debent; ſed tales etiam conſiliarios eligere & inferiores magiſtratus conſtituere. Unde hoc in loco primores cum regibus conjuncti ſunt?

Verſu ſexto probat ab adverſo vinum non præbendum eſſe regibus,& principibus, quia perituris, & mœſtis animo præbendum ſit; ut quod reis potius in judicio, quam judicibus conveniat; & afflictis magis, quam his, qui vivunt in omnium rerum affluentia. Hinc illa conſuetudo laudabilis in Dei populo, ut defunctorum amici ab aliis invitarétur ad ſympoſium, ut calix conſolationis illis præberetur Ier.16. . longe ſecus, quàm apud nos in uſu eſt, ubi viduę morte conjugum graviter afflictæ menſam vicinis,& cognatis inſtruunt. Hinc etiam forſan conſuetudo potandi eos,qui in crucem aguntur, cum apud nos, tum apud populū Dei (ut ex hiſtoria paſſionis Chriſti colligi poteſt) invaluit. Quæri igitur poteſt, cur Chriſtus potum ſibi juxta mandatum hoc oblatum reſpuerit? Marc.15.23. Reſpondeo, ob cauſam ei, quæ hic affertur, planè contrariam; ne ſcilicet dolorum, quos pro nobis pertulit, oblitus juſtum Deo peccatorum noſtrorum pretium non perſolviſſet. Ut enim noſtri memor eſſet, ſui ipſius oblíviſci voluit; nec prius vinum admittere, quàm juſtitiæ divinæ pro noſtris peccatis abundè ſatisfeciſſet. Quod nobis documento eſſe oporter,ut(ſi bonum proximi id poſtulet) abſtemii ſimus,Rom.14. 21; 1. Cor. 8. 13.

Adhuc fuerunt præcepta negativa de fugiendis; ſequuntur affirmativa de faciendis; quæ aut Rempublicam in duobus proximis verſibus, aut familiam reſpiciūt, in reliquo capite.

Verſ. 8. Aperi os tuum pro muto in cauſa omnium filiorum excidij.

v. 9. Aperi os tuum; judica juſtitiam; cauſam age pauperis, & egentis.

In [illegible] (*mutuo*) eſt ſyn. ſpec. pro omnibus, quibus deſunt opes, amici, & alia adjus ſuum ſequendum a [illegible]ricula, ut ex poſteriore hemiſtichio liquet.

Summa

Summa eſt, ut omnium quibus infertur injuria, ſic præcipuè ope deſtitutorum ſuſcipiendum eſſe patrocinium.

Verſ. 8. Intereſt magiſtratus omnium (quoad æquitas tulerit) utilitati, & ſaluti proſpicere; & inſtar clavi eſſe infixi muro, cui appendatur, & quo ſuſtententur vaſa omnia tam canthari, & calices, quam utres &c. Iſai. 22. v. 23, 24. Sed eorum qui præ ſua impotentia aut nequeunt, aut non audent ſe defendere, maxima & præcipua quædam gerenda eſt cura. Hic enim Deus juſtiſſimus judex imitandus eſt, qui profitetur, ſe peculiari modo viduæ, pupilli, & peregrini Deum eſſe. Vide eximium exemplum Iobi c. 29. v. 12, 13, 14, 15, 16, 17.

Verſ. 9. Neutiquam tamen uſque eo pauperibus favendum eſt, ut quis injuria alios laceſſentibus patrocinetur. Etenim Deus tantopere juſtitia delectatur, ut expreſſe hoc in lege caverit.

Hactenus de politicis: ſequuntur œconomica. In quibus primum conſideratur genus orationis, non tantum (ut in reliquo libro) poëticum, ſed porro majore artificio conſtructum, ſingulis verſibus ordine alphabetico à conſonante initium capientibus. Quod non alio conſilio factum eſt, quàm ut ſinguli verſus diligenter, & accuratè expenſi fideliter memoria retineantur. Quocirca, Sp. Sancto ſtilum ſuum acuente, nos ingenii, & mentis nervos magis adhuc intendere æquum eſt; eo quaſi linguam ſuam poliente, nos aures magis arrectas, & perpurgatas habere conveniet; illo denique hoc modo ſepem orationi ſuæ circumducente, nobis, nequid animis noſtris excidat, laborandum eſt. Deinde ex hac inſtitutione illud etiã generaliter obſervari poteſt; quo quis eminentiorem in Rep. aut Eccleſia locum obtinet, eo magis, ut uxorem quàm lectiſſimam ſibi comparet, ſtudendum eſſe. Hinc enim Spir. Sanctus hoc in loco, qualem principis uxorem eſſe convenit, nobis ob oculos proponit. Sic ſummi ſacerdotis, & reliquorum uxores, quales eſſe debent, deſcribuntur Levit. 21. 7. 13, 14. Sic etiam epiſcopis, & diaconis quales uxores ducendæ, ſint, monet Apoſt. 1. Timoth. 3. 11. Hinc igitur eluceſcit, non alium hujus orationis ſcopum eſſe, quàm ut Salomon, qualis uxor precibus à Deo petenda, & ſtudio ſuo conquirenda eſſet, informaretur; deinde ut fœmina quævis ſive virgo, ſive uxor fuerit, hoc tanquam ſpeculo utatur, ad quod pulchritudinem animi, aut deformitatem exploret, ut de donis acceptis gratias Deo agat, deformitates lugeat, & corrigat.

Verſ. 10. Fæminam roboris quis inveniet, cum longè ſuperet carbunculos pretium ejus?

v. 11. Confidit in illa animus mariti ejus; & ſpolia non deerunt.

v. 12. Afficit eum bono, non malo omnibus diebus vitæ ſuæ.

De vocibus אשת חיל (*fœmina roboris*) dictum eſt ſuprà, c. 12. v. 14.

Scopus eſt horum verſuum (ſicut & ſequentium uſque ad 28.) nobis virtutes uxoris ſtrenuæ depingere.

In hoc carmine proponuntur duo:
- *Virtutes fœminæ uſque ad v. 28. quæ ſunt magis*
  - *Propriæ.*
  - *cum aliis communes.*
- *Adj. virtutum præmium ad finem libri.*

Verſ. 10. Commendatur hæc fœmina roboris primum ab adj. raritate, quæ adj. inveniendi difficultate ἐρωματικῶς propoſita arguitur. Qua quæſtione ſatis indicat, regi hanc, quam deſcribit, fœminam per ſe, & amicos ſtudioſè, & diligenter exquirendum

rendam eſſe. Nam ſi ſervi fideles ex ultimis regni oris conquirendi ſunt, Pſal. 101.6. quanto magis uxores, quibuſcum tam arcta & indiſſolubilis conjunctio eſt! Vide exemplum Abrahami Gen. 23.3,4. & Iſaaci Gen. 28. 1, 2. Et ſane ſi cauſam raritatis hujuſmodi fœminarum diſquiramus, una, & præcipua eſt, quod tam pauci viri tales uxores expetunt. Nam ſi ſæpius, & à multis certatim requirerentur, non dubium eſt, quin major earum copia exſiſteret. Iam vero cum fœminæ ſecum expendant, virtutem, & pietatem nihili à procis fieri, ſed formam, ſed genus, ſed divitias, hæc ſola quærunt, & in his, ſi adeptæ fuerint acquieſcunt. Vnde etiam eſt, quod parentes, pietate, & frugalitate ſpretis, in eo toti ſūt, ut filias ſuas quàm pulcherrimas, quam maxime dotatas reddant.

Ratio igitur paucitatis præcipua ejuſmodi eſt: difficultas autem eas, quæ ſunt, inveniendi ab ipſis fœminis eſt, quarum tanta eſt in verbis, vultu, & moribus ipſis ad tempus hypocriſis, ut nemo vel acerrimi judicii de illis incorrupte, & integre judicare poterit. Vnde craſſiſſime, ut plurimum, hallucinantur, qui ſuo ingenio freti ſine invocatione divini auxilii (cujus unius donum eſt uxor bona Prov. 18.22 & 19. 14.) aggrediuntur hoc negotium. Vide Eccl. 7. 28.

Deſcribitur porro ab adj. pretio, quod fere ex raritate naſci ſolet. σπάνια enim (inquit Ariſt. Moral. mag. ille) σπουδαῖα; & quod rarum eſt, idem charum. Pretium vero deſcribitur comparatione minor. cum dicatur carbunculos ſuperare pretium ejus; nec ſuperare tantum, quod in minima differentia fieri poſſet; ſed (ut comparatione maj. oſtenditur) longe præſtare. Satis igitur dotata eſt, quæ bene morata; non tantum quod virtus ipſa theſaurus ſit, & ille quidem ampliſſimus; ſed quod Deus talem fœminam, divitiarum benedictione ſemper fere proſequitur. Quæ cum ita ſint, quanto in errore plerique verſentur ſatis patet; qui fœminam, niſi magna pecunia, amplo vectigali dotatam, quantacunque virtute, & pietate ſit, non pluris æſtimant, quam ſilicem, aut vulgarem quemvis alium, quo viæ publicæ ſtratæ ſunt lapidem. Quæ autem hic de ſtrenua muliere dicta ſunt, pari ratione de ſtrenuo viro dici poſſunt: & quantum viris in uxorem, tantum fœminis in maritorum delectu curæ, & judcii adhibendum eſt.

Verſ. 11. Poſt generalem hujus fœminæ deſcriptionem ejus officium in duo membra diſtribuit; quorum prius eſt de officio erga maritum, alterum erga totam familiam; quæ duo breviter hoc verſu comprehenſa poſt explicantur fuſius. Et quidem, quod ad prius attinet, videtur illud ad mariti potiùs, quam uxoris laudem ſpectare. Nam mariti virtus eſt (contrà quàm à nonnullis fit, qui uxores immerito ſuſpectas habent) nulla in uxorem zelotypiâ temerè laborare. Sed paulo attentius conſideranti facilè occurret, hoc etiam uxori laudi eſſe, cum interna animi caſtitas, ita in verbis, vultu, geſtu, & comitatu eluceat, ut omnem præſentis impudicitiæ ſuſpicionem, & metum, ne in poſterum corrumpatur, procul abigat. Hinc igitur diſcant fœminæ, non ſatis eſſe, ſi caſtas ſe, & intactas à mœchis ſervant, niſi etiam ſint illa integritate, ut nullam vel minimam ſuſpicionis cauſam præbeant. Videas autem nonnullas, tametſi nonnunquam ab adulterii crimine non tantum facto, ſed & conſilio alienas, tamen vultu, aut geſtu non perinde ab omni impudicitiæ ſignificatione abeſſe. Qua in re priſcorum temporum honeſta ſeveritas merito pudore ſuffundat diſcinctam hujus ætatis licentiam. Nam olim ex ſola Iſaaci cum Rebecca etiam fratrem ſe ejus ſimulantis colluſitatione conju-

gium (quod ipſi diſſimulaverant) ab ethnico rege deprehenſum eſt. Geneſ. 26. 8. 9.

Imo vero, etiam apud profanas gentes verecundia, & morum honeſtas ita viguit ut turpe habitum ſit parentes cum puberibus filiis, aut ſoceros cum generis in eodem balneo lavari. Cicer. offic. Vt igitur uxor marito ab omni turpitudinis ſuſpicione libero ſecuritatem (quæ quàm exoptanda ſit, ex contraria eorum, quos zelotypia cruentat, carnificinâ facile apparet) præſtet, videndum eſt, ut nihil faciat, quod non caſtam deceat. Quod ipſum ad viri etiam erga uxorem officium transferendum eſt.

Alterum uxoris officium familiam totam reſpicit, & effecto ejus facultates, & imprimis ſupellectilem comparantis declaratur. In quo illis aſſimilatur, qui, cæſo hoſte, optima ſpolia domum reportant. Quà metaph. indicat, illam ſuo labore, & induſtria plurimum ad victum, & vitæ cultum allaturam eſſe. Sed de hoc deinceps fuſius.

Verſ. 12. Redit modo ad deſcriptionem officii erga virum. Ubi primo proponitur effect. benefaciendi marito: quod adverſo confirmatur. Qua loquendi formula oſtendit, illam (ut quæ adjutrix viro facta à Deo, & data eſt) nihil facturam niſi quod bonum, & commodum illi futurum ſit. Docet igitur, uxoris eſſe, quæ ſe probam perhiberi vult, viro, quoad conſiſtere poteſt cum bonæ, & piæ fœminæ officio (nam ſi aliquando ut obſequatur Deo, aut viro proſit, illi adverſetur, contra officium non facit,) per omnia placere. Danda igitur eſt opera, ut uxorem ſe præſtet ad amuſſim optimam; nec in dimidiato, & mutilo acquieſcendum eſt officio, ſed ad integrum, & omnibus numeris abſolutum contendendum; nec ſatis ſe feciſſe officio putandum eſt, cum (ut pleræque) fida, & caſta audit, ſed proterva; bona alioquin uxor, ſed iracunda, aut loquacior, &c.

Deinde officium ejus deſcribitur ab adjunct. temporis diuturnitate, nempe quod præſtetur omnibus diebus vitæ ſuæ. Proverbio apud nos ex malis uxorum pene omnium moribus orto jactatur, menſam primum à conjugii initio mellitum eſſe, ſed multos deinceps annos fellitos ſuccedere, Vnde etiam viduæ nuptias repetentis gaudium foco adumbrant, luculento, ſed ſtatim exſtincto. Sed piæ fœminæ officium nullo niſi vitæ termino clauditur. Marito enim tam ſeni, quam juveni, tam adverſa valetudine, aut fortuna, quàm proſpera utenti benefacit. Hæc etiam uxori à marito præſtanda ſunt: & quo quis facilius poteſt, eo, ſi non præſtet, gravius peccat.

Verſ. 13. *Quærit lanam, & lina, quæ conficit pro voluntate manuum ſuarum.*

v. 14. *Eſt ſicut navis negotiatoris; è longinquo advehit cibũ ſuum:*

v. 15. *Et ſurgens, cum adhuc nox eſt, cum prædam dat domui ſuæ, tum penſum puellis ſuis.*

v. 16. *Cogitat agrum, quem accipit; ex fructu manuum ejus plantat vineam.*

In בחפץ כפיה (*pro voluntate manuum*) eſt meton. adjuncti pro manibus voluntariis, aut volẽtibus. In טרף (*prædam*) eſt metaph. à belluis, quæ tantũ prædantur, quantum ſibi uno die ſufficiat. Qua indicatur, fœminam hanc tantum cibi, familiæ ſuæ indies diſtribuere, quantum ad paſtum eorum ſatis ſit. In לביתה (*domui ſuæ*) eſt metonym. ſubjecti pro domeſticis.

Verſ.

Verſ. 13. Lanæ, & lini cura videtur aliena prorſus à Salomonis, tam auguſti regis uxore, quam potius de ſe ornanda, comenda, & accuratiſſime ad ſpeculum exigenda & componenda, ut forma ejus regi quam gratiſſima ſit, ſolicitam eſſe deceat: maxime autem ab Auguſtæ majeſtate abhorrens videtur, ut ipſa propriis manibus telam pertexeret, &(ſicut eſt in verſ. 19.)manus verticulo admoveret, & tractaret fuſum. Videtur enim ſatis abunde ſuo officio functa, ſi, ut ancillæ iſta faciant, procuret. Quicquid autem ſtulta carnis ſapientia hac de re ſtatuit, Deo certe ſapientiſſimo cum maximæ principis dignitate, ut in his, & aliis ſe fœmineis exerceat officiis, optime videtur conſentire. Saram magnam principem farinam depſiſſe, & placentas paraviſſe legimus, Geneſ. 18.6.& 27. 14. Rebeccam maritum ferinæ expertum admodum arte ſua fefelliſſe: & 2.Samuel.13.Thamarem potentiſſimi regis filiam tam fuiſſe artis coquinariæ peritam, ut fratri graviter(ut videbantur)ęgrotanti cupedias parare noverit. Sed noſtro hoc ſæculo, ſiqua paulo nobilior, aut ditior, exſiſtit, ita faſtuoſa & faſtidioſa eſſe ſolet, ut nihil ſuam(ſi placet)magnificentiam decere putet, niſi quod cum ſummo otio, & ceſſatione ab omni legitima occupatione cõjunctum ſit; & nihil tractandum exiſtimet, quod callum manibus obducat, aut formam, & pulchritudinem minuat. Saram, & Rebeccam etiam ætate provectiores ſpecioſas fuiſſe ex ſacra hiſtoria conſtat; & proinde formæ ſuæ tuendę, ut maritis quam gratiſſimæ eſſent, curam egiſſe dubium non eſt; ſed præ formæ cura ab omni honeſto labore abhorruiſſe neque cum illarum officio, neque cum præclaris, quibus ornatę erãt, virtutibus conſiſtere poterat.

Quod ſi otium, & ab honeſto labore ceſſatio ne Auguſtis quidem, ampliſſimis fœminis conceditur, quibus tamen, ſi non propter rationem aliquam privatam, at propter ſexus imbecillitatem maxime indulgeri & ſolet, & debet, nunquid viris pro libidine, vivendi ſine legitima aliqua, quæ illis incumbat, vitæ occupatione concedenda eſt licentia? Hîc tamen gravius à noſtris maribus peccatur quam à pleriſque aliarum ætatum fœminis. Quotus enim quiſque eſt, cui vectigalia, & annui reditus paulò ampliores ſuppetunt, qui ſe hac Dei munificentia ab omni honeſta vocatione non ſolutũ eſſe autumet; & licere ſibi, dummodo ab injuriis inferendis abſtineat omni remiſſioni animi in venando, aucupando, aliiſque hujus vitæ oblectamentis aſſidue indulgere? Vide plura in Annotat. in Pſal. 128.

Deinde cum non præſtoletur, donec lana, & linum à marito, vel aliis comparentur, ſed ipſa quærat, indicatur promptitudo ejus ad laborandum, quæ etiam ex verbis ſequentibus oſtenditur. Cum enim dicat pro voluntate manuum ſuarum hęc eam conficere, prompte, & alacriter opus ſuum aggredi docet; in quo vel maxime ejus ſtrenuitas declaratur. Quæ enim nobis ex vocationis ratione incumbunt, illa omnia hilari, & experrecto animo geri convenit. Sicut enim ſol ad quotidianum curſum ſuum inſtar gigantis ſe accingit: ſic noſipſos ad opus nobis impoſitum excitare debemus, & exacuere. Tanta vero in muliere alacritas ad obeundum munus ſuum, viros, quibus major eſt animus, & robur corporis auctius, ſi oneri vocationis ſuæ ſuccumbant, pudore afficiat.

Verſ. 14. Materfamilias ſatis abunde officium præſtitiſſe creditur, ſi, quæ maritus acquirit, illa conſervet. Sed Spiritus ſanctus ad uxorem etiam ſpectare docet ea comparare, quibus nutriatur familia, quamvis non in vicinia invenienda

ſint, ſed ex longinquis regionibus comportanda. Unde navi negotiatoris cibum è longinquo advehentis illa confert. Sed dubitatio hic ſuboritur. Quomodo enim fœmina naturâ, & vocatione οἰκουρὴ & (ut loquuntur) domiporta cibum è longiquo advehit? Reſpondeo, hoc ab illa factum, non peregrinas regiones peragrando, aut maria trajiciendo; ſed manuum ſuarum officia in exteras regiones tranſmittendo, unde aut argentum, aut alias merces commutatione accipiat; & ea, quæ domi comparari nequeunt, commodè aliundè accerſat. Hæc autem cum de regina dicantur, quæ tandem exſiſtit fœmina, quam ab hoc officio, quæ non ſibi tantùm, ſed familiæ etiam alendæ uſui ſint procurandi, ſua, aut mariti amplitudo eximat? Legimus alicubi apud profanas gentes, regum, & imperatorum uxoribus totius provinciç alicujus reditus ad coëmenda crepundia conceſſos eſſe. Sed noſtra hac ætate, non dico reginas, ſed paulo illuſtriore loco natas mulieres, tam prodigioſè ſumptuoſas videmus, ut ad pompam ſuam, apparatum, & comitatum ſuſtentandum patromonij ſui diſpendium facere cogantur, tanquam ad nihil aliud, quam terræ fruges conſumendum natæ, & factæ eſſent. Hinc ſubditorum, civium, & eorum, qui agros conducunt, expilationes, & bonorum direptiones.

Verſ. 15. Deſcribitur porro ab adjuncta vigilantia. Animus enim domeſticis negotiis intentus non ſinit illam ſupra modum ſomno indulgere, ſed inſtar horologij manè expergefacit. Multæ ſunt, quæ, tametſi ſomnolentæ exſiſtant, expergefactç tamen negotia nõ ſine dexteritate expediunt; eoque nomine laudantur; ſed hæc, quam Spiritus ſanctus deſcribit, non tantum alacris eſt inter operandum, ſed porro maturè, & tempeſtivè opus aggreditur. Ethnici judicârunt, Reipub. gubernatorem, & eum, qui eſt à conſiliis, nõ debere totam noctem dormire: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Iliad. ϐ. ſed Spiritus ſanctus etiam in familiâ moderatrice hoc exigit, ut nocte nondum exactâ, ſurgat. Verum quidem eſt, dici Pſal. 104. virum, exoriente ſole, ad opus egredi: ſed illud nihil impedit, quo minus ea, quæ domi peragenda ſunt, viri ſimul & fœminæ ante diluculum obeant. Domi enim lucernæ adminiculo adminiſtrari poſſunt, quæ foris præ lucis defectu non poſſunt. Quod ſi fœminam non deceat ad lucem dormire, quanto minus viro viribus corporis inſtructiori hoc conveniat? Poſſunt enim hæc omnia ad viros accommodari; ſicut ad fœminas otioſas quæ in deſidioſum virum cap. 6. & alibi jactantur probra.

Vigilantiam ejus à fine deſcribit duplici; prior eſt, ut omnibus domeſticis pro ratione ſexus, & ordinis (alia enim ſervorum diæta, alia ancillarum eſſe debet; alia mancipiorum, alia ingenuorum; alia robuſtorum, alia infirmorum; alia denique ſanorum, alia ægrotorum) alimenta diſtribuat. Alius finis eſt, ut penſum ancillis imperet. Ubi notandum eſt: illam de alimentis pro tota familia ſolicitam eſſe; ſed non perinde maribus (quod mariti eſt) opera præſcribere, ſed ancillis modo. Deinde notandum eſt, illam alimenta præbere, & opera imperare; dimẽſum ſimul, & penſum præſtituere. Invenias autem, quç penſi plus ſatis imponunt, ſed dimenſum perquàm exiguũ prçbent; & contra, quæ alimenta affatim ſuppeditant, ſed de labore parum ſunt ſolicitæ; quorum neutrum probatur; neutrum à periculo abeſt. Illud enim nimiam animorum abjectionem, hoc elationem, & arrogantiam parit.

Verſ. 16. Porro vigilantia ejus & diligentia effecto declaratur, nempe quod cogitat agrum, quem comparat, & viribus conferit.

conſerit. Tantum enim abeſt à vectigalium regis diminutione, ut plurimum illa amplificet. Prudens fœmina dicitur ædificare domum ſuam Prov. 14.1. Sed priuſquam de exſtruenda domo cogitetur opus foris aptandum eſt Proverb. 24.27. Rectè enim judicant, qui ædificia ſine agro minus poſſe contendũt, quam agrum ſine ædificio. Valdè igitur hoc œconomicum eſt, quod ut domum ædificet, animum primo ad agrum emendum adjiciat; & priùs neceſſaria quærat quam voluptuaria.

Verſ. 17. Accingit robore lumbos ſuos, & corroborat brachia ſua.

v. 18. Guſtavit quòd bonum eſt mercimonium ejus; non exſtinguitur noctu lucerna ejus.

v. 19. Immittit manus ſuas ad verticulum, & volæ ejus tenent fuſum.

v. 20. Volam ſuam expandit pauperi, & manus ſuas extendit egenti.

v. 21. Non timet familiæ ſuæ à nive: Nam tota familia ejus induitur penulis duplicibus.

In מתניה (*lumbos ſuos*) & זרועתיה (*brachia ſua*) eſt ſyn. partium principalium reſpectu roboris pro toto corpore. In טעמה (*guſtavit*) eſt metaph. à ſenſu corporis ad animi intelligentiam. In משלג (*à nive*) eſt ſynec. ſpec. pro quavis cœli inclementia.

Hi verſus duo continent:
- *Laborem hujus fœminæ in opibus parandis indefatigabilem ad verſ. 20.*
- *Vſum, cui inſervire facit, quas paravit, opes ad verſ. 24.*

In priore parte duo effecta occurrunt verſ. 17. 19. & poſter. hemiſtichio 18. & cauſa eorum motiva in priore hemiſt. verſ. 18.

Primo hic quæri poteſt, quomodo hæc loquendi formula, quæ fœminæ tribuitur, ut robore ſe accingat, & brachia ſua confirmet, poteſt cum Dei gloria conſiſtere; quandoquidem, quod Dei unius eſt, ad fœminam transfertur? Nam vel reges ipſi vires, niſi quas à Deo accipiunt, nullas habent, Pſal. 18. 33. 34, 35. Reſp. veriſſimum eſſe, robur corporis (ſicut omne donum bonum) cœlitus à Deo conferri, in quo vivimus, movemur, & ſumus: ſed ita tamen, ut non excludatur opera, & conatus noſter. Nam cum in ipſis operibus ſanctificationis noſtra requiratur induſtria, 2. Timoth. 1. 6. Iacob. 4. 7, 8, 9, 10. multo magis in iis, quæ ad hanc vitam ſpectant, ad quæ natura etiam depravata nos non prorſus ineptos reddidit. Primum igitur accingere lumbos robore, & brachia confirmare jure dici poteſt, quod ſe, & corpus ſuum labore exerceat. Quemadmodum enim deſidiâ, tanquam ærugine vires abſumuntur; ita exercitatione modica augentur, & confirmantur. Unde eſt, quod ignavi cum variis, & gravibus morbis conflictentur, cum agricolæ, & quotquot in opere impigri ſunt, optima utantur valetudine. Deinde hac etiam ratione lumbos, & brachia confirmat, quod inter operandum ſumma fiducia perficiendi ea, quæ ſuſcepit, ſuſtentatur. Multi enim ſunt, qui non tam defectu virium, quàm puſillanimitate, & ignavia animi deſperatione impediti nihil præclari audent ſuſcipere, aut ſuſceptum deponunt. Sic fit, ut vitioſo quodam metu ipſi ſibi vincula injiciant, atque ita ad omne opus bonum, in quo aliqua difficultatis ſignificatio apparet, inepti exſiſtant. Hinc Iſraëlitæ terram Canaan ingreſſuri ita erant in altitudine murorũ, & proceritate

incolarum perterrefacti, ut,omni ſpe occupandæ illius regionis abjecta,de reditu in Ægyptum cogitare cœperint,Numer. 13.& 14.Sed ignava hujuſmodi abjectio animi in rebus cœleſtibus turpior & periculoſior eſt. Verum quidem eſt, multos ideò in æternum perire, quia aut viribus ſuis nimium confidant, aut aditum in regnum cœlorum faciliorem, quam eſt, comminiſcantur: ſed verum etiam eſt, multos difficultate obediendi Deo ita deterreri,ut viam ſanctificationis,quæ ſola ad cœlum ducit, ne ingredi quidem velint.Vide Deut.30.11. 12. 13. 14.15. Matth. 11. 30. 1. Ioh. 5. 3.

Verſ. 18. Cauſa(ut ſæpe aliàs) interſeritur hujus, quod præceſſit, & aliorum, quæ ſequuntur,effectorum;nempe quod experitur fructum laboris bonum eſſe, & probè ſibi ſucceſſiſſe, in quibus elaboravit. Hoc autem comparatione par. illuſtratur. Quemadmodum enim ſiquis cibum aliquem novum, & delicatum deguſtans uſque eo dulcedine ejus caperetur, ut ad ſe illo ſatiandum nulli labori, aut ſumptui parceret:ita hæc fructum laboris ſui dulciſſimum experta alacrius operi,quam ante,inſtat. Qui enim laboris ſui, vel quia oſcitanter obeant,vel benedictionem Dei non invocent, nullum aut perexiguum fructum percipiunt,non mirum, ſi animos deſpondeant, & ſuccumbant oneri. Sed fœmina hæc, cujus labores Deus ſua benedictione fecundat, ad duriſſimos labores exantlandos mirificè animatur. Nec dubium eſt, quin Iſraëlitæ frugibus terræ Canaan ſemel deguſtatis, alacrius cum incolis ejus præliati ſint.Quinetiam canes venatici,idemque ſagaces,ſolo feræ, quam inſectantur, odoratu curſum accelerant. Contraria hominũ negligentia inſignis eſt; dum aut à labore pre ignavia prorſus abſtineãt,aut laboris fructu nõ diligentiã,&induſtriam acuant, ſed ad luxũ ita abutantur, ut non priùs de repetendis laboribus cogitent, quam bona ad aſſem obliguerit. Hæc rebus ad vitam futuram ſpectantibus aptiſſimè accommodari poſſunt. Qui enim efficaciter, quam bonus ſit Dominus,guſtarunt, dici non poteſt, quanto fervore ad Eccleſiaſticos conventus accurrant. Pſal. 42. quanti faciunt Euangelii præconium, ſacramenta, & liturgiam reliquam. Sed qui remiſſionem peccatorum, pacem conſcientiæ, & reliquos cultus divini rectè præſtiti fructus non attingunt, cœtus fidelium aut omnino refugiunt, aut frigidè, nec ſine maximo tædio frequentant.

Sequitur aliud effect. effic. modo dictæ; nimirum quod lucerna ejus noctu non exſtinguitur. Dictum eſt priùs, illam ante lucem ſurgere: nunc addit, ita in labore perſtare, ut cum luce illam non claudat, ſed ad multam noctem protrahat. Hinc infertur, ſomnum illam dulcem abrumpere. Etenim tam manè ſurgentem, & tam ſero poſt tantos labores cubitum repetentem arctior ſomnus neceſſario complectitur, qui, non niſi vi quadam adhibita,diſſolvi, & diſpelli poteſt. Qua quidem in re omnibus,qui valent, tam viris,quam fœminis exemplnm ejus imitandum eſt. Sicut enim ad ſatietatem edere non dicet; ſic nec ſomno tantiſper indulgere convenit, dum noſtram ejus cupiditatem expleverimus.

Verſ. 19. Dictum eſt priùs, ſtrenuam hanc fœminam penſum ancillis aſſignâſſe: jam ſuas etiam manus operi admovere,affirmat; atque etiam eodem operum genere cum pediſſequis ſe exercere alternis vicibus verticulum, & colum tractantem. Quanquam enim veriſimile ſit; illam lanam,& linum tenuius, & pretioſius nere, laborem tamen non leviorem perferre in promptu eſt. Quorſum enim ſe robore cingeret, niſi quod opera laborioſa obeat? Quo etiam pertinet,quod hîc

hîc dicitur utramque manum ad verticulum, & volam utramque ad fuſum extendere. Omnibus enim Adami poſteris labor, non qualiſcunque, ſed durior, & operoſior imponitur. Et quamquam fœminis naturâ imbecillioribus, & partus doloribus graviter cruciatis leviora, quàm viris, opera injungantur, non tamen moleſtiæ, & tedii expertia. Hujus autem induſtriæ inter fructus alios hic unus eſt, quod ancillis omnem pigritiæ excuſationem adimit. Turpe enim ancillis fuerit, ab opere ceſſare, quod ipſa domina non faſtidit. Hic enim locum habet Proverbium illud ſacro Chriſti ore celebratum; ſervo bene eſſe, ſi eâdem cum domino conditione fuerit. Hic locus obſervandus eſt ad nos in communibus hujus vitæ officiis, tanquam Deo gratis confirmandum, contra Anabaptiſtas, qui abjectiora eſſe ſtatuunt, quam ut chriſtiani ſe in iis exerceant; & Pontificios, qui, tametſi hujuſmodi opera non damnent, dum tamen commentia ſuarum novarum opera nuſquam à Sp. Sancto probata tantopere efferunt, manus piarum fœminarum remiſſiores faciunt.

Hactenus de labore: ſequitur finis, ad quem labore parta referuntur, qui ſuperiora omnia coronat, & ſine quo parum intereſt, ſedulæne ſint, an deſidioſæ matresfamilias. Nam ſi opes aut in arca aſſervarentur, aut in tricas, & nugas impenderentur, nihil eſt, cur labor, quo acquiruntur, hujuſmodi præconio ornaretur. Iam verò, cum ut in parando induſtria, ſic in diſtribuendo pietas, & prudentia eluceat, ſupra meritum nihil facilè dici poteſt. Primus igitur finis eſt, ut pauperibus ſubveniat. Prov. 3 27. 28. Eph. 4. 28. Ex quo liquet, quàm pauci ſint verè pii. Quotus enim quiſque invenitur, qui hunc finem parandi opes novit; aut ſaltem ſibi proponit? Deinde cum dicat *volam expandere, & manum extendere*, docet, quam promptè, & alacriter; quam prolixè etiam, & liberaliter hoc faciat ut Pſal. 112. 3. 5. Deus enim hilarem datorem diligit; &, quod in pauperes confertur, tanquam ſemen in irriguum, & fœcundum ſolum projectum retribuit centuplum. Vide Eccl. 11. Hinc etiam liquet, non eſſe hanc ex mollibus iſtis, & delicatulis, quæ miſeros, & afflictos intueri non ſuſtinent. Ex ordine etiam, quo finis hic proponitur, notandum eſt, primitias laboris ejus pauperibus cedere. Nam cum, quod erogatur in pauperes, conſecretur Deo, nec quiſquam ignoret primas partes deberi Deo; pauperum præcipuam quandam curam habendam eſſe efficitur. Deut. 26. 1. Reg. 17. 13. Prov. 3. 9.

Verſ. 21. Proxima cura eſt de familia, ut benè, & abundè veſtiatur. Tantum enim abeſt, ut laceris induti, & pannis obſiti incedant, ut nemo ſit in tota familia, qui ulla cœli injuria, nimiò frigore, æſtu, ventis, pluvia &c. lædatur. Regina Sabæ de Salomonis ſapientia ex veſtibus ſervorum judicium fecit. 1. Reg. 10. 5. Sicut enim victus domeſticorum, ſic cultus etiam curam agere convenit. Multi autem domeſticos non honeſtè, ſive decorè, & ne ſalubriter quidē veſtiunt. Quod quidem ut eſt domeſticis ipſis noxium, ita dominis non eſt commodum. Nam, ægrotantibus famulis, neceſſaria eorum negotia intermittuntur.

Sed cum dicatur non timere domui ſuæ à nive, difficultate non caret. Videtur enim piæ, & prudentis fœminæ officio optimè conſentire, ut ſibi, & ſuis de commodis proſpiciat, & ab incommodis metuat. [Nam prudens videt malum &, declinat. Reſpondeo, metus vacuitatem quandam eſſe in matronis omnino culpandam: ſi nimirum præcipites, & inconſultæ, quibus in poſterum familiæ opus erit, non proſpiciant. Sed quæ matura eorum, quibus familia continenter ſuſtentetur,

ſtentetur, proſpicientia, ita ſe ad omnes honeſtas tuendæ familiæ artes accingit, ut omnem de ea re ſolicitudinem & metum ſecure abijcere merito poſſit, ea demum ſummam promeretur laudem. Vid. Iob. 5.21. Qui enim ex præſcripto verbi divini res ſuas gerunt multis curis & angoribus, quibus alii conficiuntur, ſe expediunt.

Verſ. 22. Cadurca parat ſibi Xilinum & purpura ſunt indumentum ejus.

v. 23. Notus eſt in portis maritus ejus, quando ſedet cum ſenioribus terræ.

v. 24. Sindonem conficit, quam vendit; & cingulum tradit negotiatori.

In מרבדים (*cadurca*) eſt ſynec. ſpec. pro omnis generis ſuppellectile.

Proxima cura eſt de ſuppellectile, ut lauta ornata, & decora ſit. Eſt enim matrisfamilias non minima laus providere, ut domus culcitris, cadurcis, aulæis, & aliis id genus cum ad neceſſitatem, tum ornamentum, & oblectationem adminiculis abundè referta ſit; ſicut è contra vituperio, & pudori eſt, ſi, domo interim ſqualidâ jacente, & nculta ſe ipſam (quod multæ faciunt) ornaret elegantius. Sed laus ejus (quod de prius dictis verſ. 20. 21. & dicendis uſque ad verſ. 25. intelligi debet) non in eo verſatur, quod hujuſmodi ornamenta, & utenſilia argento compareт, ſed quod domi conficiat, taxatque.

Hanc comparandæ ſuppellectilis ſollicitudinem proprium corpus ornandi cura excipit. Ornatus autem elegantiſſimus eſt, ex ſyndone, & purpura. Qui quidem, tametſi cum verticuli verſatione, & colus fuſique tractatione parum convenire videri poterat, tamen Sp. Sanctus optimè congruere judicat. Et quidem dubii nihil eſt, quin fœmina hæc tam ſplendidè veſtita hîc inducatur, ut muliebria hujuſmodi opera, & exercitationes omni poſteritati commendarentur; tanquam illis ſatis dignæ, quæ veſtibus pretioſiſſimis (ſi conditio ferat) amiciuntur. Sed hic quæri poteſt, an æquum ſit, ut priùs cultui familiæ, quàm ſuo proſpiciat? Reſpondeo, æquum eſſe, ut in victu, ſic in veſtitu, ut familiæ neceſſitati ſubveniat, priuſquam de ſuis deliciis quicquam cogitet. Ex hoc tam ſplendido ornatu, qui fœminæ huic laudi ducitur, facilè innoteſcit, illa ſcripturæ loca 1. Tim. 2. 9. & 1. Pet. 3. 3. non ſimpliciter, ſed vel comparatè reſpectu ornatus interni, aut reſtrictè de iis intelligenda eſſe, quibus ſplendidiora veſtimenta ſuperbiæ aut flabella ſunt, aut indicia: Iſai. 3. 16. &c. quod ne illi accidat, quam aſſidui labores ad humilitatem erudiunt, non adeo pertimeſcendum eſt.

Verſ. 23. Aliud aſſidui laboris effectum ſeu finis perſpicitur in conficiendis ornamentis, quibus, tanquam inſignibus, & inſulis quibuſdam maritus ejus ſpectabilis fiat, & ab aliis viris, cum in publicum (ubi honeſtius veſtiri maximè convenit) prodeat, dignoſcatur. Sed quomodo conſtat cum amantis, & piæ uxoris officio, ut ſibi primo, deinde marito ornamenta aptet? Reſpondeo, corporis ornatum ſexui fœmineo magis convenire, quàm virili; & ex ſplendidiore veſtitu uxoris decus, & dignitatem viro accedere. Non tam igitur ſua, quàm dignitatis mariti, & oblectamenti causâ ſe ornat.

Ex his omnibus illud eluceſcit, nihil quicquam in familia tam magnum, aut parvum eſſe; neminem à maximo ad minimum, à capite familiæ ad imum uſque pedem

pedem eſſe, ad quem matrisfamilias cura non pertingat. Quippe eadem eſt familiæ ratio, quæ Reip. quam ille demùm benè adminiſtrat, non qui partem unam ita curat, ut aliam negligat; ſed qui totius ſaluti proſpicit.

Exiſtimaret aliquis, ad miraculum usq; in laboribus obeundis aſſiduam eſſe, cujus induſtriæ tot domi foriſque apparent indicia, & teſtimonia. Hæc tamen animi tam infracti eſt, ut, iſtis tam magnis laboribus exantlatis, non quieſcat, ſed alia porrò aggrediatur opera, quæ, ſimul ac confecerit, mercatori tradat. Sunt autem illa in genere pretioſa omnia. Nam cæteroquin mercator propter longinquam dubiamque tranſportationem nunquam ex illis rem faceret. Sindonis (de qua primo in loco mentio fit,) præter experientiam quotidianam, inde pretium facilè colligitur, quod Chriſti corpus, de cujus honorifica ſepultura ſcriptura teſtimonium dicit, ei involutum eſt. De cingulorum etiam pretio, quibus olim viri, & fœminæ cincti ſunt, non deſunt ſcripturæ teſtimonia. 2. Sam. 18. 11. Iſa. 3. 24. Jer. 2. 32.

Ex hoc loco ſatis patet, etiam reginam non dedecere, quæ exquiſita opera contexuit, mercatoribus vendere. Notum eſt, inter Romanos nobiliſſimum quemque hortorum, & pomariorum fructus vendidiſſe: cujus etiam moris veſtigia quædam adhuc reſtant in *Germania*. Sed apud nos ita hac in re invaluit ambitio, ut ferè ſordidi habeantur, qui ita faciunt.

V. 25. Robur, & decus ſunt veſtitus ejus, & ridet ad diem futurum.

v. 26. Os ſuum aperit in ſapientia, & doctrina eſt ſuper linguam ejus.

v. 27. Speculans eſt greſſus domus ſuæ, & panem pigritiæ non comedit.

In לבושה (*veſtitus ejus*) eſt metaphora à veſtitu corporis ad ornatum animi. In תשחק (*ridet*) eſt metonym. effect. pro fiducia in Deo, quæ efficit, ut contemnamus quicquid adverſi obveniat. In יום (*diem*) eſt ſynecdoch. part. pro tempore. In פיה פתחה (*os ſuum aperit*) eſt metonym. adje. pro ſermocinatione. In צופיה (*ſpeculans eſt*) eſt metaph. à ſpeculatoribus, & ἐπισκόποις urbis, & caſtrorum ad diligentem domus inſpectionem translata.

Verſ. 25. Hactenus de virtutibus dictum eſt, quæ ſunt matrisfamilias magis propriæ; ſequuntur piis omnibus tam viris, quam fœminis communes. Verſu 22. corporis indumenta deſcribuntur; hic autem, cultus animi qualis ſit, oſtenditur. Et hic quidem eſt, quem Apoſtoli fœminis præcipuè commendarunt. 1. Tim. 2. 9. & 1. Pet. 3. 3. 4. 5. utpote ſine quo, quæ corpore ornatiſſima incedit, nuda, & pudenda eſt in oculis Dei, angelorum, & piorum hominum. Veſtitus hujus partes duæ ponuntur, robur, & decus: quorum altero notatur animi fiducia, quæ pacem, & tranquillitatem parit, altero virtutes illæ, quę, præterquam quod ab animo probè affecto proficiſcantur, egregiā apud alios formam, & pulchritudinem ſpectatu digniſſimam habent. Et quidem quæ hactenus dicta ſunt, ut ad pię matronę officium pertinent, ſic in fœminas cadere poſſunt, quæ ſunt verę pietatis expertes, quales ſunt Judæę, Turcicæ, Pontificiæ &c. ſed quæ ſequuntur, ejus generis ſunt, ut piis tantùm matronis competant, & ſuperioribus dotibus ſplendorem adferant, & minimè fucatas eſſe comprobent. Et quidem quod ad animi robur attinet, effecto arguitur, quod non reformidet futuri temporis incommoda. Hinc cecinit Propheta Pſal. 112. 7. juſtum non timere ſibi à rumore mali; & Salomon juveni leoni in audacia comparat Prov. 28. 1. Cauſam hujus confidentiæ aſſignat Propheta in Pſal. citato.

quod firmo animo ſit; cujus etiam firmitatis cauſa eſt, quod animus ejus in Deo confidat. Quinetiam Apoſtolus docet, pios propter pacem animi, quam vera fides parit, in ipſis afflictionibus gloriari. Rom. 5. 3. Tantum abeſt, ut illarum metu animis conſternentur, ut ne tum quidem, cum illis maximè premantur, ſuccumbant, ſed exſultent.

Singularis hæc animi ſecuritas ridendi adject. declaratur. Ridere autem ſolemus illos antagoniſtas, de quibus certam nobis ipſis, & facilem pollicemur victoriam. Hic igitur egregiè depingitur beata piorum conditio, & ſalutis æternæ indubitata certitudo, qua tam de futura, quam præſenti, aut præterita conditione ſua certi ſunt. Rom. 8. 31. 32. 33. 34. 35. &c. fœlicitas igitur juſtorum tanto magis expetenda, & quærenda eſt, quanto certior ſit, & ſtabilior. Hæc enim noſtra dicitur, quæ autem ad hanc vitam attinent, aliena Luc. 16. 12. Pudeat igitur quærentes in aliis rebus, & probantes diuturnitatem, præſtantiam, & ſecuram poſſeſſionem theſaurum hunc cœleſtem pretij ineffabilis, & quo in æternum fruemur, non anteferre vilibus, & horariis, vel potiùs (ſi cum æternitate conferantur) momentaneis hujus vitæ commodis. Egregiè refellitur ex hoc loco impium illud Pontificiorum dogma, qui hominum conſciencias perpetua dubitationis, & anxietatis carnificina excruciant. Nam ſi fœminæ naturâ timidiori tantum inſit, quantum audivimus, fiduciæ, & confidentiæ; quanto magis viros decet adversùs panicos terrores ſeipſos confirmare?

Verſ. 26. Adhuc prior pars ornatus interni fuit in robore; ſequitur pars altera in decore. Primum hic locum tenet, quod nõ niſi prudenter, & cautè loquitur. Quod opportune quidẽ huic fœminæ tribuitur. Vulgò enim notum eſt, & nonnullis diverbiis tritum, mulieres naturâ loquaciores eſſe. Quocircà majore illis cura, & arctiori linguæ cuſtodia, nequando, ruptis modeſtiæ clathris, huc illuc devia oberret, opus eſt. Quam ad rem magni momenti eſt, ſiquæ (ut hæc) laboribus ſe aſſiduè exerceat. Nam ſicut otium (teſte Apoſtolo) 1. Tim. 5. 13. ſemen eſt loquacitatis; ita laboris aſſiduitas ſingulare contra eandem remedium eſt.

Laus ſermonis non tam verſatur in communi de rebus mundanis colloquio, quod infidelibus ex æquo convenit, quàm in loquendo de rebus ſacris ad ſalutem ſpectantibus. Affirmat enim, doctrinã benignitatis inſidere linguæ ejus. Quibus verbis indicare videtur utrunque fœdus, operum, & gratiæ; in quorum altero Dei erga nos benignitas exponitur, in altero noſtra erga Deum, & proximum charitas exigitur. Non igitur verbum Dei audit ſolùm, legit, & meditatur, ſed de illo cum liberis, & ancillis ſuis, ut meliùs inſtituantur, ſermones ſerit. Hinc refutantur Jeſuitæ, qui fœminas verticulo, & fuſo tam individuè alligant, ut nullam illis de verbo Dei ſermocinationem permittant. Quibus reclamant (præter locum, qui in manibus eſt) exempla Hannæ. 1. Sam. 2; Heſteris 4. 16. (niſi enim priùs pediſſequas in vero Dei cultu inſtituiſſet, ad jejunium celebrandum prorſus ineptæ fuiſſent; Mariæ Luc. 1; Priſcillæ Act. 18. 26. matris Timothei 2. Tim. 1. 5. comparat. cum 3. 15. Vid. Tit. 2. verſ. 3. 4. 5. Quinetiam hæc, de qua ſermo eſt, non tantùm de rebus ſacris nonnunquam loquitur, ſed verbum Dei frequens eſt in ore ejus, & copioſè in familia habitat. Hoc enim non obſcurè declaratur, cum doctrina benignitatis *inſidere linguæ ejus* dicatur. Sed nunquid ita linguę inſidet, ut in animo ſedem non habeat? Imò vero frequens de verbo Dei ſermo ejuſdem in corde ſcripti indicium eſt. Nam ex abundantia cordis os loquitur.

Verſ.

Verſ. 27. Aliud matronæ effectum eſt luſtrare mores univerſæ familiæ. Neque enim ſatis eſt, quid faciendum ſit, præſcribere, niſi etiam ad reddendam rationem laboris, & temporis ancillas adigat, &, an rectè penſum perfecerint, excutiat. Et quamvis ſervorum, & filiorum, cum adulti fuerint, marito relinquenda ſit caſtigatio, non tamen morum, & converſationis omnium inſpectio ei interdicenda eſt, quæ ad illam cum marito communiter ſpectat. Deinde metaphora ſpeculandi innuere videtur illam in domeſticorum nihil cogitantium mores, & delicta non ſecùs aliquādo inquirere) quàm ſpeculatores ſolent in hoſtium conſilia. Sed diligens hæc inſpectio non ſolùm, nec præcipuè opera domeſtica reſpicit (quod etiam ab infidelibus præſtari poteſt:) verumetiam, quomodo ſe in cultu divino gerant, quales in pietate progreſſus faciant, diligenter obſervat.

Horum omnium, qui enumerati ſunt, laborum commune conſectarium eſt in fine verſus 27. illam panem pigritiæ non alij comedent, niſi qui laborem, quo victum quærant, cum poſſint ſuſcipere nolint; hanc, cujus induſtriam & diligentiam tantam, & tam penè incredibilem eſſe accepimus, panem pigritiæ non comedere ſatis conſtat. Quod ſi ideò, hanc panem pigritiæ nō comedere, concludatur, quod tam ſit laborioſa; omninò pigritiæ damnandi ſunt, non tantum qui in labore nulli ſunt, verumetiam qui ſegnes, & remiſſ.

Verſ. 28. Surgent filij ejus, & eam beatam prædicabunt; & maritus ejus, qui eam laudabit.

v. 29. Multæ filiæ fecerunt ſtrenuè; tu autem aſcendiſti ſupra omnes illas.

v. 30. Falſitas eſt gratia, & vanitas eſt pulchritudo: mulier timens Dominum ipſa laudem comparat ſibi.

v. 31. Date illi ex fructu manuum ſuarum, & laudent illam in portis opera ſua.

In בניה (*filij ejus*) eſt ſynec. ſpecici pro liberis quibuslibet. In ויאשרוה (*beatam prædicabunt*) præter ſimplicem, & grammaticum ſenſum, eſt metony. ſubject. pro adj. eorum educatione, & virtute pietateque per educationem procurata. In חיל (*ſtrenue*) eſt eclipſis præpoſitionis ב. In שקר (*falſitas*) & הבל (*vanitas*) eſt metony. adj. pro re vana, & fallaci. In פרי (*fructu*) eſt metaphora ab arboribus ad manus tranſlata. In ידיה (*manuum ſuarum*) eſt ſynecd. membri pro toto corpore, & animo.

Scopus eſt, propoſita mercede ad ſuperiores virtutes exſuſcitare fœminas.

Hactenus matrisfamilias officium quale ſit, audivimus: reſtat altera pars artificioſi hujus carminis de adj. ejus præmio. Verum quidem eſt illud verbum, [honorem alere artes, omneſque laudis ſtudio incendi;] jacere & contemni illa, quæ omnes improbant. Quæ ipſa de rebus civilibus prolata poſſunt ad virtutis, & pietatis ſtudium accommodari. Quanquam enim rectè, & incorrupte judicantibus fructus officij ſit ipſum officium, & piorum ſit virtutem propter ſe, & conſcientiam erga Deum perſequi; Deus tamen miſertus infirmitatis noſtræ, & ad bona opera tarditatis præmium cum in hac, tum futura vita perfruendum, tanquam coronam omnibus ob oculos proponit. Quod ſi omnibus, etiam viris ad bona opera acuendis præmium ſit neceſſarium; fœminis certè, quæ imbecilliores ſunt, magis expedire, palàm eſt. Hinc eſt, quod Sp. Sanctus hanc laudum corollam texat, quam capiti ſtrenuæ (quam deſcripſit) fœminæ imponat.

Verſ. 28. Optimum & fœliciſſimum eſt, quod ipſa ſe beatam ſentiens à nullo, quod importari poteſt, incommodo ſibi timeat: ſed in aliquo tamen beatitatis gradu habendum eſt quod bonorum operum nomine meritò à bonis laudetur; maximè cum hoc præconium Dei ipſius factorum ejus approbationem obſignet. Sed ſuos liberos laudum præcones introduci, aliquanto videatur alienius. Cum enim propria laus in ore ſordeat, Prov. 27. 2. domeſticorum, & præcipuè qui arctiore vinculo conjuncti ſunt, encomium parùm ad illam ornandùm momenti habet, utpote quod ex aſſentatione, ut iratam placent, aut lucello aliquo illam emungant, profectum videri poterit. Reſpondeo, præter grammaticum ſenſum, eſſe (uti ſupra dictum eſt) metonym. ſubj. pro cultu, & victu liberorum, morum honeſtate, maximè vero pietate, & Dei reverentia: quæ quaſi totidem ora, & linguæ ſunt, quibus matris, quæ ita illos inſtituit, laudes perſonantur. Non diſſimile eſt illud Pſal. 127. verſ. ult. Ubi beatus prædicatur ſuam pharetram filiis inſtructam habens; quem in portis cum inimicis contendentem non pudebit. Hinc etiam fluxit illa mulieris exclamatio Luc. 11. 27. Tametſi in eo hallucinata eſt, ſi Chriſtum αὐτοδίδακτον ſapientiæ aliquid, aut bonitatis à matre ſua traxiſſe credidit. Sed ulterius adhuc liberi ejus eam laudant, cum pie, & liberaliter educati in luce Reipub. aut Eccleſiæ non ſine publica utilitate, & ſuo honore vivant.

Cum dicat, ſurrecturos illos, ut matrem laudent, videtur indicare maturam illorum ætatem, cum, inito conjugio, aut ſuſcepta muneris alicujus functione, in publicum prodierint, qui, dum impuberes eſſent, videbantur domi in ſilentio jacere. Liberi enim adultiores facti tum demum parentibus aut honori ſunt, aut dedecori. Hinc diſcant parentes, qui liberorum piam & honeſtam educationem negligunt, ſerpentes ſe in ſinu alere, qui ipſos ſimul ac adoleverint, morſuri ſint. Nec illud prætereundum eſt, non deeſſe, qui in crucem ob ſcelera acti matres exſecrantur, quod ſtulta earum indulgentia ſibi, & ſuis cupiditatibus permiſſi fuerint. Contra vero bene morati matres prædicabunt, quoniam ipſos inſtituerint, caſtigaverint, in officio continuerint. Quod liberorum (ſicut & mariti, quod ſequitur) teſtimonium tametſi ex ea parte elevetur, quod ſanguine illam quàm proxime attingat, inde tamē fidem vel maximā acquirit, quod actionū fere omniū, & totius converſationis oculati teſtes exſtiterint.

Hinc igitur expergeſiant parentes ad diligentem, & ſolicitam liberorum dum adhuc teneri ſunt, pro ratione viæ ſuæ inſtitutionem. Nam ſi poſteà (quod tamen raro fit Proverb. 22. 6.) ab illa receſſerint, tamen officii ſedulo præſtiti conſcientia magno illis in maxima liberorum pravitate & luxu, ſolatio erit. Quod ſi in probitate pietateque proficiant, dici non poteſt, quàm jucundum adverſus multiplicia ſenectutis incommoda ſubſidium habent. Diſcant etiam liberi ſuâ intereſſe, virtutis, & pietatis ſtudio tanto alacrius incumbere, quia ipſorum virtutes, aut maleficia parentes honoratos, aut contemptibiles reddant. Honos igitur, qui parentibus ex mandato debetur, paternis ædibus non aſtringitur, ſed in univerſum vitę curſum extenditur: neque tum ſolum obſequium parentibus debitum violatur, cū mandatis eorum non obtemperant, ſed cum ſceleribus ſe, & flagitiis in quovis genere coinquinant, Prov. 10. 1.

Præter liberos, etiam maritus illam laudabit. Quod ſi ille laudando conjugem ſuam aut nihil agere alicui videatur, cum laudes iſtæ non à ſano judicio, & æqua rerum æſtimatione profectæ, ſed amatoria quadam adulatione confictæ videri poſſint;

ſint; aut periculum ſibi, ſi verbis fides habetur, creare, ne mœchi uxorem tantoperè laudatam vehementius ad fidem violandum ſolicitent; Reſpondeo, laudes, quibus uxorem proſequitur, privatas, & domeſticas eſſe, quæ nihil incommodi habent, ſed virtutem uxoris, & induſtriam confirmant, augentque. Deinde (ut in priore hemiſtichio) loquutio eſt metony. Nam vegeta viri ætas, bona corporis habitudo, & elegans (de quo ſupra) ornatus, & ſtimulus præſertim, quem ei ad pietatem addit, in ſumma ejus taciturnitate, & altiſſimo ſilentio laudes uxoris clara voce prædicant. Quemadmodum enim pietatem mariti commendat uxoris Sanctitas, quæ mariti veluti imago quædam eſt: ſic mariti etiam pietas uxori, quam ei etiam hac in re adjutricem eſſe dubitari non debet, laudi ducitur.

Iſtis, quæ accepimus, encomiis accedit ampliſſimum Sp. Sancti de hac muliere teſtimonium; qui comparatione minor. laudem ejus amplificat. Confert enim, non cum deſidioſa, ſed ſtrenua; nec cum una tantum, ſed pluribus: quibus non æquatur, ſed longè præponitur. Quod ſi quæratur, quænam iſtæ ſtrenuæ ſint, quibus hæc noſtra ſuperior eſt, reſpondeo, illas eſſe, quæ fidei in Deum expertes caſtitatem tamen colunt, charè maritos cōplectuntur, familiis de victu, & veſtitu, abundè proſpiciunt; lanam, & linum comparant; verticulum, & fuſum tractant; antè lucem ſurgunt, & ſerò cubitum repetunt; de ſuppellectile omnis generis ſolicitæ ſunt; ſe, & maritos ornant, de agro cogitant, quem emant, & vitibus conſerant; ſed interim fiducia in Deo vacuæ venturis (quæ ſuſpicantur) malis, atq; adeò malorum umbris terrentur. Et quidem in hoc genere inveniuntur, non tantū Judææ, Turcicæ, & Pontificiæ, ſed etiam, quæ ſpecie tenus Euangelicæ ſunt matronæ. Quibus omnibus, tametſi numero infinitis, una huic noſtræ ſimilis longè præferenda eſt non tantum illarum virtutū nomine, quas peculiares habet, ſed illarum etiam, quæ utriſq; competunt. Tametſi enim res eędem ab utriſq; fiant, cum tamen hæc conſcientiâ in Deum faciat; illæ vero aut naturæ quodam inſtinctu, aut ut laudem & famam apud homines acquirant, latiſſimū diſcrimen deprehenditur. Hinc liquet, quam pretioſa res ſit fides, qua, tanquam ſale opera noſtra conduntur, & tanquam ſuffimento grata Deo fiunt; & ſine qua glorioſiſſima quæque facinora fœtent, & quamvis ſplendida, peccata ſunt tamen.

Verſ. 30. In hoc verſu alio argumento à comparatione illam laudat: ubi fœminā inſigniter pulchram ſimul, & venuſtam illi poſtponit. Hic autem videtur eſſe prolepſis. Objici enim poterat, mancam eſſe hanc fœminæ nunquam ſatis laudatæ deſcriptionem, quia omiſſæ ſunt venuſtas, & pulchritudo. Reſponſio eſt ab adject. fallacem eſſe venuſtatem, & vanam pulchritudinem; ideoque non ſatis dignas eſſe, quæ inter ſuperiores virtutes locum habeant. Fallacia hæc, & vanitas multis modis accidunt; primo, & præcipuè cum fuci, & ceruſæ adminiculo pro formoſis, quæ nihil minus ſunt, venditantur, deinde, quia minimo æſtu iræ divinæ ſtatim exareſcūt, aut tandem ſenectutis (ut morbos taceā) gelu marceſcunt; poſtremò quia, quæ hodiè venuſtatis, & pulchritudinis nomine quam maximè placet, vel cras, vel citius etiam ſummè odioſa eſſe poſſit. 2. Sam. 13.15. Hinc refellitur inſignis hominum ſtultitia, qui in diligendis uxoribus externam formam tanti faciunt, ut hac præditam, licet virtutum omnium expers ſit, uxorem ſatis idoneam putent, ſed virtutes quaslibet ſine hac nihili eſſe exiſtiment. Gen. 6. 2. Quæ autem hæc amentia eſt, in re maximè ſeria, & in qua præſentis vitæ tranquillitas, & non minimū ad futuram adipiſcendam ſubſidium ſitum eſt,

tanta uti temeritate, & incuria? Ecquis in equi, quem mercaturus eſt, colore ſolo acquieſcit; aut in annulli, qui pro aureo venditur, ſuperficie?

Minuitur adhuc venuſtatis, & pulchritudinis exiſtimatio à diſparat. & diſſimil. Nam fœmina illis prędita non eſt propterea laude digna; & proinde huic, quæ meritò laudanda eſt, diſſimilis. Quamvis enim venuſtas, & pulchritudo, Dei dona cum ſint, laudem merentur, non tamen videntur mulieri, cui inſunt, laudi vertendæ, quia nulla ejus arte, aut induſtria, etiam voluntate comparatæ ſunt. Niſi enim ab ipſis incunabulis cœlitus dentur, fruſtra eſt, quæ illas quærit. Timor autem Dei, tametſi donum ejus ſit, tamen non niſi volentibus, & cupientibus (Deo voluntatē, & affectus inclinante) primò infunditur; & deinceps noſtro ſtudio, & induſtria incrementa accipit. Quod ſi pulchræ, & venuſtæ laus aliqua eo nomine concedenda ſit, tamen præ eximia illa, & ſingulari quæ timenti Deum jure debetur, nihil eſt. Et tum comparatione maj. deprimitur pulchritudinis, & venuſtatis laus. Quam extenuationem, ſeu negationem arguit pronomen היא emphaticôs additum. Hîc deprehenditur, non tantùm vanitas hominum, ſed etiam in Deum ingratitudo, qui omnes ingenij nervos huc intendunt, ut pulchritudinem, & venuſtatem in toto corpore, atque adeò ſingulis membris rhetoricæ floſculis ornent, excolantque; ſed in virtutum laude aut muti ſunt, aut frigidi.

Verſ. 31. In hoc poſtremo S. Sanctus pergens in præmio & remuneratione ſtrenuæ hujus, quam ita magnificè deſcripſit, fœminæ, compellat omnes, & adhortatur, ut illi dignam virtutibus, & factis mercedem tribuant. Mariti igitur eſt cum unà viventis, tum moribundi, liberaliter cum illa in victu, cultu, & aliis hujus vitæ licitis, & honeſtis oblectamentis agere; liberorum, & ſervorum ſingulari illam honore, & reverentia proſequi; omnium deniq; quoties anſa præbetur (ut cum fœminæ, quod ab officio quovis modo diſceſſerint, in judicio ſiſtantur, non abs re fuerit, ſi Magiſtratus laudatum hujuſmodi exemplum illis imitandum propoſuerit,) ſuam operam ad illam ornandum conferre. Tametſi enim ipſa domi ſe intra privatos parietes contineat, laus tamen, & virtutis fama in publico verſari, & in celeberrimis hominum conventibus notiſſima eſſe debet. Quos igitur Deus laudandos cenſet, illis extollendis, non tantum linguas & calamos, ſed & humeros, quibus innitentes veluti in editum locum, unde virtus clarè conſpici poſſit, evehantur, prębere convenit. Quæ res nos in ſtudio virtutis confirmare debet; præſertim cum ſciamus omnium corda, & linguas, in Dei manu eſſe, qui poteſt illos, quamvis, à pietate alienos laudum noſtrarum præcones efficere. Gen. 41. 38. &c. Exod. 11. 3. Quod ſi homines hac ex parte muti, & ingrati ſint; ſi non ſolùm de laude noſtra conticeſcant, ſed porrò in nos immeritò debacchentur, hoc tamen nos conſolari, & in officio retinere oportet, quod ipſe Deus voce ſua in verbo deſcripta nos jam laudat, & in generali illo totius mundi conventu tanquam in auguſtiſſimis portis, olim laudabit.

Δόξα μόνῳ σοφῷ θεῷ.

INDEX

INDEX
RERUM INSIGNIUM,
Quæ in hiſce Commentariis continentur.

Figuræ denotant Columnas.

A*Dulterium* furto crimen gravius, 117, 118. Ejuſdem pœna, 34. Merces, 88, 89. Remedium, 82, 83, 129. Iuvenilis ætas ad *Adulterium* maximè proclivis, 126, 1216, adverſus illud munienda ſalutaribus præceptis, 1296, ad 1300.
Regia conditio *Adulterio* obnoxia, 1300.
Æmulandum impiis non eſt, 53, 266, 267. quum piis ſit merces propoſita à Deo, 1023, ad 1026. illis excidium paratum, 1065, 1066, 1067.
Affectus pravi cohibēdi ſunt, 129, 1210, 1211.
Afflictio improborum, vid. *Improb.*
Alienis nos immiſcere non oportet, 711, 712.
Ambitio fugienda, 1083, 1084, &c.
Amicitia mutuis officiis alenda, 767. Omni cautione firmanda. 1096, 1097. illius fructus eximii, 1152, 1153, 1159. perfidioſa cavenda, 119, ad 124.
Amicorum delectus habendus, 860, 861, 1098, 1099, ab iracundis cavendum, 998, 999, 1000.
Amicus verus in amore conſtans, 689, ad 693. vulnera illius grata, 1147, 1148. amat plus quam frater, 765, 766, 1152.
Divitiæ addunt *Amicos*, 480, 481, 482, 772, 773, 774.
Ex *Amore* aut odio piorum diſcernuntur probi ab improbis, 1227, 1228, 1229.
Ex *Animi* conſtitutione corporis habitudo, 545, ad 548.
In *Animo* forti & S. Sancto corroborato ſummum munimentum, 742, ad 746.
Arcana Dei juſtis cognita, 53, 448, 449.
Arcana Dei inſcrutabilia illius laudis materiam præbent, 1079, 1080.
Arcana ab amicis credita reticenda, 252, 254, 860, 861, 1034.
Ars alit artificem, 430, 487, 488.
Artes vanæ & inhoneſtæ quæ 401, 402. in fumum abeunt, 399, 400.
Artes honeſtæ diligendæ, 401, 402.
Aſſentatoris ingenium & præmium, 1156, 1157, 1158, 1219, 1220.
Aſſentatio pernicioſa eſt, 1219, 220.
Aſtutia & vafrities perdunt hominem, 234, 235.
Attentio in ſacris adhibenda, 56, 66, 67, 118, 119, 162, 989, &c.
Avaritia quid, 576.
Avarus ſpe ſua fruſtratur, 265, 266, 267, 281.
Avarus conturbat familiam ſuam, 575, 576, 577.
Ab *Avari* hoſpitio abſtinendū, 1011, &c.
Avari inſatiabilis cupiditas, 1281, 1282.
Authoritas improborū omnibus pernicioſa eſt, 1121, 1122, 1209, 1232, &c. Juſtorum commoda, 1187, 1188, 1213, 1214, 1215.
B*Eneficentia* exercenda in egenos, 51, 974, 975, 96.
Ex debito, 51.
Ex animo, 506.
Cum labore, 51.
Pro modulo, 284.
Maturè, 51, 52, 289.
Liberaliter, 280, 281.
Promptè, 280, 285.

Cum

Cum judicio, 1223,1224.
In noſtrum bonum, 439, 440, 267, 506, 507,508,1181,1182,1208,1209,1210.
Beneficentia habet Deum debitorem, 797, 798,799.
Benevolentia hominum oritur ex timore Dei, 614, ad 616.
Benignitas quid, 879.
Benignitas exercenda, 808, ad 812.
Benignitas cum veritate conjuncta conſervat regem, 878, ad 881.
Bonum ſtudioſè & maturè querendum,289, ad 292.
Bonos Deus benevolentia proſequitur, 306. 426, & alios etiam illorum cauſa, 1214, 1215,1226.

C*Alumniationis* mala, 244,245,650,651, 860.
Calumniatoribus non auſcultandũ, 663,664.
Caſtigationes fidelium in hac vita, 301,302.
Caſtigationes ad emendationem tendunt, 21. Licet acres, 892, ad 895.
Caſtigationes maxime neceſſariæ, 416. ſervant hominem, 585, ad 590. quomodo ferendæ,41,42. amandæ ad eruditionem, 302,ad 305, & 803. ad 806. vel leviſſimæ prudentibus proſunt, 675,676,677.
Caſtigationes tempeſtivè adhibitæ præclarum uſum habent, 815,ad 818.
Caſtigationes pro delicti natura adhibendæ, 1244,1245.
Caſtigationes liberorum,vid. *Liberi.*
Charitas defectiones obtegit, 192,193,194, 673,674,675.
Chriſti æternitas, antiquitas,immortalitas & eſſentia declaratur, 157,158.
Chriſtus totius Scripturæ ſubjectum, 1260.
Cogitationibus interioribus pii ab impiis maxime diſcernuntur, 313,314,315.
Cogitationes malæ Deo exoſæ, 573,574.
Communio cum aliorum peccatis cavenda, 1251, ad 1256.
De *Comparationibus* & ſimilitudinibus, vid. 3, & 1282.
Concordia conviventium maximè jucunda, 555, 556, 557, 658, 659. Ejuſdem commoda, 1292, 1293.
Conditio uniuſcujuſque apud Deum ſibi cognita eſſe debet 313.
Confeſſio peccati vana,79 ad 82.1188.1190.
Confidens in Deo quis 1256.
Confidens in Deo tutus 1253.1256,1257.
Confidendum Deo,non divitiis,293,294.tanquam arci roboris, 730,731,732. à peritis rerum, 630. 632,633. in graviſſimis negotiis 597 ad 600. & 953,954.
Confidentia in viribus vana 953,954.
Confidentia ex integritate vitæ 218,219.
Conſilium quid 951.
Deus in omnibus in *Conſilium* adhibendus
Conſilium Dei ſolius ſurget 806,807.
Conſilia ſana ſalutaria, 253, ad 256. & 321, 322. 349. 351,352.565,566.
Conſiliis omnia agenda, 857 ad 860,861.
Conſiliis ſapiens auſcultat 337.
In *Conſiliis* proponendis delectus habendus 1014,1015,1016.
Conſilia improborum noxia, 315. etiam ſibiipſis 352.643,644,645.
Conſtantia in perferendis malis pro veritate 162,163.
Contemptui nemo habendus,249,250. præſertim afflictus 482, 483. 664 ad 667.
Contemptus improbitatis comes,716 ad 719.
Contentatio juſtorum 200. 332,333.
Contentiones vide *Lites.*
Contentionum incommoda 393 ad 396.
Contentionum initia declinanda, media tollenda 174,175.
Contentioſus excitat litem, 1079.1133,1134.
Contentioſorum diverſa genera 695.
Contumeliæ non ſunt retaliandæ, 251, 252.
Cor præcipuè cuſtodiendum 68,69.
Cor Deo dandum 1035,1036.
Corde perverſi Deo exoſi 270,271.
Cordis ſecreta Deo cognita, 542,543,544. 662,663.
Cor alterius nemo novit 1160,1161.
Cordis obduratio perniciosiſſima, 1191, 1192,1193.
Corporis ſanitas ex vero Dei cultu, 39.
Corporis geſtus ſæpe prodit nequitiam, 646, 647.

647. Sapientem à ſtulto diſtinguit, 704, 705, 706.
A *Crapula*, cavendũ in epulis, 1005 ad 1008.
Creaturarum præcipuus uſus, 93, 94, 95. 1291, 1292, 1293.
Credulitas cavenda 464 ad 469.
Crudelitas improbum à juſto diſtinguit, 326, 327, 328.
Crudeles ſua crudelitate pereunt, 973, 974.
In *Cultu* Dei propriæ rationi diffidendum, 40.
Cultus piorum & impiorum multum differunt, 534 ad 537. 944 945, 946.
Cupiditas inſatiabilis inquietudinem gignit, 1162, 1163, 1164.
DEbitor fit creditoris ſervus, 971, 972.
Sathanas pios maximè ad *Defectionem* ſolicitat 175, quibus artibus 176.
Deriſor quis 448. 1054.
Deriſores non arguendi, 92, 93. 1014. 1015.
Deriſores ejiciendi 975, 976.
Deriſores ſuperbi ſunt, 54. fruſtra quærunt ſcientiam, 446. odio habent corripientem, 544, 545. ſtultis deteriores ſunt, 1054, 1055, Deum irritant, 1224. 1225.
Deſideria piorum licita, 278. precum interventu conceduntur 279.
Deſideria improborum immoderata, 332.
Deſideria ſive licita, ſive illicita expleta ſuavia ſunt 419, ad 421.
Dei attributa in ſcripturis unde ſumpta, 19.
Deus ſtudioſè quærendus 152, 153.
Dei amor fons perfectæ beatitatis, 150, 151.
Dei acceptatio eximius ad benefaciendum ſtimulus 257.
Dei cognitio ornat hominem, 473. cui pii ſe totos addicere debent, 1017, 1018, 1019.
Deum contemnit præfractus viis ſuis, 440. 442, 443.
Deo confidendum, vid. *Confid.*
Dei præſentia ſemper ob oculos ponenda 88.
Dei promiſſiones firmiſſimæ 128.
Dei providentia, vid. *Provid.*
Adverſus *Deum* nihil ſuccedit, 951, 952, 953.
Diligentia vid. *Sedulitas.*
Diſciplina vid. *Caſtigatio.*
Diſcretio viri prudentis magna, 834, 835. 836.
Divitiæ male partæ inutiles, 179 ad 183. 903, ad 907. 988. 989. 990. juſte partæ ſtabiles, 531. 532. licet modicæ multum proſunt, 609. 610.
Divitiarum amor fons variæ ſimulationis, 387. 388.
Divitiæ acceleratæ maledictæ, 863 ad 866. 1009 ad 1012. 1198 ad 1203.
Divitiæ non ſunt accumulandæ ſupra modum 1270. 1271.
Divitiæ non proſunt die iræ, 234. 235.
Divitiæ non proſunt ſtulto, 688. 689. 690.
Divitiarum poſſeſſio periculoſa, 390. 391. 762 1272. 1273.
Divitiæ benedictione Dei commodiſſime acquiruntur 207. 208.
Divitiæ addunt amicos, 772. 793. 774.
Divitiæ ſunt perinde ut quis illis utatur, 490. 491.
Divitum confidentia fallax, 198. 199. 200. 732. 733. &c. 1185. 1186. 1187. 293. 294.
Divitum in tenues oppreſſio deteſtanda, 971. 972. 973.
Divitum & pauperum mutua officia, 957. 958. 959.
Doctrina cœleſtis animo imprimenda, 6. cujus 1. notitia 2. memoria 3. obſervatio 4. in eadem perſeverantia requiritur. 59. 60.
Doctrina liberat à morte, 407. 408. 409.
Doctrina quibus non proponenda, 1014. 1015.
Dolus & fraus malorum, 350.
Vide *Fraus.*
Dona vide *Munera.*
Donorum varietas plurimum conducit ad tuendam hominum ſocietatem, 1234. 1235. 1236.
Ex *Donorum* fiduciâ ſuperbia cavenda, 1295. 1296.

Ebrietas fugienda, 825. 826. 827.
Ebrioſorum ſocietas vitanda 1026. ad 1029.
Ebrietatis mala 1037. ad 1040.
Eccleſiæ ſplendor firmitas & pręſtantia 165. 166. 167. &c.
Eccleſiæ ædificatio promovenda in aliorum ſtudiis 1261. 1262.
Eloquentiæ cum ſapientia conjunctæ utilitas. 633. 634. 635.
Emendatio ſapientis & ſtolidi 915. 916.
Inter *Epulandum* cavendum ab intemperantia 1005 ad 1008.
Ex *Eventu* non judicandum 321 ad 324.
Exitium improborum ex ſeipſis 386.
Factis exprimenda eſt cordis integritas 446. 447.
Factorum cum verbis convenientia 1029.
Falſitas juſto odioſa 380. 381. 382.
Falſitatis panis viro ſuavis 855. 856.
Fama bona divitiis præponenda 955. 956. 957.
Familia nullo modo conturbanda 294 ad 297.
Familia pie inſtituenda 1077.
Res *Familiaris* prudenter adminiſtranda 430. 431. 933. 934. 935. 1071. ad 1073. 1167 ad 1170.
Faſtidium bonorum 1149. 1150.
Fidelitatem colenti Deus benedicit, 1198. 1199. 1200.
Fides impiorum ſera & deſperata 82.
Fidei juſſionis inconſultæ pericula 89. 90. 256 ad 261. 692. 693. 1001 ad 1004. ejuſdem remed. 91. 92. ratio cavendi 854. 855. 856.
Fiducia in Deo, & ejus contraria vana fiducia 39. 40. 470. 471.
Vide *confidentia.*
Fœlicitas juſtorum permanens, impiorum evanida 394. 395. 396.
Fœnus prohibetur 1181. 1182.
Fortitudo animi in rebus honeſtis colenda 1293. 1294.
Fortitudo in tempore anguſtiæ cernitur 1055. 1056. 1057.
Frater offenſus, vid. *Injuria.*
Fraus Deo exoſa, & hominibus inutilis 365. ad 369. 155. 856. 857.
Fraude agens ſpe ſua fruſtratur 695. 696. 697. Eſuriet 794. 795.
Frumenti cohibitio maximè odioſa, diſtractio grata 285 ad 288.
Furtum liberorum vid. *Liberi.*
Gaudij, & mœroris magnitudo & uſus 445. 446. 447.
Gaudia mundana fluxa 460.
Gloria Deo debetur ex omnibus operibus ſuis 600 ad 603. 1108. 1109.
Gloriandum de incertis non eſt 1139. 1140. 1141.
De *Gratia* apud Deum & homines 39. 40. 409. 410. 411.
Heluones fugiendi 1026 ad 1029.
Pro *Homicida* non eſt interpellandum 1195. 1196.
Homo natura ſua & inſanus, & contumax 6. mente cæcus 1262. 1263. voluntate pervicax 1265. 1266.
Vide *Natura.*
Honor piis ab impiis delatus 475 ad 480.
In diſtribuendis *Honoribus* magna cautione opus 1287. 1291.
Honor ſtulto non deferendus 1111. 1112. 1113. 1119.
Hoſpitio aliorum prudenter uti convenit 1011. 1014.
Humilis quis 232. 962. 963, 1250.
Humilis conditio licet afflicti præſtans 629. 630. 631.
Humilitas virtutum aliarum mater 232. honorem comitantem habet 232. 590. 591. 592. 736. 737. 738. & alia bona 962 ad 965.
Hypocriſis damnatur 190. 191.
Hypocritæ os, 9. 243. 244. 1134. 1135.
Iactantiæ vanitas 386. 387. 389.
Ignaviæ malum 1273.
Remedium ex brutis petendum 93. &c.
Ignavi exprobratio 93 ad 98.
Deſcriptio 99. paupertas 100. 101. 727. ad 730. 794. 795.

Ignavus inutilis & incommodus aliis 212. 213.
Ignorantia loquax & fidens 174.
Ignoratio rerum ſummè officit 769. 1325. 1326. 1327.
Immiſericordes miſericordiã non conſequentur 919. 920. 921.
Improbi Deo abominationi ſunt 53. 54.
Improborum ignominia 716 ad 719. 874.
Improbus in malum fertur magno impetu 64. 209. 210. 211. 268. 649. 650. 915. 916.
Improborum & juſtorum diſcrimen apud Deum 534 ad 540. 930. 931. 932.
Improborum inſidiæ contra juſtos 316. 317.
Improbi ſibi ad malum adminicula quærunt 663. 664.
Improbi in omnibus peccant 898. 900. 901.
Improborum numero creſcente creſcit improbitas 1239. 1240.
Improborum mutua odia 1258.
Improbi præſertim afflicti ſibi mala non neceſſaria accerſunt 512.
Improbis obſiſtendum 1175. 1176. 1177.
Improborum duratio momentanea 212.
Improborum pertinacia, vid. *Obſtinatio.*
Improborum everſio à Deo 319, 320. 218. 219. 220. unico malo 1064. eadem irrecuperabilis. 320. 321. quam & juſti videbunt 1239. 1240.
Improborum contemptus 716 ad 720.
Impunitatis ſpes 15. 908.
Fallit malos 273. 274. 275.
Inconſtans Deo ingratus, 909. 910. 911.
Infortunia ſua ſtulti in Deo conferunt, 771. 772. 773.
Inimico benefaciendum ex animo 1101 ad 1104.
Inimici malo non lætandum 1063. 1064. 1065.
Injuria miſeris non inferenda 508. 509.
Injuria à propinquo illata vix deletur, 755. 756. 757. ſub ſpecie amicitiæ gravis 1130. 1134.
Innocentem punire grave peccatum 761. 362.
Inſidiæ improborum adverſus juſtos 315. 316. 317.
Vanæ 1062. 1063. 1064.
Inſtituere alios ſapientis eſt 317. 318.
Inſtituendorum ingenia probe pernoſcenda 1030.
Inſtitutio ex amore 1297. 1298. 1299.
Integer quis? 1228. 1229.
Integer odio habetur à ſanguinariis 1228. 1229. 1230.
Integritas & ſimplicitas homines ſervant à malo 232. 233. 234. 235. 236. 1196.
Integritas Deo placet 270. 271.
Integritatis via facilis & expedita 235.
Intelligentia quid? 951.
Intelligentiæ naturalis judicium erroneum 458. 459. 640. 641. 642.
Invidia quid? 508.
Invidia res barbara & crudelis 1144. 1145. 1146. infeſtans pios, impios cruentans 505. 507. 508.
Invidiæ remedium 508.
Vide *Æmulatio.*
Invocatio ſera 25.
Invocantes quos Deus exaudit 581. 582. 583.
Iram non cohibere ſtulti eſt 339. 340. reprimere ſapientis 502 ad 506. 708. &c. ad ignominiam ſuam, & ejus cui indignatur tegendam 341. 342. 940. 941.
Ex ira lites 556. 557. 558. 1248. & alia mala 1249.
Ira molli oratione ſedatur 521. 522. 523.
Ira ſtulti indomita 679. 680. 681. valde noxia 1142. 1143. 1144.
Ira Regis, vid. *Rex.*
Iudicij divini ordo obſervandus 20.
Iudicium Dei terribile 21.
Deo gratum *ibid.* juſtum 23. repentinum 22. opprimens peccatores, *ibid.* ſtupore & ſilentio percellens 184. 185.
Iudicibus in judicando non eſt tranſgrediendum 611. 612. 613. 1068. ad 1071.
Sed recto pede incedendũ 685. ad 688. 721. 722. 723. 751. 752. 753.
Temerè *Iudicare* de rebus ſtultum & ignominioſum

minioſum eſt 738. 739. 740.
Juſtitia quid 898.
Juſtitia præſtat ſacrificiis 898. 899. eripit è morte cultores ejus 179. 180. 236. & e periculo 384. 385. 386. 1062. 1063. eoſdem in altum ſubvehit 516. 517. 518. & vita donat 267. 368. 369.
Juſtitiæ adhærendum 268.
Juſtorum fiducia 65.
Stabilitas 212. 213. 309. 1048. 1049. in perſona ſua 221. in poſteris 222. 274. 320. 321.
Juſtorum benedictiones à Deo 183. 935. 936. 937. 1049. conſpicuæ 184.
Juſtorum lætitia 1221. 1222. 1223.
Juſtorum deſideria Deus dat 474. 475. in bonum eorum 277. 278. ad ſaturitatem 436. 437.
Juſtus magni pretii eſt, 297. ad 299. 363. 364. 365. idem ſapiens 299. 300.
Juſtificationis finis ſanctificatio 605. 606.
De confidentia in propria *Juſtitia* 1276. ad 1280.
Juvenum ornamentum robur eorum 890. 891. 892.

L*aborandum* manibus 399. 400.
Ex *Labore* improbo abundantia 487. 488. Vide *Sedul.*
Lætitia honeſta valetudini prodeſt 699. 700. 701.
Lætitia urbis ex juſtorum bono, & improborum excidio 245. 246. 247.
Inimici malo non *Lætandum* 1063, 1064, 1065.
Lætitia in malis impia 34. 209, 210. 563, 564, 565.
Lætitia juſti. vide *Juſtus*
Deus meritò ſua *Laudat* 56. quo animo 143.
Laus vera ex conſiliis prudentibus 321. ad 324.
A *Laude* propria abſtinendum 1141, 1142.
Ne *Laudibus* noſtris corrumpamur cavendum 1163, 1164, 1165.
Laus improbis non tribuenda 1175, 1176, 1177.
Lex Dei conſiliarius promptus & fidelis 110, 111. 151. tanquam ſoror, & affinis eſſe debet 122.
Legi adverſum ne minimum admittendum 121, 122.
Liberalitatis fons in animo ſitus 282, 283.
Liberalitas multorum fucata 836, 837. Ejuſdem vanitas 1093, 1094.
Liberalitatis præmium 283, 284.
Liberalitas hominum benevolentiam conciliat 776, 777, 778.
Liberorum inſtitutio in pietate certiſſimum veri amoris effectum 57. 1032. 1297, 1298. 1299. Deo precibus commendanda 1299.
Liberi legitimi conjugij fructus amœniſſimi 83 ad 86.
Liberi pij gaudium parentibus afferunt inſipientes mœſtitiam 177, 178. 697, 698, 699. 706, 707. 790, 791. 1021, 1022. 1034. 1216, 1217. 1238 ad 1243. & probrum 818, 819. 1154, 1155. 1179, 1180, 1181. 1328, 1329. cum ſuo magno malo 819, 820, 821.
Liberis ſuis boni parentes optimè proſpiciunt 426 ad 429.
Liberis omnibus caſtigatio neceſſaria 432, ad 436. 986, 987. maturè adhibenda 432. 800, 801. nec omittenda ſine ire profeſſione 801, 802.
Liberorum furtum graviſſimum 1204, 1205.
Libidini improborum omnia in ſerviunt 200, 201.
Pro *Libito* nihil faciend. 712, 713.
Lingua cuſtodienda 69. 373 ad 378. 1073.
Ex *Lingua* ſumma utilitas aut damnum 104 105. 334 ad 337. 344 ad 347. 374, 375, &c. 494. 534. 612. 939, 940, 941.
Linguâ ſua improbi abutuntur 223. ad turpe lucrum 903, 904, 905. ad falſum teſtimonium 1096, 1097.
Lingua hypocritæ maximè noxia 244, 245, 645, 648. ſed impijs tantum non juſtis 244, 245.
Linguæ intemperies pacem violat 723, 724. ſtolido exitium accerſit 724, 725.

Linguæ moderatio ſapientis indicium 709, 710.
Linguam hominum Deus moderatur 592, 593, 594.
Linguæ ſuperbæ incommoda 617. 443, 444.
Lites non temerè movendæ 52. 829. 830. 831. 1086 ad 1089. præſertim in aliena cauſa 1128, 1129.
Lites ex ſuperbia oriuntur 396 ad 399. 1205, 1206.
Lites moventur à perverſis hominibus 647, 648.
Longanimus robuſto melior 654, 655.
Loquacitas cavenda eſt 203, 204. 376, 377. 378. 1246, 1247.
Loquacitas ſtultorum propria 257. 259. 1230. 1231, 1232.
Prudenter *loquendum* inter improbos 1116, 1117.
Lucri ſpes bolus ſuaviſſimus 14.
Luxus paupertatis cauſa 927 ad 930.
Luxuria cibi. vide *Epulæ*.
M*Agiſtratus* vigilantia 125.
Magiſtratus eſt improbos è medio tollere 1081, 1082. juſtis pœnis conſtringere 1114 ad 1116. Ope deſtitutorum patrocinium ſuſcipere 1303.
Maledictiones immeritæ non ſunt timendæ 1112, 1113.
De lætitia in *Malo*. vid. *Lætitia*.
Malum quærens in illud incidit 127. 1184. 1137, 1138.
Mali artifices qui 349, 350, 351.
Malum pijs deſtinatum improbis obveniet 243. 1184, 1185, 1186.
Malo bonum rependere ferinum 681, 682, 683.
Malum prævidere & cavere prudentis eſt 959 ad 962. 1155, 1156.
Malorum adinventores nequiſſime ſunt. 1052, 1553, 1054.
Mand tum Dei ſolum dignum quod mandati nomen obtineat 795, 796.
Mandata Dei continent quæ faciunt ad illorum obſervantiam 326, 327.
Manſuetudinis cauſa intelligentia 785, 786.
Matres citius à filijs quam patres contemnentur 561, 562. 1032.
Medijs externis non eſt confidendum 1257, 1258.
Memoria juſti benedicta, improbi putrida 185, 186, 187.
Mendaciorum lucrum momentaneum 347, 348.
Mendacia in mercimonijs. vide *Merc.*
Mendaces Deo abominationi 255, 256.
In *Mercimonijs* vanitas & mendacium vitandum 851 ad 854.
Meretrix extranea 31. Alienigena 32. blanda 32. 73. 112. 113. fallax 128. Strepera 129. impudens 130, 131. Deſertrix mariti, & Dei 32, 33.
Ex *Meretrice* calamitates quæ, & quantæ 74 ad 79. & 114 ad 118. 1036, 1037, 1038. 1216, 1217.
Meretricis lauta convivia 131. Illecebræ aliæ 132, 133.
Meretricis os, tanquam putens profundus 983, 984, 995.
Meretricis artes occultæ 1284, &c.
Remedium adverſus *Meretricis* illecebras, Lex Dei 111, 112, 113.
Miniſterium alendum eſt 40, 41.
In *Miniſterio* beneficia divina communicantur 168.
Miniſterium legitimam vocationem requirit 414.
Miſeria amplificatur ex circumſtantium fælicitate 81.
Miſeris ſuccurrendum maturè, & ſive tergiverſatione 1058 ad 1060.
Modeſtè de nobis ipſis ſentiendum 325, 326. & cum alijs converſandum 1083 ad 1086.
Mœror animum deprimit 361. Ejuſdem remedium 362.
Mulier gratioſa honorem retinet 260 ad 263.
Munera odio habenda 575 ad 578. 702, 703, 704.

Munera plurimùm poſſunt 749,750. 921, ad 924.
Munera corrumpunt judicia, 671,672,673. 1201,1202. 1217,1218,1219.
Muſices rectus uſus, 1099,1100,1101.
N*Atura* hominis miſerrima, 473,474,475 Neceſſaria primùm quærẽda, 445,446.
Nequam quis, 645,646,647.
Nuncius quis, 414.
Nuncius improbus incidet in malũ, 414,415. fidelis mirificè recreat, 415. 1091. ad 1093. 1105,1106. Inſipiens incommodat. 1118,1119.
O*Blectatio* piorum & impiorum, 209, 210,211. 715. ad 718.
Oblivio mandatorum Dei eorundem obſervationi oppoſita 36.
Obſtinatus improborum animus in peccatis, 949 950,951. 1138.
Occaſiones & anſas malorum a pijs Deus avertit, 352. 354.
Malum *Odio* habendum. 149,150.
Odium contentionem excitat. 193,194.
Odium nec diſſimulandum animo, nec convitiis prodendum. 202,203.
Odium ſimulatum. 1135, ad 1138.
Officii ratio in omnibus habẽda, 1292,1293.
Juſto perſtandum in *Officio.* 1106,1107.
Operum ſive bonorum, ſive malorum compenſatio. 462,463,464.
Opera piorum & impiorum coram Deo, 535. ad 538.
Opportunitatis ratio habenda, 96, 97. 182, 183. 1292. in ſermonibus 197. in proferenda ſcientia, 358,359.
Oppreſſionis pauperum Deus juſtiſſimus vindex, 995. ad 999. & 1016,1017. Vide *Dives.*
Oratio impiorum Deo abominatio eſt, 1182, 1183.
Ex abundantia cordis *Os* loquitur, 532,533, 534.
Os ſapiẽtis quaſi ſcaturigo proſluẽs 719, &c.
Otioſus quis. 379.
Otioſi ingenium, 102. ad 105. 813,814. 1125, 1126. pœna, 105,831. 853. 942,943.
Otio deditus ſuperbus. 108,109. doloſus 360. improbus, 559,560. intolerabilis, 814.
Otioſus multus in appetendo. 378,379, 380. 941. ad 944.
Otioſo omnia aſpera ſunt, 559,560. 812, &c. 1126.
Otioſus movet lites. 647,648.
Otioſi vani prætextus ad declinandum laborem, 980,981,982.
Otioſus difficilimè ſanatur, 1127, 1128, 1129.
P*Arentes* pij liberis proſunt, 275,276.
Parentum monitis, & caſtigationibus auſcultandum, 9, 10. 528, ad 531. 561. 370. ad 373. 1029. ad 1033. 1296,1297.
Parẽtibus maledicere horrendũ ſcelus, 861, 862,863. 1276. 1278. 1283,1284. 1285.
Patientiâ præſertim erga principem utendum. 1094,1095.
Paupertatis commoda, 393, 394. 762. 764. 1149,1150. & incommoda, 1273.
Pauperis abjectus animus, 110,111,112.
Pauper non eſt contemnendus, aut opprimendus, 508,510. 665. ad 668. præſertim a paupere. 1174,1175.
Pauper pius diviti ſtulto præponendus, 759. 767,768. 1178. 1185,1186,1187. & mendaci 808. 811.
Pauperes a proximis odio habẽtur 479, 480. 778. ad 781.
Pax vide *Concordia.*
Peccatores qui. 13.
Peccatorum illecebræ cavendæ. 13. ad 17.
Peccatores αὐτοφόνοι 17. 164.
Peccatorum proſperitas ipſis pernicioſa. 26. 131,132.
Nemo a *Peccato* purus. 842,843.
Peccatores defectio illaqueat. 1221, 1222, 1223.
Peccantium multitudo auget peccatũ, 1239, 1240.
Peccata verbis odioſis proponenda, 13.
Peccata Deo odioſa per ſe, creatura peccati causâ. 105,106. 108. 307.
Peccatorũ diſcrimina dignoſcẽda. 1054,1055
Peccata priſtina non repetenda. 1112,1113, 1114.

Peccatum ſtulti rident. 454.455.
In *Peccatis* radicati inſanabiles 1165.1166. 1226 1227.1228.
Peccata ſuperiorum maximè noxia. 1232. 1269,1270.
Peccata & agnoſcenda & deſerenda. 1189. ad 1192.
Peccatorum amandatio petenda a Deo. 1232,1233,1234.
Peccata remiſſa non redeunt. 1233,1234.
Cum *Peccatis* aliorum non eſt communicandum 1251. ad 1254.
Peccatorum pœna 301. 303. a Deo 425.
Peritia rei requiritur ad eandem commodè perficiendam, vid. *Prud.*
Perſona dicentis addit dictis pondus 4.5.57. 1077.
Perſonæ acceptio in judicio à Deo aliena 1078. eidem inviſa 721.722.723.
Perverſus quis 965.
Perverſus hujus & futuræ vitæ malis obnoxius 966. 967. 968.
Piorum vita Deo curæ eſt 243.244.
Ex *Pietate* commodorum hujus vitæ optatus uſus 553. 554. 555.
Pietatis conſtantis præmium beatitas 838. vid *Præmia.*
Pietas conjuncta cum paupertate, vid. *Paupertas.*
Pondera & menſuræ juſtæ Deo placent, & injuſtæ odio ſunt 225. ad 230. & 844. 845.
Ponderum juſtorum Deus author 613. 614.
Præceptorum Deï obedientia integra eſſe debet 356. 357. inde ſanitas 68. obedienti prodeſt, non Deo 173. 174.
Præcepta cuſtodiens cuſtodit animam ſuam 795. 796.
Præcepta contemnit qui non obſervat 795. 797.
Præmia à Deo propoſita quem in finem 215. 216.
Præmia pietatis certa à Deo, licet tarda 486. 487. 488.
Preces pro mortuis non concipiendæ 186. 187.
Precibus in hac tantũ vita locus 1267. 1268.
Prodigi ſtulti ſunt 933. 934.
Profectus bonorum & malorum 645.
Progenies multiplex ornat parentes, ut parentes longævi liberos 667.668.
Proſperitas improborum 266. minimè firmæ 306. 307.
Proſpiciendum in poſterum 95. 96.97. 1292.
Providentia Dei obſervanda 319. eidem omnia ſubjiciuntur 525. 526. 527. 542. 543.544. Regum animi 895. ad 898. quæ minimè videntur 847. 848. 849. quæ videntur fortuita 656. 607.
A *Providentia* Dei pendendum, nobis & noſtrâ ſapientiâ abnegata 869. 870. 871.
Proximo non nocendum 52.
Prudentia in cavendis malis, vid. *Mala.*
Prudens ex vera rei cognitione 149.
Prudentia in rebus noſtris adminiſtrandis adhibenda 412.413. 630. 631. 632.
Prudens ſcientiam quærit 549. 59. 376. & poſſidet 747. ad 749.
Prudens explorat aliorum ſecreta 876.877.
Pudor ex peccato 384.
Puer actionibus ſuis ſe cognoſcendum præbet 847. 848. 849.
Pueri ritè inſtituendi ſunt 968 ad 970.
Pulcritudo abſque virtute deformat 275. 276. 277.
Pulcritudo fallax & vana 1332. 1333.
R *Ebellionis* malum, cauſæ, & pæna 676. 677.678.
Regis officium in judicando vid. *Iudic.* in propria perſona 840. 841.
Regis cor in manu Domini 895. ad 898.
Regis decor in populi multitudine 500.501. 502. in recõditis requirendis 1380.1081.
Regis ira mortem affert niſi prudenter expietur 619. ad 622. Timenda eſt 788. 789. 790.
Regis eſt vera dicentibus ſummè oblectare 617. 618. 619.
Regum mutatio frequens peccati pæna 1172. 1173. 1174.
Regi Deus præponendus in obſequio præſtando 1067. 1068. 1069.
Regnum

Regnum juſtitiâ ſtabilitur. 615, 616. 1217, 1218.1236,1237.
Religio unuſcujuſque ex operibus æſtimandâ 440,441.
Religionem obtendere in re turpi profundum Sathanæ artificium 131.
Religio falſa pompoſa 143.
Repetita in ſcripturis ſingularem uſum habent 234,235. ſub variata dicendi forma 282.
Reprehenſio clara eſſe debet 17,18.
Reprehenſio gratiam conciliat 1203. illius odij effecta 80. Cauſæ 304,305.540,541. 1211,&c.
Reprehenſio admiſſa,&accommodatæ ſalutis τεκμήριον 201,202.203.529,530.584,585, 901 903.
Reſipiſcentiæ fructus 1188.ad 1191.
S*Acrum* quid 871.
Sacrificia improborum. v.*Improb.*
Sacrilegium fugiendum 871,872.
Sapientia quid 623.951.
Sapientiæ author Chriſtus 47, 48. laus præ divitiis 45,46,47. 623,624.. decor 9. 10. fructus 28, 29,30.50.72.635,636.
Sapientia cautum reddit. 71. præſtat robori, 936,937.
Sapientia ſtudioſè quærenda 26.28.548&c. 821, 822. 1033. 1060. 1061. quibus mediis 25,26. firmiter retinenda 71, 72. opportunè proponenda 514,515.cum ſcientia conjungenda 769,770.
Solus juſtus *Sapiens* eſt 406.
Sapiens in oculis ſuis inſanabilis 1123, 1124.
Scientia ex timore Dei 1177,1178.
Scripturæ perfectiſſimè inſtituunt reſpectu & ſcientiæ,& morum 6,7,8.
Securitas ſumma in vitæ integritate 188, 189. 218,219,220. 1323, 1324. ut in vafricie periculum 189,190.
Sedula manus ditat 181. ad 183. 360, 361. 378.ad 381,&c.
Sedulitatis remuneratio 1004, 1005. 1197. 1198.
Senectus præſertim piorum honoranda 651. ad 653. 890,892.
Senſuum præſertim auditus uſus legitimus exhilarat hominem 583,584.
Sermo hominem indicat 29.196.
Sermo prudentis eſt in corde ſtulti promptus & in ore 197,198. 579.ad 581.
Sermo juſti & improbi 204.ad 208.
Sermoni incorrupto ſtudendum 222.ad 225. & 406. ad 409. ex puro corde 976. ad 980. & 1022. unde ſumma lætitia 566, 567. & fructus amœnus 633, &c. 249. 757.ad 761.
In *Sermonis* uſu maximum prudentis & ſtulti diſcrimen 349, 350. 719, &c. juſti & improbi 579.ad 581.
Sermo pro cogitationum ratione Deo gratus aut ingratus 573,ad 576.
Sermo tempeſtivè habendus 568. qui eſt ſummi pretij 1089,1090.
Sermonis excellentia non convenit ſtulto. 1118. 1119.
Sermone probus, vita improbus Deo exoſus 669,670.
Sermo non eſt inſtituendus de re niſi probè cognitâ 637,638.
Servus intelligens quis 520. honorat herum ſuũ 519.1160 ab hero reſpiciendus 520. 1161. filio ſtulto præponendus 659, &c.
Servus rectè inſtituendus eſt 1247. non traducendus apud herũ ſuum 1273.ad 1276. in honore conſtitutus ſuperbit 1288.
Silendo ſtultus pro ſapiẽte habetur 711,712.
Simplicitas vide *Integritas.*
Simplicitas ſtulta in vitio eſt 190, 191. 377.
Societas aliorum ſummè prodeſt, aut obeſt 421,422. 1224,1225.
Societas impiorum declinanda 63 64. 450. ad 453. Piorum expetenda 1228,1229.
Homo ad *Societatem* tuendam natus eſt 712,713.
Societates non ſunt temerè diſrumpendæ 1275.
Somno modus ſtatuendus 97,98,99.1076.
Somnolenti ingenium 99. paupertas 99.100. 101. 849.ad 851.
Sortis magnus uſus ad componendas lites, præſertim inter magnos 753,754.

Spes juſtorum minimè irrita 217. 277. ad 280. 309. improborum vana 218. 279. 485. 486. ſaltem ad mortem eorum 237. 238.
Spei dilatio moleſta 402. 403. 404.
Spes in mortalibus non eſt ponenda 779. 780.
Spiritus hominis, vid. *Anima*.
Stulti, qui irriſioni habent Dei ſapientiam 19. 338.
Stultorum judicium contemnendum 9. 176.
Stultum dici à Deo grave eſt 126. 127.
Stulti ſunt omnes naturâ 337. 338.
Stulti infortunium ſuum in Deum conferunt 770. 771. 772.
Stulti qui incapaces doctrinę ſalutaris 1014. 1015.
Stulto quomodo reſpondendũ 1116. 1117.
Stulti pertinacia 1165.
Stulti ſuperbia in rebus proſperis 489. 490. 1289. 1290.
Stultitiæ deſcriptio ſub meretricis pictura 174. 175.
Superbia quid 230. 1249. habet comitem ignominiam 230. 231. 1249. ad 1251. paupertatem 324. 325. Dei odium, & certum judicium 602. 603. 604. 626. ad 631, a Deo ruinam, 734. ad 737. 899. matrem ſtultitiam 229. 231. 232. prolem, rixas & cædes 396. ad 399. 940. 941.
Superborum ampliſſima quæque Deus diſſipat 571. 572.
Superbæ linguæ incommoda. vide *Lingua*.
De *Superbia* ex donorum fiducia, vide *Fiducia*.
Superbiæ & faſtus mala 899. ad 902. ſe prodentis in externis corporis membris 1280. 1281.
Suſurro quis 1131. 1132.
Suſurro plus damni affert, quam convitiator 725. ad 728. lites ſerit 726. 727.
Suum cuiq; cum pace concedendum 1002. 1003.
T*Emerè* agentes aberrant a ſcopo 7 9. ad 771.
Temeritatis cauſa ſuperbia 399. fructus egeſtas 901. ad 905.
Temeritas in judicando vid. *Iudic.*
Deus improbos in *Tentationem* merito inducit 354.
Termini patrum non movendi 1002. 1003. 1005.
De *Teſte* vero & falſo 342. ad 345. 494. 822. 823. 947. 1097.
Teſtem falſum Deus puniet 775. 776. 777. 782. 822. 823. 824. 947. 948. 949.
Timor Dei quid ſit 214. quotuplex 495. ejus fructus uberrimus 8. 9. 149. 150. 495. ad 500. 552. 812.
Timor Dei adjicit dies 214. 215. beatum reddit 1191. 1192. ejus firmiſſima poſſeſſio 215.
Timoris Dei abſentia fons improbitatis 217. cauſa exitii 1066. ad 1068.
Timor improborum inutilis 210. 211. vanus & ſine cauſa 1170. ad 1172.
Timor mali licitus 468. ad 470.
Timens ex infidelitate miſerrimus 1253. ad 1256.
Tyranni deſcriptio 1193. 1194.
Tyranni vita brevis 1193. 1195.
V*Eritati* teſtimonium ferendũ 347. 348.
Veritatis vis in extorquendo ab ipſius hoſtibus teſtimonio 79:
Verbum Dei prædicandum 1242. 1243. admittendum 24. 25. a vide percipiendum 143. 144. 187. 188. 989. ad 995. in animo recondendum 120. 515. 1020. 1021. ſpecialiter applicandum 140. 141.
Verbum Dei rectum 143. certum 143. 144. juſtum 145. perſpicuum 146. perfectum: cui nihil addendum aut detrahendum 1267.
Verbi dignitas 1267.
Verbum Dei aſtutum reddit 149. eidem ex auditione obſequendum 160. 162. 1244. & conſulenti auſcultandum 802. 803.
Verbum Dei non eſt contemnendum 404. 405. 406. 1182. 1183.
Verbis diſcriminantur juſti ab improbis 315. 316. 452.
Verba non ſunt temerè profundenda 413.

Verba inſidioſa reflectuntur in authorem, 643. 644. 645. pernicioſa ſunt aliis 647.
Verboſi in opere faciundo deſidioſi 489. 490.
In *Via* Domini recta incedendum 71.
Vindicta Deo relinquenda 865. ad 868. 985. 986.
Vindicta meditata odioſa 471. 472. 473.
Vini uſus & abuſus 1302. 1303.
Vdie *Ebrietas*.
De *Violento* vid *Improbitas*.
Vita æterna quærenda, & quomodo 569. 570. 571.
Obſervatio præceptorum vita 63.
Vitæ longinquitas & proſperitas unde 36. 37. 38. 214. 215. 216.
Quæ *vitæ* inſerviunt juſto ſufficiunt 199. 200.
Vitæ hujus præmia, & pæna 317. 318. 457. 458. 459.
Vocatio legitima ab omnibus exercenda 329. 330. 331.
Vocatio probe nota, & percepta eſſe debet 452. 453. 454.
Vocatione legitima no[n] inſtructus improbus nuncius eſt 415.
Vxor ſtrenua mariti corona 310. 311. 312. Illius virtutes 1305. ad 1327. pro meritis ſuis laudanda eſt, 1327. ad 1329.
Vxor prudens ædificat domum ſuam, ſtulta deſtruit 437. 440.
Vxor improba dedecorat & cruentat maritum, 312. 313. 790. 791. 792.
Vxor contentioſa grave malum 911. 913. 931. 932. 1105. 1157. 1158.
Vxor in ſe res bona a Dei benevolentia eſt 762. præ divitiis 791. ad 794.
In *Vxores* ancillas ſuas ducentes male ſibi conſulunt 1287. 1289. 1290.
Vxores lectiſſimæ ſummo loco conſtitutæ comparandæ 1304. 1305.
Z*Elus* in propria peccata 383.

TABULA DUPLEX
Mutuam relationem inter Decalogum & Proverbia Salomonis indicans: Prior referens ſingula ad ſingulas partes Decalogi: poſterior extendens Decalogum ad PROVERBIA.

UTRARUMQUE EXPLICATIO.

F*iguræ poſt primam lineam denotant capita & verſus Proverbiorum: poſt ſecundam decem Præcepta; ubi etiam* (dec.) *indicat relationem ad totum Decalogum* dec. exc. 1. & 10. *ad Decalogum totum exceptis primo & decimo.* Euang. *ad Euangelium.* tab. 1. *ad primam tabulam Decalogi.* tab. 2. *ad ſecundam tabulam.* 2. tab. exc. 10. *ad ſecundam tabulam excepto decimo.*

TABULA PRIOR.

Prov.	*ad Præcept.*	*Prov.*	*ad Præcept.*	*Prov.*	*ad Præcept.*	*Prov.*	*ad Præcept.*
c. 10.		3	6. & 8.	7	9.	11	*Tab.* 2.
verſ.		4	8.	8			*exc.* 10.
1	5.	5	8.	9	*Dec.*	12	6.
2	8.	6	*tab.* 2.	10			

Prov.	ad Præcept.
13 & 14	Dec. exc. 1. & 10.
15	8.
16	dec. exc. 1. & 10.
17	dec.
18	6. & 9.
19	dec. exc. 1. & 10.
20 ad 25	dec.
26	dec. exc. 1. & 10.
27 28 29	dec.
30	
31 & 32	dec. exc. 1. & 10.
c. 1.	
v. 1.	8.
2 ad 10	1.
11	tab. 2. exc. 10.
12	tab. 2.
13	9.
14	tab. 2.
15	8.
16	8. & 9.
17 & 18	tab. 2.
19	dec. 7.
20	tab. 1.
21	1.
22	9.
23	10.

Prou.	ad Præcept.
24 & 25	8.
26	6.
27	tab. 2.
28	1.
29	tab. 2. exc. 10.
30	6.
31	1.
c 12.	
v. 1.	5.
2 & 3	dec.
4	7.
5	dec.
6	6.
7	dec.
8	6. & 9.
9	8.
10	6.
11	8.
12	tab. 2.
13	dec.
14	tab. 2. exc. 10.
15	tab. 2.
16	6. & tab. 2. exc. 10.
17 18 19	t. 2. ex. 10.
20	tab. 2.
21	tab. 2.
22	9. & tab. 2. exc. 10.
23	t. 2. ex. 10.
24	8.
25	6.
26	t. 2. ex. 10.
27	8.

Prov.	ad Præcept.
28	dec.
c. 13.	
v. 1.	5.
2 & 3	t. 2. ex. 10.
4	10.
5	tab. 2. exc. 10.
6	dec.
7	8.
8	6. 8. 9.
9	tab. 2. exc. 10.
10	dec.
11	8.
12	10.
13	dec.
14 15 16 17	tab. 2. exc. 10.
18	5.
19	tab. 2.
20	tab. 2.
21	dec.
22	8.
23	8.
24	5.
25	6. & 8.
c. 14.	
v. 1.	8.
2	1.
3	d. 1. exc. & (10.
4	8
5	9.
6	8.
7 & 8	t. 2. ex. 10.
9	dec.
10	6.

Prou.	ad Præcept.
11	8.
12	dec.
13	6. & 7.
14	dec.
15	9.
16	dec.
17	6.
18	9.
19	dec.
20	6. & 8.
21	tab. 2.
22	dec.
23 & 24	8.
25	9.
26 & 27	tab. 1.
28	5.
29 & 30	6.
31	8.
32	6.
33	5.
34	tab. 2.
35	5.
c. 15. verſ.	
1	6.
2	3. & 9.
3	1.
4	6.
5	5.
6	8.
7	3. & 9.
8	2.
9	tab. 2.
10	5.
11	1.
12	5.

TABULA PRIOR.

Prov.	ad Præcept.
13	6.
14	dec.
15	Euang.
16	2.
17	6.
18	6.
19	8.
20	5.
21	dec.
22	dec.
23	3. & 9.
24	dec.
25	8.
26	3. 9. & 10.
27	8. & 6.
28	3. & 9.
29 & 30	2.
31 & 32	5.
33	1. & 2.
c. 6.	
1.	1.
2	dec.
3	1. & euang.
4	1.
5	1.
6	dec. & Euang.
7	2.
8	8.
9	1.
10	5.
11	8.
12	tab. 2.
13	9.
14	5.
15	5.
16	dec.
17	dec.
18	8.

Prov.	ad Præcept.
19	6.
20, 21, 22, 23, 24 & 25	dec. exc. 1. & 10.
	dec.
26	tab. 2. exc. 10.
27	6.
28	5. & 6.
29 & 30	tab. 2. exc. 10.
31	5.
32	6.
33	5.
c. 17.	
v. 1.	6.
2	5.
3	1.
4	tab. 2. exc. 10.
5	6.
6	5.
7	dec. exc. 1. & 10.
8	5.
9	dec. exc. 1. & 10.
10	Euang.
11	5. & tab. 1.
12	6.
13	Dec. exc. 1. & 10.
14	6.
15	5.
16	8.
17	5.
18	8.

Prou.	ad Præcept.
19	6.
20	3. & 9.
21	5.
22	6.
23	5.
24	dec. exc. 1. & 10.
25	5.
26	5.
27	6.
28	6.
c. 18.	
v. 1.	8.
2, 3	dec.
4	3. & 9.
5	5.
6, 7	6.
8	9.
9	8.
10	2.
11	1.
12	6.
13	9.
14	6.
15	dec.
16, 17, 18	5.
19	6.
20, 21	dec. exc. 1. & 10.
22	5.
23	6.
24	5.
c. 19.	
v. 1.	8.
2	dec. exc. 1.

Prou.	ad Præcept.
	& 10.
3	1.
4	5.
5	9.
6	5.
7	5.
8	dec.
9	5.
10	5.
11	6.
12, 13, 14	5.
15	8.
16	dec.
17	8.
18 & 19	5.
20	dec.
21	dec. exc. 10.
22	6.
23	1.
24	8.
25	5.
26	5.
27	dec.
28	9.
29	9.
c. 20.	
v. 1.	5. & 6.
2	5.
3	6.
4	8.
5	dec.
6	8.
7	dec
8	5.
9	dec.
10	8.
11	5.
12	1.

Prov.	ad præcept.
13	8.
14	
15	
16	8 & 9.
17	
18	dec.
19	5.
20	5.
21	8.
22	6.
23	8.
24	1.
25	8.
26	
27	
28	5.
29	
30	
c.21.	
v. 1.	1.
2	dec.
3	tab.2.exc. 10.
4	dec.
5	8.
6	8.
7	tab.2.
8	dec.
9	8 & 5.
10	6 & 5.
11	5.
12	5.
13	6.
14	6 & 8.
15	dec.
16	dec.
17	7 & 8,
18	Euang. & dec.
19	5 & 6.
20	8,
21	6 & 8,
22	6.
23	3. & 9
24	6 & 9.

Prov.	ad præcept.
25	8 & 9.
26	8.
27	2.
28	9.
29	dec.
30	dec.
31	1.
c.22.	
v.1.	8 & 9.
2	1.
3	Dec.
4	1.
5	dec.
6	5.
7	6,
8	6.
9	8.
10	5 & 6.
11	5 & 9.
12	1.
13	8.
14	7.
15	6.
16	8.
17	4.
18	
19	
20	2,
21	
22	8.& 6.
23	7.
24	5.
25	5.
26	8,
27	8.
28	6 & 8.
29	8 & 5.
c.23.	
1	
2	6.
3	
4	
5	

Prov.	ad præcept.
6	8.
7	
8	
9	5.
10	8.
11	1.
12	dec.
13	
14	5.
15	
16	
17	1 & 10.
18	1 & 10.
19	
20	8.
21	
22	
23	
24	5.
25	
26	
27	7.
28	7.
29	
30	
31	
32	tab.2.exc.
33	10.
34	
35	
c.24.	
1	
&	dec. exc. 1.
2	& 10.
3	
4	
5	
6	dec.
7	
8	
9	
10	dec. exc. 1.
	& 10.
11	

Prov.	ad præcept.
&	6.
12	
13	dec.
14	dec.
15	
&	tab.2.ex 10.
16	
17	10 & 6.
18	1.
19	10 & 6.
20	1,
21	
&	1. & 5.
22	
23	
24	9.
25	
26	
27	8.
28	9 & 6.
29	9 & 6.
30	
31	
32	8,
33	
34	
c.25.	
1	1.
2	
&	1 & 5.
3	
4	
5	5.
6	
7	
8	6.
9	
10	9,
11	
12	
13	5.
14	8 & 9.
15	6.
16	10;

TABULA PRIOR.

Prov.	ad præcept.
17	5.
18	9.
19	5.
20 } 21 } 22	6.
23	9.
24	8 & 5.
25	5.
26	dec.
27	9.
28	dec. exc. 10.
c. 26	
1	1. 5.
2	1.
3	5.
4	9.
5	9.
6	5.
7	9,
8	5.
9	9,
10	5.
11	dec.
12	1.
13 } 14 } 15 } 16	8,
17	6 & 9.
18 & 19	6,
20	6 & 8,
21	6.
22 & 23	9,
24 } 25 } 26	6 & 9,
27	T. 2. ex. 10.
28	9 & 6,

Prov.	ad præcept.
c.27.	
1	9.
2	
3	6.
4	6.
5	5.
6	5.
7	8.
8	8.
9 } 10 } 11	5.
12	dec.
13	8.
14	9,
15 } 16 } 17	9.
18	5.
19	1.
20	8.
21	5,
22	Euang.
23	
24 } 25 } 26	8.
27	
c.28.	
1	ad euang.
2	tab.1.
3	8.
4	dec. exc. 1. & 10.
5	dec.
6	8.
7	5,
8	8.
9	2.
10	6.
11	9.
12	5,
13	Euang.
14	1.
15	5.

Prov.	ad præcept.
16	5.
17	6.
18	dec. exc. 1. & 10.
19	8,
20	8.
21	5.
22	8.
23	6.
24	5.
25	6 & ad Euang.
26	5.
27	8,
28	5.
c.29.	
1	6.
2	Euang.
3	5. & 7.
4	5.
5	9.
6	ad dec. exc. 1 & 10 & ad Euang.
7	6 & 8.
8	dec. exc. 1. & 10.
9	6.
10	8.
11	9.
12	5.
13	1.
14	5.
15	5.
16	dec.
17	5.
18	dec. & Euang.
19	5.
20	3. & 9
21	5.
22	6.
23	1.
24	dec. exc. 1. & 10.
25	Euang.

Prov.	ad præcept.
[illegible]6	1.
[illegible]	dec. exc. 1. & 10.
c.30.	
7 } 8 } 9	8,
10	9.
11	5.
12	tab.1.
13	6.
14	9.
15	8.
16	8.
17	5.
18 } 19 } 20	7.
21 } 22 } 23	5. & 6. & 7.
24 ad 28	8.
29 ad 32	9.
33	6.
c. 31.	
1 ad 4	5.
5	5.
6	6.
7	6.
8	6.
9	5 & 6.
10	7.
11 ad 27	8.
28 } 29	5.
30	1.
31	8 & 9.

TABULA POSTERIOR.

Obſerva, periodum diſtinguere capita: colon inter capita & verſus, comma inter verſus ejuſdem capitis. Et verbum (ad) *continuare materiam à figura ſeu verſu præcedenti uſque ad ſequentem. Et verba* (& ad) *referre ulterius ad aliud ſecundum notam ſequentem.*

Referuntur ad Decalogum totum capitis decimi, verſus 8, 9, 10, 17, 21 ad 25, 27 ad 30. 11: 2 ad 10, 19. 12: 2,3,5,7,13,28. 13: 6,13,21. 14: 9,12,14, 16,19, 22. 15: 14,21,22,24. 16: 2,6, & ad Euang. 16, 17, 22, 25. 18: 2,3,15. 19: 3,8, 16, 20, 27. 20: 5, 7, 9, 18. 21: 2, 4, 8, 15, 16,18 & ad Euangelium,29. 22: 3,5. 23: 12. 24: 3 uſque ad 9, 13, 14. 25: 26. 26: 11. 27: 12. 28: 5. 29: 16,18 & ad Euang.

Quædam etiam ad Euangelium referuntur. ſc: 15: 15. 16: 3,6. 17: 10. 21: 18 & ad dec. 27: 22. 28: 1,3,25 & ad 6. 29: 2, 6 & ad dec. exceptis primo & decimo,25.

Ad Decalogum exceptis præceptis primo & decimo referuntur capitis decimi verſus decimus tertius, 14, 16, 19, 26, 31, 32. 12: 23. 14: 3. 16: 20,21,23,24. 17: 7,9, 13,24. 18: 20,21. 19: 2,21. 24: 1,2,10. 28: 4. 29: 6 & ad Euangelium,24,27.

Ad primam decalogi Tabulam referuntur 11: 2 ad 10, 20. 14: 26, 27. 17: 11 & ad 5. 28: 2. 30: 12.

Ad ſecundam Tab. referuntur 10: 6. 11: 12, 14, 17, 18, 27. 12: 12, 15, 20, 21. 13: 10, 19, 20. 14: 21, 34. 15: 9. 16: 12. 21: 7.

Ad Tab. 2. exc. præcepto decimo, referuntur 10: 11. 11: 11, 29. 12: 14, 16 & ad præceptum ſextum, 17, 18, 19, 22 & ad 9, 26. 13: 2, 3, 5, 9, 14 ad 17. 14: 7, 8, 9. 16: 29, 30. 17: 4. 21: 3. 23: 29 ad 35. 24: 15, 16. 26: 27.

Ad primum præceptum referuntur 11: 21, 28, 31. 14: 2. 15: 3, 11, 33 & ad 2. 16: 1, 3, 4, 5, 9. 17: 1. 18: 11, 23. 20: 12, 24. 21: 1, 30, 31. 22: 2, 4, 12, 23. 23: 11. 24: 18, 20, 21 & 22 & ad 5. 25: 1, 2 & 3 & ad 5. 26: 2, 12. 27: 19. 28: 14. 29: 13, 26. 31: 30.

Ad ſecundum præceptum referuntur 15: 8, 16, 28, 30,33. 16: 7. 18: 10. 21: 27. 22: 17, 18, 19, 20, 21. 25: 1. 28: 9.

Ad tertium præceptum referuntur 15: 2, 3, 23, 26, 28. 17: 20, & ad 9. 18: 4 idem, 23 idem. 29: 20 idem.

Ad quintum præceptum referuntur 10: 1. 12: 1. 13: 1, 18, 24. 14: 28, 33, 35. 15: 5, 10, 12, 20, 31, 32. 16: 10, 14, 15, 28, 31, 33. 17: 2, 6, 8, 11 & ad tab. 1, 15, 17, 21, 23, 25, 26. 18: 5, 16, 17, 18, 22, 24. 19: 4, 6, 7, 10, 12, 13, 14, 18, 19, 25, 26. 20: 1, 2, 8, 11, 19, 20, 26 ad 30. 21: 9 & ad 8, 10 & ad 6, 11, 12, 19 & ad 6. 22: 6, 10 & ad 6, 11 & ad 9, 24, 25, 29 & ad 8. 23: 9, 13 ad 16, 22 ad 26. 24: 21 & 22 & ad 1. 25: 2 & 3, & ad 1, 4, 5, 6, 7, 13, 17, 19, 24 & ad 8, 25. 26: 1, 3, 6, 8, 10. 27: 5, 6, 9, 10, 11, 15, 16, 17, 18, 21. 28: 7, 12, 15, 16, 21, 24, 26, 28. 29: 3, & ad 7, 4, 12, 14, 15, 17, 19, 21. 30: 11, 17, 21 & 22 & 23, & ad 6 & 7, 29, ad 32. 31: 1 ad 5, 9, & ad 6, 28.

Ad ſextum præceptum referuntur 10: 3 & ad 8, 12, 13, 18 & ad 9. 11: 26, 30. 12: 6, 8 & ad 9, 10, 16 & ad tab. 2. exc. 10, 25. 13: 8 & ad 8. & 9, 25 & ad 8. 14: 10, 13, 17, 20, 29, 30, 32. 15: 1, 4, 8, 13, 17, 18, 27. 16: 10, 27, 28, 32. 17: 1, 5, 12, 14, 19, 22, 27, 28. 18: 6, 7, 12, 14, 19, 23. 19: 11, 22,

11, 22. 20: 1, 3, 22. 21: 10, 13, 14 & ad 8, 19 & ad 5, 21 & ad 8, 22, 24 & ad 9, 25 & ad 8. 22: 7, 8. 10 & ad 5, 15, 22 & ad 8, 28 & ad 8. 23: 1, 2, 3. 24: 17, 19 & ad 10, 28, & 29, & ad 9. 25: 8, 15, 20, 21, 22. 26: 17 & ad 8, 18, 19, 20 & ad 9, 21, 24 & 25 & 26 & ad 9, 28, & ad 9. 27: 3, 4. 28: 10, 17, 23, 25 & ad Euang. 29: 1, 7 & ad 8, 9, 22. 30: 13, 21, 22, 23 & ad 5 & 7, 33. 31: 6, 7, 8, 9, & ad 5.

Ad ſeptimum præceptum referuntur. 12: 4. 14: 13. 21: 17 & ad 8. 22: 14. 23: 27, 28. 30: 18, 19, 20, 21 & 22 & 23 & ad 5 & 6, 10 ad 27 & ad 8, 28 & 5.

Ad octavum præceptum referuntur 10: 2, 3 & ad 6, 4, 5, 15. 11: 1, 15, 16 & ad 9, 24, 25. 12: 9, 11, 24, 27. 13: 7, 8 & ad 6 & 9, 11, 22, 23, 25 & ad 6. 14: 1, 4, 6, 11, 20, 23, 24, 31. 15: 19, 23, 25, 27. 16: 8, 11, 18. 17: 16, 18. 18: 1, 9. 19: 1, 15, 17, 24. 20: 4, 6, 10, 13 ad 17, 21, 23, 25. 21: 5, 6. 9, 14 & ad 6, 17 & ad 7, 20 & ad 6, 25 & ad 6, 26. 22: 1 & ad 9, 9, 13. 16, 22 & ad 6, 26, 27, 28 & ad 6, 29 & ad 5. 23: 4 ad 8, 10, 19, 20, 26. 24: 27, 30 ad 34. 25: 14 & ad 9, 24 & [illegible] 5. 26: 13 ad 16, 17 & ad 6. 27: 7, 8, 15, 23 uſque ad 27. 28: 3, 6, 8, 19, 20, 22, 27. 29: 7 & ad 6, 10. 30: 7, 8, 9, 10, 15, 16, 24 ad 28. 31: 10 ad 27.

Ad nonum præceptum referuntur 10: 18 & ad 6. 11: 13, 16 & ad 8, 22. 12: 0 & ad 6, 9 & ad tab. 2 exc. 10. 13: 8 & ad 6 & 9. 14: 5, 15, 18, 25. 15: 2, 9, 26, 28. 16: 13. 17: 20 & ad 3. 18: 4 & ad 3, 8, 13. 19: 5, 9, 28, 29. 20: 14. 21: 23, & ad 3, 24 & ad 6, 28. 22: 1 & ad 8, 11 & ad 5, 9. 24: 23 ad 26, 28 & 29 & ad 6. 25: 9, 10, 11, 12, 18, 27. 26: 4, 5, 7, 9, 20, 22, 23, 24 & 25 & 26 & ad 6, 28 & ad 6. 27: 1, 2, 14. 28: 11. 29: 5, 11, 23. 30: 10, 11, 14. 31: 29, 30, 31.

Ad decimum præceptum referuntur 11: 7 & ad 1. 13: 4, 12. 15: 26. 23: 17, 18. 24: 17, 19. 25: 16. 27: 20.

F I N I S.

1 = 15 = 7
1 = 05 4
0 10 3

Tuhr q[?] shares excepted

3 Bills obligatory 1/27 — 10 Payd 20 Nov: 1709
2/ 27 — 10 20 June 1710
3/ Bile — 6: — Nov 1715 —

Q.A Covenant 1.1 M[r] A & J.S. to hire on Cause to the
Remaining part of the Land & Nich & 60 Sheep o it

2 yds Scotch cloath —	0	8	0
1000 pins —	0	2	6
4 ounces Indigo —	0	2	3
6 ll Shillig —	0	19	6
1 ~~pound~~ Currant ..	0	01	6
3 pints Oatmeal	0	00	6
Thread	0	01	4
	1	15	7

Yet

Proverbs Cartwright

Cartwrig

Proverbs Cartwright on the

Proverbs

Forgwith

And thy

300
20
100

144